




Gratitudo pro Beneficiis Deo reddenda p.a 6 Vide

Sequentia

Vera gaudia a solo Deo accipiuntur p.a 17

quanti Deus nostrã salutē fecit p.a

Christus vicit diabolum mundū. p.a 30

Analogia inter mare Rubrū et Baptismū p.a 32

quomodo Deus sit fortitudo nrã. p.a 41.

Non propriã laudē sed Dei gloriam quærunt Sancti p.a 43.

quo tempore soleat Deus suis plerūque succurrere 56.

Post Incarnationē Verbi possumus vere dicere Deus noster 65.

Vide etiam cap. sequ: p.a 74.

quātū conducat Parentū Religio et officiat Iniquitas 82

Deus varias formas induit ut homines inveniat ~~atque~~ ~~defuerint~~ 120

An Christus fuerit Vir pugnator 122

quid nos moveat dei omnipotentia 125.

De sacratiss.o nomine Jesu 140

de Luxuria 157 Subversio Luxuriæ 176

de Avaritia 163. de Triumpho Avaritiæ 184. et 400

de superbia 173 de triump. contra super: 189

expenditur supplicium Pharaonis 195.

Causa nrã: nihil valet nisi Deus operetur nobiscū 227

Prosperitas Impiorum decipit 234

Deus naturaliter misericors a nobis provocatur ad iram

De congregatione malorum ad impediendā Viã Justi 316. 257

debemus vitare Impiorum consortia 309.

Impius requiē non habet, et semper ad deteriora prolabitur 331

Sola bona temporalia potest inimicus auferre 378

65 Temporalia occupare possūt, satiare nō possunt 389

Laudandus Deus quia laudabilis, timendus quia terribilis

Terrena bona devorant mūdi amatores 408

419

Christus Dux noster 440

Quomodo Deus voluerit Dux in misericordia ad [illegible] 444

Quomodo nos portet Christus in humeris ad habitaculum sanctum [illegible] 448

Templa summopere sunt veneranda 459.

De Invidia 467

[illegible] Divina impediunt beneficia et Dei promissionibus obstant. 475.

Ecclesia novi Testamenti [illegible] et diuturna 507.

P[illegible] Maffeo

Pertinet ad Con.tum [illegible] Bona[illegible] D. Vrbe[illegible]

AD

CANTICVM

MOYSIS EXODI XV.

COMMENTARII

CVM


[illegible]

MORALIBVS.

Auctore P. F. [illegible] Doctore Lusitano, sacri Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum.

NVNC PRIMVM IN GALLIA [illegible]

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



LVGDVNI,

Sumptib. LVDOVICI PROST Hæredis Rouille.

M. DC. XXII.

CVM PRIVILEGIO.



REVERENDO IN CHRISTO PATRI
P. LVDOVICO MICHAELIS
RECTORI COLLEGII LVGDVNENSIS
SOCIETATIS IESV.

MOYSEM tibi P. R. multis indeptarum palmarum trophæis nobilem ad humanitatis tuæ aram religiosam sisto; hominem iam non Ægyptiæ, sed quasi Filium Dei, maximum gloriosi populi ducem, Sanctorum Iudicem, Dei amicum, Prophetarum maximum, Iudæis tanquam pueris à Deo præfectum literatorem, Dei inuisibilis linguam visibilem; & vt semel dicam, (quæ mea offerendi tibi huius Operis ratio est) tuam imaginem. Hoc enim omnibus artibus est solemne, vt quod artifices moliuntur, id fermè vera alicuius imago sit. Si verò spectatur Operis argumentum, haud parum habet commendationis. Idem enim Moyses est, ita in summa rerum consistens, vt tamen ad singula sui similis semper descendat; nempe suprema & propinqua Cælo aëris pars à turbis libera est, non cogitur illa in nubem, non in tempestatem propellitur, non versatur in turbinem; sic Moysem si animo vniuersè videas, nihil illo tranquillius, nihil pacatius, nihil sereno puroque Cælo similius; sed & si eundem ad singulos descendentem inspexeris, neque inter affectionum nubes odia fundit, neque ardet cupiditatum face, neque irarum fragoribus omnia quatit. Planè vt solemne fuerit illi antè etiam quàm hæc humana præteruectus esset, in Cælo liberè vagari, & inter homines in terris cælitem agere.

Verùm & ad bonum populi gloriosi ita conspirat, vt si quis ab tali

natione mos inducendus, tollendúsue sit: si lex ferenda, aut abroganda: si accepti beneficij recordatio animis infigenda: si pererrata solitudine Arabicæ in campis Moab cælum & terra in testes vocandi: si scelera innumera, quibus ille populus Deo stomachum mouebat, prophéticis vocibus denuncianda: si deditiones faciendæ, si induciæ, si fœdera paciscenda, confirmanda, rescindenda: si singulis tribubus Israëliticis benedictiones Patriarcharum, vniuersóque Israëli impertiendæ, ad Moysis vnius operam confugitur, ille in priuatis congressionibus consultor habetur, ille in publicis suasor.

Sed quod, vt Poëtarum nationi blandirentur hominum seuerissimi, dictum putabam; rem sacram esse Poëtam, qui canere prius non posset, quàm Deo plenus; *idcirco id factum contendo, vt ostenderent egere Deo nobilem Poëtam; nimirum Poësi sua sanctus noster Poëta, dum Cantico suo magnum quid omnino molitur, atque ad rem inter humana maximè diuinam, hoc est ad virtutis amorem, gratique in Deum animi significationem pro tot terrarum anfractibus, pro tot aquarum maris Rubri permensis tractibus exsuscitat, medium se inter Deum & Israëlem præstat, qui Hebræorum animos ad se ideo pertrahit, quia prius ipse tanquam annulus à magnete, hoc est à Dei numine commotus, raptúsque est.*

Quare cùm in hisce, quæ nunc prodeunt, amplissimis iuxtà, ac doctissimis per Balthasarem Paëz editis Commentarijs, integrum iam non sit mihi inuenire Moysem alium, omnes me officio meo functum dicent, quòd te P.R. compellare vnum ex omnibus, meáque hæc offerre tibi sim ausus nominatim. Quin potius dicar egisse percommodè, hæc ad te delegando, quæ sicut populo tuo ad decantandas laudes Æterno Numini mirabilium effectori viderentur vtilia, ita omnibus, quod vnum sum visus quærere, tuo nomine forent accepta. Vale.

Reuerentiæ vestræ,

Omni nexu deuinctissimus

LVDOVICVS PROST.

ILLV

ILLVSTRISS. DOMINO
D. MICHAELI A CASTRO
VLYSSIPONENSI
ARCHIEPISC. DIGNISSIMO.

POST transitum maris rubri Moysen, & libertatem suam,& submersionem Pharaonis,curruum, & exercitus eius decantantem prosequor, idque dum facio me ad Illustrissimæ vestræ Dominationis Castrum toties confugientem, incolumémque euadentem contemplor:gratissimus ipse Moyses mihi in reddendis gratiis sit adiumento, qui incitamento est: quem dum vestræ Illustrissimæ Dominationi offero meis lucubrationibus illusttatum, me itidem alacriori animo quam vnquam fecerim propono, neque enim par erat, vt me ad vestra limina adeunda plus necessitas adigeret, quàm gratitudo vrgeret, sicut prosequitur Philo lib. 1. de vita Moysis in animis gratis, quorum proprium esse dixit August. in Psalm. 65. sibi de se nihil relinquere, totos se dedere. Accipiat igitur, precor, Illustrissime Domine suos multis titulis commentarios, vt sub vestro patrocinio vbique codex hic in celebrem euadat librum, & quo Illustrissimæ prosapiæ vestræ, singularis integritatis, imitandæ prudentiæ, admirandæ sanctimoniæ nomen, & fama felicissimo progreditur volatu attingere vtcumque queat Deus Opt. Max. qui nostræ Ecclesiæ Vlyssipon. V. Illustriss. D. præficit, pro illius ornamento, & præsidio ad fælices multos annos custodiat. Vlyssip. pridiè Calend. Ianuarij anno 1617.

Minimus V. Illustrissimæ Dominationis sed obsequentissimus seruus FR. BALTHASAR PAEZ.

CENSVRA.

EX præscripto, senatus supremi, sanctæ Inquisitionis, legi hos Commentarios, in Canticum Moysis à Reuerendo P. Fr. Balthasare Paëz compositos, quos omni commendatione dignissimos inueni, etenim in literali sensu exponendo, & morali proponendo, ac prosequendo vincitur à nemine, siue eruditionem, siue in sanctis Patribus continuam inspexeris meditationem: ac proinde de meo iudicio prælo possunt mandari, cùm nihil contineant quod pietate, & eruditione non sit refertum. Vlyssipone in Monasterio sancti Francisci Denxobreguas 9. Nouembris. Anno Domini 1615.

Fr. Ludouicus ab Angelis.

FRater Bernardinus de sancto Antonio Minister Prouincialis, ac Generalis Vicarius Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum in Prouincia Lusitaniæ, Reuerendo admodum Patri Fratri Balthasaro Paez, in sacra Theologia Conimbricensi Doctori, & sacræ Scripturæ in nostro Vlyssiponensi Monasterio interpreti facultatem concedimus (secundùm decreta sacri Concilij Tridentini) in lucem edendi præclaros Commentarios ad Canticum Moysis, eiusdem sacræ paginæ auctoritatibus illustratos, sanctorúmque Patrum sententiis ornatos. A nostris namque, & aliis sapientissimis viris probati dignissimi iudicantur, qui typis mandentur in communem verbi Diuini concionatorum vtilitatem, nostríque ordinis ornamentum. Vlyssipone nono Calendas Ianuarij, Anno Domini 1618.

Fr. Bernardinus de sancto Antonio Prouincialis & Vicarius Generalis.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in sacra Theologia Magister, in sancti Pauli huiusce Ciuitatis Canonicus, & diuini Verbi Prædicator, & à Domino Dionysio Simone de Marquemont Illustrissimo & Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunensi in librorum Censuram in hac Diœcesi incumbere iussi: Fidem facimus, Nos, *Ad Canticum Moysis Exod.* 15. *Commentarios cum Annotationibus moralibus Auctore P. F. Balthasare Paez Doctore Lusitano, &c.* vidisse & euoluisse; nihílque Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ sanctæ Ecclesiæ sacris Dogmatibus aduersum non modo non contineri; sed omnia planè iuxta sanctorum Patrum sanam doctrinam eruditissimè exponi. Lugduni apud S. Paulum 3. Idus Februarij 1622.

I. C. DE VILLE.

CONSENSVS.

HVnc eundem librum typis mandari, ac demum in lucem exponi consentio. Lugd. die 12. Februarij 1622.

DE POMEY. P. R.

PERMISSIO.

COmmentarios hosce ad Canticum Moysis, à *Ludouico Prost Herede Rouille*, in lucem dari permittimus, ac simul, ne quis eos præter eiusdem voluntatem denuò excudat, interdicimus. Lugd. 12. Februarij 1622.

DE CHAPONAY. L. G.

PROOE

PROOEMIVM
IN CANTICVM
MOYSIS.



VLTA Cantica sactis vetcribúsque mandata voluminibus inuc·i-
mus ; etenim Numer. 21. extat canticum quando apparuit puteus , & *Num.* 21.
Moyses iussu Dei ad doctrinam Israëlitici populi , & Dei testimo- *num.* 18.
nium cecinit verba cantici : *Audite cæli quæ loquor.* Iosuë in prælio *Deut.* 32.
Gabaon , Deo etiam cecinit. Debora.& Barac post Sisaræ mortem, *num* 1.
Anna post acceptum, & oblatum Deo filium : Iudith post decolatum *Iosue* 10.
Holofernem. Dauid in Psalm. (qui an omnes Cantica dicendi sint, *num.* 12.
disputat D. August. in principio Psalm.4.) apertè tamen cecinit 2. *Iudith* 5.
Reg. 22. & Psalm. 17. cùm eum ab omnibus hostibus , atque etiam à *num.* 2.
Saule Dominus liberasset. Salomon dedicata æde sacra , & vniuersus 1. *Reg.* 2.
cantorum ordo cum Iosaphar recens Canticum instituisset , hoc etiam testatur Habacuc in fine *num.* 1.
Cantici sui cap. 3. testis insuper Iephte Iudic. 11. num. 24. *Iud. vlt.*

Cæterùm hoc nostrum canticum olim Canticum canticorum dicebatur propter prærogatiuam *num.* 1.
antiquitatis , qui titulus ob mysticorum sensuum profunditatem, & elegantiam appositus fuit 1. *Reg.*
postea cantico à Salomone composito : vnde Chrysost. tom. 1. homil. in Psalm. 95. ait : *Primum* 22. *n.* 2.
omnium vetustissimumq; canticum ad mare rubrum decantatum est; sic & Origen. hic, idque appel- *Psal.* 18.
lat Arias Montanus exemplar quod secuta videtur Debora in suo cantico. Iosephus verò lib. 2. *num.* 1.
antiquit. cap. vlt. maiori lætitia asserit conditum hoc canticum, quam vlli antea homines vsquam 3. *Reg.* 8.
decantassent : imò verò quando aliquid lætissimum Deus postea promisit , ad hanc lætitiam se *num.* 55.
referebat, qualis est ille locus Oseæ : *Canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ*, cuius loci sensus est. Vi- 2. *Paral.*
ctis persecutionibus , & tentationibus Dei ope superatis , etiamsi mundi hominibus , inops & 20. *n.* 28.
afflicta videatur, tantâ lætitia perfundetur, vt continere se nequeat , quin Deo canat hymnos in *Abac.* 3.
gratiarum actionem exultans, vt populus olim post transitum maris rubri carmen victoriale ce- *Iud.* 11.
cinit, per id enim tempus fuit synagogæ iuuentus: & de hoc cantico intelligit quædam glossa He- *num.* 24.
bræorum antiqua illud Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis.* *Osea* 2.

Est autem Canticum sicut videtur definire Hilarius Prologo in Psalm. canentium chorus li- *num.* 15.
bertate sua vtens , neque in consonum organi obstrictus obsequium , hymno tantum canoræ vo- *Cant.* 2.
cis exultat. Quatuor verò ponit genera canticorum Bernard. in sententiis. Vnum victoriæ, *num.* 14
sicut est præsens cant. alterum adhortationis , sicut Israëlitæ cecinerunt ad ingressum promissæ terræ ; tertium lætitiæ, vt Annæ canticum ; quartum fortitudinis , vt cecinit Dauid ab hostibus liberatus.

Impulit autem Moysen ad condendum carmen, quod diuina virtute viderit apertum mare rubrum, patefactúmque per illud iter Israëliticis agminibus , quo insequentem Pharaonis exercitum effugerent , quinimo oculis conspexerit hostium exercitus inundatione aquarum demersos, ipsorúmque cadauera ad littus eiecta. Carmen ideo dedit quod ipso præcinente chorus astans comitaretur , Moysen imitata Maria ipsius soror cum fœminis repeteret. Sic enim habet Philo lib. 3. de vita Moysis. *Distributa omni gente in duos choros alterum virorum , alterum mulierum, ipse viris carmen præiuit; sororem autem dedit præcentricem fœminis.* Vbi non omittendus Autor librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ apud August. tom. 4. qui lib. 1. cap. 21. de hoc cantico loquens ait : *Enormi admiratione dignum miraculum : vt cuncti pariter senes cum pueris , & omnes ætates eodem inspirati flamine, vno quasi ex ore nulla præmonitione edocti, easdem concinentes litteras decantarent in vnum.* Et paulò inferius, *quod per verbum , & studium ipsi facere potuerunt consonum omnes carmen decantare in vno momento Dominus illis donauit , & qui paulò ante coram eis in profundo apparuerat, &c.*

Aperuit

Aperuit igitur Dominus ad celebrationem huius cantici ora mutorum, sicut dicitur Sapient. 10. num. 21. vt ibi obseruat Cantacuzenus, quoniam paulo ante populus Hebræus aduentantibus copiis Ægyptiorum obloquutus fuerat aduersus Dominum & vociferatus contra Moysen minimè vel memor, vel gratus ob præcedentia signa, & ob præsentes mirificas columnas nubis, ignisque ac tandem præ ingenti pauore tanquam puer, aut infans timidus, vbi clamorem, & eiulatum inauditum edidisset, conticuit, sed periculo defunctus, & hostibus deletis, in tuto collocatus eum se collegisset, linguam in Dei laudationem soluit, illumque diserto cantico celebrauit. Nec omittendum id, quod Carthusianus addit; forsan aliquos naturaliter mutos, loquendi tunc facultatem supernaturaliter recepisse, atque in quibusdam infantibus anticipatum linguæ vsum, quod nos affirmare non audemus; cedit tamen in commendationem istius Cantici, possetque tunc transferri sententia Psalm. 8. num. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, vt destruas inimicum & vltorem*, Hebraicè habetur: *Fundasti fortitudinem*, quasi dicat, *declarasti potentiam, vel esse stabilem ac firmam laudem tuam.*

Constat autem præsens Canticum adstructum esse numeris & versus continere vt Brixianus, & Eusebius Cæsar, teste Dionysio hic, quamuis Metricæ scientiæ notitia ad nos non peruenerit, quod optimè notauit Genebrardus in cap. 1. Cant. de omnibus tamen Iudæorum versibus videndus est Rab. Asarias lib. 3. Meothenaijm cap. vlt. Diuus Hieronymus præfatione in lib. Iob, vbi plures refert, & Epist. 103. & 106. & 113. & 117. & 155. eiusque Scholiastes Marianus victor Epist. 112. & 117. & 155. & D. August. Epist. 131. Euseb. lib. 11. de præparat. cap. 3. Xistus Senen. lib. 8. Bibliot. hæresi. 2. Lilius Girald. Dialog. 1. de poësi, Andræas Mas. in capit. 10. Iosue vers. 12. Bellarminus in institut. Hebr. Mendoca quæst. 3. positiua. Magalianus hic sect. 1. versic. 1. annotat. 1.

Totum verò Canticum in duas diuiditur partes, in quarum Prima Moyses celebrat magnificentiam ac potentiam Dei, submersionem exercitus Pharaonis, & liberationem Israëliticæ gentis à captiuitate, & hostili manu. Secunda continet precationem, ac prædictionem introductionis populi Hebræorum in promissam terram.

TEXTVS.



TEXTVS.

Num. 1. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem eius proiecit in mare.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Vt mare fugientibus aperuit vt sicco vestigio, securique transire, & euadere possent tergo iamiam imminentem crudelem Pharaonis manum: sensum, ac rationem Ægyptiis sui confidentia & superbia ademit, vt omni salutis, ac mentis ratione priuatos in potestatem ac manum mortis traderet. Quis enim vnquam audiuit populum ea sapientia præditum, Regem cui sapientissimi viri in consilio aderant, tam stultè peccasse, vt iunctis curribus, & conscensis equis in mari tanquam in campo pugnare tentaret? quisve auderet mirabiliter apertum in mari iter temerario gressu petere: *Stulti Principes Taneos*, vt inquit Propheta Isai. *dederunt insipiens consilium Pharaoni*, vt in mari certamen initurus, non naues fabricaret, non remigia aptaret, non remiges conquireret, non nauales socios contraheret, non vela explicaret, sed currus, & equites pararet, ac si in campo acie dimicaturus esset. Vere insipiens cor eius excæcatum est, qui maris, & terræ quantum sit discrimen cogitare non nouit. Continet autem breuiter hic versiculus statum totius Cantici, & probationem eius, ab eóque. L X X. Interpretes exordiuntur hoc caput, cætera enim, quæ præcedunt in nostra vulgata habent illi in cap. 14.

Isai. 19. num. 11.

Id igitur quod nostra vulgata habet. *Cantemus Domino*, in Hebr. *Cantabo Domino*, quod idem habetur quando Moyses, vt dictum est, hoc carmen composuit. Verum, quia in sacro textu dicitur Moysen, & filios Israël canticum cecinisse, propterea plurale posuit noster Interpres, sicut etiam habent. L X X. *& Paraphrasis Chaldæa*, quæ habet. *Cantemus, & laudemus coram Domino.* Rationem vero reddens addit: *Gloriose enim magnificatus est.* Hebr. *Magnifice, siue magnificatione, vel magnificando magnificatus est, id est.* Magnum, & fortem, & strenuum se esse ostendit, vt exponit *Vatabl. & Lipom.* Alij transtulerunt: *Exaltatione enim exaltatus est.* Alij, *triumphando magnifice fecit.* Pagnin. *Quoniam eleuando, eleuauit se*, quasi Deus ad deiiciendos aduersarios se super eos eleuauerit, vt eis superior, & eminentior euaderet. Paraph. Chald. *Quia magnificatus est supra magnificos & magnificentia illius est. L X X. gloriose enim magnificatus est*, quæ omnia idem sunt cum nostra litera.

Illud igitur notandum est verbum, *magnificatus*, in significatione Deo accommoda accipiendum esse, nam ex primæua impositione valet idem quod magnus factus est, & in hac accipitur cùm tribuitur rebus, aut personis, quæ augescere possunt, vt dicemus. Quo circa minime potest in hac proprietate Deo conuenire. Quia vero solum possunt illi de nouo adiici respectus rationis, vel denominationes extrinsecæ, cùm per alicuius eximiæ rei patrationem aliquod eius attributum insigniter innotescit, & agnoscitur, tunc potest (sed in sensu accommodo) dici magnificatus, id est magnus, siue magnificus demonstratus. *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, id est magnis à te editis operibus declaratus vehementer es, esse magnificus, similiter cum Virgo Mater ait, *Magnificat anima mea Dominum*, non est solus sensus, laudat anima mea Dominum, sed anima mea magnis, quæ accepit à Deo beneficiis, ipsum Deum magnum prædicat, & magnum ostendit. In præsentiarum ergo dicitur Deus magnificatus in se ipso magnus, & hominibus magnificus demõstratus, dum magnitudinem suam tanto edito miraculo demonstrauit, quo miraculo quia simul fuit hominibus in primis vtile, atque beneficum, etiam Deus magnificentiam suam demonstrauit, latentes enim habitus,

Ps. 103.

Luc. 1. num. 46.

habitus, & potentiæ per actus, cum in eos explanantur, accommode intelliguntur. Gloriose autē magnificatus dicitur, quia gloria, teste *Cicerone in Tuscul.* est incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. Nunc autem huius miraculi fama per totum orbem crebrescens omnium mortalium linguas in ipsius prædicationem incitaret.

Atque hoc loquēdi schema iuxta quod dicitur aliquid fieri, cum tale esse manifestatur, familiare est sacræ Scripturæ cum de Deo loquitur, non solum per ordinem ad ipsius attributa, quæ de ipso Deo manifestantur, sed etiam per ordinem ad aliquam hominis virtutem, quæ de illo tunc innotescit. Dixit Deus Abra-
Gen. 22. num. 12. hamo. *Nunc cognoui quod timeas Dominum.* id est cognitum hoc, & testatum feci, putà Angelis, & hominibus, atque etiam mihi per huius operis exhibitionem non quasi ego antea vel pietatem tuam, vel huius operis exhibitionem ignorarem, sed quasi nunc exhibitum sit opus, quod omnibus, atque adeo etiam mihi tuam religionem probat, & timorem demonstrat. Similiter iuxta L X X. & August. mox citandum, *Tentat vos Do-*
Deut. 13. num. 3. *minus Deus vester, vt sciat si diligatis eum, &c. Hoc est*, inquit August. *Non vt sciat ipse, quem nihil latet, sed vt scire nos faciat quantum in eius dilectione profecerimus.* Vnde nostra vulgata habet, *vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non*; Hebræus tamen fons habet, *Ladaght*, id est ad scire, scire, ad sciendum, & iuxta hanc loquendi figuram de nobis ipsis interpretatur Augustinus illa verba. *Requieuit*
Genes. 2. num. 2. *Deus ab vniuerso opere, quod patrarat*, sic enim scribit lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 22. Tom. 1. *Huius locutionis regula in multis diuinæ scripturæ locis animaduertenda, atque discenda est. Quid enim significat quod* Genes. 2. *dicitur requieuisse Deus ab omnibus operibus suis, quæ valde bona fecit, nisi requiem nostram, quam daturus est nobis ab omnibus operibus nostris, si & nos bona opera fecerimus iuxta illud* Apocal. 14. *vt requiescant ab*
Apoc. 14. num. 13. *operibus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Secundum eandem figuram locu-*
Rom. 8. num. 26. *tionis dixit Apost. Spiritus postulat pro nobis gemitibus, &c. Non enim Spiritus sanctus gemit, quasi ipse angustias patiatur, sed quia ipse nos mouet ad orandum cum gemitibus, vbi quod ipso mouente nos facimus, ipse facere dictus est.*

Secundo loco pro eiusdem contextus

A intelligentia notabis id quod etiam postea dicemus, in illis verbis (*equum & ascensorem*) per synedochen poni singularem numerum pro plurali; innumerabiles enim equi erant, innumerabiles & ascensores, qui Pharaonem comitabantur. Tropus est prophanis, & sacris litoris admodum familiaris. *Virg.* iterúmque armato milite complent, id est militibus armatis. Et 9. Hostis adest, id est hostes adsunt. *Liuius* etiam sæpe sic loquitur Romanus prælio victor, id est Romani.
B *D. August. lib. 5. de Genes. ad lit. cap. 10.* multa ex sacris literis exempla profert, quale illud, *Fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ*, hoc est, Genes. 2. num. 6.
fontes, siue potius nubes ascendebant è terra, sunt enim nubes aquarum origines, & fontes iuxta illud: *Et librabat fontes* Prou. 8.
aquarum, id est, in aëre suspendebat nubes. Denique in Ægypti plagis ponitur num. 28. Exod. 8.
singulariter locusta, & rana, cum tamen num. 28.
fuerit locustarum, & ranarum numerus prope infinitus. *D. Hieron. quoque lect. 2.*
C *tom. 2.* de hac ipsa re sic scribit. *Scriptura diuina & vnum pluraliter solet, & plura singulariter appellare.* Hæc ille. Exempla de singulari posito pro plurali iam multa protulimus, de plurali vero posito pro singulari proponit *Ambros. lib. 10. in Luc. ex 9. cap. epist. ad Hebræos.* sed illud est celebre quod suppeditant Matthæus & Mar- Mat. 27.
cus. cum aiunt latrones vnà cum ipso Do- num. 44.
mino crucifixos improperasse illi, & bla- Marc. 15.
sphemasse, cum tamen potius constare vi- num. 32.
deatur ex Luca vnum dumtaxat latro- Luc. 23.
D nem blasphemasse: ponitur ergo pluralis num. 39.
numerus pro singulari, vt interpretatur *Augustinus lib. 3. de consensu Euang. c. 16. & Anselm. in Matth. & Epiph. Hæres. 63.* quamquam alij dicunt nullam hic interuenire Synedochen, sed principio vtrumque latronem blasphemasse, postea vero alterum suæ blasphemiæ pœnituisse, ita *Hieronym. Chrysost. Theophyl. Euthym. in Matth. & Cyrill. Hierosolym. c. 1. & Orig. tractat. 35. in Matth.* legendus *D. Thom. 3. part. quæst. 46. artic. 2. ad 3.* & ibi scri-
E bentes.

Quid vero significet aduerbium, *gloriose*, clarius constabit ex nomine gloria, quod licet in sacris literis sit æquiuocum, maximè tamen significat claritatem, splendorem, maiestatem, magnificentiam, & virtutem, vt aduertit *D. Hieronym. in c. 5. ad Galat. August. tract. 100. in Ioannem, Rab. Moyses lib. 1. æquiuocorum cap. 19. 26. & 63.* Gloriose ergo magnificatus

catus est Dominus, dum ostendit poten-
tiam, & virtutem suam in deiiciendo su-
perbissimo Rege,ad nihilúmque redigen-
do virtutem,quam contra Israëlitas com-
parauerat. Vnde simili loquendi forma
Ezec.28. dixit Deus per Ezechielem.*Ecce ego ad te*
num. 22. *Sidon,& glorificabor in medio tui,& scient,*
quia ego Dominus, cum fecero in ea iudi-
cia, & immittam pestilentiam, &c. Ideo
Lyran.Hoc in loco ait : *Gloriose magnifi-*
catus est, quia ex subuersione Ægyptiorum
longe, latéque diffusum est praconium sua
magnitudinis.

Nec omittendus Origo dum hoc in
loco aduertit ideo additum fuisse aduer-
bium,*gloriose,* quia aliud,inquit,est glo-
rificari, aliud gloriose glorificari : cum
enim Christus pro nobis carnem susce-
pit, glorificatus est, qui venit quærere
quod perierat, non tamen gloriose, quia
non habebat speciem, neque decorem;
glorificatus est cum venit ad crucem, &
Ioan. 17. pertulit mortem, vnde Ioan. *Pater venit*
num.1. *hora,*inquit, *glorifica filium tuum;*erat er-
go & gloria passio crucis, vbi glorifica-
tus est, non gloriose quidem, sed humi-
Philip.2. liter;vnde ad Philipp. *Humiliauit semet-*
num.8. *ipsum, &c.* At cum venerit in gloria pa-
2. Thess. tris, & velut Pharaonem, spiritu oris sui
2.num.8. interfecerit impium, tunc gloriose glori-
ficabitur : sic etiam & hoc in loco glorio-
se magnificatus est, quia totum factum
redolet, & clamat Dei potentiam, maie-
statem, & gloriam.

Meminit autem equi & equitis Moy-
ses hoc in loco,eo quod de equorum mul-
titudine,ac robore magna superbia soleat
gloriari, & insolescere, Pharao, quæ
etiam est ratio cur in sacris literis hæc
fiducia sæpe vituperetur, vt videre est
Isai.31. apud Isaiam & apud Psalmistam vnde &
Psal. 19. lex Moysis vetabat Regem Hebræi populi
& 32.& habere multitudinem equorum *Deut.*17.
75. & videndúsque est *Basil.in Isai.*2. ibi reple-
146. ta est terra equis.

Illud autem aduertendum est, cum
*Aristotele lib.*4.*Polyt.cap.*13. apud barba-
ros fortiorem olim fuisse exercitũ eque-
strem, quam pedestrem, cum tamen for-
tior multo sit exercitus pedestris : etenim
cum apud eos tunc temporis neque ordo,
neque disciplina militaris esset, totum
robur exercitus positum erat in equitatu.
Aristoteli suffragatur *Polibius lib.*3. licet
oppositum velit *Veget. lib.*2.*de re milita-*
ri,& Cornel.Tacit.in libro de bello Germa-
no,& in hoc sensu intelligendus venit lo-
cus ille *Canticorum* cum Rex Salomon

A ad significandam vim amoris, quo à sua
sponsa expugnabatur, dixit : *Equitatui* Cant.1.
meo in curribus Pharaonis assimilaui te: num.4.
est autem sensus, non minus fortis est in
me tuus amor ad expugnandam, & capti-
nam ducendam meam animam, quam
equitatus meus,& currus, in quibus posi-
tus est neruus belli, & robur imperij mei
instar Pharaonis patris tui. Enim vero de
Salomone dicitur. *Et habebat Rex Salo-* 3.Reg.4.
mon quadraginta millia prasepia equorum num. 26.
currilium, & duodecim millia equestrium;
B Hoc enim exercitu suum firmabat impe-
rium,& in hoc sensu intelligi possunt illa
verba Genes.*Fiat Dan coluber in via,Ce-* Gen.49.
rastes in semita, mordens vngulas equi, vt num. 17.
cadat ascensor eius retrorsum, vt sit sen-
sus,mordebit Samson, de quo ibi est ser-
mo,secundum communem sanctorum pa-
trum expositionem, vngulas equi, quia
euertet omnem Philistinorũ equitatum,
in quo stat, & conseruatur eorum impe-
rium. Suffragatur huic expositioni para-
phrasis Chaldæa ad hunc locum quæ sic
C habet, *Preualebit in Philistaus tanquam*
serpens, & coluber quiescens in via, tan-
quam aspis insidiabitur in semita, in-
terficiet robustos in castris Philistinorum
equites peditibus,eneruabit equos, & qua-
drigas, ac tandem proyciet retro ascenso-
res earum. Neque poterit aliquis negare
Samsonem vnquam pugnasse cum Phili-
stæis equitibus, si exponamus ad præsen-
tem rem obscurum locum ex *cap.*15. *lib.* Iudic.15.
Iud. vbi de Samsone dicitur, *percussit eos* num.8.
ingenti plaga,ita vt stupentes suram femo-
D *ri imponerent :* quem locum veteres He-
bræi ita exponunt:eneruabit pariter equi-
tem & peditem,nam per suram, seu crus,
& tibiam intelligi putat Dalbag.equites,
per femur vero pedites,quia nimirum di-
stendunt equites in equis tibias, at vero
suis femoribus velut innixi ambulant pe-
dites. E contrario vero alij per tibiam
pedites,per femur vero, seu coxam equi-
tes accipiunt, *vt Raschi & Caiet.* quia
(inquit Caiet.) illi super tibias, scilicet
pedites,isti super crura sustinentur, scili-
E cet equites.Et Ionathas Chaldæus habet,
& percussit eos, Paraschim raglaim, id
est, equites cum peditibus. Et certe cum
Philistæi vsi fuerint curribus, & equiti-
bus constat ex 1.Reg.cap.13. vbi dicitur, 1.Reg.13.
Et Philisthym congregati sunt ad pralian- num.5.
dum cõtra Israël triginta millia curruum,
& sex millia equitum, & reliquum vul-
gus,&c. Patet igitur ex dictis totum ro-
bur exercitus eo tempore fuisse equites,&

quadrigas, ad quæ referendus est præsens locus.

Deiecit: non dixit, demersit, aut labi permisit, sed deiecit in mare, quasi sublimem raptum impetu summo iaculatus; id enim vox Hebræa significat Rama. illud deinde aduertendum est in Canticis, & Dei laudibus quod notauit *D. Chrysost. homil. 7. in Psal. 22. & 116.* quod non sufficit verba reddere Deo, nisi & cor mundum Deo applicemus, ore reddamus versus, sed opere compleamus.

ANNOTAT. I.

De morali expositione huius Cantici.

Constituimus, Deo bene fauente, post literalem sensum enodatum, sensum insuper mysticum adducere & ea, quæ ad nostram doctrinam conducunt, ac sub iis quæ gesta sunt continentur, enodare. Etenim proprium est solius sacræ Scripturæ (in quo aliis omnibus præstat scientiis, & scripturis) vt eodem sermone dum narrat gestum, prodat mysterium, sicut aduertit, *Gregor. Magn. lib. 21. Moral. c. 1.* cui suffragatur *August. epist. 29. q. 6. clarius D. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. & quodl. 7. art. 8.* licet enim apud alias gentes res, significare soleant alias res, sicut videre est apud Ægyptios, sola tamen sacra Scriptura sua historia res alias significare potest, ex eo quia Autor historiæ sacræ Deus est, cuius sapientia est infinita, & propterea potuit per ea, quæ præterita vel præsentia erant, longo post tempore significare, & docere multa alia, sicut per sacrificiũ Isac significatum est sacrificium crucis futurum tempore Christi Domini; quod nulla alia historia potuit significare, quia illius Autor non potuit, quæ futura erant cognoscere. Vnde & *D. August.* dixit statum, & ordinem totius Reipublicæ Israeliticæ
1. Cor. 10. fuisse propheticum: quod Apost. dixit *omnia in figura contingebant illis.*

Neque vero negari poterit, Dauidem mysticum agnouisse sensum in sacerdote
Psal. 109. num. 4. Melchisedech cum dixit: *Tu es sacerdos in aeternum secundùm ordinem Melchisedech.*
Psal. 38. num. 13. Et in *Psalm. 38.* cognoscit in exilio apud Ægyptum adumbratum esse exilium, quo peregrinamur à cœlo, cùm enim iam esset vere expositurus in patrio solo gemens ait: *aduena ego sum, & peregrinus sicut omnes patres mei.* Et in *Psal. 71.* cum dicit:

A *descendet sicut pluuia in vellus*, ostendit Psal. 71. num. 6.
in vellere Gedeonis adumbratum fuisse descensum Verbi in vterum Virginis. Vnde hallucinantur ij, qui solas putant esse accommodationes & applicationes, quas etiam ex scripturis prophanis facere possumus, sed potius veritates ab vmbris, & figuris elicimus, sicut prosequitur inter alios *Driedonius libro 2. de dogmat. eccles. cap. 2. pag. 48.* per totam. Hac vero mente Deus locutus est nobis in Scriptura sacra: quia, vt ait *Dionys. Areopag. c. 1. de eccles.*
B *hierar. circa medium:* hic modus accõmodatus erat ad homines corporeos per res corporeas edocendos, & veluti manuducendos ad interiora per externa. Vnde Apost. de Abraham dixit, quod duos filios habuerit, duóque testamenta per allegoriam significare, sunt autem verba Dionysij hæc. Galat. 4. num. 22. *Neque aliter fas erat infirmitati nostræ lucere diuinum radium in sacrorum varietate velaminum opertum, & iis, quæ nobis familiaria sunt prouidentia paterna natura mortalium se se accommodante:* qua
C de re videndus *August. lib. 2. de ritib. eccles. & D. Hieron. de celebratione Pascha*, qui dicũt, omnia nobis figurata insinuant, quia aliquid per allegoriam intimatum plus mouet, plus delectat, quam si verbis propriis dicatur apertissimè, credo quod ipsi animi motus quamdiu adhuc rebus terrenis implicantur, pigrius inflammantur; si vero ferantur ad similitudines corporales, & inde ferantur ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetantur, & tanquam in
D facula ignis agitatus animus accenditur. Plura qui hac de re velit consulat *Laurentium Ramires de prato in suo Pentecotarcho. cap. 28.*

Cùm hoc igitur constitutum sit in iis rebus, de quibus Moysis in hoc Cantico agitur, aliquid significatum esse, proinde ad nostram institutionem, quæ magis accommodata visa fuerint aperiemus secundum mysticum sensum; hoc autem significatum esse videtur cùm Salomon dixit. *Mala aurea in lectulis argenteis qui* Prou. 25. num. 11.
E *loquitur verbum in tempore suo*, vbi veritas Hebr. ita prorsus habet. *Poma aurea in cancellaturis argenteis verbum dictum secundum ambas facies suas.* Vbi diuinum oraculum loquitur de duplici facie sermonis Dei, id est, de duplici sensu, literali, scilicet, & spirituali, ac mystico, & totius sententiæ sensus est, sicut pomum aureum conclusum in retiaculis argẽteis, ita continetur allegoricus, & mysticus sensus in sensu

sensu literali,& externo sacræ Scripturæ: siquis enim includeret pomum aureum mirabili artificio elaboratum in retiaculis argenteis eodem opere perfectis, qui opus illud de longe aspiceret,totum profecto argenteum existimasset, verum manuductus artificio exteriori rimaretur inclusum aureum, idque vt tale reputaret; sic prorsus euenire solet sacram Scripturam scrutantibus: etenim externus eius apparatus, & literalis sensus oculos nostros primo statim aspectu ferit, ac detinet, ac necesse est vt tandem inquiramus, scrutemur, ac rimemur alteram faciem sub prima latentem,scilicet,sensum diuinum, ac mysticum & hoc est loqui verbum secundum ambas facies.

Hoc etiam alia similitudine ostendit *Philo*, quem refert *Euseb.Cæsar.lib.2. sua hist.c.17.* sic enim habet Philo lib.de vita contemplat. *Omnis lex videtur animali similis, quod corpus quidem habeat ipsam literam, animam vero occultam, & spiritualem in litera significationem.* Quod alia similitudine refert Nazianz. in epist. ad Nemes. vbi asserit sacram Scripturam non dissimilem esse in Verbo incarnato: sicut enim Deus in carne vtrumque habet,& carnem, scilicet, oculis nostris obiectam,& latentem in carne diuinitatem, sic & scriptura habet sensum externum oculis peruium; & internum, siue mysticum neque sensibus obiectum. Et Ioan. Driedo loco citato ait, *Si sacra Scriptura duplicem sensum non haberet,ridicula plane fuissent sacrificia vetera, & veteres ceremoniæ, & indignæ quòd in præcepto constituerentur à Deo.*

Mitto quod mysticus sensus acuat humanum ingenium, qua de re videndus *August.11.de Ciuit. cap.19. & 2. de doct. christ.c.6. Hieron.ad Eustoch.de virgin.& c.20. Ita Gregor. homil.10. in Ezech.* videndus item *Rab.Moyses in primo tractat. lib.1. More* vbi asserit veteres Hebræos solitos fuisse vocare literalem sensum exemplum,hoc est signum,siue imaginem per quam inquirimus absconditum sensum,imo & eundem sensum literalem lucernam vocat, quæ minimo quadrante emitur,allegoricum vero sensum,seu mysticum margaritæ assimilat, quæ in obscuris ædibus latet, neque inuenitur nisi iuuante lucerna, & ideo idem Rab. Moyses bene appellauit sensum literalem clauem intelligentiæ, quam nobis Deus tradidit post aduentum Verbi in carne, & completionem figurarum, qua de re vi-

A dendus *D. Irenæus lib. 4. aduersus Hæres. c.34.* etenim cum sacra Scriptura assimiletur testamento, & ita vocetur, vbi voluntas testatoris clausa continetur: per mortem testatoris, filij scilicet Dei; reseratum est testamentum, & vltima eius voluntas, cui nulla noua accedit, nobis innotuit, & arcana patefacta sunt, quæ latebant in figuris, & in volucris veteris testamenti. Vnde post resurrectionem suam discipulis euntibus in Emaus aperuit scripturas.

B Hac proinde de causa post expositionem literæ, allegoricum prosequemur sensum, & quæ ad nostram cōstitutionem vtcumque conducere videbuntur, aperiemus, in hoc enim sensu allegoriam sumimus, provt, scilicet, diuiditur in allegoriam,tropologiam,& anagogiam,quo pacto *Basil.homil.9.in exhamer.* omnes species allegoriæ allegoriam vocat, sicut etiam appellauit *D. August. lib. de vtilitate credendi, cap.3.* & ita allegoria à nobis sumitur provt significat rem, quæ ex C alia colligitur, & in ea latet, quocumque tandem modo illud sit, quod etiam dixit *D.Thom.1.p.q.1.art.10.*

Illúdque hoc in loco necessario duximus aduertendum non omnia è quibus sensus mysticos elicimus figuras esse, sed vel similitudines,vel aliquando etiam accommodationes, qua in re facile cernimus deficere eos, qui quæcumque ex aliquo loco sacræ Scripturæ, quoquo modo, deducunt,figuratum asserunt,figurámque fuisse dicunt talem locum,cum tamen ad D hoc vt res aliqua figura sit alterius, necessarium sit vt significatio illius intenta sit ab Spiritu sancto, tunc enim rationem habet ænigmatis, seu figuræ, proindéque si alia similitudo reperitur in sacra Scriptura, ea non est appellanda figura. Vnde figura erit serpens suspensus, agnus occisus,& similia,qua de re videndus *August. libro de vera religione, cap.50.* Aliæ vero res, similes potius dicendæ sunt, quamquam adeo similia inter sese reperiantur, vt figuræ prorsus videantur. Etenim de E impiissimo Rege Achab dicitur: *Rex Israel mutauit habitum suum, & ingressus est bellum,* vbi propter similitudinē,quam habet vestis Regis mutata cum veste nostræ carnis, quam verus Rex Regum induit pugnaturus in mundo cum dæmone, volunt aliqui figuram esse Verbi incarnati, cum tamen figura non sit, neque enim credendum est per vestes mutatas Regis Israël significare voluisse Spiritum

3. Reg. 22.n.30.

sanctum Verbi incarnationem, vt constat ex circunstantia personæ regiæ, & ex serie illius historiæ.

Isai. 1. num. 6. Sic etiam Isaias, vbi diuinum oraculum de scelerato populo dixit: *A planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas*, volunt esse figuram Christi flagellati, cum tamen non debeat credi idololatram populum flagellatum propter suam perfidiam figuram esse Christi Domini intentam ab Spiritu sancto, cum ad multum sit pura quædam similitudo.

B Notandum insuper est defectus eorum, qui Poëtarum fabulas allegorice interpretantur, fideique mysteriis explicandis, aut confirmandis applicant, qua de re videndus, *August. homil. 45. de verb. Dom. tom. 10. & libro 2. de doctrin. Christiana, c. 17. tom. 3.* vbi ex doctissimo Latinorum M. Varrone reprobat eos, qui in naturæ arcanis enarrandis, fabulas, & Poëtarum figmenta adhibebant: quia cum Poëtæ interdum earum rerum naturalium essent ignari, non potuerunt illas res nisi casu C diuinare: at diuina, & supernaturalia mysteria nulla ratione indagare potuerunt. Ideo fidem nostram valde infirmant, imo & risui, & voculis hominum exponunt, qui fabulas illi adaptant, & magno studio accommodant, quemadmodum quidam fabulas vniuersas Nasonis in libris Metamorphoseos comprehensas ad nostra sacramenta accõmodare conati sunt, etiámque multa ex aliis Poëtis: nam hominis creationem de limo terræ, & spiraculum vitæ inspiratum, tradunt quidam repræsentatum in Promethei fabula, qui ex luto D finxit hominem, & igni de cælo furto sublato animauit. Christum bis natum ex Matre, & Patre, aiunt delineatum in Baccho, quem fabulantur bis genitum: quòd ex Patre sit natus sine matre, probant ex fabula Mineruæ, quam fingunt de cerebro Iouis natam: quòd vero sit natus ex Virgine confirmant ex fabula Danaës puellæ in turri inclusæ, ad quam Iupiter in aurum conuersus per impluuium domus descendit, & ex ea sustulit Perseum. Descensum Christi in limbum ad sanctos Pa- E tres educendos, volunt in Orphei fabulam expressum, qui cithara sua descendit ad inferos, vt ad vitam coniugem suam Eurydicen vocaret.

Hæc, & similia figmenta, qui solidissimis & certissimis fidei nostræ Sacramentis comparant, magnopere illius dignitati, & authoritati detrahunt. Non negaverim tamen Poëtas quædam fingere po- A tuisse ad mores bene instituendos, & ad vitia, & peccata declinanda: vt sunt Æsopi fabulæ & aliorum apologi ad id, quod volunt significandum rectè concinnatis vnde D. Petrus dixit: *Non enim doctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam.* *2. Petr. 1. num. 16.* Vbi Apostolus fabulas doctè & artificiosè compositas esse docet, nobis tamen non esse consectandas, licet inficiandum non sit nos posse nonnulla à Poëtis dicta mutuari, siue quia illi à nostris acceperunt, siue quia ex Sybillis nonnulla mutuati poëmatis suis inseruerunt, siue quia vera sunt quæ docent: quamobrem *Act. 13.* Paulus ter ex Poëtis produxit testimonia. *1. Cor. 15.* Hæc pro nostris annotationibus moralibus dicta esse sufficiant. *t. Tit.*

ANNOTAT. II.

Expenditur diligentia in reddendis Deo gratijs pro beneficijs ab ipso acceptis.

NIhil primum hoc in loco notandum occurrit, quã intermissa cura, imitandaque diligentia Moysis in reddendis *Psal. 116. num. 3.* Deo gratiis pro singulari beneficio accepto, dum Pharaonem, eiúsque exercitum in mari rubro depressit. Cum enim sicut dixit, *D. August. in Psalm. 44. num. 3.* loquens de diuinis beneficiis nobis collatis, nobis nõ liceat, nec possimus gratias Deo referre, reddere licet. *Quærebat, inquit Augustin. ille, quid retribueret, qui dixit: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? & inuenit quasi aliquid, calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Hoc illi rependis, qui calicem salutaris accipis, & nomen Domini inuocas? quis dedit ipsum calicem salutarem? remansit in actione gratiarum, nam in relatione defecit: inueni quid Deo des, quod ab illo non acceperis, & retuleris gratiam, sed caue, ne dum quæris quid illi retribuas, quod ab illo non acceperis, inuenias, sed peccatum tuum. Hoc planè ab illo non accepisti, sed nec ei dare debebas.* Vbi notandum venit, quod ait, *Philo, lib. 1. legis allegoriarum* in principio, *Cum ne parentibus*, inquit, *dignam referre valeamus gratiam, quandoquidem non possumus eis gignendi vicem reddere; an non impossibile est Deo vicem rependere mutuam, aut laudem illi dignam, qui omnia ex nihilo condidit? omnem enim virtutem largitur.* Sic ille. Cum ergo

ergo Deo nihil referre possimus, cum maxima debeamus, gratias tantum agere possumus, adiuti tamen gratia eiusdem, idque quam citissimè vt animi nostri gratitudinem testemur, hæc enim diligentia animi Deo grati non vulgaris nota est, sicut expendit, *D. Ambros. lib. de Noë & Arca, c. 22.* cum Patriarcha à diluuio diuinitus liberatus, & ab arca egressus ædificauit altare Domino, & tollens de vniuersis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta. Illud igitur aduertit Ambrosius cætera omnia, quæ à Noë dicuntur facta in sacro textu, fecisse Dei monitu, ac iussu, solam altaris constructionem, & holocausti oblationem ab eodem factam nullo præcedente præcepto. *Vtique Dominus*, inquit ille, *non debuit quasi auarus mercedem gratiæ postulare, & iustus eam intellexit veram actionem gratiarum esse, quæ non iuberetur, sed deferretur: itaque nec dilationem passus est. Etenim grata animi virtus passionem dubitationis excludit: qui autem debitum gratiæ vt à se exigatur expectat, ingratus est.* Sic Ambros. Solent enim Deo maximè placere ea quæ sponte illi offeruntur, non quæ vi extorquentur, cuius rei optimum in sacris literis habemus exemplum, nam ex eo putat, *Ioseph. lib. 2. antiquitatum, cap. 2.* magis Deo placuisse sacrificium Abelis, quam Caini, quia ille obtulit lac, & primogenita pecorum, Cain vero obtulit agri, & arborum fructus, qui non sponte, ac libenter proueniunt, sed agricultura, & labore è terræ veluti gremio violenter extorquentur. Sic ergo habet Ioseph. *Huius sacrificium* (scilicet Abelis) *Deo fuit acceptius, quod sponte natura genitis constaret, quam ea, quæ homo auarus, & industrius per vim quandam à natura extorserat:* quod planè nobis indicat illud sacrificium, gratiarúmque actionem Deo maxime placere, quæ sponte illi offertur, non iubetur. Vnde reiiciendi sunt Lutherani nostri temporis, qui nihil sine expresso verbo Dei in eius cultum admitti volunt, nullum tamen expressum verbum, aut præceptum nobis assignabunt, quo Deus præceperit Caino, aut Abeli munera sibi offerre, quod rectè contra eos obseruat, & prosequitur, *Oleast. Genes. 1.*

Genes. 8. num. 20.

Genes. 4. n. 3. & 4.

Merito proinde, *Rupert. lib. 2. in Genes. c. 39.* dolet ingratitudinem primi parentis, qui à Creatoris laude inter tot bona, & naturalia, & supernaturalia conditus, mutus perstitit, ingratúmque Domino Deo silentium dedit, ac formante Deo, A inspirantéque spiraculum vitæ, non suspirauit eodem spiraculo vitæ accepto, in plastæ suæ faciem, vt adoraret, & glorificaret. Vbi vides nullam aliam velle Rupertum moram interpositam inter animam, vitámque, Deo inspirante, datam, & gratiam pro eadem relatam, imo quod eodem veluti reflexo flatu ad Creatorem statim rediret gratia pro vita exhibita, aliter notam ingratitudinis continuo subiturus: & fortassis callidior serpens hoc aduertens silentium ingratitudinis index, B opportunum iudicauit oppugnandi, & expugnandi tempus, forsan ex ipsa ingratitudine sibi etiam ante congressum victoriam pollicens.

Hanc effugere intendit Eua quando primo filio accepto; statim Deum recognoscens dixit: *Possedi hominem per Deum*, vbi notandus venit Oleaster in hunc modum scribens: *Admonet locus ille quanti facienda sint beneficia Dei, tanti enim Eua æstimauit hunc filium, ac si Dominus illi magnam dedisset possessionem, non conside*C*rauit filium secundum naturæ ordinem genuisse, aut beneficium esse naturæ, sed illud totum in Deum refert, ac si nulla in beneficio essent naturæ partes: in quo nos vehementer arguit, qui non nisi miraculosa Deo damus, neque illi accepta ferimus beneficia naturæ.* Vnde, vt Basil. ait, *Cogitur Deus à nobis sua beneficia auferre, vt ea cognoscamus, quod ingratissimi animi est, cognoscere, scilicet beneficium dum aufertur. Dedit Dominus mihi vitam & salutem, & opes ad duos, & tres annos, & non* D *solum non egi gratias, sed neque vnquam eius beneficia esse cognoui; & si ad vnum diem auferat salutem, aut ad vnum opes, statim murmuro blasphemo, &c.* Sic ille.

Genes. 4. num. 1.

Neque hoc in loco omittendæ festiuitates Hebræorum sanctissimè institutæ, quarū omnes & singulæ diuina beneficia recolebant, siue ea vniuersalia fuerint toti humano generi exhibita, siue particulariter populo Israëlitico collata. Nam, vt constat ex *D. Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 10.* primæ tres festiuitates Hebræo E rum, tria beneficia vniuersalia, cunctisque communia recolebant. Iugis námque sacrificij cultus, repræsentabat diuinæ beatitudinis perpetuitatem, cuius cognitio manifestata est hominibus, vt ad ipsum Deum ardentius amandum, colendúmque prouocarentur. Sabbathi solemnitas, mundi creationem, qua sex diebus absoluta, cessauerat Deus die septima ab omni opere, diémque illum in memoriam

riam tanti huius beneficij sanctificauerat. A Neomenia diuinam eiusdem mundi, præcipue sublunarium, gubernationem. Reliqua verò festa singularia beneficia populo illi collata recolebant, nimirum Pascha, liberationem, egressúmque de Ægyptiaca seruitute: Pentecostes, Mosaicam legem cœlitus concessam, festum tubarum, liberationem Isaac de manu patris sui illum volentis immolare, expiationem, propitiationem peccati, quod populus in vituli adoratione commiserat: tabernaculorum cœtus, diuinam prote- B ctionem, quam idem populus prius expertus fuerat, dum quadraginta annis sub tentoriis in deserto habitauit: deinde etiam in terra Promissionis adunatus, ac mirabiliter fuit introductum: prǽterquam quod hoc festum fiebat etiam in recognitionem fructuum de area, & de torculari collectorum, vt colligi potest, Deuter. cap. 16. vers. 13. Similiter festum Iudith, ob Holophernem ab ea occisum & Iudæam ab eius expugnatione liberatam: & dies dati ignis temmorabat ad- C mirandam illam facri ignis accensionem ex aqua illa crassa super holocausti altare diuinitus exortã: dies autem Phorim, hoc est sortium, liberationem populi ab interitu, quem ei impius Aman procurauerat. Encœniorũ verò celebritate, templi à gentibus prophanati purificationem, dedicationemque recolebant: & festum ob cædem Nicanoris, populi, templique liberationem à subuersione, & vastitate per ipsum Nicanorem minitata.

Deut. 16. num. 13.

Cum igitur hæ omnes festiuitates di- D uina beneficia recolerent, illud profecto nos admonent, pro eisdem debere semper gratias Deo reddere, neque vnquam permittere, vt è memoria excidant, idque etiam si opus fuerit, apposito signo confirmare. Etenim si nubes, quæ ex vaporibus, & exhalationibus terræ componuntur, sedulo obsequio, & accurata gratitudine quasi in memoriam accepti beneficij in iucundissimum rorem resoluuntur, quo terra fœcunda redditur, à qua suum esse acceperant, cur non gratum se exhi- E bebit homo Deo, à quo & esse, & quæcumque habet bona, accepit, iugiterque accipit? vnde rectè *August. in soliloquys, cap. 18.* ait: *Sicut nulla est hora, vel punctus, quo tuo beneficio non vtar, sic nulla debet esse hora, qua te non habeam ante oculos, scio namque quod ingratitudo multũ tibi displicet, quæ radix est totius mali, & ventus desiccans, & vrens omne bonum.*

Notauit autem *D. Leo*, id quod nos proxime diximus de antiquis festiuitatibus, Deum scilicet sua beneficia annuis honoribus consectasse, aliquando menstruis, aliquando septimo quoque die, vt his magis nos excitaret, & frequentius commoueret ad exhibẽdum gratum animum omnium bonorum authori: qua de re videndus *Chrysost. homil. de proditione Iudæ*, vbi sic habet; *Cuius causa lex præcepit manducare Pascha audiamus. Iudæi circa Deum bonorum sibi omnium largitorem fuerunt effrænata diffidentia contumaces, & eius beneficia obliuione præteribant: nam post Ægypti profectionẽ viderunt conscindi maria, & denuò conuenire, & alia multa mirabilia & dicunt. Faciamus nobis deos, qui nos præcedant, adhuc inspicis quod miraris, & oblitus es largitoris? quia igitur insensatores, & contumaces erant, festiuitatis celebratione beneficiorum memoriam roborauit, & ideò Pascha sacrificare præcepit, vt si te filius tuus ipsius Paschæ interrogauerit rationem, respondeas quod aliquando in Ægypto cum mortis portitor sperraretur, maiores nostri me euersionem sustinerent, postes huius agni sanguine linierunt: & vastator Angelus adueniens, cum videret illaturus plagam, non audebat intrare, & illa festiuitas perpetuam beneficij memoriam tribuebat.*

Exo. 32. num. 23.

Hæc est ratio cur primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus Missam à gratiarum actione inchoabant. Sacerdotes Christum imitantes, qui præmissa actione gratiarũ consecrauit in cœna, vt testatur *Matth. & Marc.* Vnde *Chrysost. homil. 22. in 1. ad Corinth. & homil. 26. in Matth.* Eucharistiam factam gratiarum actionem interpretatur; est enim hoc Sacramentum quasi quædam recordatio beneficiorum Dei, quod notauit *Tertull. lib. 1. contra Marcionem, & Apost.* agens de hoc Sacramento, sanguinem Christi vocat *Calicem benedictionis*, id est, Calicem gratiarum actionis, est enim phrasis sacræ Scripturæ per benedictionem, gratitudinem, seu gratiarum actionem significare, & *D. August. in Epist. ad Ianuarium*, quæ est 119. c. 5. putauit vniuersum actionem beatorum positam esse in gratiarum actione, cui suffragatur *Dionys. Carthus. super c. 21. Apocal.*

Mat. 26. Marc. 14.

1. Cor. 10. num. 16.

Quàm verò debita sit ab hominibus gratitudo pro beneficiis, ostendit nobis malignus etiam spiritus, sicut ostẽdit Didymus ad illa verba Iob. 1. n. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet nisi in facie benedixerit tibi,* vbi

vbi reuerentiam Deo debitam minimè negare est ausus, qua de re videndus *Aug. lib. de mendacio, cap.* 10. eiusdem loci, & *Chrysost. homil.* 4. *de patientia Iob, tom.* 1. & licet Origenes, Philip. & Beda dicant impudentissimum diabolum minimè vsum fuisse benedicendi verbo, sed potius maledicendi; Moysen vero, vel quicumque alius fuerit scriptor illius libri, sanctè & modestè posuisse verbum benedicendi pro verbo maledicendi, pulchrè tamen Didymus existimat verbo benedicendi vsum fuisse malignum spiritum, sic enim habet: *Pro diris precationibus, & maledictis prosequetur, benedicet, à diabolo positum est: In quo, verbo speciosus est ne Deum verbo asperiore figere videretur*, similia habet Hieronym. Galat. 3. *Etiam ipse satanas*, inquit, *cum de Iob polliceretur, quod si grandibus pressus fuisset angustijs blasphemaret, à meliori parte hoc significauit: nisi te benedixerit*, videmus igitur neque malignum, & impudentissimum diabolum ausum fuisse negare gratitudinem Deo debitam, eámque vel verbo pronunciasse inuitum, & ore protulisse, quantumuis inuerecundus ille sit, & impudentia, vt benè notauit Xenophon de educatione Cyri, comes indiuidua sit ingratitudinis.

Iob 1. nu. 11.

Videndus est hac de re *Philo lib. de charitate*, vbi per allegoriam exponit Liam cessasse à partu postquam genuit Iudam, qui confessionem, siue gratiarum actionem significat, quasi nihil melius possit habere rationalis anima, quam Dei confessionem & gratiarum actionem, quibus prorsus similia babet libr. de plantatione Noë cum ait: *Loquens de quarto filio Liæ, dixit Moyses quod post eum natum mater interquieuit parere, vocatur autem Iudas, quintum verò appellauit Isachar, qui merces interpretatur, hanc quam primum anima peperit, mox, quod sibi accidit elocuta est, vocauit, inquit, Isachar nomen eius, quod est merces præmij, ergo Iudas intellectus benedicens Deum, & in gratiarum actionem, hymnos indesinenter meditans, ipse reuera sanctus & laudabilis fructus erat, non è terrenis natus arboribus, sed à natura bona rationali. Quamobrem natura quæ eum peperit dicitur destitisse parere, quia non habebat quò se verteret etiam ad perfectionis progressa terminum, nam inter omnia rectè facta nullus partus est præstantior, quam hymnus in Deum patrem omnium.* Ideóque & Iudas velut forma, & principium hominis fidelis extitit, à quo Iudæorum gens nomenclaturam sibi

Gen. 13. num. 35.

A deriuauit, qui tunc temporis populus electus erat, & inter alias gentes fidelis, quorum proprium munus, & officium videtur esse Dei confessio & gratiarũ actio; quod etiam videtur dixisse Dauid cum fideles sic alloquitur: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, quæ postrema verba satis ambigua sunt in Hebræa litera, sic enim à plerisque leguntur: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filij potentum, afferte Domino gloriam & honorem*: vbi filij Dei fideles, & iusti B sunt, quorum præcipuum munus est gratias Deo pro beneficiis referre, ipsúmque diligentissimè laudare.

Psal. 28. num. 1.

Et certè Christus Dominus, sicut notauit D. *Ambr. lib. de Incarnatione, cap.* 7. eam animam sibi vniuit, quæ gratias Deo Patri referre posset pro Incarnationis beneficio: videbatur enim præstantissimum beneficium exigere maximam gratitudinem, & insuper pertinebat ad eam animam, quæ ad consortium diuinitatis fuerat assumpta, vt Deo se gratissimam ex-C hiberet, cum gratitudo perfectissimum opus sit, neque perfectior gratiarum actio posset dari, quam quæ proficisceretur ab ea anima, quæ erat Deo vnita, & hoc etiam postulabat rei natura, vt ille homo Deus, qui magister, & reformator generis humani aduenerat, præstantissimum opus nos doceret dum patri gratias exhiberet, & pro beneficiis suæ humanitati collatis, & pro iis quæ nos velut membra acceperamus, & hoc ab instanti suæ incarnationis, & beata Christi anima id D etiam in terris faceret, quod cæteræ animæ beatæ in cœlis iugiter faciunt, sicut iam ex August. diximus, & ostendit ille locus; *Post hæc audiui quasi vocem tubarum multarum in cœlo dicentium alleluia, laus, & gloria, & virtus Deo nostro*, qua de re videndus *Iustinus Martyr Dialog. cum Triphon. & Apolog.* 2. *Euseb. Cæsar. lib.* 1. *demonstrationis, cap.* 6. & 10. *August. lib.* 2. *contra lit. Petil. cap.* 86. & *orat. contra Iudæos, cap.* 9. *Chrysost. hom.* 26. *in Matth. Hieronym. in cap.* 4. *Amos.*

Apoc. 19. num. 1.

E Iure optimo laudandus occurrit hoc in loco Abraham, cui cum Deus apparuerit, promiseritque terram Chanaam, statim ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei, vbi Chrysost. homil. 32. ait: *Vide pia mentis specimen, & locum ipsum ob suam cum Deo consuetudinem ibi habitam consecrauit, & gratitudinem pro viribus declarauit, hoc enim quod dixit, extruxit altare: idem est quod gratias pro pro-*

Gen. 12. num. 7.

missis egit. Sic ille. Crediderim ego nunquam defuturum in exhibitione gratiarum pro acceptis beneficiis, qui tam citò se gratum præbuit pro promissis, dignus vtique cui Deus staret promissis, qui non stetit, sed cucurrit ad gratias.

Neque omittendus Samaritanus ille leprosus de quo Lucas qui cum aliis nouem missus est à Christo ad Sacerdotes, & cum eisdem mundatus, quod vbi ipse agnouit, regressus est cum magna voce, magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, minime iam curans præceptum Christi Domini de adeundo sacerdote, præceptum itidem Leuitici de offerenda oblatione à lege assignata (si illum aliqua ratione lege velis obstrictum) ne in reddenda gratia moram aliquam pati videretur, quæ fuit ratio cur à Christo seruatore laudaretur illico ad ipsum rediens, quod prosequitur *Tertul. lib.4. contra Marc.cap.35. Samaritem*, inquit, *maritus non mandat offerre munus ea lege, quia satis eam obtulerat, gloriam Deo reddens, ideò audiuit, Fides tua te saluum fecit, quia intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem gratiarum, scilicet actionem apud verum templum, & verum Pontificem eius Christum facere debere*. Sic ille. Neque etiam obtulit Samaritanus ille mundatus aliud sacrificium, quia neque aliud melius reperire potuit, nec magis ad manum habere valuit, sic enim disposuit diuina prouidentia, vt ad referendam Deo gratiam nullus omnino paupertatem causetur, quod benè notauit *Cicero lib.2. officiorum*, vbi ita habet; *Pauper si bonus est vir, cum referre gratiam non possit, quia beneuolus est, habere potest: neque enim natura ad habendam gratiam pauperem aliquem esse permisit*: qui enim meminit, sine impendio gratus est, sicut dixit *Senec. 3. de benef.* & qui non præstat, nullum habet, quo lateat, patrocinium, & ideo Dauid *Psalm. 56.* postquam narrauit diuina beneficia accepta, addidit; *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara*, suam enim animam ad cætera instrumenta musica mouet, vt dormientem excitent ad agendas gratias pro beneficiis; sed statim se corrigit, quasi necessaria non sit alicuius admonitio ad excitandum gratum hominem; *Exurgam* (inquit ille) *diluculo*, id est, antequam me quisquam excitare possit, iam excitatum inueniet gratum Dauidem, quia cum nullum aliud opus habeat, quod rependere possit, sicut dixit

Luc.17. num.10. *Leuit.14. num.10.* *Psal.56. num.9.*

A *Philo lib. de plantatione Noë*, nisi gratiarum actionem, & si quid aliud retribuere voluerit, id inueniat iam antea ad Dei possessionem potius pertinere; proinde vnum illud opus summa cura, & diligentia exequi debet in Dei cultum.

Hanc eandem diligentiam in gratiarum actione inculcatam nobis à Deo voluit Christus Dominus, vt scilicet ante beneficia accepta nos doceret gratias referre, ne post accepta beneficia aliqua subrepat obliuio licet adueniat neglig-

B entia, quæ fuit ratio, cur solum gratitudinis templum intra mœnia Athenienses constituerint habere, cum tamen cæterorum Deorum templa extra vrbem habuerint, sicut notauit *Aristoteles in Ethic.* solent enim homines necessitatis vi adacti longè, latéque positum remedium quærere, nullique obuio labori parcere, at cum optatis potiuntur, desides, & ignaui omnino redduntur, & ad gratias exhibendas plumbo grauiores pedes, & podagra percussos, manúsque depres-

C sas habent, proinde nisi vicinum adesset templum gratitudinis, facile abesset beneficij recordatio, & debitum præterirent officium. Cum itaque semel, atque iterum famelicas turbas saturare Christus Dominus constitueret, non de more hominum post prandium, aut comestionem, sed ante acceptum cibum gratias Patri agit pro turbis, sicut enim rectè notauit *Tolet. in cap.6. Ioannis*, nostrum bonum reputabat Christus sibi proprium, & idcirco pro nobis gratias egit: sicut ple-

D rúmque fit, vt manus accipiat donum, caput vero pro illo inclinetur, aut discooperiatur: caput igitur nostrum pro beneficiis nostris adhuc recipiendis inclinatur, gratiásque Patri agit, docens nos magnam curam, & vigilantiam in gratitudine, quæ tunc securior redditur, cùm ipsa præuenit beneficia.

Hoc etiam fecit idem Dominus, & caput nostrum gratias agens antequam Lazarum rediuiuum, & ex sepulchro extraheret, insuper & sicut notauit *Chrysostom.*

E *hom.83.* antequam Christus corpus suum sub speciebus panis, & vini sanguinem porrigeret, gratias Deo Patri egit, atque etiam post cœnam hymnum dixit, vt scilicet à gratiarum actione nos doceret esse incipiendum, atque in eadem etiam finiendum. *Gratias egit*, inquit Chrysost. *antequam discipulis daret, vt etiam nos ab actione gratiarum incipiamus, gratias etiam egit posteaquam dedit, & hymnum cecinit*,

Luc.9. 16. Ioan.6. 11. *Ioan. 11. num. 14.*

cecinit, ut nos quoque similiter faciamus. In quam sententiam possumus iam adducere exhortationem illam Regij vatis dum nos admonet præuenire faciem Domini, diuina, scilicet beneficia, in confessione, quæ in Scriptura significat gratiarum actionem iuxta illud Christi Domini: *Confiteor tibi Pater*, sed clarius hoc asseruit idem Propheta *Psalm.* nam vbi nos legimus, *Laudans inuocabo Dominum.* D.Hieron. *Laudatum inuocabo Dominum*, vt ostenderet idem Propheta, se prius gratias Deo referre, quam beneficia acciperet, quò plus gratitudinem maturaret.

Psal.94. num.2. *Matt.11. num.25.* *Psal.17. num.4.*

Videndus hac de re *Chrysost. dicta hom. de Iuda proditore, Vnde*, ait, *Paschale sacrificium fuisse in veteri lege à Deo institutum, non solum vt in memoriam reduceret Iudæis beneficium eisdem in Ægypto collatum, sed per hoc etiam, inquit ille, aliud maius beneficium monstrabatur, quod ille agnus, futuri agni typus fuit, & ille sanguis, Dominici sanguinis monstrabat aduentum, & ouis illa fuit spiritualis ouis exemplum, ille agnus umbra fuit, hic veritas.* Quasi velit Chrysost. propterea fuisse tunc temporis iam à Deo institutum, & præceptum hoc sacrificium agni Paschalis, vt per illud gratias Deo reddentes Hebræi de beneficio exhibendo à Deo securiores redderentur, ipsúmque securius à Deo expectarent, pro quo iam in agno Paschali gratias reddiderant. Facit etiam quod duo speculatores missi à Iosue in ciuitatem Hierieho, qui gratiam referentes eorundem seruatrici Raab promittunt illi vitam, suísque omnibus incolumitatem ad oppositionem funiculi in fenestra, per quam, inquirunt, dimisisti nos, cum tamen adhuc illi dimissi non essent, sed præueniunt ipsum beneficium, vt se gratissimos demonstrarent.

Iosue 2. num. 18.

Ostendit hoc eleganter *Bernard. serm. 51. in Cantic.* cum desponsata Deo anima desiderio sui sponsi omnino cōtabescens, vltimum passa deliquium, auxilium sibi postulabat. *Fulcite me floribus, stipate me malis, &c.* Adest illico diuinus Sponsus, vt sua præsentia languentem erigat, quomodo enim non in præsentia eius conualesceret, quam absentia consternarat? Denique vno brachiorum suorum, sustentat caput iacentis, alterum ad amplexandum parans, vt sinu foueat. Felix anima, quæ in Christi recumbit pectore, & inter verbi brachia requiescit. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, læuam supponit capiti, dexteram vero promittit amplexibus, *non ait amplexatur*, inquit Bernardus, *sed amplexabitur me: vt noueris priori gratiæ adeo non ingratam, vt secundam gratiarum actione præuenerit. Disce in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis, disce ad singula dona gratias agere, propter hoc denique sponsa mox vt gratiam de læua sensit, gratias egit, non expectans plenitudinem quæ in dextera est. Neque enim, vbi memorata est, læuam iam esse sub capite suo, etiam secuta est à dextera se similiter amplexatam, sed amplexabitur me inquit.* Sic Bernard. qui recte ad præsens institutum & celebrem ostendit gratiam in sponsa pro accepta sustentatione capitis, & festinam nobis proponit in præueniendo gratiā pro promisso beneficio diuini amplexus. Quod etiam prosequitur *Chrysost. homil. 34. in Genes.* vbi ponderat Abrahamum diuinis promissionibus gratias statim soluisse; *Nō expectauit*, inquit, *donec promissa complerentur*, (scilicet de terra possidenda, aut de generatione propaganda) *sed & mox pro promissione gratias egit, & faciebat quod in se erat, vt de præcedentibus dignam, & sinceram gratitudinem præ se ferens dominum suum prouocaret ad promissiones suas implendas, decet autem maximè homines diuina beneficia præuenire gratitudine, & confessione, quando ipse Deus beneficijs nos præuenit, quæ est eius misericordia, & beneficentia*, quod acutè notauit Chrysost. cum ponderat id, quod Christus dicturus est prædesti[na]tis in vltimo die, *Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Vidistis*, inquit Chrysost. *bonitatis excellentiam, quanta erga nostrum genus misericordia vsus sit, vt ante iacta fundamenta mundi, nobis regni cælorum fruitionem præparare dignatus sit? igitur ne simus ingrati obsecro, & præueniamus in gratijs eum qui nos præuenit in prædestinatione beneficiorum.* Videndus hac de re *Philo lib. de sacrificio Abelis* cum ponderat tarditatem Caini in reddendis gratiis.

Cant.2. num.5.

Mat. 25. num. 34.

Vbi laudandus venit sacratus loquendi modus à Religiosis viris vsurpatus, qui ante omnia Deo gratias loquuntur, se inuicem exhortantes ad diuinas laudes decantandas, & præuenientes in confessione diuinorum beneficiorum, vt nulla Dei dona, debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla, sicut citatus ait Bernard. Vnde *August. in Psalm. 132. tom. 8.* iure inuchi-

tur in eos, qui Monachos insectabantur, & eorum, Deo gratias, irridebant, aitque. *Vtinam illi milites Christi essent, & non milites diaboli, à quibus plus timetur (Deo gratias) quam fremitus leonis. Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres cum vident homines dent Deo gratias, quid est inquiunt, Deo gratias? ita ne surdus es, vt nescias quid sit Deo gratias? qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. An non debet frater Deo gratias agere, quādo videt fratrem suum, an non est locus gratulationis, quando se inuicem vident, qui habitāt in Christo?* Sic Augustin. cui addimus merito Deo gratias iugiter in ore versari Religiosorum, qui vberiora accipiunt beneficia, verè namque dixit *Hieron. Epist. ad Fabio. l. de 42. mansionibus, mansione 5. tom. 3. Vbi magnitudo gratiæ, ibi magnitudo discriminis, in reddendis scilicet actionibus, vt gratitudo multitudini correspondeat, & magnitudini.*

Obseruandus hoc loco venit Seruius Tullius tertius Romanorum Rex, quem *Plutarc. problemat.* 74. in exemplar totius gratitudinis nobis proposuit, etenim cum ipse filius extiterit ancillæ cuiusdam, ac viri ignobilis, ad Regiam tamen dignitatem potuit peruenire post insignem bello Romulum, & pace Pompilium, quibus tertius successit, quod ipse non virtuti, ac fortitudini propriæ attribuens, sed Deæ Fortunæ, cui multis titulis se debitorem confessus, sub multis eiusdem Deæ titulis multa ædificauit templa, diuersaque erexit altaria, namque Fortunæ bonæ Deæ templum quoddam extruxit, aliud Fortunæ malè aduertenti Deæ, aliud Fortunæ blandæ Deæ, aliud Fortunæ primogeniæ, masculæ, conuertenti, benè speranti, virgini; aliud vero inter cætera templa propriæ Fortunæ dicauit; & ne his ædificatis templis maiora tantummodo beneficia videretur recognoscere, paruæ Fortunæ etiam extruxit templum, vt nihil omnino extra gratitudinem remaneret, in vlloue quantumlibet exiguo munere inueniretur ingratus; & multimodis Fortunæ obligatus, multis etiam modis se gratum exhiberet. Licet Plutarc. hoc templum à Seruio ideo extructum sub dubio asserat, quia exiguis planè rebus contingentibus maxima consequutus est; re tamen attente inspecta in idem recidit, quod diximus de grati animi significatione quodcumque beneficium complectente.

Et cum ad omnes in vniuersum homines hæc de gratitudine animi doctrina pertineat, spectat maxime ad eos, qui sub lege gratiæ, ac nouo testamento degunt, quibus clariora, & cumulatoria obtigere beneficia, proinde maior, plenior & accuratior incumbit grati animi significatio; quæ fuit ratio cur olim in lege veteri vnū in anno diem designauerit Deus pro peculiari beneficio recognoscendo; ac adeo iugiter gratiis reddendis voluerit esse intentos, vt nunquam, & nusquam à gratitudine cessaremus, qui nunquam à recipiendis beneficiis vacamus, quibúsque talia collata sunt beneficia, vt omne prorsus exposcant grati animi iuge testimonium; quod notauit *Chrysost. homil.* 51. *in cap.* 14. Matth. cum ait: *Iudæis quidem singulis annis beneficiorum suorum monimenta post festos dies Deus proposuit, tibi vero quotidie ipse ne obliuiscaris proponitur (in Eucharistia Sacram.) hæc sunt decora nostra, hæc sacramenta, hoc ornamur dono, hoc gloriamur: nec si cœlū, si terrā, si maria dixero à Deo creata, si Prophetam, si Angelos missos, quicquā huic æquale offeram.* Sic Chrys. ostendit Christum Dominum in Ecclesia sua iuge, ac supereminens sacrificium reliquisse, vt quibus nobiliora beneficia contulerat, quotidiana contingeret gratiarum actio: nam sicut testatur idem *Chrysost. hom.* 53. *in cap.* 15. *Matth.* Quo maiora quis beneficia consecutus est, eo maiori subiacet culpæ si nullo beneficiorum aceruo victus in ingratitudine pertinaciter perseuerat. Videndus hac de re idem *Chrysostto. homil.* 52. in Matth. vbi prosequitur beneficia, quibus Deus cumulauit filios noui testamenti, & deinde subdit: *Quomodo igitur post tot tantaque beneficia nobis collata affici nos erga ipsum oportet? putasne si quotidie pro eo, qui nos tam mirifice amat, moriemur, condignas posse referre gratias, imo vero minimum quid debiti reddere? nequaquam, nam si hoc etiam faceremus, ad vtilitatem nostram id redundaret.*

ANNOTAT. III.

Gratus animus, & securus redditur in acceptis, & vlteriora promeretur.

ILlud secundo notandum velim Moysem ideo ad gratias referendas quam citissime properasse, tum vt securum redderet populum à persecutione inimicorum, tum vt futuram bonorum copiam infallibi

infallibilem decantaret, vnde non solum profligatum prædicat Pharaonem, sed victorias futuras, & felicem possessionem terræ in hoc Cantico prædicit, quorum vtrumque correspondere solet actioni gratiarum: vtrumque igitur si probemus extra chorum minime vagabimur.

Primum igitur elicio ex Iacobo, qui dum valde timuit fratrem Esau, quo securior redderetur, omnia quæ possidebat à Deo accepta profitetur minorem se dicendo, gratiasque exhibendo diuinis miserationibus, vbi Oleaster rectè ait: *Præterita memorat, vt præsentibus dignus sit.* (Gen. 32. num. 10.) Hoc etiam prosequitur D. Chrysost. *hom.* 31. & 34. *in Genes.* cum ponderat Abrahamum (vt colligitur ex sacro textu) in singulis locis vbi tabernaculum fixit nihil prius plusve curasse, quam altare erigere, vbi gratias Deo redderet, securámque vere sibi videbatur promittere habitationem illius domus, & tabernaculi, in quo gratias Deo referret.

Hoc insuper videtur probare id quod notauit *August. tom.4. quæst.61. in Exod.* quænam scilicet, esset ea inopia carnium, qua laborabant Israëlitæ in eremo, cum ex Ægypto suis cum multis pecoribus constet egressos, quod ostendit Moyses, quando dixit Pharaoni; *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula.* (Exo. 10. num. 26.) Id insuper, quod Pharao Moysi dixit; *Surgite, egredimini à populo meo, oues vestras, & armenta assumite, vt petieratis.* (Exo. 12. num. 31.) Cum vero ab exitu de Ægypto vsque dum Israëlitæ carnes optauerint tantum dies intercesserint, vt constat ex sacra pagina *Exod.16.*& eo tẽpore comederint ea alimenta, quæ ex Ægypto asportauerant, sicut notauerunt *Caiet.* & *Lipoman.* & nihil adhuc attigissent ex pecoribus, quæ secum attulerant, posset merito quis interrogare, cur pro carnibus clamantes conuenerint Moysem, cum ad manus eas haberent? Aliò rem alij vertunt, & ingratitudinem Israëlitarum ibi arguunt. Cæterum *August.* ad præsens institutum dixit propterea desiderasse eos carnes, & pecoribus pepercisse, ne omnibus deficientibus; etiam sacrificiis necessaria defuissent: sic enim habet: *cum per eremum pasceus tanta non essent; & ex eo minor videretur facunditas futura pecorum.* Sic *August.* qui *lib.1.contra aduersarium legis, & prophetarum, cap.18. tom.6.* probat sacrificium præstare cæteris omnibus obsequiis, quæ diuinitati exhibentur, inter sacrificia autem, laudis sacrificium esse

A præstantissimum, Deóque acceptissimum; sic enim ait: *Non est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum.* Vt igitur securi de acceptis iam beneficiis per eremum ad promissam terram filij Israel graderentur, iugiter Deo sacrificare, gratiásque reddere conabantur; & propterea Ægyptiorum carnes exoptantes propriis parcebant pecoribus; est enim armatura fortis scilicet, contra inimicos, magnus thesaurus, & inconcussum bonum contra egestatem gratia-

B rum actio, sicut ait *Chrysostomus Hemil. 1. ad popul.* ante finem.

Hinc facile intelligitur cur Deus, qui tantam habuit prouidentiam populi sui, noluerit sibi in sacrificium offerri ex volucribus nisi duo tantum genera, nimirum columbas, & turtures, (nam illi passeres, quorum fit mentio in Leuit. ad nullius sacrificij genus pertinuisse videntur, (Leui. 14. num. 4.) sed tantummodo ad quandam cæremoniam in purificatione leprosi faciendam, vt late probat *Abulens. ad cit. cap. Leuit.*

C *q.5.*) cur insuper noluerit piscium sibi aquatilium genus vllum, & præterea ex animalibus volucrit non cuiusuis generis, sed ea dumtaxat, quę dicebantur munda in lege: sane huius delectus inter animalia, & volucres, ratio hæc à *Philone lib. de victimis*, & ab aliis assignari consueuit: *Quia*, inquiunt, *columba inter natura mansuetas aues & gregatim volitantes mitissima est, & turtur inter solitarias cicuratur facillimè: boues item & oues, & capra cum sint etiã ipsa natura valde mi-*

D *tes, videtur fuisse ad diuina mysteria significanda, admodum idonea: & præterea omnia hæc cum sint hominum vsibus adeò necessaria, ab ipsisq; hominibus passim alantur, facile ad manus haberi, & quocunque deferri commodè possunt: contra vero omne ferarum genus naturaliter immite est, ac difficile capi potest: & similiter pisces præterquam quod nullum prorsus mãsuetudinis typum gerunt, aut facile semper & vbiuis, in siccis præsertim regionibus in promptu haberi, aut viui diutius conseruari non va-*

E *lebant, vt ad altare holocaustomatũ delati, ibidem de more à Sacerdotibus mactarẽtur.* Etenim morticina cuiusuis generis non solum pro sacrificiis apta non erant, sed neque à quoquam comedi, tangíve poterant sine immunditiæ contactu, vt patet *Leuit. c.31. & 39. & cap.17.* Ratio itaque cur Deus ea tantummodo quæ diximus sibi voluerit sacrificari fuit, quia voluit de sacrificiis populo suo semper, & vbiq; (Leui. 31. & 39. c. 17. n. 15.)

prouidere, & nullatenus eis deesse, quæ offerrent, quia nouerat nihil melius, & vtilius ad conseruationem illius reipublicæ fore, atque ad diuina in posterum beneficia merenda aptius, quam si in offerendis Deo sacrificiis, gratiisque agendis diligentes admodum essent, ad quam vtique diligentiam multum intererat si ad manum, quæ offerenda essent, haberent.

Quod verò gratus animus vlteriora beneficia promereatur, inde optimè probat *Bernard.serm. contra vitium ingratitudinis*, quòd per gratitudinem capacior reddatur animus ad accipienda diuina beneficia, sic enim habet: *Felix qui in singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo gratiarum, qui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur.* Vnde rectè Irenæus lib.4. cap.14.ait: *Exceptorium bonitatis Dei est, homo gratus ei, qui se fecit.* Videtur enim obiectiuam bonitatem denuo prouocasse, dum inuocat, vt effusam iã recognoscat, neque vacuam patietur supernaturalis auror eam latitudinem animæ, eásve manus, quas pro gratiis reddendis ad Deum extendit, cum & natura vacuum sic abhorreat, vt docet philosophia; imo donis replebit illum, qui præteritorum sic meminit. Vnde *Chrysost.* eit. *Si gratias quidem egeris, maiores nactus es diuitias, quia Dei beneuolentiam hausisti amplius.* Similia habet idem *Chrysost.homil.15. in Gen.* vbi ita ait: *Si continuo beneficiorum Dei, quæ in nostrum genus contulit, recordamur, & ipsi grati erimus, & ad virtutis viam magna erit extimulatio.* Quippe manifestũ quod beneficia Dei secum recogitans, operam dat, ne illis indignus videatur, sed tanti studij & gratitudinis est, vt alia consequenter mereatur. Ita liberalis est Dominus noster, vt quando videt nos bene, & cum gratitudine vti his, quæ iam nobis concessit, vltra nos potioribus, maioribúsque muneribus impleat.

In cuius rei cõfirmationem facit, quod Paschale sacrificium sub plenilunio ob-
Num.9. num.3. seruari iussum est à Deo, *Numer.9.* quod licèt à Beda ibi in glossa ideo factum dicatur, quia acceptæ gratiæ memores, plus ad Deum accedere debemus, per gratiarum actionem, & testationem accepti beneficij, sicut luna à 15.die ad solem magis accedit & sursum ad cælum splendore coruscantem faciem ostendit; illud tamen mihi videtur protendere ple-

A nitudinem gratiarum descendentem à Patre luminum super eam animam, quæ diuina celebrat, & cognoscit beneficia, sicut in eo sacrificio recognoscebant Israëlitæ, vt nos iam aduertimus.

Est etiam pro nostro argumento locus ille *Ioannis* 4. cum loquens de Christo Domino ita habet, *Venit ergo iterum in Cana Galilææ*, vbi fecit aquam vinum, & narrat de filio Reguli, cui Dominus contulit sanitatem. Inquirit ergo ibi *D. Cyrill.* cuius rei gratia rursum, & vltro venerit in Cana Galilææ, & respondet ideò Christum Dominum venisse, quia scilicet libenter cum gratis hominibus conuersatur, maiora beneficia paratus largiri eis, qui memores sunt perceptorum beneficiorum, quod notauit *Augustin. lib.1. de doct. Christiana cap.1.* cum ait: *Non est metuendum, ne dare desinat cætera, cum ea, quæ data sunt, iam cæperimus impendere, dat Deus enim benigne vtentibus, eo quod acceperunt, adimplebitque, & accumulabit quæ dedit:* sicque exponit *Augustin.* illud Matth.13. *Qui habet dabitur ei, & abundabit*, qua de re videndus *Chrysost. homil.18. in Genes. & idem August. lib. de verbis Domini, serm. 44.* vbi ait, ideò potissimum miracula fecisse Christum Dominum, vt mira essent videntibus, insupérque vt illis miraculis aliquid efficeret in animis nostris; memoriam scilicet, & gratitudinem beneficiorum, quæ nobis contulit per miracula, qua ad vlteriora & vbertiora conferenda obligaretur. *Ioann. 4. num.46.* B *Mat. 13. num.12.* C

D Hoc etiam non vtcunque video adumbratum in primo sacrificio, quod Deo offerebatur pro beneficio aliquo accepto, in quo maior quidem pars cedebat offerenti, etiamsi sæcularis & extra ordinem sacerdotalem, esset; ex triplici ergo ritu, seu forma sacrificandi, ipsorúmque sacrificantium intentione, seu fine tria resultabant sacrificiorũ genera apud Hebræos; nam vt aduertit *D. Thom.1.2. quæst.102. art.3. ad 8.* sacrificium, quod specialiter offerebatur Deo ad reuerentiam maiestatis suæ, & amorem bonitatis eius, dicebatur holocaustum, qua in E eo tota victima comburebatur, id enim fere significat Græce holocaustum ac si Latine diceremus, totum combustum: quod autem immolabatur ad remissionem peccati, vocabatur hostia, & sacrificium pro peccato, cuius vna pars comburebatur, altera cedebat in vsum Sacerdotum, in loco sancto comedenda, vt colligi potest.

Leui. 10. *num.* 17. potest Leuit. 10. nisi quando offerebatur pro peccato totius populi. l. pro peccato sacerdotis, tunc enim totum cremabatur, sed non super altare: at quando offerebant pro gratiarum actione; l. pro salute & prosperitate offerentium. l. ratione beneficij accepti, l. accipiendi, huius hostiæ, l. oblationis vna pars super altare incendebatur, nimirum adeps, qui vitalia operit, & quidquid pinguedinis est intrinsecus, duo renes cum adipe quo teguntur *Leuit.* 3. *num.* 3. ilia, & reticulum iecoris, cum renunculis. Altera erat sacerdotis (illius, scilicet, qui *Leuit.* 7. *num.* 31. *vsque ad* 35. obtulerat sanguinem, & adipem) videlicet pectusculum, & armus dexter, vt habetur Leuit. 7. Tertia vero pars, quæ erat maior, reliquum scilicet hostiæ, relinquebatur iis, qui in gratiarum actionem offerebant: quæ omnia ideo sigillatim adduximus, vt constet ex nullo alio sacrificio remanere offerentibus maiorem portionem, quam ex eo, quod in gratiarũ actionem offerebatur, vt scilicet ij, qui offerebant, in eadem etiam oblatione iam sibi pollicerentur bonorum maxima incrementa, qui in eodem sacrificio tantum acceperant emolumentum.

Notandus hic venit locus ille Isaiæ 63. *Isai.* 63. *num.* 15. vbi vt diuinam super se aduocet misericordiam, & largitatem se ait: *Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum super me continuerunt se?* ait vero Forerius ibid. *Hinc percipere possumus beneficia Dei esse animo nobis semper versanda, quo alia petere audeamus, natura enim fit vt noster in eos propensus sit animus, quos beneficijs affecimus, magisque eos diligamus (vt est apud Aristotelem) quam à quibus beneficia accepimus.* Quodam igitur amoris iure Deum obligamus cum illius beneficia in nos collata colimus; ideóque Dauid cum ingentia quædam in se à Deo collata beneficia retulisset, eam esse causam affirmat cur inuenerit cor, l. fiduciam habuerit, vt oraret denuo Dominum, & ab eo plura expectaret.

Rogabit merito quis, cur moribundus *Gen.* 47. *num.* 29. Iacob dixerit Iosepho filio, *Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis.* Cur enim tantus Patriarcha, ciuis cęli, cui viuenti totus mundus exilium fuit, & adhuc in terra posito cæli postes reserati, tantopere de corpore suo curauit, & locum, vbi puluis in puluerem reuerteretur, commendauit? audiamus quid *Rupert.* di-

A xerit *lib. 9. in Genes. c. 21.* ibi enim quæsito respondet: *Quia terra repromissionis, terra erat Domini Dei dicentis, terram in qua dormis dabo tibi, & semini tuo, donum autem Dei, qualecunque sit, siue magnum, siue paruum, cæleste, siue terrenum: pro honore & charitate donantis pretiosum est, & debet esse in oculis sapientis; ideo Iacob tantam curam gessit illius terræ saltem post mortem acquirendæ, vt saltem mortuo corpore illam tenere cuperet.* Ex quibus Rup. verbi illud colligo Iacobum promissam B sibi ad posteros deueniendam terram præ oculis, imò super oculos mortuum voluisse habere, vt singulare beneficium recognoscens, gratum se pro suis, ante ipsos exhiberet, & per talem gratiarum actionem, & securos eos redderet de promissione à Deo facta, ipsius adimpletionem apud Deum promereretur.

Hæc fuit ratio, vt alias omittamus, sicut *Serar. super cap. 5. Iosue q. 21.* aduertit, cur egressuris filiis Israël ex Ægypto ad promissam terram obtinendam iusserit C Deus potius agnum, quam capram, bouem vel aliud quodcumque animal immolare. Namque per ouium nomen, & curam impetrarant Israëlitæ optimum Ægypti terræ commorandi solum, ac locum, cum enim Pharao filios Iacob interrogaret, *Gen.* 47. *num.* 3. *quod est opus vestrum?* responderunt: *Pastores ouium sumus, serui tui, ad peregrinandum in terrã tuam venimus, quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum ingrauescente fame in terra Chanaan, petimúsque vt esse nos iubeas seruos tuos in* D *terra Iessen*: quam terram Rex ipsis concessit. Hi igitur qui ouium intuitu eam adepti fuerant terram ouium fœtus, gratias Deo agentes immolant, melioresque, eodem Deo auspice, terras petere incipiunt, & à diuina largitate sibi promittunt: vsque adeo enim certum est gratum animum vlteriora beneficia à Deo promereri, vt filij Israël promissam terram alacres petant, dum pro possessa gratias agunt.

Nouerat hanc Dei indolem Dauid dum E se erigebat noua à Deo sperans beneficia, postquam ea, quæ acceperat eidem retulit, & proposuit, hoc enim significans dixit: *Propterea inuenit seruus tuus cor* *2. Reg.* 7. *suum, vt oraret oratione hac*: vbi inue- *num.* 27. nire cor, non est solum fidenter, & audacter petere, sed in spem certissimam impetrãdi erigi: huius vero rei illa ratio est, quod cum beneficia proficiscãtur ex conferentis gratuita beneuolẽtia, & charitate, qui

qui illa collata, & accepta commemorat, A pristinum etiam amorem reuocare, redintegrare, & denuo promereri videtur. Vnde optimè à quodam notatum est gratitudinem in dies magis crescere, cum tamen satisfactio pro delictis ipsa perpessione obligationem minuat, etenim gratus animus cum noua promereatur beneficia, inde nouam gratitudinis materiam habet, vt se gratum magis exhibeat, dum se magis oneratum nouis honoribus, ac muneribus experitur.

Genes. 4. num. 1. Hinc est, quod postquam Eua, dum B primum filium peperit, dixit: *Possedi hominem per Deum*, quibus verbis, vt bene annotauit *Chrysost. ibi homil.* 18. puellum non naturæ, sed Deo acceptum refert, suámque gratitudinem declarat; statim Scriptura dixit alterum filium pepetisse, *quia enim* (inquit Chrysost.) *pro nato puero grata fuit, & prius beneficium agnouit, assecuta est aliud. Talis enim est Dominus noster, quando in primis gratitudinem declaramus, & benefactorem agnoscimus, largius dona sua nobis erogat, summa enim, C postea quam subintrauit mors, consolatio erat filiorum successio.* Sic ille, qui hoc ipsum notauit, *homil. 1. ad populum*, in Abele, qui dum Deo gratias egit de primitiis, futuram Martyrij coronam à Deo promeruit. Etenim sicut ingratitudo nos futuris aliquando priuat bonis, sicut rectè ponderat *D. Bernard. serm. contra vitium ingratitudinis*, *Ne* (inquit) *nobis contingat, vt tanto grauius de ingratitudine iudicemur, quanto magis accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitisse*, sic D & gratitudo nos futuris præparat, ac disponit bonis. Vnde *Philo lib. quod Deus sit immutabilis* summam Dei probat in nos benignitatem ex eo, quod nullius rei penitus indigus à nobis exigat gratiarum actionem, qua puri reddamur ab iniquitate, & beneficiis diuinis in posterũ digni.

Eccles. 1. vers. 7. In quam sententiam *D. Thom. lect. 5. in cap. 1.* ad Rom. exposuit illud Ecclesiastes: *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant, quia ad principium* (inquit) *vnde proueniunt beneficia, reuer-* E *tuntur per gratiarum actiones, vt iterum fluant per beneficiorum exhibitionem*, potestque & sperare, & sibi promittere diuinæ liberalitatis affluentiam, qui accepta beneficia in autorem omnium gratiarum remittit; ipsum enim sic constituit debitorem Deum, qui debitum gratiarum officium diligenter soluit.

Hunc ipsum locum Ecclesiastes, quem A *D. Thom.* exposuit, notauit optimè *Bernard. serm. 1. in cap. ieiun.* ad illa verba: Matt. 6. num. 17. *Vnge caput tuum*, vbi per caput intelligit *Bernard.* Christum Dominum, sicque ait: *Vnctum à Patre est caput nostrum, & nihilominus vngi postulat à nobis. Itáne aquam petit à riuulo fons indeficiens? petit sine dubio, aut certè repetit magis: ad flumen enim vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant, non vero vt minus habens, quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat, quicquid ad eum referri* B *voluerit. Siquidem etiam fluminis aqua, si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta, superueniens repelletur, sic planè, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato; sed & quod acceperat vertitur ei in perniciem. Vnge igitur caput tuum, refundens in eo, qui supra te est, quicquid deuotionis in te est, quicquid delectationis, quicquid affectionis, vnge caput tuum, vt si qua in te est gratia, referatur ad ipsum, ne tuam quaras gloriam, sed ipsius.*

Facit & pro præsente argumento id quod notauit *D. Basil. homil. 5. quæ est in* Psal. 115. num. 12. *martyr. Iulitam*, cum exponit illud: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi*, quibus in verbis illud statim sese offert difficile, cur scilicet Deus non dicatur tribuere, sed retribuere, ac si ille non cœpisset prior in nos gratiam conferre, sed acceptam soluere, & retribuere iis, à quibus accepisset, & quibus debitor antea extitisset, cum tamen ipse nos præueniat beneficiis, & dona sua in D nobis remuneret, quod dixit Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. *tanta est*, inquit, *Dei erga homines bonitas, vt eorum* scilicet hominum *velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Vnde Iacob appellauit eum omnia Gen. 33. num. 11. tribuentem, nõ retribuentem. Et *Philo lib. de insomn.* dixit: *Secundum naturam conuenit Deo dare, imo ipsa natura Dei est dare*, quod prosequitur *D. Hieron. epist. ad Triphon.* cùm ait: *Semper largitor est, semper donator, neque mihi sufficit, quod semel donauerit*, suffragatur *Chrysost. homil.* 14. E *in Genes.* vbi Deum priorem semper in donis appellauit. Videndus hac de re *D. Thom. 1. cont. gent. c. 39.* vbi Deum bonitatis fontem appellauit. Quæ cum ita sint, qua ratione Dauid dixerit potius eum retribuere, quam tribuere non facilè innotescit. Nodum proinde soluit ad rem nostram cit. Basil. cum ait: *Ne fortè quis di-* Rom. 11. num. 34. *ceret Paulum contradicere Prophetæ dum ait: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

quam

quam pro accepta gratia tu rependis gra-
tiarum actionem, in numerum refert, & ha-
bet beneficij loco, tametsi nihil aliud acci-
pit, quam quod suum est, solidam tamen, ac
sinceram retribuit gratiam, ac si propria
dedisset. Sic ille. Qui recte ostendit Deum
tanti facere nostram gratitudinem, vt per
illam debitor constituatur retributionis
futuræ, quod apposite dixit *Augustin.*
serm. 16. de verbis Apostol. cap. 2. his ver-
bis: *In his, quæ iam habemus laudemus*
Deum largitorem: in his quæ non habe-
mus, teneamus debitorem, quod sane grati-
tudine sola fit.

Cum ergo gratus animus Deum sibi
reddat debitorem, qui deficere nequit in
promissis, merito vlteriora beneficia po-
test expectare, sibíque promittere, quod vt
faceret Moyses ad Cant. gratiarum cu-
currit, & futura beneficia, vt iam accepta,
gratus decantat, futuros simul docens
quid oporteat in re simili facere: quod
etiam obseruauit *Masius super cap. 4. Iosue*
num. 6. dum populi Israëlitici felix Impe-
rator duodecim lapides è Iordanis siccati
alueo pro munimento, & recordatione
gloriosissimi illius transitus asportari ius-
sit, vt essent vinculum quoddam, quod
vniuersum Israëlis genus, quotquot per
omnes futuras ætates essent nascituri, cō-
iunctos se atque consociatos ad diuina
beneficia recolenda intelligerent. Qnasi
parum esset, si præsentes tantum grates
redderent, & non etiam in gratiarum
actionem futuri simul, tanto exemplo,
excitati conuenirent.

ANNOTAT. IV.

Sola vera gaudia à Deo acci-
piuntur, & in hac vita,
& in futura.

CVm Moysem præcinentem, choróf-
que ducentem cum filiis Israël au-
diamus, & insimul Mariam tympanum
accipientem cum fœminis, & totum in-
sultantem populum, illud profecto nobis
hac in re inculcare videntur, sola, scilicet
vera, & perfecta gaudia à Deo prouenire
in hac vita, & perfici in futura, quamdiu
enim sub impio Pharaone captiui detine-
mur in peccatis, & in tenebris degimus,
nullum nobis potest contingere gaudium,
sicut videtur dixisse Tobias in illis ver-
Tob. c. 5. bis. *Quale mihi erit gaudium, qui lumen*
num. 12. *cæli non video*, qua de re videndus *August.*
A *enarrat, in Psalm. 29.* ibi ad vesperum de-
morabitur fletus, vbi ita ait: *Quid est ve-* *Psal. 29.*
spere demorabitur fletus? vespere fit quando *num. 6.*
Sol occidit. Oecidit Sol ab homine, id est lux
illa iustitia præsentia Dei. Ideo quando ex-
pulsus est Adam, quid dictum est in Genes. *Genes. 3.*
cum deambularet Deus in paradiso? ad ve- *num. 8.*
speram deambulabat Deus. Iam ille pecca-
tor texerat se intra lignum, volebat videre
faciem Dei, ad quam gaudere consueuerat.
Oeciderat illi Sol iustitia, non gaudebat ad
præsentiam Dei. Vespere demorabitur fletus,
B *diu eris ô genus humanum, nasceris enim*
de Adam, & sic est factum, & in matuti-
num exultatio, quando cœperit oriri fideli-
bus lux, quæ occiderat peccatoribus, quod
argumentum prosequitur *Cyprian. lib. de*
patient. vbi ait: *In tristitia, & gemitu simus*
necesse est omnibus diebus vitæ nostræ. Vi-
dendus *Gregor. 4. Moral. c. 17. & Chrysost.*
homil. 51. in Ioan. & homil. 5. in epist. ad
Rom. & homil. 5. ad popul. vbi ait pecca-
tum nobis peperisse tristitiam, & mortem,
mortem vtique animæ, & tristitiam ca-
C ptiuitatis, & seruitutis diaboli, quam in-
currimus; similia habet *homil. 12. in cap. 1.*
Epist. 1. ad Timoth. & homil. 1. in Genes.
vbi explicat illa verba Amos: *Væ qui ve-* *Amos 6.*
niunt ad diem malum dormientes in lectis *num. 4.*
eburneis, & lasciuientes in stratis suu, tunc
addit *Chrysost.* id quod in textu sacro non
reperitur, illa tamen refert sicut verba sa-
cræ Scripturæ; quasi stantia arbitrati sunt,
deinde quasi fugientia; quæ elegantissima
sunt, vt deceptionem iniquorum circa
gaudia terrena ostendant. Vide *August.*
D *Psalm. 31. & 93. & 146. & 9. confess. c. 10.*
& lib. 10. cap. 40. vbi explicat illud Isaiæ,
non est gaudere impÿs. Vide *Gregor. 22.*
moral. cap. 12.

Huic igitur tristitiæ occurrit piissimus
Dominus, qui misit Filium suum velut
Moysen, vt nos in libertatem adducceret,
& veram gratiæ lætitiam conferret, quæ
in sola Dei sequela, & in virtute, ac iusti-
tia reperitur; quod ostendit locus ille
Psalm. vt exponit Rab. Dauid, sic enim ha- *Psal. 10.*
bet, *redde mihi gaudium stabile & perpe-* *num. 14.*
E *tuum, quale habent Sancti homines*: quam
lætitiam pater prodigi filij significauit,
cum eum excepit redeuntem & pœniten-
tem, stolámque primam gratiæ dedit, &
annulum in manu eius, inserendum vtique *Luc. 15.*
annulari digito, qui, scilicet, minimo læ- *num. 22.*
uæ proximus est, quique iudicium est,
ideóque institutum ab Ægyptiis vt annu-
lo tanquam corona honestaretur. Eundem
Sacerdotes ad deorum aras operantes

confectis odoribus liniebant, ídque propterea fieri solitum aiunt, quod dilectionum periti neruulum quendam a corde natum per dorsum ad eum tendere, & in eo desinere, compererint, qua de re videndus est. *Pier. Valer. lib.*41. *tit. de annulo, Macrobius lib.*1.*Saturnal.* & *Alexand. ab Alexand. lib.*2. *genial. dierum cap.*1. Huic igitur digito inseritur annulus filio pristinæ amicitiæ restituto, vt indicaretur lætitia paternæ amicitiæ, quam cælestis pater communicat, quæque non in extima tantum superficie vultus residet, sed ad cor vsque, & intimum pectus penetrat. Vnde *Ambrosius ibi* dixit annulum, qui in digito inseritur esse signaculum, quo cordis interiora signentur, imo & coronentur. Et ideo *August. in Psalm.*84. ad illa verba: *Plebs tua lætabitur in te*, dixit, *malo suo lætabitur in se, bono lætabitur in te. Quando enim voluit habere gaudia de se, inuenit planctum in se, nunc ergo quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat, qui non potest perire. Quid enim fratres mei gaudere vultis in argento? Aut argentum perit, aut tu, & nemo scit quid prius: verumtamen illud constat, quia vtrumque periculum est, quid prius incertum est, nam nec homo hic potest manere semper, nec argentum, sic aurum, sic vestis, sic domus, sic pecunia, sic lata prædia, sic postremo lux ista. Noli ergo gaudere velle in istis, sed gaude in illa luce, quam non præcedit hesternus dies, nec sequitur crastinus. Quid est ista lux? ego sum lux mundi. Qui tibi dixit, ego sum lux mundi, vocat te ad se, cum vocat te, conuertit te, cum conuertit te, sanat te, cum sanauerit te, videbis conuersorem tuum, cui dicitur, & plebs tua lætabitur in te.* Sic August. quę videtur desumpsisse ex *Ambros. lib. de Isaac & anima cap.* 4. qui pro hoc argumento videndus est, & *libr.*50. *homil.* 33. Idem *Augustinus* ponderat ea verba Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, & ait: *Non exultauit in hoc mundo, non in diuitijs, non in honore, non in luxuria, in ebrietate, non in vanitatibus mortuis, & cito cũ omni suo honore morituris, sed in Deum viuum, quare non dixit in Deum tantum, sed addidit in Deũ viuum: vt ostenderet quia totum, quod non pertineret ad Dei cultum, deberemus habere quasi mortuum.* Et *Bernardus epist.*114. ait: *Illud verum, & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, & quod cum possederis, nemo tollet à te, cui comparata omnis iucunditas mæror, omnis suauitas*

Ioann. 8. vers. 12.

Psal. 83. num. 3.

A *dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremum, quodcunque aliud delectare posset, molestum*, & Autor operis imperfecti in *Matt. hom.* 15. loquẽs de viro iusto, ac peccatore ait: *Vt quia delectatur in terra, qui nihil habet in terra? ideo siue lætatur, in spiritualibus lætatur, siue tristatur, de spiritualibus tristatur, ergo peccatorũ & lætitia mala, & tristitia peior, quia aut de lucro terreno lætantur, aut de damno tristantur: iustorum autem & lætitia bona, & tristia melior, quoniam aut de* B *iustitia lætãtur, aut de peccato tristantur. Si enim aliqua causa mortis aduenerit, siquidem spes illius in terra sit, tristatur, quasi à domo sua ad peregre vadens, vt non dicam ad tormenta.* Videndus *Chrysost. homil.*1. *in Acta Apostol.* vbi ex eo probat æqualitatem diuinarum personarũ, maxime Filij, & Spiritus sancti, quia Filius misit Spiritum sanctum in solatiúm suæ absentiæ postquam ascendit in cælos: fieri autem non poterat, vt is, qui Deus non esset, verum gaudium, & consolationem afferret C mœstis, & afflictis hominibus, *Itaque*, inquit, ille, *diebus aliquot interiectis, defert missionem spiritus, vt paulisper afflicti, & in necessitate constituti, mox solido, puroq; gaudio fruerentur. Porro si Spiritus esset minor, aut inferior Filio, non erat sufficiens consolatio.* Vidẽdus deinde *August.*16. *de Ciuit. c.*35. vbi agit de nomine Isaac significante gaudium perpetuum. *Ex hoc*, inquit, *puer nomen accepit, nam, quod risus iste non ad irridendum opprobrium, sed ad celebrandum gaudium pertinebat, nato Isaac, & eo nomi-* D *ne vocato, Sara mõstrauit.* Videndus hac de re *Philo lib. de Abraham*, cum ait: *Etenim Isaac, Chaldaice risum significat, qui risus non intelligitur de petulanti vultus lumine, sed de mentis bene affecta gaudio, sicut lætitiam vir sapiens merito Deo sacrificare dicitur, ita significans quod gaudium soli Deo sit proprium*, & hoc est, vt opinor, cur & antea virtutis promissionem habet Sara cum risisset, roganti risus causam se risisse negauit, vetita ne forte gaudium, quod nulli creaturæ conuenit, solius Dei rem E vsurpare videretur, quapropter cõfirmans eam diuinum eloquium ait: ne timeas, risisti vere, & particeps es lætitiæ. Videndus idẽ *Philo lib.*1. *leg. allegor.* vbi sic ait: *Virtus figuratè dicitur paradisus, locus autem proprius paradisi est Edem, id est, delitiæ, virtuti namque perfectæ conuenit pax, & delitiæ; ad Orientem autem est huius paradisi plantatio, quia nec excidit, nec extinguitur, sed perpetuo suapte natura lux eius exoritur.*

Mundi

Mundi omnia gaudia admixtum habent dolorem, quod dixit Salomon: Prou. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Hebraice habetur: *in risu dolebit cor, & extremum gaudij dolor.* Et Iob 2. Iob. 2. nu. 5. num. 5. *Laus impiorum breuis, & gaudium impiorum ad instar puncti,* punctus autem duo extrema terminat, lætitiam scilicet & mœstitiam, L X X. vertunt; *Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem iniquorum perditio,* vbi Chrysost. cit. in Cant. sic infert; *Si eorum lætitia, ingens est ruina, & gaudium perditio, quid dicemus esse eorum interitum, dic amabo te, quid dolorem? quid animi ægritudinem?* gaudium itaque mundanum permixtum semper est dolori, & mœstitiæ, qua de re eleganter dixit *Basil. hom. 5. in exam. Rosa tunc* scilicet, (in prima mundi creatione) *spinis carebat: postea pulchritudini floris adiuncta sunt spinæ, vt nos voluptatis inde capiendæ oblectamento propinquo afficiamur dolore, recordatione delicti, causa cuius factum est, vt spinas & tribulos tellus huic addicta condemnationi, vobis proferret.* Et homil. 11. *Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit, nam quotiescumque florem lucere videro, peccati mei admoneor, propter quod terra, vt spinas, ac tribulos proferret, condemnata est, & hic quidem transitoria, ac breuis momenti vernorum florum gratia adhuc desiderantes destituit. Nondum enim ab illorum collectione domum reuersi sumus, & ecce in ipsis adhuc manibus nostris constituti marcescunt, in paradiso vero florum splendor non est momentaneus, sed constantem habens iucunditatem, gratiosum & amabilem aspectum, numquam desiturum, oblectamentum, insatiabilem flagrantiam & colorum elegantiam resulgentem.* Et orat. 3. de peccato ait: *Rosa à principio sine spinis prodierat, sed post ad pulchritudinem floris spinæ accesserunt, vt haberemus oblectationem summo cum dolore cōiunctam memores peccati, ob quod spinas, & tribulos nobis terra producere iussa est.* Vnde Tertull. lib. de coron. milit. *Quid tibi cum flore morituro, habes florem de radice Iesse;* quasi diceret, cæteri flores vel adiunctas habent aculeatas spinas, licet dum colliguntur iam morituri marcescunt, & decidunt à natiua pulchritudine & odore, flos tamen hic, & perpetuam habet pulchritudinem & inamissibilem odorem, etenim frustra quærunt iniqui lætitiam, vbi neque etiam Sancti præterquam in Deo inueniunt, nam sicut dixit Bernard. *serm. 5. de omnib. Sanct. Tu perfecta & sancta voluptas posuisti me ab* A *initio contra Edem:* Edem erat locus deliciosus, in quo conditus fuit paradisus, & ita Edem voluptatem sonat & lætitiam, quam è regione oppositam habet quisquis degit in hac vita. Et in declamation. super, *Ecce nos reliquimus omnia,* ait; *Neque ad hoc nos de paradiso voluptatis animaduersio diuina eiecisse videtur, vt alterum sibi hic paradisum adinuentio humana pararet. Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quod venit in mundum.* Prosequitur hoc argu- B mentum *August. in Psal. 84.* vbi ait: *Quidquid nobis prouiderimus ad refectionem, illic rursus inueniemus defectionem. Esuris dixit tibi aliquis? respondes esurio, ponit ante te cibum. Ad refectionem posuerat, perseuera in eo quod posuit, certè reficere te volebas, hoc age semper: hoc agendo in eo quod adhibueras ad refectionem, inuenies lassitudinem; multum sedendo fatigatus eras, surgis, deambulando reficeris. Perseuera in eo, quo reficeris, multum deambulando lassaris,* & cætera in hanc sententiam quam etiam C prosequitur *Bernard. serm. de primord. nouiss. & med. & serm. de conuers. ad Cleric. cap. 12.* vbi sic ait: *Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum, & eius tam modicæ partis, tam exigua delectatio quanta operatur solicitudine, quantam deinde molestiam parit? hinc monstruosius dilatantur renes, hinc tumentes vteri non tam impinguantur, quam impregnantur aruina, &c.* Similia habet *cap. 13. & cap. 14. & D. August. tom. 10. serm. 4. de verb. Apost. & serm.* D *37. de verb. Domini. Gregor. 4. Moral. c. 19. D. Ambros. ad illud Lucæ, cap. 6. num. 24. Væ vobis diuitibus, qui hic habetis consolationem, & Epist. 4. & lib. de paradis. cap. 13. Philo lib. de congressu quærend. erudit. & lib. de vict.*

Et certè diuina prouidentia sic disposuit, vt veri labores in hac vita reperirentur, gaudia vero mixta doloribus, namque in cœlo quidquid est, totum gaudium, & lætitia est, nihilque triste ingreditur ciuitatem illam, sicut neque aliquid coinqui- E natum; in centro terræ vbi inferorum sedes est, dolor solummodò & confusio habitat, nihilque solatij, aut lætitiæ reperitur; nos quia super terram habitamus, cœlúmque videre solummodo concessum est, ab vtróque participamus extremo, quia tamen ad vnum scilicet inferius, magis accedimus, de illo plus habemus, proinde veros patimur, & dolores, & labores. Quæ fuit causa cur iusti labo-

rantes potuerunt verè præsignare labores à Christo Domino tolerandos, aliquid insuper gaudij, & lætitiæ, sed admixtum sanè dolori & mœstitiæ: quod patet in diuite auaro, cui vberes fructus ager attulit, & tamen dicebat: *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos?* Luc. 12. num. 17. Quæ verba ponderans *Ambros. lib. de Nabuth. cap. 6.* ait: *Satiato diuiti non est quod sinat eum dormire, excitat eum cupiditas, sterilitas prouentuum perturbat, nec ipse quidem Deus eum dormire permittit, interpellat cogitantem, excitat dormientem; stultè hac* B *nocte repetent animam tuam, &c. Sed nec ipse quietum se esse patitur, quid faciam, quia non habeo quo cōgregem fructus meos? de inopia quæritur, abundans fructibus, miserior iste fœcunditatibus suis, quam pauper cui periculum de egestate est*: Dixit hoc etiam *August. 8. confess. c. 2.* his verbis: *Tu semper aderas misericorditer sæuiens, & amarissimis confusionibus aspergens illicitas iucunditates meas, ita, vt quærerem sine offensione iucundari, & vbi hoc possem non inueni*, quam veritatē assecutus est etiam C Seneca, dum *Epist. 60. lib. 8.* ait homines infamē reddidisse nomen voluptatis, dum illud rebus veram voluptatem minimè afferentibus imposuerunt: sic enim habet: *Scio & voluptatem rem infamem esse, & gaudium nisi sapienti non contingere, vulgò tamen sic loquimur, vt dicamus magnum gaudium nos ex illius consulatu, aut ex nuptijs, aut ex partu vxoris percepisse: quæ adeò non sunt gaudia, vt sæpè initia futuræ tristitiæ sint; gaudio autem iunctum est, non desinere, nec in contraria verti. Itaque cum* D *dicat Virgilius noster, Et mala mentis gaudia, disertè quidem dixit, sed parum propriè, nullum enim malum, gaudium est: voluptatibus hoc nomen imposuit, & quod voluit expressit, significauit enim homines malo suo lætos.* Hæc ille. Vnde *Amos* illud, *Qui* Amos 6. num. 13. *lætamini in nihil*, vertit Symmachus, *qui lætamini sine vlla ratione*, quasi quidem qui ratione polleret, non posset lætari in rebus huius sæculi, quibus nulla subest ratio, vt quis in eis possit lætari, cùm perpetuam habeant coniunctam tristitiam. E Quod mihi videtur significasse Iob, cùm dixit: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti:* Iob. 12. num. 5. punctum enim cum prorsus indiuisibile sit, non est quantitas, sed initium quantitatis: dicitur enim principium lineæ, licet in illum desinit linea, quia terminus illius est. Instar ergo puncti se habet gaudium huius seculi, quod initium alicuius gaudij videtur esse, & indiuisibilis lætitia; quæ si in vultu cernatur, non extenditur ad cor, iuxta illud quod dixit Salomon. *Extrema gaudij* (ecce punctus) *luctus occupat, & risus dolore miscebitur,* Prou. 14. num. 13. siue vt ex Hebræo iam diximus, *in risu dolebit cor.*

Est apertissima ad conculcandam nostram doctrinam ea, quam affert *Gregor. Præfat. in Iob, cap. 6.* vbi ostendit veteres Patres venisse in figuram Christi Domini, velut astra, quæ suis vicibus in cœli faciem veniant, quousque in finem nostri Redemptor humani generis quasi verus Lucifer surgat: ad ostendendam innocentiam venit Abel, is tamen à fratre iniustè occisus: ad manifestandam obedientiam venit Abraham, dum filium præcipitur offerre: ad insinuandam longanimitatem spei, & operis venit Noë, dum Arca inclusus à diluuio fit superstes: ad demonstrandam coniugalis vitæ castimoniam venit Isaac, sed vide quanto in discrimine propriam vitam posuit ad insinuandam laboris tolerantiam venit Iacob, à cuius oculis somnus recedebat, soléque, & gelu vrebatur: ad rependendam pro malo, bonæ retributionis gratiam venit Ioseph à fratribus venditus, à domina iniustè accusatus, & innocens in carcerem coniectus: ad ostendendam mansuetudinem venit Moyses, tandémque omnes, quos in figuras Christi produxit labores sustinuisse comperimus. Concluditque: *Necesse fuit, vt etiam beatus Iob, qui tanta incarnationis eius mysteria protulit, eum, quem voce diceret, conuersatione signaret, & per ea, quæ pertulit, quæ passurus esset ostenderet: tantóque verius passionis illius sacramenta prædiceret, quanto non loquendo tantūmodo, sed etiam patiendo prophetaret*, posuit itaque figuram & similitudinem Christi in laboribus, quos Iob passus est, & veritatem, ac proprietatem in veritate patiendi, non in veritate dicendi, & cæteros, qui labores & ærumnas sunt perpessi, figuras Christi dixit, dum aliquid sustinuerunt. Solum possumus adducere, qui lætitiam Dei referret Isaac, qui risum, & gaudium significat, quique ad lætificandos parentes ortus est, sed Isaac gaudium, & lætitia vera non fuit, sed imago, & prophetia lætitiæ, sicut prosequitur *Rupert. l. 5. in Genes. cap. 35.* vbi ita commentatur id quod Dominus dixit Abrahæ: *Sara vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Isaac*, quia tu risisti, quod subaudiendum est, vocabitur nomen eius Isaac, quia re

vera


vera ridebit in nouissimo generositas tua, Isaac námque risus interpretatur: quo nomine rectè seminis Abrahæ, quod est Christus, fœlix natiuitas significatur, qui vniuersitati Sanctorum, quorum ex carne venerat caro, & verus homo ipse est, sempiterni risus, & interminabilis gaudij causa est, de quo idem ait: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* *Ioan. 16. num. 22.*

Illud itaque maximè aduertendum est, hac in re Sanctos illos, qui labores Christi retulerunt in corporibus suis, qualis fuit Iob & cæteri, quos Gregor. refert, veris laborib. prophetasse labores Christi Domini in carne sustinendos, & tanto verius fuisse figuras ac similitudines Christi, quanto magis verè, & realiter labores veros, quibus hæc misera nostra vita abundat, sustinuerunt; etenim veri nostri labores futuros Christi dolores, labores, & supplicia rectè potuerunt referre, & præfigurare: at verò Christi lætitiam, & gaudium, imò Christum verum totius orbis gaudium, nulla terrena lætitia potuit adumbrare. Vide quale initium Isaac habuerit, vt risus, & lætitia diceretur; risum vtique matris suæ, quæ tunc risit, quando rem dignam censuit nonagenariam mulierem parere, & nutrire; hoc vtique fundamentum habuit Isaac, vt risus, & lætitia diceretur. Quæcumque est lætitia huius sæculi, ludibriosa prorsus est, & spinis vndique ita circumsepta, vt nullus absque vulnere, sanguine & dolore carpere illã possit. Vide si non spinas sensit Abraham cum ei dicitur: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi*: ecce aculeatam animam dum percipit risum, lætitiámq; hac etiam in re figurauit animæ veram lætitiam à Deo concessam, qui solus potest veram conferre lætitiam, quòd natus est, postquam Saræ desierunt fieri muliebria, quod *Philo lib. de Cherubin.* sic interpretatur, quod verum, & purum gaudium tunc aduenit, quando muliebres voluptates cessant, & affectus carnis penitus emoriũtur. *Gen. 22. num. 2.*

Qui ergo veras delicias amant, & quærunt, in solo Deo certe nouerint reperiendas esse, & in nulla alia re multóque minus in impiis voluptatibus inueniendas. Námque cum gaudium ab amore profluat, sicut multis in locis docet *D. Thom.* præcipuéque 2.2. *quæst. 28. art. 1. & 2.* & duplex insuper sit amor, alter amicitiæ, & alter concupiscentiæ, duplex etiam gaudium ex vtroque amore necesse est proficisci, quorum vtrumque habet ea anima, quæ cum Deo per charitatem, & gratiam vnita est; gaudet enim quod Deus perfectissimus sit, & omnia ipsius prospera & secunda, gaudet insuper & de propria sua iustitia, & salute cum in adoptionẽ filiorũ Dei sit accepta: & hæc fortassis duplex consolatio est de qua Isaias ait: *Consolamini, consolamini populè meus: dicit Dominus*, duplex item gaudium de quo Paulus ait: *Gaudete in Domino semper iterum dico gaudete*, quod etiam expendit *Gregor.* ad illa verba Psalm. *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus*, Homil. 36. in Euangel. statim in principio. *Augent spirituales delitiæ desiderium in mente dum satiant, quia quanto magis eorum sapor percipitur, eo ampliùs cognoscitur, quo auidius amatur, & idcircò non habita amari non possunt, &c.* Ideóque *August. 10. confess. cap. 4.* ait: *Interdum Domine intromittis nos in affectum multum, & insinuatum; qualis autem hic affectus esset, docuit.* Idem *August. lib. 9. cap. 10.* dicens: *Tantum fuit illud gaudium, quo nos perfudisti, vt si illud continuaretur, paululum differre videretur à gaudio cœli.* Notauit hoc acutè sane *D. Bernar. lib. de vita solitaria*, cùm ponderat D. Lucam cum ageret de transfiguratione Christi Domini quando Petrus dixit: *Domine bonum est nos hic esse*: addidisse, *nesciens quid diceret*, ait ergo Bernardus: *Nesciens quid diceret in eo quod arreptus simul, & nesciens quid diceret, quia visa Dei maiestate commune bonum intra priuatum suum visus est conclusisse, in eo autem præsentissimus sibi, & scientissimus quid diceret, quia suauitate eius gustata optimum sibi cogitauit in hoc semper esse, &c.* *Isaia 40. num. 1.* *Philip. 4. num. 1.* *Psal. 33. num. 1.* *Luc. 9. num. 33.*

Vnde non censeo iustam eam querelam Marthæ erga sororem quam proposuit Christo Domino, dicens: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet.* Ea enim, quæ sedebat secus pedes Domini, & verbum eius audiebat, & suauitatem illius doctrinæ percipiebat, quomodo potuit inde surgere, ac perceptas eo in loco delitias Domini relinquere, quas si Martha perciperet, totius ministerij oblita, nihil amplius curaret, si ea quæ ad obsequium, & ministerium Christi erant necessaria, alteri commendata agnosceret; sed illud insuper hac in re notandum est; quod verba non dirigit ad sororem, sed potius *Luc. 10. num. 40.*

C 3



potius ad Dominum ; optimè ſcilicet A
agnoſcens eam prorſus culpa vacare, quæ
in deliciis ſponſi eſt, & ſuauitatem ebi-
bit ſpiritus & captiuos habet omnes af-
fectus, ac veluti ad pedes Domini volu-
ptare cœleſti deuinctos & ligatos ; con-
queritur proinde apud Chriſtum Domi-
num, eúmque rogat, vt præcipiat ſorori
ſurgere ; bonum erat enim Mariæ illic
perpetuo eſſe, ſicut volebat & dicebat Pe-
trus, quia in re & ipſe ſciens profecto
loquitur, & Maria inculpata prorſus, ne-
que enim delitiæ ſpiritus eius conditio- B
nis ſunt, quæ poſſint aliquando deponi,
aut intermitti quandiu illis frui permit-
tatur animæ ſanctæ, ideóque Dauid hanc
lætitiam iure optimo deprecabatur di-
Pſal.85. num.4. cens : *Lætifica animam ſerui tui, quoniam*
ad te Domine animam meam leuaui, quaſi
nihil è terra vellet, & omnibus terrenis
rebus ſuperior Dauidis anima ſolam Dei
lætitiam exoptaret, ad quam ſic eleuata,
erat certè diſpoſita, ſuper quæ verba ſic
ait Auguſt. *Lætifica animam ſerui tui, ſo-*
lus enim tu es iucunditas: amaritudine ple- C
nus eſt mundus, quia tu Domine ſuauis &
mitis, tanquam tædio affectus ex amaritu-
dine terrenorum indulcari voluit, & quæſi-
uit fontem dulcedinis & in terra non inue-
nit. In terra erat, & in terra amaritudinem
ſentiebat, leuauit eam ad te, iucunda eam
apud te, ſolus enim tu es iucunditas. In quo
homine ſecuritas? de quo certum gaudium?
nec de ſeipſo vtique, quanto magis de alio,
aut mali ſunt & neceſſe eſt eos pati, ſed ſpe-
rare, quia mutari poſſunt, aut boni ſunt, &
ſi eos oportet diligere, vt timeamus quia poſ- D
ſunt mutari, ne mali ſint, ibi malitia eorum
facit amaritudinem animi, hic ſolicitudo,
& timor ne labatur qui benè ambulat, quo-
cumque ergo ſe conuerterit, in terrenis rebus
amaritudinem inuenit, vnde dulceſcat non
habet, niſi tenet ſe ad Deũ. Videndus item
idem *D. Auguſt. in Pſalm.* ad illa verba:
Pſal.88. num.16. *Beatus populus, qui ſcit iubilationem.* Cùm
ait: *O beate popule putas intelligis iubilatio-*
nem? nullo modo beatus es niſi intelligas iu-
bilationem? Quid eſt intelligas iubilatio-
nem? ſcias vnde gaudeas, quod verbis ex- E
plicare non poſſis. Gaudium enim tuum non
de te, vt qui gloriantur, in Domino glorien-
tur. Videndus idem *Auguſt. in Pſalm.* 50.
1. Cor. 1. num. 31. ad illa verba : *Quam magna multitudo*
dulcedinis tua Domine, & 9. confeſſ. c. 1. &
in ſoliloquijs, c. 21. & 22.

Videndus hac de re erit *Philo. lib. de Gi-*
gant. vbi admonet, vt à prophanis ſeculi
voluptatibus omnino fugiamus, & inter

A alia ſic ait: *Proinde ſi quod voluptatis ama-*
torium te inuitat poculum, declina ab eo, &
aduerſis oculis ingenuam, natiuamq; vir-
tutis pulchritudinem perge illam intueri, do-
nec amore huius correpta tradaris tãquam
à magnete, vt tracta cum adamante adhæ-
reas, & lib. de mercede meretricis non re-
cipiẽda in ſacrario introducit inter ſe lo-
quentes voluptatem ſecularem, & veram
virtutem; explicat verò virtus quam falſa
ſint omnia gaudia, quæ ſæcularis voluptas
iactat quaſi ſua: videndus itẽ lib. de ſomn.
B & lib. de temulent. & lib. 1. legis allego-
riarum. *Seneca de conſolat. ad Polyb.*

Vnde iuſta eſt ea querela apud Ioël. in
c. 1. *Depopulata eſt regio luxit humus, ma-* *Ioëlis 1.*
logranatum, & palma, & omnia ligna agri *num. 10.*
aruerunt, quia cõfuſum eſt gaudium à filijs
hominum, vbi Rupert. ait: *Vide in hac com-*
memoratione quam valida reprehenſio ſit,
licet breuis, nam ſi quæreres, quare depopu-
lata eſt regio & luxit humus, quam ob cau-
ſam vaſtatum eſt triticum, &c. Confeſtim
cauſam reddit, quia confuſum, inquit, *eſt*
C *gaudium à filijs hominum,* id eſt, *quia con-*
fuderunt gaudium, ſiue non ſeruauerũt or-
dinem gaudij filij hominũ, primum enim, &
particulariter gaudere debuerant in Domi-
no, ſecũdario verò in bonis, ſed de bonis Do-
mini; ſuper frumento, vino, & oleo, & cæteris
quæ dantur à Domino. Hic erat rectus ordo
gaudij. Hunc ordinẽ ita confuderunt filij ho-
minum, vt in Domino gaudere negligerent,
in bonis autẽ Domini gaudere cuperent. Hoc
fecerunt filij hominũ, & idcirco plange quaſi
virgo. Coniungenda ſunt quæ habet idem
D *lib. 1. de Di. officijs, c. 15.* vbi : *De creatione,*
inquit, *mundi ſabbathizant,* id eſt, *glorian-*
tur dilectores mundi, nobis autem de ſalua-
tione gaudendum eſt. Quibus habet ſimilia
Bernard. Epiſt. 14. & Senec. lib. 3. Epiſt. 23.
ait : *Hoc ante omnia fac mi Lucille, diſce*
gaudere, exiſtimas me nunc detrahere tibi
multas voluptates, qui fortuita ſubmoueo,
qui ſpes, dulciſſima oblectamenta deuitãdas
exiſtimo. Imo contra. Nolo tibi vnquã deeſſe
lætitiã. Volo illam tibi domi naſci. Naſcitur,
ſi intra teipſum ſit, diſiice, & conculca iſta,
E *quæ intrinſecus ſplendent, quæ tibi premit-*
tuntur ab alio: at verum bonũ ſpecta, & de
tuo gaude. Veri boni auiditas tota eſt. Quid
ſi iſtud interrogas, aut vnde ſubeat? dicam.
Ex bona conſcientia, & honeſtis conſilijs, ex
rectis actionibus, &c. Videndus etiam lib.
de beata vita, quod neque gaudium qui-
dem quod à veritate exoritur, quãuis bo-
num ſit, abſolutè tamen bonum non eſt,
conſequitur enim ſummum bonum, non
illud

illud confirmat, in quo sensu intelligendus est Plato in Mænone, siue de virtute, vbi dixit virtutem esse gaudere de pulchris, quod etiam docuit *D.Thom.2.2.q.28.art.4.* vbi asserit gaudium non esse virtutem, nec virtutem denominari ab eo, sed potius fructum virtutis, & quid illam consequens.

Cum ergo in sola virtute,& in participatione Dei verum gaudium reperiatur, qui liber iam exit vincula iniquitatis, & libertatem spiritus, ac filiorum Dei ingreditur, vera lætitia profusu lætari debet, & Deo veras laudes decantare, sed multo maiori cum ratione gloriosè Domino cantabunt sine cessatione canticum agni, cuius sanguine sunt in libertatem asserendi à seruitute Ægypti, cum viderint transiisse iam huius sæculi mare, & deuenisse ad torrentem voluptatis Dei, de qua *Bernar.serm.de nimia fallacia præsentis sæculi*, ait: *In remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus flumen planè est, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen vocatur*, non quod *transeat vel pertranseat, sed quod abundet, iustorum expectatio non aliquid latum, sed ipsa lætitia est. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in diuitijs, gaudent & in vitijs homines, sed luctus extrema occupat eiusmodi gaudiorum, nobis autē non fauum mellis, sed ipsum purissimum, & liquidissimum mel reposuit Deus. ipsam planè lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, fœlicitatem, iucunditatem, & exultationem thesaurizauit vobis Dominus Deus noster: & hæc omnia vnum; vt participatio sit Ierusalē in idipsum, &c. Et serm.de triplici genere bonorū* inter alia ait: *Quæ est ista copia vbi nihil quod nolis totum sit quod velis.* Videndus Chrys. ad

Rom.2.n.7. illa verb. Paul. Rom.2. *Reddet vnicuique secundum opera eius, ijs qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam, &c. Vide* ait *Chrysost. homil.5. Vti cum de futuris bonis loquitur manifestè, ac liquido bona ipsa qualia sunt manifestare nequeat, sed & gloriæ, & honoris nominibus abutatur, nam quandoquidem ea bona humanis omnibus bonis superiora sunt, non habet vnde earum rerum imaginem proferat, sed ea nobis ab ijs, quæ apud nos splendida, & illustria esse videntur, vt cumque repræsentat, à gloria, ab honore, à vita, hæc enim ab hominibus maiorem in modum expetuntur, illa autem non eiusmodi sunt, sed his eò etiam præstātiora, quòd & incorruptibilia, & immutabilia sunt, &c.* Videndus *August.de symbol.ad Cathec.lib.3.cap.11.* vbi fatetur facilius posse dici in illa vita quid non sit, quam quid sit, sicut de Deo dici consueuit. Vidēdus item idem *Aug.serm. de cœlesti beatitudine*, vbi asserit, quod si vna gutta cœlestis beatitudinis in infernum caderet, tormenta, & supplicia refrigare posset illius loci, vidēdus *D.Greg. 4.Moral.cap.vlt.ad fin.* vbi tantam esse docet beatitudinis lętitiam, quod etiam peccata nullam affectant mœstitiam. *Erit*, inquit *in illa beatitudine culpæ memoria, non qua mentem polluat, sed qua nos arctius lætitiæ astringat: vt dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, & debitorē se medico verius intelligat, & eo magis acceptam salutē diligat, quo molestia meminit, quam euasit. In illa itaq; lætitia si nunc sine tædio mala nostra conspicimus, sicut nunc in luce positi sine vlla cordis caligine animo tenebras videmus quia etsi obscurum est, quod mente cernimus, de iudicio est hoc luminis, non de passione cæcitatis. In æternum ergo laudes misericordiæ largitori nostro referimus, nequaquam miseria conscientiæ grauamur, quia dum mala nostra sine aliquo mentis malo respicimus, & nunquam erit quod corda laudantiū de transactis iniquitatibus polluat, & semper erit quod hæc ad laudem liberatoris accendat.* Proinde iure optimo qui subuersos vident Pharaonem iniquum, & exercituū eius in mari rubro, diabolum scilicet & peccata, quæ iter ad promissam terram viuentium nitebantur impedire, merito lætitia perfusi lōge maiori quā Moyses, & filij Israël, dicere possunt; *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem, &c.*

ANNOTAT. V.

Propriæ gloriæ magnificentiam reputat Deus nostram salutem, cæteráque bona.

QVoniam illa verba, *Gloriosè magnificatus est*, vt in literæ expositione tetigimus, significant Deum in se ipso magnum, & hominibus magnificum demonstratum esse tanto edito miraculo gloria siquidem, vt rectè *Tull. in tuscul.* dixit, est incorrupta vox benè iudicantium de excellēte virtute. Neq; enim magnificatus hoc loco intelligēdus est Deus instar earum rerum, quæ è paruis abire possunt in magnas, vt, *Magnificatus est* 1. Reg.2. num.21.

puer

1. Paral. 17. n.11. *puer Samuel*, &, *Creuit Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime*; quia cum sit infinitus nequit augescere, & cum sit purissimus actus ad nihil intrinsecū est in potētia, sed magnus declarari voluit, dum extremè periclitantibus Hebræis subuenit, euertēs penitus Ægyptiorum exercitum. A

Vnde illud iam elicimus, Deum scilicet propriæ gloriæ, magnificentiæque ostentationem in beneficentia erga homines collocasse, seque tunc dici gloriose magnificatum, cum hominibus laborantibus adest, periclitantibus auxiliatur, & indi- B gentibus sese liberaliter effundit. Exod.16. num.3. Deerant cibaria filiis Israël, quæ ex Ægypto asportauerant: & cum non modica esset hominum tentatio inedia famis in loco solitudinis, vt Lipom. illic aduertit; *Murmurauit omnis congregatio contra Moysem, & Aaronem.* Voluit Deus & istorum periculo, & illorum indigentiæ subuenire, dixit proinde Moysi: *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus, & colliget quæ sufficiunt per singulos dies. Dixerúntque Moyses, & Aaron ad omnes filios* C Sap. n.4. *Israël Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam eius*, quæ extrema verba sic exposuit Caiet. manè videbunt factis gloriam, seu honorem Domini, dum scilicet famelicis tribuerit cibum, & iis, qui allium potius ac cæpe, quam cœlum flagrare malebant, sicut eleganter dixit *Tertull. lib. cont. Psychicos, cap.5.* de cœlo epulas miserit, id enim groriam suam Dominus appellat, qui gloriosè magnificatus dicitur in suorum salute, & libertate.

D Consulendum pro hac re est *cap.24.* Exod.24. num. 10. *Exod.* vbi Deus in gloria & maiestate sua apparuit Moysi, Aaroni, Nadab, & Abiu, & 70. de senioribus Israël, sub pedibus autem eius erat quasi opus lapidis saphirini, vbi scilicet Pagni. & alij legunt: *Sicut opus lateris saphirini*, voluntque proinde Hæbræi, teste *Oleast.* & *Lypom.* esse allu- Exod. 1. num. 34. sionem ad illum alium *Exod. cap.1.* vbi dicitur: *Oderat filios Israël, & affligebant, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti, & lateris,* E ab hac igitur afflictione, duráque oppressione luti, & laterum educens Deus filios Israël, eosdem lateres pro gloriæ stemmate, in sede, ac throno maiestatis suæ collocat, & dum se præpotentem, ac gloriosum vult ostentare, lateribus suppositis pedibus apparet Deus, qui pro gloria & magnificentia, suorum libertatem & salutem reputat.

Ostendit hoc locus ille *Psalm.* vbi Dauid Christum Dominum celebrans ait: *Saluabit sibi dextera eius*, quæ verba de nostra salute interpretatur Basil. vbi air, Psal. 97. num.1. *Hominum salutem virtutis ipsius opus esse dicit. Immensa vero benignitate vsus, mortalium vitam, suum dicit esse emolumentum. Propterea non dixit, saluabit, sed saluabit sibi.* Basilio accedit Theodoret. dum ibi ait: *Immensa benignitate vtens, suum quæstum, hominum vitam duxit, propterea non dixit, saluabit ipsum dextera eius, sed saluabit ipse sibi*, quæ expositiones optime ostendunt in casu dandi *sibi* veluti commodum, & vtilitatem Deo prouenire ex nostra salute, quam ipse maximè curat. Cæterum præsenti instituto inseruit id, quod Genebrar. & Caiet. notarunt particulam scilicet *sibi* idem valere atque gloriam suam, & tunc sensus est homines à potestate Pharaonis spiritualis, dæmonis scilicet liberabit dextra Dei sibi, idest, in honorem, & magnificentiam eius, qui gloriosè magnificatur in deiectione nostrorum inimicorum.

Est optimus pro hac sententia locus ille Paul. ait: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, dicendum enim videbatur, Rom.3.n.23. egent venia, ac gratia Dei, & certè *D. Hieronym. lib.6. Commentario. in Isaiam*, ita citat hunc locum. Verum Latini codices emendatissimi omnes habent, *gloria.* Sicque legunt Latini Patres, & expositores, non quasi homines non egeant prædicto gratiæ beneficio, sed quia, dum illud præstat, suam ostentat, & manifestat gloriam, hoc enim vocabulum cum frequenter in sacris literis ostendat, id quod in vnaquaque re maximè commendat, magnificat, ac clarificat, rem eamque facit spectabilem, & laudabilem, vt videre est in ea maiestate, qua Deus apparuit in monte Sina, vt daret legem Moysi, quæ, gloria appellatur *Exod.* quia præsentiā, & Exod.24. num. 16. maiestatem Dei maxime gloriosam, id est, admirabilem, venerabilem, atque formidabilem faciebat, & in eodem sensu ingentem diuitiarum copiam, & exuperantiam Regis Salomonis, Christus Dominus vocauit gloriam apud *Matth.* & Matt. 6. num.9. *Esther.* dicitur, Assuerum parasse grande Esther 1. num.4. conuiuium, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui: & arboris proceritas, pulchritudo, & vbertas fructuum agri, gloria vocatur, vnde apud *Isaiam.* dicitur, *Gloria Libani, decor, & gloria Carmeli, &c.* Isai. 30. num. 30. Ideò Paul. cùm venia, & remissio peccatorum maximè commendet, & magnificet

bonitatem

bonitatem Dei, ipsius gloriam hoc ipsum appellauit, quod clarius ostendit lectio *Cypriani lib. 2. aduersus Iudaos, cap. 22.* vbi ait: *Omnes peccauerunt, & egent claritate Dei*, qui clariorem & gloriosiorem se ostendit, dum nostræ succurrit miseriæ. Ideóque *Anselm.* Hoc loco ait: *Egent gloria Dei*, id est, *vt Deus magis, magisq; glorificetur in eis, tribuendo beneficia gratiæ sua per remissionem quotidianorum delictorum.* Clarius Carthus. *Egent gloria Dei, hoc est miseratione, diuina videlicet gratia, per quam Deus gloriosus apparet, qui ex* B *sua liberrima bonitate saluat electos, & gloriam suam ostendit in nostra miseria, ac necessitate*, sicut etiam libertatem, & salutem Israëlitarum, gloriam suam appella-
Isai. 46. num. 13. uit apud *Isaiam*, dum ait infirmo ac penè desperato populo: *Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam.* Quo etiam
Ioann. 1. num. 14. sensu Euang. Ioan. dixit in cap. 1. num. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: Vbi *Tolet. annotat. 49.* veriotem censet expositionem *Basil. homil. de fide, Chrysost. Cyrill. & Theophil.* qui re- C ferunt hanc gloriam ad ea omnia miracula, & signa, quibus suá diuinitatem Christus Dominus comprobauetat, quæ omnia in nostram vtilitatem edidit, vnde inter-
Luc. 7. n. 22. rogatus an esset Messias verus, dixit: *Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Vnde *Tertull. 4. contra Marcio. c. 14.* aduertit Christum Dominum suam exorsum fuisse doctrinam à pauperum conso-
Matt. 5. num. 3. latione, cum apetiens os suum dixit: *Beati* D *pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Igitur*, inquit ille, *qui à consolatione pauperum, & humilium, & esurientium, & flentium exorsus est, statim se illum repræsentare gestiuit, quem demonstrauerat*
Isai. 61. num. 1. *per Isaiam, spiritus Domini super me propter quod vnxit me, ad euangelizandum pauperibus misit me.* Et in *lib. de pudicit.* Ostendit Christum Dominum bona contulisse hominibus, plagas vero minimè intulisse. Et *Ambros. lib. de Abraham, cap. 6.* aduertit tres Angelos in domo Abrahæ E visos fuisse, ad perdendam vero Sodomam duos tantum, & deesse tertium, qui Christum Dominum referebat: ait ergo Ambros. *Vbi gratia largienda est, Christus adest, vbi exercenda seueritas soli adsunt ministri, deest Christus.* Et cum ab ipso expostularet diabolus miraculum in de-
Matt. 4. num. 3. serto, *dic vt lapides isti panes fiant*, eiecit eum à se, fortè quia illa conuersio lapidum in panes, ipsi tantummodo erat profutura, non aliis, cum non adessent; noluit proinde gloriam suam in miraculo prodere, cum nobis non posset prodesse, quod pro gloria ipse Dominus reputat.

Sed quoniam præsentem vocem eò deducit *Chrysost. hom. 11. in Ioannem Tom. 3.* Vt gloriam Christi non solum in miraculis admittat, sed insuper in tormentis contra Origen. dum gloriosè negat magnificatum in passione, id etiam in gloriam Dei prosequemur; clarius siquidem elucebit quo modo gloriam dicat nostram salutem, ac vitam. Sic ergo habet *Chrysost.* cum explicat illa verba. *Vidimus gloriã eius. Neque miraculorum gratia Christum dumtaxat admiramur, sed etiam passionis, vt eum affixus est cruci, flagellis, & alapis cæsus, & insputus ab ijs, de quibus tam benè merebatur. Siquidem in his ipsis, quæ probri, & ignominiæ plena esse videbantur, ipsum rursus verbum clarissimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit, non enim charitatis solum, & amoris fuerat, sed immensæ etiam virtutis; tunc enim mors abolita est, maledictum perijt, dæmones confusi sunt, & de his triumphatum est, Chirographum cruci affixum.* Sic ille, qui etiam videndus est *Homil. 57. in Matth. tom. 2.* vbi id quod nos habemus, *& dicebant de excessu, eius* legit: *loquebantur de gloria*, vbi etiam Græca exemplaria, teste Euthym. duas habent lectiones, vna significat excessum, altera vero gloriam. *De Cruce*, inquit ille, *ac passione loquebantur; sic enim ipsam semper appellabat, cum enim per propriam mortem nostram operaturus esset salutem, quid mirum si eam, suam gloriam appellauerit?* Vidend. item *tom. 5. homil. 5. de patientia Iob*, in fine, cum ponderat id, quod Christus Dominus dixit: *Glorifica me Pater*, vt ipse legit, pro eo quod nos habemus, *Clarifica me Pater*: ait ergo Chrysost. *quid dicis? ad crucem duceris cum latronibus, tumulorumq; effossoribus maledictã sufferre mortem, conspuendus, cædendus colaphis, & hac gloriam appellas? ita, inquit, pro dilectis ipse patior, meritoq; hac eadem, gloriam existimo.* Hoc etiam notauit idem *Chrysost. homil. 80. in Matth.* dum commentatur illa verba. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua*, vbi ille legit, *in gloria sua. Crebro*, inquit, *gloriæ meminit, quoniam crucis tempus iam aderat, quæ res maximo probro habetur.* Videndus idem *Chrysostom. homil. 37. in Matth. & homil. 50. in illud*

Ioan. 1. num. 14.
Luc. 9. num. 31.
Ioan. 17. num. 5.
Mat. 25. num. 31.

D Ioan.

Ioann. 7. *Ioan.7. Nondum erat ſpiritus datus, quia*
num. 39. *Ieſus nondum erat glorificatus,* quam glo-
riam mortem eſſe putat. Videndus item
Hebr.2. *Oecumen.ad illud Pauli Hebr.Videmus Ie-*
num.9. *ſum propter paſſionem mortis, gloria,& ho-*
nore coronatum. Sic enim ait: *Gloriam &*
honorem vocat crucem: neque tantum di-
gnum erat, tamq́; glorioſum feciſſe cœlum
& terram, ac hominem, ſupernaſq́; virtu-
tes, ſicut quod propter nos dignatus ſit cru-
cifigi. Videndus etiam *D.Hieron. in Epiſt.*
ad Hedibiam,quæſt.9. vbi glorificationem
Dei hominis dicit patibulum triumphan-
tis: idem aſſerunt *Theophil. Euthym. in*
Ioan. Salmeron. & Gagneius ad dictum lo-
cum Pauli, & Rupert. in vocabulo Glorifi-
catio Ieſu, quibus ſimilia habet *Caietan.*
cum ponderat ſtatim, atque Iudas egreſ-
ſus eſt ad tradendum magiſtrum, dixiſſe
Ioan. 13. ipſum Chriſtum Dominum: *Nunc clari-*
num. 31. *ficatus eſt Filius hominis*, quod ad immi-
nentem iam paſſionem, & mortem re-
fert, aitque Caietan. *Tempus pro liticnis,*
paſſionis, mortiſq́; ſuæ tempus glorificationis
appellat.

Vnde nobis iam poteſt conſtare, quan-
ta cum ratione colenda ſit locutio, quam
affert *Tertull. lib.4. cont. Marc.* vbi illud:
Mat. 27. *Acceperunt triginta argẽteos pretium appre-*
1.9. *tiati*, legit ipſe, *pretium honorati* quaſi
tunc Chriſtus Dominus glorioſus, & ho-
noratus maximè extiterit,quando pro ho-
minibus venditus,& paſſus eſt:vnde & Iu-
das, qui eum vnguento pretioſo delibu-
tum, tam vili pretio vendiderat,vt ipſo-
rum arbitrio remiſerit, & quantitatem,&
Mat. 26. qualitatem, dum dixit: *Quid vultis mihi*
num. 15. *dare, & ego eum vobis tradam?* Honora-
tiorem, & pretioſiorem cenſuit poſt fla-
gella, & vincula, vileque pretium iudi-
cans, quod acceperat, retulit ad empto-
Mat. 27. res. Nec mirum ſi honoratiorem, & glo-
num.3. rioſiorem eum tunc iudicauit Iudas, cum
talem etiam reputauerit Pilatus quando
eum vinctum, illuſum, & colaphizatum
miſit ad Herodem; de qua miſſione in-
Luc.23. terpretatur *Tertull. loco citato, cap. 42.*
num. 11. recte quidem ad rem noſtram, ſed ad lit-
teram minime, dum ſola verba attendit,
non ſenſum, illud Oſeæ vbi nos habe-
mus delatus eſt munus regi, ait enim
Tertull. de Pilato mittente Chriſtum ad
Oſea 10. Herodem. *Oſeæ vocibus fidem reddidit, de*
num.6. *Chriſto enim prophetauerat, & vinctum*
eum ducent xenium Regi. Sic ille. Quaſi
nullum munus pretioſius potuerit Pilatus
Regi Herodi mittere, munus vtique re-
gium, quam ſi Chriſtum ligatum, & per-

A cuſſum Regi proponeret, Iudæis quidem
ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam,
ipſis autem vocatis Chriſtum Dei virtu- 1. Cor. 1.
tem,& ſapientiam,qui gloriam ſuam po- num. 23.
ſuit in contumeliis & ſuppliciis pro ſuis
liberandis.

Hæc fuit ratio cur ad gloriam ſuam
profectus,& aſcendens Hieroſolymam, vt
conſummarentur omnia,quę ſcripta erant
per Prophetas de Filio hominis,aperuerit Luc. 18.
oculos cæci fecus viam mendicantis, quo num. 42.
illum ſecutus in gloria crucis poſtea vi-
B deret,& plures haberet teſtes ſuæ lætitiæ,
& pulchritudinis, de eo namque in cruce
pendente interpretatur Auguſt.illud Pſal. Pſal. 44.
Specioſus forma præ Filijs hominum, quem num.3.
locum conciliat cum alio Iſaiæ vbi ait: Iſai.53.
non erat ei ſpecies, neque decor. Hoc autem num.2.
inquit Auguſt.*magis amplificat pulchritu-*
dinem Chriſti, etenim non habebat ſpeciem
Iudæis, fidelibus pulcherrimus. quibus ha-
bet ſimilia,in *Pſal.127.* vnde Hieruſalem
appellauit Dauid ciuitatem decoris eius,
cum dixit, *ex Sion ſpecies decoris eius*, vbi
C Chryſoſt. *illinc enim crux reſplenduit*, id Pſal. 49.
eſt,crucifixi decor,*illinc initia noſtra ſalu-* num. 1.
tis, quæ Dei ſpecies, ac decor ſunt.

Hæc itidem eſt ratio, cur è feſtis Iu-
dæorum Paſchæ diem elegerit, quod ad-
uertit *Tertull. lib.4. contra Marc. cap.40.*
etenim Iudæorum feſta commemorantur
*Leuit.c.23.*Paſchæ,primitiarum,Penteco- Leuit.c.
ſtes,Tubarum, Expiationum,& Taberna- 23.
culorum: è quibus tria erant, quibus per
ſingulos annos oportebat omne maſculi-
num comparere Hieroſolymis, vt colli-
D gunt plerique ex *cap. 23. Exod. ſcilicet,*
Paſchæ, & Pentecoſtes, de fœminis au-
tem exiſtimo morem Hebræorum eſſe eas
ſemel tantum in anno venire Hieruſa-
lem,ſcilicet, ad feſtum Paſchæ, quod im-
primis colligo ex *1.Reg.* vbi de Phenena, 1. Reg. 1.
& Anna matre Samuelis ita habetur. *Sic* num.7.
faciebat per ſingulos annos, cum redeunte
*tempore,aſcẽderet ad templum Domini,*quæ
verba certum anni tempus deſignãt; quod
inſuper videtur probare locus ille Luc. Luc.2.
Ibant parentes eius per omnes annos in Hie- num. 41.
E *ruſalẽ in die ſolemni Paſchæ, & aſcenden-*
tibus illis Hieruſalem ſecundum cõſuetudi-
nem diei feſti, conſummatiſque diebus cum
redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſa-
lem. Vbi aperte exprimitur,& tempus, &
conſuetudo vnius tantum itineris, & pro-
inde mihi nullatenus probatur id, quod
Tolet.annotatione 68.ex c.2. Luc.ait,ſcili-
cet Euangeliſtam non negare etiam aliis
duabus ſolemnitatibus aſcendiſſe, ſed ſo-
lum

hum referre ascendisse in festo Paschæ, & propterea non licere inde colligere in illis solemnitatibus non venire; non enim quia Euangelista non narrat, ideo nõ fuit, cum sciamus eos multa omisisse: quæ expositio non videtur posse constare cum Euangelista referente vnum diem festum, & assignante consuetudinem, quam ex alio etiam loco probamus deductam. Ex quibus illud habemus semel in anno in festo Paschatis conuenire Iudæos Hierosolymis, viros simul, ac mulieres, cuius opinionis video etiam assertorem *Iacobum Pamelium in commentarys ad citatum locum Tertull.*

Eam igitur credo rationem cur Christus Dominus passioni suæ elegerit solemnitatem Paschalem quando omnes vtriusque sexus Hierusalem conueniebant, vt ab omnibus in Throno gloriæ suæ, crucis, scilicet conspiceretur: vnde eam sibi baiulans plangentibus mulieribus, dolentibúsque acerbissimos ipsius dolores dixit: *Nolite flere super me*: quæ verba expendens
Luc. 23. num. 28. D. Leo serm. 10. *de passione cap.* 3. ait: *Istum planctum Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam, non terret passuri animum hora supplicy, & docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam denunciando vindictam, cum ait, Super vos ipsas flete, & super filios vestros*, Videndus item *Isidorus Pelusiota lib. 2. epistolarum epist.* 166. vbi de mulieribus plorantibus Christum crucem asportantem ait: *Huiusmodi cõmiseratio contumelia illi erat, &c.* Vt quid enim plorantes admitteret, qui lætus crucem deferebat, sceptrum vtique maiestatis suæ ad locum eidem gloriæ suæ, montem, scilicet Caluariæ, vbi gloriose magnificatus est, quando in eadem cruce exaltatus. Vnde *Tertull. lib. contra Iudæos cap.* 11. ait: *Quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero prafert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum aut aliquam propriæ vestis notam? sed solus nouus Rex sæculorum Christus Iesus noua gloria, & potestatem, & sublimitatem*
Psal. 95. num. 10. *suam in humero extulit crucem, scilicet suam, vt secundum prophetiam Dominus regnaret à ligno.*

Exaltatus autem in ligno retorsit mortem in mortis authorem, ne ipsum mortuum denominaret, etiamsi verè mortuus fuerit, quandoquidem propriam mortem gloriam suam reputauit: claui, qui manus Domini, pedésque transfoderant perpetuis diabolum fixere vulneribus, & Sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum, sic suam Christo consummante victoriam, vt in ipso, & cum ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent. Cúmque & passionem, gloriam, & mortem duxerit ipse triumphum, quia per eam operatus est nostram salutem, etiam in corpore glorioso reliquit vestigia vulnerum tanquam titulos gloriarum, sicut optime dixit August. cui necessariò addendum est hic quod notauit *Chrysol. serm.* 76. ad illa verba Angeli ad mulieres in die Resurrectionis. *Iesum quæritis crucifixum? non est hic, surrexit, venite, & videte vbi positus erat Dominus. Angelus*, inquit, *prædicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem, fatetur mortem, mox Dominum confitetur, post sepulchrum agnoscit Dominum, post tanta supplicia suam loquitur seruitutem, & iniuriam passionis totam transiisse sentit resurrectionis in gloriam*, in eo enim se Dominum ostendit, quod pro suis mortuus est, & in eo Domino obsequium præstare putant, si post resurrectionem, & gloriam, eum crucifixum prædicet. Marc. 16.

Est optimus pro hac re locus apud *Gregor.* 33. *moral. cap.* 24. vbi reddit rationem cur dum Apostolus voce de cælo audita dixit: *Quis es Domine?* Christus Dominus respondit: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Non enim bene coheret Nazarenus in responso, cum, Domine, in interrogatione, nisi aduertamus cum fuisse Iesum Nazarenum, qui gloriose magnificatus est, dum pro suis ascendit crucem. Act. 10. num. 4.

Videndus *Bernard. serm.* 1. *in die sancto Pascha*, vbi ridet principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dum dicebant: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Quid consequentia*, inquit Bernard. *videtur habere, vt descendat si Rex Israël est, & non magis ascendat? si tibi Iudæe excidit quod audisti, quia Dominus regnauit à ligno, vt Regem abneges, quia manet in ligno? sed forsitan nec audisti, quia non Iudæis, sed nationibus hæc annuntiatio debebatur. Dicite*, inquit, *in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno. Merito proinde titulum Regis præses gentilis inscripsit ligno, nec potuit Iudæus (vt voluit) corrumpere tituli inscriptionem: descendat, inquiunt, si Rex Israël est. Imo vero quia Rex Israël est titulum nõ deseret, virgam imperij non deponet, cuius nimirum imperium super humerum eius, sicut præcinit* Isai. cap. 9. crucem siquidem thronum gloriæ suæ reputauit, & propriam mortem, Mat. 27. num. 24. Psal. 95. num. 10. Isai. 9. num. 6.

salutem, ac saluationem, & magnificentiam suam. Primum horum videtur probare locus ille *Zachar.c.9.*quem *Matt.21.* & *Ioann.12.* de Christo fuisse à Propheta prolatum asserunt: *Ecce Rex tuus venit tibi Saluator*, vbi quædam Hebræorum glossa pro eo quod nos legimus Saluator, legit Saluatus, exponens verò huius rei rationem addit: *Salus Israël, salus Dei*, tanti enim fecit nostram salutem, síque eam curauit,& operatus est, ac si non nostra tantum, sed ipsius Dei salus esset, qui saluatus dicitur, dum nos saluat; & magnificatus, dum nos liberat. Si autem velis probatum propriam mortem,dum nostram operatur salutem magnificentiam reputasse:memineris quæso quoties Christus apud Euangelistam Ioanné suæ mortis, & crucis,meminit toties eam exalta-
Ioan.3. tionem appellasse, sic enim *Ioan.3.* dixit:
num.14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis.*Sic
Ioan.8. *c.8.*dixit:*Cùm exaltaueritis Filium homi-*
num.28. *nis*, sic *cap.12.Ego si exaltatus fuero à ter-*
Ioan.12. *ra*, & iterum; *Quomodo tu dicis, oportet*
num.32. *exaltari Filium hominis.* Illud enim difficilè in hac loquendi forma, quòd sicut notauit *Lipsius lib.1.de Cruce,c.3. & 4.& lib.2.c.5.*inter alios loquendi modos,quibus veteres vtuntur cùm de cruce agant, minimè reperiatur hic, quo Christus Dominus significauit crucis mortem nomine exaltationis,quæ honorem, non ignominiam, qualem omnis crux continebat significat, licet enim, multis modis crucifixio olim fieret, semper tamen in dedecus & ignominiam fiebat, sicut videre est apud Suetonium in Galba:vbi cuidam imploranti leges & Romanum ciuem se esse proclamanti multo celsiorem, & dealbatam crucem in cōtumeliam erigi iussit, ideòque Paulus Galat. 3. *Maledictus homo qui pendet in ligno.* id est,execrabilis qui tali morte afficitur, & *Philipp.2. Humiliauit semetipsum vsque ad mortem Crucis.* Crucem igitur appellat Christus Dominus exaltationem, quia talem mortem, suam dixit magnificẽtiam,& triumphum, quo sensu Gregor.interpretatur ea
Psal.67. verba *Cantici c.8. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Quasi crux honoris, & victoriæ symbolum fuerit, quod ostendit *Cyprian.lib.de operib.Card. Christi.& Nazianz. Orat.de pace,* vbi de hac exaltatione intelligit illud: *Ascendens in altum,captiuam duxit captiuitatem,* & Ecclesia in hoc sensu canit, *Dicite in nationibus quia Dominus regnauit à ligno.*

A Crucem enim regnum putauit, in qua de morte & diabolo nos captiuante triumphauit, & mortem,qua nostrā soluit,propriam magnificentiam duxit,qui gloriosè,dum suos liberat,dicitur magnificatus.

Vtinam terreni principes, ac domini hinc exemplum desumerent, & congruenter ad hanc regulam suæ dominationis modum statuerent; vtinam potentatus sui significationem, gloriæque, ac maiestatis ostētationem cum miserorum, ac clientum suorum vtilitate ita colliga-
B rent, vt quæ opera forent egentibus vtilia, pro gloria ipsi ducerent, séque tunc putarent gloriosè magnificatos, quando suos liberarent ab infestantibus malis, & necessaria bona eis aggregarent,sed proh dolor! dum gloriam suam illustrare volunt,sibi subditos premunt,eorū substantiam deprædantur, & in eorum humilitate se magnificatos reputant. Vnde Achab, cum sibi negatam cōtemplaretur vineam Naboth, quæ erat iuxta palatium Regis indignans, & frendens super verbo quod
C locutus fuerat ad eum Naboth, dicens: *Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum, proijciens se in lectum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem suum,*sic enim legit Ambros.lib.de
Nabuthe.c.4. vbi ita exponit. *Non man-* *3.Reg.*
ducauit panem suum, qui quærebat alie- *21.n.6.*
num,etenim diuites magis alienum panem, quam suum manducant,qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum.

Illud autem necessario aduertendum, qualiter vxor Achab ipsum irriserit Re-
D gem dum non statim per vim abstulit vineam, quam concupierat, imo & petierat, sed denegatam veluti deploraret, & ob id mœstitia afficeretur, dixit enim ad eum vxor eius: *Grandis authoritatis es,& bene regis regnum Israël.*Subductisque falsis testibus, eisque non è media plebe viris, sed maioribus natu, & optimatibus, qui erāt in ciuitate lapidatus Naboth occubuit, túncque locuta vxor Achab ad
eum, ait:*Surge, & posside vineam Naboth,* *3.Reg.*
ait enim Ambros.initio citati lib.imo il- *21.n.15.*
E lum sic incipit: *Nabuthe historia tempore vetus est,vsu quotidiano,quis enim opulentissimorum non exturbare contendit à gellulo suo pauperem, quis contentus suo, cuius non inflammat diuitijs animum vicina possessio? non igitur vnus Achab natus est,sed quod peius est,quotidie Achab nascitur, & nunquam huic seculo moritur,si vnus occidat assurgunt plurimi: plures qui rapiant, quam qui amittant, non vnus Nabuthe*

pauper

pauper occisus est, quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur, quousque extrudit is diuites insanas cupiditates? numquid soli habitabitis super terram? cur vobis ius proprium soli diuites arrogatis? nescit natura diuites, quæ omnes pauperes generat, nudos fecit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo, nudos recipit terra, quos edidit. (Isaia 5. num. 8.)

(Zach. 11. num. 2.) Hinc est quod *Zacharias*: Principes, ac primores ciuitatis Hierosolymitanæ quercus appellat: *Vlulate quercus Basan,* vbi Chaldæus habet: *Vlulate Satrapæ quoniam succisus est saltus munitus,* qua metaphora inutiles Principes carpit, qui nihil boni suis afferebant, sed similes quercubus, non hominibus, sed solis porcis, ac feris glandines ferunt, & siliquas, solósque canes, equos, accipitrésque alunt, ac curant, vnde *Ambros. libr. cit. c. 13.* ait: *Parietes vestitis auro, homines nudatis, panem postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. Infelix, cuius in potestate est taurorum animas à morte defendere, & non est voluntas.* Videndus est idem *Ambros. serm. 59.* cum ait: *Ecce religiosa vidua supellectili despoliatam domum suam dolet, & tu eadem supellectili domum tuam ornatam esse lætaris? non compungeris cùm vides in hospitio tuo lachrymas alienas?* Similia habet *August. ser. 25. de verb. Domini.*

Rem exposuit Michæas dum infœlicem suæ reipubl. statum deplorat, cui ob multam malitiam, multa à Deo instabat afflictio. Ait ergo, *Princeps postulat, & iudex in reddendo est,* quorum verborũ sensus est: Princeps postulat à minoribus, contenditque cum illis in iudicio de possessione, aut domo, aut re simili, vt aliquam speciem iustitiæ possit prætexere, & iudex adiudicat principi id, quod petit, etiam si re vera pauperi esset adiudicandum, vt similiter princeps iudici cuique retribuat, mutuúmque sibi præstant in iniquitatibus fauorem, sicut exponit Hieron. & Chaldæus dum habet: *Princeps postulat, & iudex dicit, fac pro me, & retribuam tibi,* id est, faue mihi cum mihi opus fuerit, & reddam tibi nunc quod vis. Rémque concludens Propheta, ait: *Qui optimus in eis est, quasi paliurus, & qui rectus, quasi spina de sepe.* Vbi illud aduertendum paliurium esse arborem spinosam iuxta *Plinium, lib. 13. c. 19.* qui etiam *lib. 24. c. 13.* ait: Ecce quoque spinæ genus, de quo Virg. eclog. 5. (Mich. 7. num. 3.)

Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Hieron. igitur sic rem exponit: *Qui optimus inter eos est quasi paliurus pungens, & retinens, vulnerans appropinquantem sibi, & adunco dente comprehendens.* Solent enim optimi appropinquantes sibi verbis percutere acerioribus, & contumelias iaculari in pauperes, ita vt si fortè aliquid boni eis largirentur, illatam verbis iniuriam viderentur compensare, sicut eleganter dixit *Gregor. 21. Moral. c. 14.* at pro ipsorum summa iniquitate vulnerant appropinquantes sibi, insupérque adunco dente comprehendunt, quia & vestes auferunt, & bona diripiunt, & quicquid inueniunt adunco dente deprædantur, cúmque à Deo constituti sint super gentes, & super regna, & euellant, & destruant noxia, & euellant solummodo bona, & destruant aliena, vt propria ædificent: de quibus Diuus *Bernard. serm. 77. in Cant.* *Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus euigilet subditorum marsupijs euacuandis, quam vitijs extirpandis?* Hos igitur dicit esse optimos illius Reipubl. *Et qui rectus,* inquit, *est quasi spina de sepe,* quæ lanam ouium transeuntium apprehendit, ac retinet, & mollia quæque perforat, cum tamen maioris officium sit, pascere, non tondere, aut mulgere, sicut ait Bernardus super *Ecce nos reliquimus omnia,* qui etiam 2. de consideratione dixit: *Pascendas vtique oues, non premendas suscepisti.* Et lib. 3. *Præsis, vt prosis, vt prouideas, vt consulas, vt des illis escam in tempore opportuno.* Quod etiam notauit *Aug. tract. 123. in Ioan.* cùm ponderat Christum Dominum pastori Petro dixisse, *Pasce oues meas, non te pascere,* inquit ille, *cogita, sed oues meas, & sicut meas pasce, non sicut tuas.* Licet possemus & nos contra eos, qui sic rempubl. imo rem suam tractant cum tanto detrimento suorum, Regem Sodomæ proponere, cuius populum cùm victor Abraham de potestate quatuor deuictorum regum, qui eum in bello captiuum duxerant, eruisset à prælio reuertenti Abrahamo Rex Sodomorum occurrit, dixítque illi: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Vbi Oleast. *Audiant hoc Reges, pluris, scilicet esse faciendas animas subditorum, quam substantiam suam, quod eos arguit, qui ad pecuniam, & bona eorum inhiant, non curantes an bene, aut malè viuant, neque si viuant, cùm teneantur, & animæ, & corporis victum suorum curare.* (Hiere. 1. num. 10.) (Ioan. 21. num. 17.) (Gen. 14. num. 21.)

Vnde ego mirari iam desino morem loquendi maiorum, diuitum, ac præpotentum sæculi, dum nobis pro beneficio collato obijciunt, si mala, quæ possint, non

inferant, quia propriam gloriam in malis inferendis existimant collocatam, & A
se de suis bene meritos reputant, si superstites relinquant, si iniurias, & mala non inferant, si bona non auferant. Fame compulsus abiit Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum, ibique commoratus, locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens donec magnus vehementer effectus est; dixit igitur Abime-
Gen.26. num.16. lech ad Isaac: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè*, recessit ille, & veniens in Bersabee tetendit ibi taber- B
naculum, ipsum deinde ibi commorantem conuenit Rex Abimelech primoribus Palæstinorum sociatus, miratúsque Isaac ait: *Quid venistis ad me, hominem, quem odistis, & expulistis à vobis?* qui responderunt: *Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco diximus: sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus*, quo vero ipsum adducerent in amicitiam postulatam dicút: *Nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus*, vbi se officiosos prædicant in Isaac, & dignos, C
qui ipsius potiantur amicitia, dũ nihil ab eo furati sunt, & dum in pace dimittunt, cum tamen pastores Isaac ab vsu puteorum arcuissent, vt constat ex sacro textu. Vnde merito ibi Martinus Delrio ait: *Latronum misericordia, cum non, quãtum valent nocent*, quod videtur sumpsisse ex *Cicerone Philip.2. in Antonium* vbi ait: *Quod est aliud, Patres conscripti, beneficium latronum, nisi vt commemorare possint ijs se dedisse vitam, quibus non ademerint.* Neque enim redolent ea verba regiam ma- D
iestatem, sed latronum remissionem, dum & vitæ, & bonis alicuius hominis iter facientis parcunt. Etenim Reges ac maiores ibi merito illud debent vsurpare, quod dixit *Chrysostomus homil.16. in Epistol. ad Ephes. Mihi nihil facere, hoc ipsum est malum facere.* Cui accinit Diuus Leo *serm.1. de ieiun. septimi mensis.: Parum est non auferre aliena, nisi largiaris & propria.* Videndus *August. in Psal.36. ibi, Declina à malo, & fac bonum*, sic enim ait: *Noli tibi putare sufficere si non expoliasti* E
vestitum, &c. & Seneca *lib.2. de beneficijs, c.12. Cæsar dedit vitam Pompeo Pano si dat; qui non aufert.*

Pro qua doctrina videndus est *Hieron. in traditionibus Hebr. ad libr. Regum*, vbi quærit quæ fuerit ratio ob quam sacer
1.Reg.5. num.4. textus dicat Dauidem regnasse quadraginta annis, cùm statim in computatione huius temporis dicat regnasse in Hebron super Iudam septem annis, & sex mensibus, & Hierusalem regnasse triginta tribus annis super omnem Israël, & Iudam. Vnde constat regnasse quadraginta annis, & sex mensibus, quorum mensium nullam fecit mensionem dicendo regnasse tantum quadraginta annis? ex mente Hebræorum sic rem aperit *Hieronym.* omissa igitur prima solutione, quam ibi assignat, ait: *Ex eo tempore illum regnasse dicendum in Hebron, ex quo deuictis Amalechitis, de spolijs eorum misit dona senioribus Iuda, his qui erant in Hebron, & his qui erant in Bethel, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius*, scilicet antequam regnum adiret, quæ expositio illud nobis iam proponit, propterea non fuisse annumeratos sex menses cum reliquo tempore, quo regnasse dicitur Dauid, etiam si verè sex illis mensibus regnauerit, quia nullum suis attulit emolumentum, nullum contulit munus, nullum præstitit beneficium. Rex vero, ac princeps, qui suis non prodest, dũ præest, quasi non sit reputatur; debet enim imitari supernum Regem, qui gloriosè dicitur magnificatus, dum suis gloriam, triumphum, ac salutem impertit; quod etiam assecuti sunt Gentiles, cum enim quidam in argumentum regiæ potentiæ Philippi iactitaret, quod Olynthum Thraciæ vrbem deuastasset, solóq; æquasset, sicut refert *Plut. in apophthegm. & in lib. de audiendo*, rectè ei respondit quidam Philosophus, qui audierat at qui non potest tam bellam struere.

ANNOTAT. VI.

De victoria reportata de mundo, diabolo, ac vitijs.

Quoniam celebris est hoc loco ea allegoria, quæ agit de Christi victoria, prætermitti non debuit, breuiter tamen aperienda, quãdoquidem ad sequentem versum properamus exponendũ, sicut enim *Orig. homil.2. in Exod.* ait: *Propterea Christus superauit, & vicit, vt tibi vincendi iter aperiret, &c.* Notauit igitur Rupert. quod licet gloriosa magnificentia Dei videatur, si solum exterius fructum attendamus, dum Pharaonem, & eius exercitum submersit, ac destruxit in mari; si tamen mysterium interius perspiciamus, ibi gloriosior, magnificentiæ abundantia est, ad quam nos vocat

Tertull.

*Tertull.4.contra Marcion.c.*10.cum hac de re loquens ita habet:*Disce Christum expugnatorem spiritualium hostium spiritualiter armatum , & spiritualiter bellicosum intelligēdum. Nam hic mundus per equum, Diabolus per ascensorem significatur.* Significari autem per mundum in hoc sensu homines peccato subditos ostendit *Augustin. tractat. 95. in Ioan.*quos ascendit per potestatem , & dominium, quia dum homo vinci se permisit,iuste à Deo ipsius Dæmonis potestati traditus est , & eius subditus imperio, ac dominio, qua de re videndus *Augustinus lib.3.de liber. arbit. cap.*10. *& lib.de agone Christiano capit.* 3. *& Basilius homil. quod Deus non sit author malorum* : vnde Diabolus dicitur princeps huius mundi *Ioan.*12.*&* 16.Huius vero seruitutis conditionem prosequitur *Ambrosius libro de Nabuthe.cap.6.* vbi ostendit cæteros seruos, & somni , & cibi tempus habere,peccati vero,ac Diaboli seruum nulla quiete potiri ratione iniquæ conscientiæ,quæ iugiter torquet, sicut prosequitur *Augustinus tractat.*41. *in Ioan. & Euseb. Emiss. homilia prima de Pascha,Hominis cuiuscunq; seruus*,inquit, *si duris Domini sui vrgeatur imperijs, quocunque fugiendo,aut latitando euadere,& declinare iniquum Dominum potest:seruus peccati quò fugiet,qui secum se trahit?quocunque fugerit,mala conscientia persequitur se, imo non recedit à se.*Vnde *Bernard.* 1.*de considerat.* infert, quod licet miserabilis sit seruitus coacta,qua quis in alicuius Domini seruitutem inuitus redigitur, miserior sane est ea , qua nos libere Diabolo subdimus colla. Vnde *Tertul.in exhort. ad castitatem cap.* 1. ait : *Diaboli vnum est tentare quod in te est.vt velis,at vbi voluisti , sequitur vt te sibi subigat, non operatus in te voluntatem , sed nactus est possessionem voluntatis* : quod inde etiam probatur,quia tot seruit sceptris,ac dominis debita anima , quot vitiis , sicut dixit *Hieron.in cap.1.Thren.* & prosequitur *Chrysost.homil.*11.*ad Rom.*vnde *Caiet. ad ea verba Matth.6.* orationis Dominicæ , *Adueniat regnum tuum* , ait , *regnat in terra cupiditas, caro, mundus, diabolus, propterea veniat regnum Dei ad destructionem horum regnorum.*

Ioan. 12. *num.* 31. *& c.* 16. *num.* 11.

Matt.6. num. 10.

Licet autem Deus potuerit hominem liberare ab hac Dæmonis potestate,& imperio, sola virtute, & potentia, id est sine vlla iniustitia in Dæmonem commissa, vt colliges ex *Aug.lib.3. de liber.arbit.c.*10. *& de Trinit.lib.13.cap.12.&* 13.*ex Leon.*

A *serm.5.de passione Greg.17.Moral. cap.*18. etenim Princeps potest traditum reum tortori puniendum,nulla tortori facta iniuria,aut iniustitia, liberare, & absoluere reum , noluit tamen Deus hac virtute & potentia vti,sed rem via,& ratione iustitiæ conficere, perinde ac si Dæmon propriam iustitiam in hominem habuisset, eúmq; iuste suo subdidisset imperio;quapropter Verbum Dei factum est homo,& pro nobis vitam obtulit,& per mare effusi sanguinis , nobis viam iustitiæ aperuit; B ac per crucem veluti per virgam Moysis, vitæ aditum reserauit, vt & diuino satisfaceret amori , & nos infinito pretio decoraret. Ideóque *Bernard. serm.* 22. *in Cantic. Ad cumulum pietatis tradidit in mortem animam suam,& de proprio latere protulit pretium satisfactionis quo placaret Patrem:per quod illum plane ad versiculum traxit,apud Dominum misericordia,& copiosa apud eum redemptio* , Psalm. *prorsus copiosa,quia non gutta, sed vnda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanauit*,sic Bernard.Et hæc fuit ratio cur *Lucas c.9.*appellauerit passionem Christi excessum. Aditum proinde nobis per mare rubrum aperuit, & iustitiæ gladio se subiiciens,igneum gladium, quo paradisi ingressum occluserat iustitia,extinxit,quod prosequitur *Chrysolog. serm.*122. vbi ait: *De latere sudit aquam , vt paradisi viam temperet, ignem ex parte Sanctorum extinguat,inferni totum chirographi debitum diluat, & soluat antiquum , patiendo hoc remittat , quod ipse intulit imperando.* D Vnde *Tertul. aduersus Gnostie. cap.* 10. *Scito & ascensum illic*(deest in cælo) *complanatum vestigijs Domini introitū , exinde reseratum viribus Christi , nec vllam moram,aut quæstionem in limine Christianis occursuram. Qui non dignosci habeant illic,sed agnosci;nec interrogari, sed admitti. nam & si adhuc clausum putas cælum, memento claues eius , hic Dominum Petro, & per eū Ecclesiis reliquisse,quæ hic vnusquisq; interrogatus,atq; cōfessus feret secū.* Sic ille, qui etiam aduersus Gentiles,*cap.* E 16. notauit in signum huius triumphi à Christo reportati ad mare rubrū suæ passionis per virgam crucis erectā,iam olim Gētiles eā inscios adorasse,sic enim habet: *Sed & victoriam adoratis cum in trophæis cruces intestina sint trophæorum*, quibus in verbis aperte alludit ad formā veluti crucis,in qua olim suspendebantur spolia deuictorum hostium in signū futuri triumphi consequendi , à nostro vero Moyse, dum

*Psal.*129.

*Luc.*9. *h.* 31.

dum equum, & ascensorem proiecit in mare,& nos in libertatem asseruit, fracto iugo seruitutis, & ablata potestate Dæmonis. Vnde *Aug. serm.* 114. ad hanc victoriam reducit resurrectionem mortuorum in morte Christi, *Monumenta*, inquit, *aperiuntur, quia mortis iura, iure separauit.* Gloriose igitur debemus cantare triumphatori Domino, & cum *Bernar. Epist.* 143. dicere *& si cætera taceã, hoc solo certe non immerito vitam sibi vendicat nostram, quòd propterea præbuit suam, nemo sibi igitur viuat, sed ei, qui pro omnibus mortuus est, cui enim iustius viuam, quam ei, qui si non moreretur, ego quidem non viuerem; cui denique gloriose toto spiritu, ac voce canam, quam ei, qui magna emissa voce, pro me emisit spiritum.*

Semper tamen hoc in loco præ oculis habenda est differentia inter Moysem, & Christum, quam posuit Ioannes in sua
Ioann. 5. prima Epist. cum dixit. *Hic est, qui venit*
num. 6. *per aquam, & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum sed in aqua, & sanguine*, quæ verba expendens *D. Bernard. serm.*
C 1. *in oct. Pascha*, ait: *ad differentiam Moysis arbitror accipiendum. Moyses quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit: venit ergo in aqua tantum, qui congregauit quidem populum. sed populum quidem non redemit, nam & ipsa quoque Ægyptia liberatio non Moysis, sed agni sanguine facta est, liberãdos nos præfigurãs à vana nostra conuersatione huius sæculi, sanguine agni immaculati Christi Iesu, hic est verus legifer noster, apud quem copiosa est redemptio, &c.*

D Quia vero magna est conuenientia inter agnum, & columbam, & hæc illius innocentiam indicat, vt intelligeremus agni sanguine, & mansuetudine columbæ nobis cæli fores referandas; quando primo aperti sunt cæli, descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in
Ioann. 1. Christum. Qua de re sic ait *Bernard. serm.*
num. 32. 1. *de Epiph. Non incongruè venit columba; quia nihil melius conuenit agno, quam columba; quod agnus in animalibus, hoc columba in auibus est. Summa vtriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas*, hoc ipsum prosequitur *Caiet.*
E *Matth.* 3. in hunc modum, *tunc cælum apertum est Christo; quia officiũ eius apertu⟨m⟩ erat cælum. Apertum est illi cælum, quia officio suo manifestaturus erat secreta cælestia; venit spiritus super eum in specie columbæ, quia tunc inchoabat officium suum, spiritu mundi animalis, id est, munda columba volantis non longe à terra. Nec*

A *solum spiritu animalis volantis, sed mansueti, siue armis extra, sine felle intus, venit in spiritu mansuetudinis, vsque ad mortem. Nec solum animalis mansueti sed etiam facundissimi, quia Christus veniebat vniuerso mundo vtilissimus*, sic ille cum Bernardo prosequitur quo pacto mansueti agni sanguine nobis aperti sunt cæli, Deo reconciliati homines, concessa perfecta libertas, & ad cælestem beatitudinem virtute crucis patefactum iter, veluti per veram veri Moysis virgam.

B Agnouit hanc magnam differentiam, quam annotamus, antiquus ille Moyses
quando dixit. *Mitte, quem missurus es.* Vbi Exod. 4.
Rupert. optime dixit *Aperuit, quid vellet,* num. 13.
quò tenderet toties excusando Moyses, mitte, inquit, *quem missurus es; quem enim Dominus missurus erat eum hæc diceret nisi illum, qui nunc missus est, quem Patriarcha Iacob annunciauerat expectationem fore gentium, & desiderium collium æternorum? Non ex diffidentia salutari imperio mini-*
strare recusabat, sed sciens quod ministe- Gen. 49.
C *rium suum nihil ad perfectum duceret, au-* num. 10.
debat vrgere Dominum vt mitteret, qui mittendus, & perfectam salutem operaturus erat. Sic Rupert. longissimum discrimen probat inter Moysem vnius tantum populi imperfectum liberatorem, & verum totius humani generis redemptorem, inter libertatem, ab Egypti seruitute, & à peccati iugo, ac captiuitate. Videndus *Chrys. serm. de natiuit. Ioan. Bapt.* vbi ait: *Quousque piger dormis? quandiu manibus pectus amplecteris? surge, & adtinges Chri-*
D *stum Dominum in quo iam nautica vox secura maria fretat, patefacto rubro mari, quod clauserat Pharao cum magno mugitu doloris submersus cum suo exercitu, ex quo liberatus Moyses cum suis suauiter, hostibus cæsis, celebrabat, & pro voto populum monebat dicens: In mente habetote hunc diem,*
Exod. 13. *quo liberati estis de domo seruitu-* Exod. 13.
tis, qui nec dum liberati sunt quia damno num. 3.
eos inuaserant opera peccati, ac seruitus Ægypti, & ideo Dominus dicebat eis Ioan. Ioann. 8.
8. *Cum vos filius liberauerit, tunc vere li-* num. 36.
E *beri eritis, &c.*

ANNOTAT. VII.

Prosequitur analogiam inter mare rubrum, & baptismum.

QVoniam omnes ferme sancti Patres cum D. Paulo 1. Cor. 10. dum ait: *Omnes.*

A *Omnes in Moyse baptizati sunt*, præsentem locum ad baptismum Christi sanguine consecratum deducunt, id etiam minime omittendum censuimus, quo melius nobis constabit qualiter debeamus seruatori nostro gloriose cantare, & ipsius laudationem nunquam intermittere. Primo igitur occurrit *D. August. tom.6. lib.12. cont. Faust. Manich. cap.29.* vbi ita habet: *Mare rubrum, Baptismus vtique est Christi sanguine consecratus, hostes à tergo sequentes moriuntur, peccata, scilicet præterita, &*
B *serm.119. de temp. Peccata vestra*, inquit, *hostes vestri sunt, sequuntur, sed vsque ad mare, cum vos intraueritis, euadetis, illa delebuntur, quomodo euadentibus per siccum Israëlitis, aqua cooperuit Ægyptios, & quid dicit Scriptura? vnus ex eis non remansit, & tractat.11. in Ioann.* hanc præsentem, & aliam pulchram similitudinem, seu potius figuram sic proponit. *Quando*, inquit, *manducauit populus manna? cum transisset mare rubrum, Mare autem rubrum quid significet, audi Apost. Nolo vos ignorare*
C *fratres, quia omnes Patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt: vt quid per mare transierunt; & quasi causam quærentes ab illo, secutus ait, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. Si ergo figura maris tantum valuit, species Baptismi quantum valebit? si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perduxit, quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, traiecto per eum populo suo? per baptismum suum traiecit credentes, occisis omnibus peccatis tanquam hostibus*
D *consequentibus, sicut in illo mari omnes Ægyptij perierunt; quò traiecit fratres mei? quò traiecit per Baptismum Iesus, cuius figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare traijciebat quò trayciebat? ad manna quod est manna? Ego sum*, inquit, *panis viuus, qui de cœlo descendi.* (Ioann. 6. num. 51.) *Manna accipiunt fideles, iam traiecti per mare rubrum. Quare & per mare rubrum? iam mare, quare rubrum? significabat mare illud rubrum Baptismum Christi. Vnde rubet Baptismus Christi nisi Christi sanguine consecratus.*

Videndus hac de re *Gregor. Nyss. lib. de*
E *vita Moysis*, cum expendit in mari rubro omnes penitus Ægyptios cum Pharaone pariter fuisse extinctos, vt nec vnus remanserit, vt inde moneamur post susceptum baptismum, (scilicet in adultis) nullum in nobis comparere peccatum vetus. *Illud quoque*, inquit ille, *ab historia discimus, quales nos post aquæ transitum esse debeamus; nihil enim ab exercitu hostis, qui*

A *nobiscum in aquam incidit, nobiscum attrahendum, cum emergimus, est. Nam qui cum hosti ab aqua egressus simul est, is quoniam in aqua hostem non submersit, sed viuum inde secum adduxit, etiã post aquam in seruitute remansit.* Et addit, *Nec vitiorum reliquias sequenti vitæ commisceamus, sed quasi ab alio initio viuere incipiamus, peccandi seriem ad finem vsque continuatam disrumpente.* Hæc ille, qui multa hac de re ibi affert. Similia habet *D. Isidor. hic D. Cyprian. lib.4. Epist.7. D. Hieron. Epist.*
B *32. ad Ocean. D. Chrysost. homil.4. in Ioan. tom.3. & homil.7. Psalm.52. & 22.* vbi de (Psal. 22. num. 2.) aqua baptismi sic ait: *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Magna ista aqua. Est alia aqua, quæ non est aqua refectionis, sed aqua consumptionis. De ipsa aqua dixit Propheta Hierem.* (Hierem. c.2. n.13.) *Foderunt sibi lacus detritos, aquam mendacem, aquam quæ non habet fidem. Et aqua Catholica, in qua ostenditur fons æternus, qui reficit, id est, iterum facit quomodo generatio, & regeneratio reficit ani-*
C *mas, quia innouat in fide, abluit sordes, tollit maculas, rudem facit actum, expolians veterem hominem cum actibus suis, induens nouum eum, qui secundum Deum creatus est. Hæc aqua primatum tenet in elementis, sed cum istud elementum acceperit Spiritum sanctum, fit sacramentum. & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis, non erit aqua communis, sed refectionis. Per istam aquam educit, purgatos facit perfectos, ratione claritatis, & gratia illuminans, & replens eos: vt, vbi abundauerat pecca-*
D *tum, faceret diuites in gratia*, sic Chrysost. ostendit quam nobilior, & perfectior sit aqua hæc immaculati agni sanguine rubricata, per quam nobis aditus ad vitam promissam, vitarúmque terram reseratur, quam illa alia maris rubri, in qua filiis Israël patefacta est via ad promissam terram. Videndus etiã *D. Ambros. serm.18. de Epiphan.* vbi aliam similitudinem, seu potius figuram ad rem nostram enucleandam, loquens de Christi baptismo, sic proponit: *Cum Saluator abluitur, iam*
E *tunc in nostrũ Baptismum tota aqua mundatur, & purificatur fons, vt secuturis postmodum populis lauacri gratia ministretur. Præcedit ergo Christus per Baptismum, vt Christiani post eum confidenter subsequantur: ita enim, & columna ignis præcessit per mare rubrum, vt intrepidum iter Israël filij sequerentur; & ipsa prius per aquas egressa est, vt venientibus post se semitam præpararet.*

His similia habet *Bernard. serm. 39. super Cantic.* ad illa verba: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*, vbi ita inquit: *Ante omnia in his verbis libenter accipimus Ecclesiæ typum in patribus præcessisse, & nostra sacramenta salutis præostensa esse: in exitu Israël de Ægypto, geminoq; illo maris obsequio admirabili, & transitum, scilicet populo dantis, & vltionem de hostibus, Baptismi gratia euidenter exprimitur, saluantis hominis, & crimina submergentis. Omnes*, inquit, *sub nube fuerunt, & omnes, in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.*

Cant. 1. num. 9. — 1. Cor. 10. num. 1.

Hinc iam intelliges quanta eum ratione *Tertull. lib. de Baptism.* Christianos vocauerit pisciculos, eo quod nascantur ex aquis in quibus vitam accipiunt, viámque ad beatitudinem ingrediuntur, etenim cap. 3. eiusdem libri, ait: *Propterea primis aquis præceptum est animas proferre, & propterea primus liquor, quod viueret, edidit, ne mirum sit, in Baptismo si aquæ animare nouerunt. Nam ipsius quoque hominis figurandi opus sociantibus aquis absolutum est de terra materia, non tamen habili nisi humecta & succida, quam scilicet ante quartum diem segregata aqua in stationem suam superstite humore limo temperarant. Si exinde vniuersa vel plura prosequar, quæ de elementi istius authoritate commemorem, quanta vis eius, aut gratia, quot ingenia, quot officia, quantum instrumentum mundo ferat, vereor ne laudet aqua potius, quam Baptismi rationes videar congregasse. Licèt eo plenius docerem non esse dubitandum, si materiam, quam in omnibus rebus & operibus suis Deus disposuit, etiam in sacramentis proprijs parere fecit, si quæ vitam æternam gubernat, & in cœlesti procurat.* Cui concinit *D. Hieron. in Epist. ad Ocean.* licet sub aliis verbis eandem sequatur sententiam, de quibus illud solum est addendum: *Primum de aquis, quod viuit, egreditur, & pennatos fideles de terra ad cœlum eleuat, fabricatur homo de limo, & inter manus Dei aquarum sacramenta versantur; peccat mundus, & sine aquis diluuij non purgatur, vt clarum fiat, cur aqua addita sit ad Baptismum.* Videndus *Autor imperfecti homil. 3. ex cap. 3. Matth.* vbi ita habet: *Iesus autem baptizatus confestim ascendit de aqua: Non inuenio quæ causa positum est, quia cõfestim ascendit de aqua: quid enim interesset, si tardius ascendisset? ergo potuit sic dicere, Iesus autem baptizatus ascendit de aqua: puto autem factum Christi ad mysterium pertinere omnium, qui postmodum fuerant baptizandi: ideò dixit confestim, & non dixit egressus est, sed ascendit: quia omnes, qui dignè secundum omnia membra iustitia formati, & consummati baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt, id est, proficiunt ad virtutes, & ad dignitatem subleuantur cœlestem: qui enim ingressi fuerant in aqua carnales, & filij Adam peccatricis, confestim de aqua ascendunt Filij Dei facti.* Vbi obiter aduerte quanta ratione baptismus primus fuerat mari rubro, siquidem per hoc Hebræorum populus solummodo transisse dicitur, per illum vero non solum transimus de peccato in gratiam, sed etiam pennati efficimur, vt de terra in cœlum facillimè ascendamus.

Matt. 3. num. 16.

Nec omittendus videtur optimus locus apud *Cyrill. Hierosol. cathec. 3.* inter multa enim quæ dixit in hanc sententiam illud mihi videtur notandum: *Magnum quiddam est aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum, Angelorum habitaculum est cœlum, atqui ex aquis sunt cœli; terra est hominum locus, atqui ex aquis est etiam terra, & ante omnem rerum creaturam sex illis diebus distinctionem spiritus Domini ferebatur super aquas, principium mundi aqua, principium Euangelij Iordanis, liberatio filiorum Israël per aquam, liberatio mundi à peccatis per lauacrum, finit veteris testamenti aqua, principium noui testamenti aqua Baptismi*, & alia pleráque videnda sunt apud ipsum in *Biblioth. Patrum tom. 2.* Facit ad præsens argumentum *D. Ambros.* cum commentatur illa verba Christi Domini; *Occurret vobis homo amphoram aquæ portans. De aqua*, inquit Ambros. *quid eloquar? super aquas antè ipsos mundi natales spiritus ferebatur, ô aqua quæ humano sparso sanguine, vt præsentium lauacrorum figura præcederet, orbem terrarum lauasti, quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, & non lauaris, tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria, à te principium, in te finit vel potius tu facis, vt finem nesciamus, per te fœtor tabida carnis aboleuit, & percussa situ viscera, aspersa sale in multam seruantur ætatem, per te, arentibus æstu corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, suauis ad voluptatem potus infunditur: tu nomen Prophetis, & Apostolis, tu nomen Saluatori dedisti, illi nubes cœli, illi sal mundi, iste fons vitæ est, quæ montibus pressa non clauderis, quæ scopulis allisa non frangeris, quæ terra infusa non deficis, omnium elementorum substantia,*

Luc. 22. num. 10.

ſubſtantia, cœlum, mare, aër, terra te redidunt, te Prophetico perfuſa, tactu, vt ſitientium rigares corda populorum, vomit petra, te, vt de latere Saluatoris erumperes percuſſores, viderunt & crediderunt, & ideò de regeneratione noſtra de tribus es teſtis, tres enim teſtes ſunt, aqua ad lauacrum, ſanguis ad pretium, ſpiritus ad reſurrectionem, vtinã ergo mihi contingat amphoram aquæ portare, quam portat pater familias habens in ſuperioribus ſtratum magnum: per aquam enim Baptiſmi cœlum habemus: ſic Ambroſius. Qui cum relatis Patribus oſtendit excellentiam huius aquæ Chriſti ſanguine ſanctificatæ, in quam ingredimur, imò & mergimur, vt penitus demergantur Pharaonis ſatellites, peccata ſcilicet quæ nos perpetuo comitantur & perſequuntur, & dum ab eiſdem exoluimur, liberamur & abluimur, aditus nobis aperitur ad promiſſam patriam, qua de re ſic dixit *Chryſoſt. homil.* 12. *in Matth.* vbi ponderat aſcendenti Chriſto Domino ex aqua patefactos fuiſſe cœlos. *Cuius igitur,* inquit ille, *rei gratia cœli patuerunt? vt diſcas etiam tu cum baptizaris hoc fieri, Deo te iam ad patriam cœleſtem vocante, nihilque commune cum terra habere ſuadente. Quod, & ſi non vides, tamen non idcircò diſcredas. Semper enim inter initium ſpiritualium, ac mirabilium diſpenſationem apparent ſenſibiles viſiones, taliaque ſigna ſtupendioribus, claraque viſione egentibus, neque vllam incorpoream naturam comprehendere cogitatione valentibus præſtantur, vt ea cum vel ſemel vel poſtea fuerint prædicata, ſtatim fidei ardore ſuſcipias. Nam & ſuper Apoſtolos ſonus factus eſt ſpiritus vehementis, & ignearum vtique linguarum ſpecies apparuit, ſed propter adſtantes profectò Iudæos. Nunc vero etiam ſi euidentia ſigna non fiant, ea, olim quæ tamen facta referuntur, ſuſcipimus. Cæterum, & columba tunc ideò apparuit, vt extẽti quodammodo digiti vice, Dei filium Ioanni, cæteriſque monſtraret: vbi diſceres quoniam ſuper te quoque cum ſacro fonte dilueris, ſanctus Spiritus veniat: iam vero non viſibili ſpecie, qua vtique non egemus, cum nobis pro cunctis ſola fides ſufficiat. Cur autem in ſpecie venit columba? veteris nos videtur admonere hiſtoria. Nam cum vniuerſum aliquando orbem naufragium commune merſiſſet, & omne prorſus hominum genus periclitaretur, iſtud interim certè animal apparuit, finemq́; illius tempeſtatis oſtendit, atque ore ramum portans oliuæ, pacem mundo redditam nunciauit. Ne igitur ipſe deſperes, illius te hiſtoria confirmat admonitu. Nam tunc quoq́; deſperatis iam omnino rebus, liberatio facta eſt, atq́; correptio: ſed tunc vtique per pœnam, modo vero per gratiam, atq́; ineffabilem indulgentiam Redemptoris. Propterea & columba cernitur nequaquam oliuæ ramũ deferens, ſed omnium liberatorem nobis euidenter oſtẽdens, ſpemq́; ſuggerens proſperorum. Non enim ex arca vnum eduxit hominem: ſed poſtquam apparuit, vniuerſum prorſus orbem attollit in cœlum, quæ certè pro oleæ ramo, omni generi hominum adoptionem detulit filiorum. Noli igitur tam grãdi beneficio ingratus exiſtere, noli ei vicem referre contrariam, qui tantorum rigauit te fonte donorum. Vbi enim adoptio filiorum eſt, ibi etiam omnium malorum prorſus interitus, & cunctorum collatio ſit bonorum. Propterea Iudaicũ quidem Baptiſma aboletur, ac deſinit, noſtrum vero ſumit exordium, quodq́; in Paſcha mutatione factum eſt, id ipſum efficitur in innouatione Baptiſmatis:* Sic Chryſoſt. rem clarius, quam dici poſſet expoſuit, nobiſque debitum officium ad veri Moyſis iugẽ laudationem impoſuit, quæ ex præſenti contextu facilè elicitur, ſi enim Moyſes cum ſuis corporalem libertatem, & ad promiſſam terram tranſitum ſic decantat, quid nobis faciendum reſtat in aperto itinere ad cœlum per Baptiſma?

Ioan. 5. num. 8.

Actor. 2. num. 2.

Geneſ. 8. num. 11.

ANNOTAT. VIII.

Qualiter ſanctis in alienis malis lætari liceat.

LIbuit hoc in loco illud aduertere, quod in materia totius huius Cãtici præ oculis habendum eſt, ſc. Moyſem & cæteros filios Iſraël Canticum hoc celebraſſe in laudem Dei, qui eos ab inimicis mirabiliter liberauit, vt diuinam iuſtitiã, ac potentiam prædicarent, non vero vt lætitiam de Ægyptiorum interitu oſtenderent, neque quaſi in alieno ſupplicio tantummodo complacerent, hoc enim longè abeſſe oportebat à ſanctiſſimo, mitiſſimoque Moyſis animo, de quo legimus, quod *erat mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra,* minimeque reperitur talis lætitia in populo Dei electo: qua de re videndus *Chryſoſtomus homil.* 80. *in Matth.* cum ponderat illum locum: *Væ qui opulenti eſtis in Sion, &c.* Et infra: *Qui canitis ad vocem pſalterij, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguẽto*

Nume. c. 12. n. 3.

Amos c. 6. à n. 1. vſq. ad 6.

A *delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Ait ergo Chrysost. eos, qui lætantur, quoniam iustè à Deo quidem alij puniti sunt, non patitur Deus omnino impunè euadere, nam, & si iustè illi vexati sunt, sed gaudere te hac de causa non oportet. Vnde Propheta multa criminatus, hoc tamen subiunxit dicens: *Non passi sunt aliquid in contritione Ioseph.* Et rursus; *Non exiuit ex domicilio suo ad plangendam vnam domum coniunctam ei. Itaque quamuis Ioseph, & tribus ex eo, &* B *vicini eius ex Dei sententia punirentur, sed tamen etiam his condolere nos vult. Nam si nos qui nequam sumus, quando in seruum nostrum animaduertimus, conseruorúmque aliquem ridentem conspeximus, adeò irritamur, vt ad ridentem iram deriuemus, quanto magis Deus supplicijs aliorum lætantes torquebit?* Similiáq; prorsus habet *hom.52.*

Prou.24. num.17. *ad pop. & homil.18.* Apertus est hac de re locus in Prouerb. vbi dicitur: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina illius ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, &c.* Quæ sanè C fuit ratio, cur *Cyprian. libr. de lapſ.* taliter se affectum dicat ad aliorum miseriam: *Doleo, inquit, vobiscum fratres, cum singulis copulo pectus meum, & mœroris, & funeris luctuosa pondera participo, & cum plorantibus ploro, cum flentibus fleo, cum iacentibus iacere me credo, in prostratis hominibus, & me prostrauit affectus;* sic ille. Viderat hanc commiserationem iusti Noë in totius orbis communi illa strage, iustóque supplicio illato à Deo omni carni, quæ viam suam corruperat *D. Chrysost.* D ideò enim vult. *hom.25. in Genes.* Deum deforis clausisse arcam, in qua inclusus detinebatur Noë, vt in diluuio saluaretur, sicut habet Scriptura, ne maximè tristaretur videns hominum genus perire, & mœ-

Genes.7. num.16. stitia confectus contabesceret. *Clausit,* inquit ille, *Dominus forinsecus illius arcam, vt doceat, quod securum fecerit iustū: quod autem adiecit forinsecus, ita, vt ne posset videre iustus generalem omnium interitum. qui fiebat, & maiori dolore conficeretur, &* E *spectaculi tristis affectu magis cruciaretur. Eius curam igitur gerens misericors Deus non permisit ipsum vel aquarum spectare sæuitiam vel videre hominum excidium, & communem orbis internecionem.* Sic Chrysost. ostendit affectum & commiserationem iusti Noë ad communem miseriam, & interitum, ac supplicium diuinitus datum propter communem corruptionem omnis carnis, qui etiam citata *homil.* ita habet: *Clausit à foris ostium Dominus, ita vt nec posset videre iustus generalem omnium interitum, qui fiebat, vnde maiori dolore conficeretur; nam si expendisset secum atrocissimam illam tempestatem, descripsissétque in mente humani generis perditionem, communem brutorum omnium interitum, & hominum, & iumentorum, & ipsius terræ* (vt ita dicam) *abolitionem, mœstitia correptus, & valdè turbatus fuisset: bonorum enim virorum animæ magnam compassionem habere solent, si quando vident puniri homines, etiam si mali sint, qui pereunt. Inuenies enim omnes Prophetas, & iustos plurimum pro illis Deo supplicare, sicut Patriarcha pro Sodomitis faciebat,* Genes.18. Gen.18.
Sicut & Propheta continuo facere solebant: num.25.
etenim quidam dicebat, Heu mihi Domi- Ezech.9.
ne, delebis tu reliquias Israël? Alius autem num.8.
inquit: Facies homines sicut pisces maris non habentes ducem? Hæc ille.

Dixit olim Elias ad Achab; *Viuit Do-* 3.Reg.
minus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si 17.n.1.
erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba. Cùm ergo sedisset in torrente Carith, & biberet aquam de torrente oblitus siccitatis, qua laborabat tota illa terra, siccatus est torrens; & cùm nec sic afficeretur erga sitientes homines vt cælum verbis, ac deprecationibus suis aperiret, misit eum Dominus in Sareptha Sidoniorum, & voluit, vt ibi à muliere vidua sustentaretur, cuius tandem filium Deus occidit, quod vbi resciuit, narrante matre, clamauit ad Dominum, & dixit: *Domine* 3.Reg.
Deus meus, etiam ne viduam, apud quam 14.n.20.
ego vtcumque sustentor afflixisti, vt interficeres filium eius? Si quæras curnam Deus mulieris viduæ occiderit filium, quæ instante calamitate extremum nutrimentum Eliæ tribuit, idque cùm hominem non cognosceret, erat enim alienigena, quæ Propheticæ virtutis nullam acceperat experientiam? Respondet *Theodoretus quæst.52. in 3.Reg. Affatim fruens alimento Propheta oblitus est calamitatis aliorum hominum; quamobrem Deus aduersus eum armauit viduæ eiulatus, agnouit autem ipse quoque causam,* quasi velit Deum voluisse docere Eliam, vt ad calamitates hominum humanitate aliqua afficeretur, & disceret per propriam tristitiam affici, & compati alienis miseriis in mœstitia, ac necessitate ipse constitutus; quia verò neque adhuc deprecatus est Dominum, neque dixit, vt plueret super terram, ipse Dominus eidem aperit voluntatem suam 3.Reg.
dicens: *Ostende te Achab, vt dem pluuiam* 18.n.1.

super

super terram. Vbi Theodor. eadem quæst. A citans ait: *Benignus, ac clemens Deus videns perire humanum genus, & illos quidem miserans & festinans dare misericordiam hunc verò remunerans, & præter eius voluntatem non sinens latam rescindere sententiam, ipse venit ad senem, ad seruum Dominus, ad lutum opifex, & persuadet, vt nubium soluat dolores, partus lingua, quæ eas alligauerat.* Tantum Theodoret. Ecce igitur qualiter velit Deus B seruos suos fratrum malis affici, pœnis condolere, suppliciis flecti. Quo pacto item iusti, & sancti homines solent cum flentibus flere, & fratrum suorum miseriis compati.

Quando igitur hoc in loco Moyses interitum, & submersionem Pharaonis cum omni exercitu suo celebrat, carminibúsque eleganter prosequitur, id totum cedit in laudem diuinæ omnipotentiæ, quæ in C libertate populi Israelitici clarius enituit; & in commendationem diuinæ iustitiæ, quæ promeritam pœnam Pharaonis duritiei, & malitiæ suorum iustè retribuit, non pugnat autem cum sanctitate, iustitia, ac iustificatione iustorum, quandóque laudare diuinæ iustitiæ operationem, sicut eadem sanctitas non excludit iustitiam eiúsque obseruantiam, vt videre est

Exo. 32. num. 28. in mansuetissimo Moyse, quando vna die D promiscuè iussit interfici tria millia hominum pro peccato adorationis vituli, & Dauid, cuius mansuetudo tantoperè commendatur in Psalm. 131. vbi dicitur: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius,* acriter torqueri iussit, atque occidi Ammonitas nimirū, alios cultris diuersimodè secari, alios violenter trahi *Ps. 131. num. 1.*

per duros, incompositósque lapides, ac lateres donec eorum corpora miserabiliter disrumperentur, interiréntque & super alios ex vrbe eductos, & in via prosternatos transire, ac circumagi graues currus rotis ferratis, qui laceros ipsorum artus horribiliter contundebant, & quemadmodum in area paleas triturabant, vt videre est 2. *Reg.* 12. & 1. *Paralip.* 20. imò & Hanō existimo interfecisse, nulla enim deinceps, mentio illius fit, sed tantùm Sobi, qui 2. *Reg. cap.* 7. connumerantur inter illos Dauid amicos, qui ei obtulerunt munera quando ab Absalon filio Hierusalem expulsus morabatur trans Iordanem, erat autem Sobi frater Hanon: Acriter admodum torsit, & occidit Dauid prædictos Ammonitas, quia impulerant regem sine iusta causa, sed ex sola leui ac temeraria, falsáque suspicione, vt legatis Dauid raderet dimidiam partem barbæ, & præscinderet vestes eorum medias vsque ad nates, eósque sic dimitteret, & conduceret contra Dauid Syros, deinde etiam id fecit recolens diabolicam eorum obstinationem, qui fuerant in causa, quod Ammonitæ toties à Dauid victi nunquam acquieuissent illi aliquo modo subesse, sed denuò semper rupto fœdere contra illum insurrexissent. Nec itaq; mitissimus Dauid admisit ne iniuriam legatorum iniustissimam impunitatem relinqueret, & ne tantam adeòque irrationabilem pertinaciam inultam relinqueret, ex quibus apertè constat non pugnare cum sanctitate seruorum Dei si pro iustitia pugnent, & promeritas pœnas à Deo inflictas celebrent, quod est diuinæ omnipotentiæ, & iustitiæ laudes decantare.

2. Reg. 12. n. 26. vsque ad fin. 1. Paral. 20. n. 1. 2. Reg. 7. num. 27. 2. Reg. 10. n. 4.

TEXTVS.

Num. 2.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

EXPOSITIO LITERALIS.

SENSVS huius carminis est, E illorum fortitudo in equis, ac militum robore tota sita erat, at fortitudo mea, & laus Dominus: illos superbia, & vanus tumor vel furor potius deiecit in mare, nam Deus superbis resistit, & animos in se confidentes facili negotio deiicit, at verò mihi ille Dominus in cuius fortitudine tota spes mihi pendet, de cuius magnitudine glorior, factus est in salutem: Vbi distinctio notanda est in equo, & ascensore eius.

Gloriosè magnificatus, & glorificatus est Dominus, & magnitudinem gloriæ, ac

potentiæ ſuæ in eos,qui in ſe gloriaban-
tur,oſtendit ; at vero iis quorum fortitu-
do, & laus ipſe erat,id eſt,iis, qui in ipſo
confidebant, ipſe ſaluti,ac præſidio , ipſe
pro equitatu,pro equitibus fuit,illi,vt ait
Pſal. 19. Dauid , in equis, & curribus confidebant.
num.8. Mihi autem in nomine Dei mei omnis
fortitudo,& curſus, & ſpes ſalutis collo-
cata erat,itaq; *ipſi obligati ſunt,& ceciderunt,nos autẽ ſurreximus, & erecti ſumus.*

Illud autem animaduertendũ eſt, quod
cum in ſacris literis ter hic verſus pona-
tur ſcilicet hoc loco , *& Pſalm.*117. *&* B
Iſaiæ 12. in Iſaia 70. pro fortitudine glo-
riam poſuere, vt indicarent fortitudinem
accipiendam eſſe gloriationem,atque ia-
ctationem fortitudinis:ac ſi diceret Moy-
ſes, non vt mei hoſtes, in equis, & curri-
bus glorior , ſed Dominus ipſa fortitudo
mea eſt, cuius nimirum virtute, ac forti-
tudine fretus, glorior & exulto.

Illúdque hoc in loco pro multis aliis
aduertendum eſt, quod ſancti viri ex be-
neficiis peculiariter acceptis Deũ nomi-
nare ſolent quemadmodum ab eo , qui in C
bello conſecutus eſt victoriam , Deo au-
Pſal. 17. xiliante , ſi inuocatur Pſalm. *Diligam te*
num.1. *Domine fortitudo mea;Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Fuit enim ille Pſalm. à Dauide
conditus , quando liberatus eſt de manu
Saulis, & de omnibus inimicis ſuis,vt ti-
tulus eidem Pſalmo præfixus denotat;
quando verò à mentis caligine , & cæci-
tate, ne in hoſtium manus incideret,libe-
Pſal. 26. ratus eſt , ſic Deum inuocat Pſalm. *De-*
num.1. *minus illuminatio mea,& ſalus mea, quem* D
2.Cor.1. *timebo ?* Et Apoſt. ab inſigni Dei miſeri-
cordia; quã in ſe fuerat expertus *2.Cor.*1.
& à magnis conſolationibus, quas in pe-
riculis poſitus per Paracletum acceperat,
Deum vocat : *Patrem miſericordiarum,& Deum totius conſolationis qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra* , quã regu-
lam tradit *Dionyſ.Areopag.cap.*1.*de diuin. nomin.* dicens : *Inuenies omnem ferme,* (vt
ita dixerim) *Theologorum laudationem ad beneficos diuinitatis progreſſus exponendos, atque laudandos diuina effingere nomina.* E
I• inferius. *Quoniam verò vt bonitatis ſubſiſtentia ipſo eſſe ſuo eſt ſubſiſtentium cauſa , boni autorem , ſumma diuinitatis prouidentiam ex omnibus creatis laudare conueniet.*Sic ille.Eandem etiam regulam
tradit *Chryſoſt.homil.*1.*in 2.ad Corint.*ibi;
Pſal.17. *Benedictus Deus & Pater miſericordiarũ.*
num.1. Vbi ſic ait Dauid:*Deum non vbique eodem nominat nomine , neque ab iiſdem rebus*

A *addit cognomina,ſed vbi de bello , victoriáque loquitur. Diligam,* inquit , *te Domine virtus mea , Dominus protector meus rurſum vbi gratias agit, ab afflictione , & caligine qua vallatus erat,liberatus.*Pſal.*Do-* *Pſal.26.*
minus , inquit , *illuminatio , & ſeruator* *num.* 1.
meus. Denique nunc quidem ab humanitate , nunc rurſus à iuſtitia , nunc autem ab integro , incorruptóque iudicio cognomentum addit,vtcumque poſtulat præſentis argumenti ratio,&c. Et, *Oecumenius in c.*1.
Epiſt.ad Epheſ. Deum, inquit, *ſemper iuxta ſubiectam materiam appellat;Deum miſericordiarum vocans , & Deum pacis , & Deum virtutum : nunc autem ipſum Patrem gloriæ vocat:maximam enim gloriam, & honorem donauit generi humano : quæ omnia nobis tradita generali nomine appellat gloriam per vocabulum apud nos magnificentius* ; ſic ille. Sic etiam olim ple-
rique recepti ſunt in Deos ob peculiaria
beneficia in homines collata : ita vt Liber
diceretur ob vſum vini , Cæres ob panis
inuenti dona ; Hercules ob domita mon-
ſtra,Æſculapius ob medicinæ ſalutare in-
uentum : ſic ergo Deus verus à variis , &
diuerſis diuinæ beneficentiæ officiis va-
ria ſortitur nomina à gratis hominibus,à *Luc.* 1.
quibus dicitur, Deus omnis gratiæ, Deus
pacis, dilectionis, gloriæ,vltionum,exer-
cituum. Specialiter dicitur Deus Abra- 4. *Reg.*2.
ham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob , Deus *Dan.*6.
Iſraël , Deus Eliæ , Deus Danielis : quod *&* 14.
illos ſingulariter diligeret , & peculiari-
bus fauoribus proſequeretur.Imò vero &
ipſe Deus ſe nominat aliquo peculiari no-
mine , vt oſtendat peculiarem effectum,
ac beneficium , quod præſtiturus eſt ho-
minibus : etenim in Zacharia , & Aggæo
Propheta ſæpius ſe nomine Dei exerci-
tuum appellat : quoniam ibidem popu-
lum hortabatur ad templi ædificationem,
quam hoſtes impediebant , à qua tamen
ne metu deſiſterent,ſe Deum exercituum,
& omnipotentem vocarat , vt teſtatur
Hieronym. in cap. 1. Zachariæ ſub ini-
tium,cum ait : *In paucis verſiculis, breuibúſque ſententiis ſuper in Aggæo,& Zachariæ additur , dicit Dominus exercituum, vt ſciant Dominum eſſe , qui præcepit aduerſus Regis Imperium , & hoſtes circumfrementes , & hæc ad ædificationem templi fiducia concitentur.*

Hæc igitur fuit ratio, cur Moyſes in
præſenti , qui Deum omnipotentem in
ſui , ac ſuorum liberatione fuerat exper-
tus,& à quo ſalutem, & libertatem fuerat
conſecutus , eundem appellauerit forti-
tudinem

tudinem suam, & laudem suam, sibíque in salutem factum prædicauerit.

Paraphrasis Chaldæa hoc in loco habet; *Fortitudo mea, & cãticum meum, Dominus terribilis; dixit in verbo suo, & fuit mihi in redemptorem.* L X X. habent: *Auxiliator, & protector factus est mihi in salutem.* Hebræus textus habet; *Fortitudo mea, & cantus Iah,* quod est octauum Dei nomen, teste Hieronym. & Marcell. quo nunc Primum vtitur Moyses, teste, Oleast. & Caietan. Dicúntque Hebræi non esse aliud à Iehoua constans per syncopen ex prima & vltima litera Iehoua, quod nomen ponitur alleluia. Sensus igitur est: ego in prælio aduersus Ægyptios nihil fortitudinis meæ ostendi, cum ex me nullam fortitudinem haberem; licet enim populus, qui mecum est, fuerit numerosus, imbellis prorsus, & ineptus erat ad arma; Deus autem est, cuius auxilio hostibus superior fui: qui mihi propterea canticis celebrandus est.

Illud pro intelligentia nostri contextus aduertendum est primò, quòd licet nomina abstracta magis placeant sanctis Patribus, quam concreta cum de Deo prædicantur, vt videre est in *D. Dionys. Areopag. de diuin. nominib. cap.* 45. & sequentibus, vbi ait, Deum non tam esse bonum, pulchrum, sapientem, &c. quam bonitatem, pulcritudinem & sapientiam. Qua de re vide *Damasc. lib.* 7. *de fide, cap.* 5. *Leonem Epist.* 91. *c.* 5. *Bernard.* 5. *de considerat. & serm.* 80. *in Cant.* vbi refert damnatam esse illam interpretationem *Gilbert.* Deus est veritas, id est, verus, *Melius,* inquit Bernard. *exponeret, Deus est, verus, id est, veritas; per huiusmodi locutiones in abstracto,* vt rectè citatus Leo aduertit, significatur Deum non esse talem, per participationem, sed, per se primo, & cum summa perfectione; tamen hoc loco, sicut, & in multis aliis Scripturæ sanctæ accipitur fortitudo pro concreto, idque actiuè, seu in sensu causali, non formali; quomodo dixit Paulus de Christo Domino: *Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio,* hoc est, vt rectè exponit *Theophylact. Nos sapientes, iustos, sanctos, & liberos fecit.* Et ideò merito intulit: *Vt quemadmodum scriptum est: qui gloriatur, in Domino glorietur,* id est, cum non habeamus ex nobis sapientiam, nec iustitiam, nec sanctificationem, nec redemptionem, sed à Deo per Christum, non possumus vllo modo gloriari in nobis, sed in Christo gloriari de-

1. Cor. 1. nu. 180.

A bemus. Eodẽ modo David dixit: *Diligam te Domine fortitudo mea,* sicut ait Moyses, *Psal.* 17. quo Epitheto significatur Deum effecisse erga homines id, quod per tale nomen significatur, veluti fortem scilicet profligasse hostes Israëlitarum, fortemque & constantem reddidisse Moysem: aliter enim fortitudo accipitur, quæ virtus moralis est, & in Deo reperitur, sicut demonstrat *D. Thom.* 1. *contra Gent. cap.* 92. vnde etiam nec admittitur Magister, dum *in* 1. *d.* 17. putauit nos non esse Deo caros *Rom.* 5. B per creatum charitatis habitum nos for- *num.* 5. maliter afficientem, sed per ipsummet Spiritum sanctum, qui dicitur datus nobis, quamquam aliqui, durum hoc magistri dictum mollius explicent, hoc est per Spiritũ, quatenus nos ad actum charitatis eliciendum excitat. *Ioan. de Ripp. etiam apud Caietan.* 3. *p. quæst.* 9. *art.* 1. & ante illum *Hugo de sancto Victore* 3. *tom. tract. de sapien. anima Christi lit. V. & X. fol.* 37. putauit ipsam scientiam increatam Dei vnitam fuisse intellectui creato C Christi in ratione actus intelligendi. Verba Hugonis sunt hæc: *Cum igitur animas sapientes dicimus, istam increatam sapientiam cogitemus, & ipsam solam esse credamus, qua sapiunt, quæcunque rationales mentes intelligendo, atque discernendo perceperant. Quod idem sensisse aliquos de omnibus beatis refert Gregor. in* 2. *d.* 7. *q.* 2. *contra quos vide Ægydium Lusitanum tom.* 1. *de anima, & corporis beatitudine lib.* 4. *quæst.* 1. *art.* 2. §. 2. & 5.

Laus mea. Abstractum etiam est pro D concreto non tamen actiuè, sicut aliqui hoc loco, rem minimè considerantes, dixerunt, sed passiuè, sicut passim in Psalmis *Psalm.* 4. legimus: tu es spes mea, patientia mea, *num.* 13. expectatio mea, id est, in quo ego spero, *Psal.* 70. quem sustineo, quem expecto. Ex quo lo- *num.* 5. cus ille intelligitur; *Nisi Deus patris mei Psal.* 38. *Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, num.* 8. *forsitan modo nudum me dimisisses,* id est, *Gen.* 31. Deus ille, quem Isaac timebat, & postea: *num.* 42. *Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac.* Sic ergo hoc loco: *Laus mea.* id est, E quem ego laudare debeo, ex eo quia per summam fortitudinem, & excellentiam me liberauit, & superiorem reddidit; & ita laus ex parte Moysis respondet fortitudini prouenienti à Deo circa ipsum Moysem. Qui modus loquendi concretorum, & passiuorum præ oculis habendus est in sacris literis, vix enim paginam in illis euolues, in qua, aut vtrúmque eorum, aut alterum non inuenias.

Notandum

Notandum insuper est verba illa, *Factus est mihi in salutem*, Hebraismum satis visitatum in sacris literis continere, & intransitiue esse explicanda, vt sit sensus. Factus est mihi salus, esse namque poni, dari, apparere, fierique in aliquam rem vel in aliqua re, significat fieri tale quid,
Genes. 2. num. 7. poni, dati,&c. Vt Genes. 2. *Factus est homo in animam viuentem*, id est, anima viuens, denominando totum ex parte, formáque substantiali, vt significet factus est homo viuens, & eodem capite in eodem sensu dicitur; *erunt duo in carne vna*, vel vt ha-
B
Psal. 70. num. 3. 2. Reg. 7. num. 14. bent L X X. *in carnem vnam*, & Psalm. 70. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij*. & 2. Reg. 7. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*, quo in Hebraismo notandum est, ablatiuum quandóque poni pro accusatiuo; vt in allato exemplo, *erunt duo in carne vna*, quorum verborum sensus est. Post contractum matrimonium duo contrahentes erunt caro vna, hoc est vnus homo vel vna persona intelligenda per eandem synedochen, qua superius ex parte totum,
C
Matt. 19. num. 5. vnde Christus Dominus *Matth.* postquam hæc Adami verba retulit, quasi adhibito illis commentario, subiunxit. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro*, id est, sed vnus tantum homo, duobus enim opponitur. Videas autem permultos ex hac Hebraismi inscitia longè peregrinari, & ad sensus deflectere non literales, nec necessarios de consummatione scilicet matrimonij, quando per vtriusque feminis commixtionem fit vna caro, id est, procreatur vna soboles, quasi verò Adamus non
D
ea verba dixerit in paradiso terrestri, vna iam caro factus cum muliere, & ante matrimonij consummationem, siquidem quanto tempore protoplasti in paradiso manserunt, eo toto virginitatem excoluerunt teste *Hieron. lib. 1. con. Iouinian. tom.*
Exod. 6. num. 3. 2. eodem modo loquendi dicitur *Exod. 6. Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente, siue in Deum omnipotentem*. Tantundem enim refert hoc loco ablatiuus, quam accusatiuus: sententia est; ego Dominus, qui superioribus Patribus apparui Deus omnipotens,
E
vel pro defendendis illis me exhibui
Gen. 20. 7. Deum omnipotentem, vt tum *Gen. 20.* pro defendenda vxore Abrahami à complexu Regis Geraræ, & Abrahamo à morte
Gen. 26. num. 3. eruendo, Regi mortem, nisi mulierem restitueret, est comminatus, Et *Gen. 26.* cum
Gen. 28. num. 12. defendit à fame grassante Isaac, & *Gen. 28.* cum Iacob, exhibito scalarum visu, ad-

A
uersus Esau corroborauit.

Ex eodem locutionis genere est illa
Ierem. 1. num. 18. *Hierem. 1. Dedi te hodie in ciuitatem munitam, & columnam ferream*, sensus autem est, dedi te tanquam ciuitatem munitam, & tanquam columnam ferream: siquidem Hebræi similitudinem, sine similitudinis nota ponere solent, vt aduertit *Cantapetres. hypotyposeon lib. 9. c. 8.* &
Ioan. 15. num. 1. patet ex illo *Ioannis 15. Ego sum vitis vera*, hoc est, tanquam vitis vera. Est ex eo-
Psal. 43. num. 15. dem genere illa locutio *Psalm. 43. Posuisti nos in similitudinem* (id est in prouer-
Luc. 2. num. 34. bium, & adagium) *gentibus*, & *Luc. 2.* Hic, nempe Christus, positus est in signum cui contradicetur. Sententia est, exposuisti nos gentibus pro signo, & scopo, in quem aduersarij colliment.

In nostro igitur versu: *factus est mihi in salutem*, valet, & factus est mihi salus,
Philip. 2. num. 7. sicut *Philip. 2. in similitudinem hominum factus, id est*, factus similitudo hominum, similitudo inquam specifica, & substantialis hoc est, factus specificè, & substantialiter similis hominibus, ponitúrque abstractum pro concreto, sicut iam diximus, & frequenter reperitur hoc in sacris literis.
Gen. 15. num. 17. *Gen. 15.* post hostias, de quibus ibi fit mentio, diuisas in partes duas, dicitur, *& lampas ignis transiens inter diuisiones illas*,
Ier. 34. n. 18. id est, inter partes illas diuisas. *Conciderunt vitulum in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius*, id est, transierunt per interstitium illud vacans inter partes vituli diuisas, seorsimque positas: *Qui di-*
Ps. 135. num. 13. *uisit mare rubrum in diuisiones*, id est, diuisit in duas partes inuicem disiunctas, & vtrinque separatas, neque enim significare vult Rex Propheta multas scissuras, & quasi latas vias (nempe 12. iuxta *Numer.* 12. tribuum Israel) fuisse confectas in mari, quarum singulis singulæ tribus progrederentur, id quod multi ex hoc loco, seu potius ex huius loci germanæ interpretationis ignoratione sine fundamento deducunt. Denique dixit Moyses Pharao-
Exod. 8. num. 26. ni: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?* id est, Ægyptiorum abominanda, hoc est res pro diis cultas, adoratas ab Ægyptiis, nempe boues, & oues propter Isin. Sic igitur hoc loco salus pro Saluatore, fortitudo pro forti sumitur, vbi illud aduertendum est, quod notauit post multos Lorinus *Psalm. 17.* salutem crebro in sacris litteris idem esse quod auxilium, & protectionem.

ANNO

ANNOTAT. I.

Quomodo Deus sit fortitudo nostra.

CVm ex superioribus constet particulam, *Fortitudo mea*, actiue, seu causaliter esse accipiendam, vt sit sensus, Dominus est collator eius fortitudinis, qua hostes deuici, & ab iis superior euasi, cumque ex nobis nihil prorsus fortitudinis habeamus, quidquid supra humanas vires circa nos fuerimus experti, totum tanquam à Deo acceptum, eidem debemus referre. Fortitudo igitur, vel in resistendo hostium incursibus, vel, in profligandis hostibus cernitur.

Isai. cap. 26. n. 1. Quod igitur ad primum attinet, id asserit Scriptura, cum ait: *In illa die cantabitur canticum istud in terra Iuda*, nempe, *vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator ponetur in ea murus, & ante murale*; quasi dicat: vrbs nostra Sion fortissima proculdubio est, huius tamen fortitudinis causa est Saluator noster positus in ea pro muro, & ante murali; est enim *Dominus in circuitu populi sui, & montes sunt in circuitu eius*: vbi Genebrardus ait: *Cum montes sint in circuitu eius, scilicet ad eius defensionem, tum maxime Dominus, qui præcipua fortitudo eius est, nisi enim Dominus muri instar se habens esset in circuitu nostri, aduersarius noster Diabolus circuiret quærens quem deuoraret*; qui circuitus hiantè Diaboli ad prædam nostri famem indicat. Vnde *Fulgent. 2. ad Trasimundum cap. 5.* indefessum hunc circuitum vocat; quem etiam eleganter ex disciplina castrensi explicat *Cyprian. lib. de Zelo & liuore.* Murus itaq; noster, & Deus, & Christus est, qui à Iudæis suffosus est in voluntate eorum maligna, vt ante præuiderat Iacob; etenim Scribæ, Pharisæi, & Sacerdotes ex stirpe Simeonis, & Leui erant editi; & postea dixit Dauid: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, vbi hoc notandum venit, apertum, scilicet fuisse murum Ecclesiæ in passione sua, non tamen vt Ecclesiæ corpus, Diaboli incursibus pateret, sed vt nos in se colligeret ab exterioribus perturbationibus liberatos, sicut prosequitur *D. Bernar. tract. de passione c. 3. & Aug. 15. de Ciuit. c. 26.*

Ps. 124. num. 2.

1. Petr. c. 5. nu. 8.

Psal. 21. num. 17.

Præ oculis vero maxime habendum est, quod cum Christus multos habeat aditus vt nos ad se recipiat ad ipsum confugientes, tótque ostia, quot vulnera, nullum

A prorsus habet, vt à se expellat, & reiiciat. Notauit *Seneca lib. 6. de beneficiis, cap. 33.* proprium esse superbiæ magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis pro honore dare, vt ostio suo propius assideas, vt gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps, multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt. Vnum igitur cum sit ostium in domibus principum terræ ad recipiendos seruos, illudque angustum satis, patent equidem multa ostia, vt eos excludant, qualibet enim vel leui da-

B ta occasione eiiciunt etiam benemeritos seruos, è contra vero supremus Dominus aperiri vndique voluit, clauis, lancea, spinis, ac flagellis, vt facillimo negotio misericordiæ viscera penetrare possimus, & in foraminibus petræ nidificare, & ad veram tandem arcam ingredi, haud perituri diluuio; inde vero egredi, & reuocare gradum difficillimum, neminem enim Deus deserit, nisi prius deseratur ab eo, vt habet *Concil. Trid. sess. 6. cap. 11.* sumptum ex Aug. multis in locis.

C Hoc ipse sponsæ significauit, cum dixit: *pone me vt signaculum super cor tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*: priora igitur verba idiotismum continent significantem, habe me carissimum, sicut Aggæus, ait, *ponam te quasi signaculum, quia te elegi*, hoc est habebo te semper in delitiis, præ oculis, singularémque tui curam geram, sicut è contra de Ieconia legimus, eum, & si foret tanquam signaculum in manu, amouendum tamen & reiiciendum. Vult igitur diuinus sponsus ab sponsa singulariter diligi; eámque & allicit, & incitat exemplo, & amore suo, quandoquidem experiebatur dilectionem suam in spõsam imitari & mortem, & infernum in retentione, & apprehensione, qua dilectã amplexabatur, nunquam amplius dimittẽdam; consistit vero similitudo mortis, & inferni in hoc, quòd ad mortem multa patẽt ostia: quid enim morbi, ægritudines, mortiferi casus, violentique hostium impetus, nisi aditus ad mortem sunt? Facilis ad eum introitus, & quotidianus ad eam in nobis descensus. Cęterum, *cũ exierit spiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam, quæ recepta est*, sicut dixit Salomon. Vnde Dauid, qui deprecatus est Dominum pro paruulo, quẽ ex Betsabeth susceperat, & ieiunauit, iacuitq; super terram, cum audisset mortuum infantulum, surrexit de terra, lotus vnctusq; est, & dixit: *Nunc quia mortuus est, quare ieiuno?*

Cant. 8. num. 6.

Cant. 2. num. 4.

Hier. c. 2. n. 24.

D

E

Sap. 16. num. 14.

2. Reg. c. 12. n. 23.

nunquid potero reuocare eum amplius: Ego vadam magis ad eum, ille vero non reuertetur ad me. Nouerat vtique nullum apud mortem ostium, quo posset filius ad eum egredi, cum tot aditus ad ipsam pateant. Infernus item multos aditus habet, quid enim sunt tot peccata, & numero, & specie distincta, nisi ingressus ad inferos, vnde tamen nullus egreditur. Sic apud Christum Dominum vndique patent fores, vt ingrediamur ad ipsum, apertus, & suffosus est murus pro impia volútate Iudæorum, sed pro benignissima Saluatoris nostri clausus vndique instar mortis, & inferni, vt nullum inde eiiciat, nullum penitus reiiciat, imò clausus, vt tueatur fortemque dilectionem suam, & robustam in nostri exhibeat retentionem, & defensionem.

Isai.25. num.4. Vnde Scriptura secundum hoc ait: *Laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu.* Quæ omnia ostendunt Deum fortitudinē nostram esse, dum nos defendit, & protegit, ostendunt insuper pauperibus, & egenis Deum esse fortitudinem, iis, scilicet qui se imbecilles, ac fragiles agnoscunt, proindeque ad Dei arcem, & protectionem confugiunt, qui enim se fortes putant, similes prorsus sunt phræneticis, qui valentiores sunt sanis, sed quanto maiores vires, tanto mors vicinior, sicut ait: *Aug. Ps.*51. *tom.*8. qui hoc ipsum repetit. *Epistol.* 89. non longè à principio. *tom.*2. *& serm.*9. de verbis Apost. *tom.*10. similiaque habet *D.Gregor. li.*4. *Moral. c.*39.

Luc.10. num.18. Est etiam Deus nobis fortitudo, quandoquidem nobis dedit potestatem calcādi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutē inimici, vbi nomine serpentum *Irenæus, Cyprianus, Ruffin. Basil. Chrysost. Bed. Theophil. & Euthym.* Dæmones interpretantur, licet aliqui velint datam potestatem omnia pericula superandi, non solum quæ ab hominibus, verum etiam quæ à bestiis, & dæmonibus solent accidere, vt etiam videre licet in Paulo *Act.* 28. qui morsus à vipera nihil nocumenti accepit. *Act.28. num.4. & 5.* Attamen, quia exercitus, & multitudo, ac magnitudo bellatorum, robur est, & virtus Principis, dum Christus concessam asserit potestatem super omnem virtutem inimici, significat potestatem datam conculcandi non solum Dæmonem, sed omnes eius milites, insidias, & tentationes: is enim qui fortior superuenit, sicut vniuersa arma diaboli in qui-

A bus confidebat, abstulit; sic & nobis potestatem dedit auferendi, & debellandi, & spolia detrahendi, imo dum nostram imbecillitatem induit, scilicet, humanitatem, nobis suam fortitudinem communicauit, sicut prosequitur *Aug. tract.* 15. *in Ioan. tom.* 9.

Factus est insuper nobis in salutem, quod aptissime cōuenit in Christum Dominum qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est; *Qui pertransiit benefa-*
B *ciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo.* Vel, vt cum *Tertul.* loquar, remediando, etenim ex eo quod nobis vitam attulit, cum mortui essemus peccato, Verbum vitæ iure optimo dicitur à Ioanne. *Act.10. num.38.* De hac enim vita supernaturali, & spirituali ibi loquitur, *Ioann.1. num.1.* & à Paulo dicitur vita nostra: *Cum Christus apparuerit vita nostra,* *Coloss.3. num.4.* & Petrus Authorem appellat vitæ *Act.*3. *Actor.3. num.15.* vnde *Ambros. in Psal.*35. loquēs de Christo ait: *Ipse in omni materia, in omnibus vita est, ipsius diuinitas vita est, ipsius*
C *æternitas vita est, ipsius vulnus, & mors vita est,* affertque in huius rei confirmationem illud Hierem. *In vmbra tua viuemus, vmbra eius,* inquit ille, scilicet *Ierem.4. num.20.* Christi *vmbra crucis est, quia eius mors nostra vita fuit,* quod etiam prosequitur in *Psalm.*5.

Vt autem vitam nobis melius concederet, factus est nobis salus, sanitásque, ne in morbum spiritualem incideremus, & vt ægri citius possemus conualescere, vnde est illud *Malach. Orietur vobis timen-*
Malach.4. n.2.
D *tibus nomen meum, Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento.* Quæ verba quanquam ad litteram intelligantur de secundo aduentu Christi visibili; possunt tamen accommodari ad primum, sicut æstimat esse intelligenda *Theodoret. & Brixian.* vt sit sensus, quod in pennis, id est, radiis huius Solis iustitiæ perpetua cernatur sanitas, non solum quia quæcunque opera eius velut radij solares nos viuificent, quandoquidem actiones Christi per humani-
E tatem exercitæ Theandricæ erant, vt vocat *Damascen. lib.*3. *c.*14. *&* 15. infinitóque merito, & satisfactione salutiferæ; sed etiam quia spiritualibus donis, velut quibusdam alis nos vehens curationem nostris animabus adhibuit, quod prosequitur *Nicetas in orationem* 42. *Nazianz.* dicēs Sol iustitiæ dicitur Christus quia spirituales nostros sensus, & omnem mundum intellectualē collustrat, deinde quia causa

causa est vt bona spiritualia generentur, & crescant, & fructum afferant, & quia præsentia sua lucem, & absentia sua te-
Matth. 1. nebras affert, denique cum ipse venerit
num. 21. vt saluum faceret populum suum à peccatis eorum, rectè constat, quomodo factus sit nobis in salutem.

ANNOTAT. II.

Non proprias laudes, sed Dei gloriam in rectè factis per summam humilitatem quærunt Sancti.

CVm in Moyse maxima fuerit fortitudo, quam ipse sæpe ostentauit, vt interim omittamus eam, qua iussu Regis Ægypti bellum gessit aduersus Æthiopes depopulantes Ægyptum, eósque fugatos, & profligatos compulit in Saba eius gentis regiam recipi, cuius belli meminit *Ioseph. lib. 2. antiquit. Artabanus apud Euseb. lib. 9. de præparat. Euangelica c. vlt. & Autor historiæ Scholasticæ cap. 2. historiæ suæ in Exod.* etenim Moyses fortitudinem
Exod. 2. num. 12. exercuit suam, dum Ægyptium percutientem quendam ex fratribus suis Hebræis *Exod. 2.* occidit, non verbo quidem, & pronuntiando sanctissimum Dei nomen tetragrammaton, sicut Hebræorum commentum fert, cuius meminit *Clemens Alexand. 1. stromat.* sed percutiendo, sicut aperte habet sacer textus; qua de re dixit *Ambros. 1. offic. c. 36. Hinc tentamenta suæ fortitudinis bellicæ orsus est Moyses.* Deinde etiam & iuxta eam operatus est, dum septem filias sacerdotis Madian à pastoribus, qui eas eiecerant, ab adaquatione defendit, imo & liberauit: quod opus tam eximiæ extitit fortitudinis, vt *Hugo de Sanct. Vict.* in suis annotationibus ad Exodum, inde deducat Moysem nō exiisse solum ex Ægypto, sed secū socios eduxisse; *& Gregor. Nyss. in vita Moysis,* ait, *Sacerdos Madian virtutem Moysis admiratus, quam aduersus pastorum vim magno animo fecerat, præstantiorem ipsam aliorum diuitijs existimans, filiam ei tradidit in vxorem.*

Iterúmque suam fortitudinem testatus est, dum audacter, Regem adiit sibi obstinatissime repugnantem; & contempsit sibi ferocissime comminantem, incredibilique animi constantia omnis penitus periculi securus, munus sibi à Deo iniunctum liberandi populi, intrepide, atque animo-

A se perfecit, vnde Paul. eius celebrans fortitudinem dixit ad *Hebr. 11. Moyses relinquens Ægyptum non veritus animositatem* Hebr. 11. num. 27.
Regis, vbi vox Græca iracundiam, & indignationem, & ferociam significat, & vertit Erasm. Syriac. habetur: *Neque reformidauit Regis furorem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi,* qui locus non debet intelligi de primo abscessu Moysis ex Ægypto, cum venit in terram Madian, sicut rectè explicat Ribera, quantumcumque oppositum
B teneāt *Chrysost. Theophyl. & Oecum.* sed eo tempore, quo reliquit Ægyptum, vt educeret populum in terram Chanaan, quo pacto intellectus locus non repugnat sacro textui *Exodi 2.* vbi dicitur Moysem Exod. 2.
timuisse, & fugisse de conspectu Pharaonis, sicut obseruat *Perera ibi disputat. 11.* num. 15.

Cum igitur cōstet de fortitudine Moysis, quæ maxime etiam enituit, dum non exhorruit regem ipsum cum validissimo exercitu insequentem, licet ante mari rubro, pone exercitu Ægyptiorum circum-
C uallatus, & circumclusus teneretur; imo populo desperato, dixit: *Nolite timere, statim videte magnalia Domini, quæ facturus* Exod. 14. num. 13.
est hodie, Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam videbitis vltra in sempiternum, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Fortitudo tamen de qua in præsenti, refertur quidem ad submersionem totius exercitus Pharaonis, & liberum transitum totius populi Dei, per apertum, ac diuisum mare, quod factum est per extensionem virgæ Moysis, dixit enim illi
D Dominus. *Eleua virgam tuam, & extende* Sap. n. 16.
manum tuā, quasi manus Moysis, & virga ipsius saluté illius populi operatura esset, quod notauit Caiet. cum de virga Moysis, ita ait: *Poterat Deus conferre Moysi, vt sine virga faceret miracula, sed maluit, vt mediante virga illa faceret, ad hoc vt sensibiliter cognoscerent homines quod ipse Moyses faciebat miracula, quandoquidem eleuata, seu applicata virga per manum Moysis, statim sequebantur miracula.* Quod si virga illa dicitur esse Aaron *Exod. 7.* Id exponit Exod. 7.
E Lipoman. ibi in catena fuisse dictum, eo num. 17.
quod ad mādatum Moysis ipsam virgam gestaret in manu; vnde cū Aaron conuertit aquam in sanguinē, dixit sacer textus: fecerūt Moyses & Aaron, & prius ponitur Moyses, cuius illa virga erat, sicut Dei dicitur vt *Exod. 4.* atque etiā 17. posset quidē dici virga illa Dei, quia à Deo cōstitutus est Moyses Deus Pharaonis, sicut etiā manus Moysis appellatur manus Dei.

Exod.7. num.17. *Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem:* etenim Deus qui ibi introducitur loquens, & manū habēs vocat manum suam Moysi, vt ibi exponit Caiet. & ideò cum Deus mortificet, & viuificet, ipse mortem Pharaoni, & exercitui intulit in mari rubro per manus, ac virgæ extensionem.

Memor autem Moyses summam humilitatem ipsum ad supremam potestatem euexisse, sicut notauit *Rupert. lib.*1. Exod.6. num.12. *in Exod.c.*26. statim enim atque humilis Moyses abiecit se ipsum, vt minimè obeundæ Exod.7. num.5. legationi, quam sibi Deus imponebat, idoneum se iudicaret, dixeritque Deo: *En in circumcisis labys sum, quomodo audiet me Pharao?* statim illi dixit Deus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Ait ergo Rupert. *Gloriosa virtutum Regina humilitas, quæ in cælum volare consueuit, locuta est in eo dicente se incircuncisum esse labys, & idcirco dignum, ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum, vt audiret homo priuatus, regnantis hominis se esse Deum;* & quia ipsum vt Deum habebat Pharao toties e Moyse tam atrociter, & calamitosè percussus, non est ausus eum occidere, needum arringere: timens, videlicet, ne si quid tale patraret, prorsus ipse cum vniuersa gente Ægyptiorum periret. Est enim proprium humilitatis, humilem exaltare, sicut promisit Christus Dominus, cùm ait: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*, & prosequitur *Chrysost. homil.66. in Matt. Ambr. ser.14. in Psal.*118. Mat.23. num.12. *& serm.*20. vbi responderat dixisse Paulum de Christo Domino: *humiliauit semetipsum, &c. propter quod & Deus exal-* Philip.2. num.8. *tauit illū: Laborauit*, inquit Ambros. *Apostolus demonstrare, quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus. Si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit; accipe ergo argutis auribus, si putas quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? si illum exaltauit, quem non augebit?* Quibus similia habet *Bern. serm.2. de Ascensione*, vbi ait: *Propterea dilectissimi perseuerate in disciplina, quam suscepistis, vt per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via, & non alia præter ipsam: qui aliter vadit cadit potius, quam ascendit, quia sola est humilitas, quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam: Christus vero cum per naturam diuinitatis non haberet quò cresceret, vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est, per descensum quomodo cre-*

A *sceret inuenit, veniens incarnari, pati, mori, propter quod Deus exaltauit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Vade, & tu fac similiter. Neque enim ascendere potero, nisi descenderis.* Memor igitur, Moyses ad tantam dignitatem euectum, vt dux totius populi constitutus, diuinam pene authoritatem haberet per humilitaris submissionem, noluit etiam eam amittere in prodigiosa submersione Pharaonis, qui semper humilis apparuit, & Dei gloriam tantūmodo in omnibus quæ edi-

B dit miraculis, quæsiuit. Quod ego inde elicio, quia scilicet video Moysem, cōstitutum à Domino Deū Pharaonis, vt scilicet infligeret, & leuaret supplicia, tamen vbi Pharao deprecabatur pro abolitione alicuius plagæ, semper Moyses Deum deprecabatur, valido aliquando clamore, interno, externóve hoc fecerit, alterius quæstionis est, & pro interno stat communis sententia, vt constaret omnibus ipsum authoritate diuina, non propria omnia admiranda patrasse, cederétque in Dei glo-

C riam, & laudem, quod etiam notauit Rupert. in eodem Moyse, dum profectutus in Ægyptum, socerū salutans dixit ei: *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt sic videam, si adhuc viuant.* Exod.4. num.18. Ait ergo Rupertus: Non dixit ei Moyses vadam, vt fratres meos educē de Ægypto, iuxta Dei mei imperium, qui mihi apparuit, sed secretum hoc tenuit: non enim suam, sed Dei gloriam quærehat.

Vnde iam intelliges cur gloriam, & authoritatem Moysis, Deus appellauerit

D humilitatem, quia scilicet per summam abiectionem, & humilitatem solam gloriam Dei, & honorem procurabat: nam cum Dominus de successore, & futuro duce illius populi Moysem admonuit, dixit illi: *Tolle Iosue filium Nun, dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* Numer. 27.n.18. Vbi aliqui ex Hebræo legunt, *De descensu tuo*, quod eleganter interpretatus Oleaster ait: *Dic ei, vt discat à te quia mitis es, & humilis corde.* Alij. *Dabit ei de deiectione, vel humilitate.* Alij, rem ad

E nostrum institutum, quasi exponentes legunt: *Dabis ei de laude tua*, etenim sicut ad literam annotauit idem Oleaster humilitatis virtus, laudabilem, & gloriosum valdè reddidit Moysem, dum laudem, & gloriam omnipotentis Dei quærebat, non suam. Et cum magnum sit esse humilem in summa dignitate, sicut prosequitur *Bernard. homil.4. super missus est, & Epistol.*42. vbi ponderat Centurionis modestiam.

ſtiam,fide,quam tantopere Chriſtus commendauit, non minorem, qui dicturus habere ſub ſe milites, præfatus, imò & profeſſus eſt ſui cognitionem, & humili-
Matt.8. tatem prius cùm dixit: *Nam,& ego homo*
num.92. *ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, &c.* Ait ergo Bernardus:*Prius ſe agnouit hominem, quam potentem, agnouit, inquam ſe hominem, homo gentilis: vt in ſe iam impleri oſtenderet, quod longè ante*
Pſalm.9. *dixerat Dauid.* Pſalm.9. *Sciant gentes*
num.21. *quoniam homines ſunt. Non iactabat poteſtatem, quam nec ſolam protulit, nec priorem. Iam quidquid ſubinferas, ſuſpectam non habemus, iactantiam, præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne altitudo præcipitet, nec enim locum inuenit arrogantia, vbi tam clarum humilitatis inſigne præceſſit. Miror quaſdam in noſtro ordine Monaſteriorum Abbates, hanc humilitatis regulam infringere, neque enim quia Prælati monachis, ideò non monachi alioquin quomodo illud implebitur, principem te conſtituerunt? eſto inter illos quaſi vnus ex illis.* Videndus hac de re *Auguſt. ſerm.213. de tempore, & Chryſoſt. homil.33. in Geneſ.*

Iure igitur laudandus Moyſes, dum humilis extitit in magnis, & magnus prædicandus, dum paruus vult reputari in magnis, quod æquè magnum, & laudabile eſt, atque magna peregiſſe, ſicut addit *Chryſoſt. homil.3. in Matth. Minimum,* inquit, *de ſe ſentire tam magnum eſt, quam magnas res feciſſe, ſi bona tua magna putare, aliter enim magna eſſe non poſſunt,* ſic
Matt.8. enim Centurio dixit *Matth. Non ſum di-*
num.8. *gnus vt intres ſub tectum meum,* & propterea dignus effectus, ſupráque omnes Iudæos mirabilis. Sic etiam Paulus ait:
1.Cor. *Non ſum dignus vocari Apoſtolus,* ideò
15.n.9. omnium primus inuentus eſt, ſic & Ioan-
Matt.3. nes *Matth. Non ſum idoneus ſoluere corri-*
num.11. *gia calceamenti eius,* & manum quam calceamentis eſſe dicebat indignam eam Chriſtus ad caput ſuum traxit. Sic etiam Petrus ait. *Exi à me Domine, quia homo*
Luc.3. *peccator ſum, Luc.3.* & propterea factus eſt Eccleſiæ fundamentum, nihil enim eſt adeò amicum Deo, quam ſi quis ſe minimis annumeret, hoc eſt enim caput totius philoſophiæ, atque faſtigium.

Quod ſi velis ſupra Moyſis humilitatem teſtatam adhuc cernere, in maiorem ipſius commendationem memineris, quæſo, quid ipſe fecerit cùm primo cum hoſte congreſſi ſunt filij Iſraël, ſcilicet, cum
Exo.17. Amalec, eleuauit enim manus ſuas ad
num.11. Deum, habens virgam, cúmque euentus

A illius prælij, ipſi Moyſi, cuius iuſſu initium fuerat, poſſet attribui, imo & manibus ipſius, ad quarum ſolummodo eleuationem vincebat Iſraël, imo & fugauit Amalec, & populum eius in ore gladij, præueniens Moyſes quamcunque laudem, quæ ex hoc ipſi poſſet attribui, manus ad cælum leuauit, veluti digito præſentem Deum oſtendens, cuius numine, & auxilio res fæliciter gerebatur, ne ſibi aliquis locus arrogantiæ remaneret, ſed ſolida victoriæ gloria Deo reſeruaretur,
B & tota laus tribueretur, quam expoſitionem deduco ex Maſio, qui ad eundem ſenſum expoſuit illud, quod habetur *Ioſuë* 8. cum Dominus ad Ioſuë dixit: *Leua clypeum, qui in manu tua eſt,* Ioſuë 8.
contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam num.18.
eam; cúmque eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſidia quæ latebant ſurrexerunt, Ioſuë verò non contraxit manum tenens clypeum, donec interficerentur om- Eccl.46.
nes habitatores Hai. Autor verò lib. Ec- num.3.
cleſiaſt. cap.46. ait, loquens hac de re,
C *quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & iactando contra ciuitates romphæas?* Romphæā autem teli genus Thracum eſſe, docet *Gellius, lib.10. cap.25.* & Chaldæus quoque lanceam, aut telum eſt interpretatus, quem ſequitur vniuerſa Iudæorum ſynagoga, imò eorum plerique audent de ſuo addere: vexillum ex ea haſta, ſiue telo fuiſſe ſuſpenſum: quo facilius dare inſidiis ſignum poſſet Ioſuë. Tunc ergo addit Maſius. Igitur quod iubet Deus clypeum, ſiue haſtam protende-
D re, aut veluti innuere verſus oppidum, ego certè ad arcanam potius, & diuinam quandam efficacitatem referendum eſſe opinor: qua ille ſuo populo omnis rei gerendæ opportunitates ſuggeſſerit, conſilia in mentem miſerit, animos addiderit, & in ſumma geminum eſſe Ioſuë geſtum cum illo Moyſis, quo Amalecitæ vincebantur in Exod. nam & ille congreſſus cum hoſte primus fuit Moyſis principatu, vt iſte Ioſuë, Iericuntem enim abſque ferro expugnauerat Deus ſua diuina
E prouidentia, ſicut Pharaonis copias, aqua ſuffocauerat. Neque enim Ioſuë manum ſuam reduxit cum clypeo, aut haſta, niſi confecta pugna, neq; Moyſes ſuas dimittebat, quin ſimul de ſuorum alacritate plurimum remitteretur, atque adeo victoria ipſa amitteretur. Vidit hoc *Auguſt.* quoque, vt mihi certè videtur *ſerm.93. de tempore.* Cùm ſcite vtramque narrationem inter ſe confert ſed rectè. Cur autem

Deus fortissimum, atque animo inuictissimum imperatorem à pugna cohiberet, & veluti ad protensum clypeum alligatum insistere: vno loco otiosum voluerit magnæ causę afferri facilè possunt, cùm enim dux ipse nihil sua virtute patrat, sed feriatus à pugna, & manum modo versus vrbem hostilem protendens, veluti digito præsentem Deum ostendit, cuius numine res fœliciter geratur, &c.

Ecce igitur cur Moyses manum ad cælum sustulit, vt non solum Deum precaretur, sed ipsum etiã testaretur authorem B fœlicis euentus, & victoriæ, & cum illud vulgare admodum sit, & nostris animis innatum, vt quisque animi magnitudine præcellit, atque inter alios optimus est, ita maximè cupiditate gloriæ duci, & eius oblatæ occasionem ægerrimè de manibus amittere, quid aliud esse videretur imperatorem totius exercitus, in tam præclara concertatione, atque æstimanda victoria, manus non solùm ab hostium cæde abstinere, sed eas in cælum protendere, certus vtique de futura fœ- C lici victoria, nisi se humilem profiteri, & Dei gloriam prædicare, neque velle, vt in se oculos conuerterent milites victores, etiam si eius iussu, & imperio cum hostibus manus conferrent, sed potius cælum, cælique habitatorem Deum respicerent, ac venerarentur, cui merito tribuenda esset victoriæ laus, & propterea gratiæ agendæ.

Vnde iam nobis licet colligere ingenium peculiare sanctorum, dum Deo authori referunt quæcumque præclara ge- D runt per summam humilitatem. Quod significatum vult *Hugo Cardinalis*, in eo quod dicitur, viginti quatuor seniores adorantes viuentem in sæcula sæculorum, mittere coronas suas ante thronum dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.*

Apoc.4. num.10. & 11.

Ait ergo Hugo: *Mittebant coronas suas, victorias, scilicet quas de diabolo, & peccato per ipsum obtinuerant, ipsi attribuendo; & quidquid boni habent ad ipsum retorquendo: vtrumque enim significatum per* E *coronam, scilicet victoria, quia corona non datur nisi victoriæ; interpretatur autem id quod dicebant, Dignus es Domine, tu es qui dignos nos facis, &c.* Et *Andræas Cæsariensis: Tu Domine coronarum victoriæ author, & subministrator fuisti.* Cui consonat Aretas dum ita ait: *Qui coronas ante thronum abijciunt quid aliud, quam certum, ac verum regnum, & victoriam* A *uersus omnes, Deo per omnia referunt.* Vnde intelligetur iam cur *Apocal.*19. Christus diademata multa dicatur habere, & apud *Zachariam, cap.6.* plures etiam coronæ in capite Iesu Sacerdotis imponantur, plures enim habebat vt pluribus tribueret. Pro qua re facit quod ait Gaius Papa in Epistola decretali ad Felicẽ Episcopum tom.1. Conciliorum, *Acceperunt iusti non dederunt coronas suas, &c.* quibus verbis indicat Christum pugnantibus dedisse coronas, quia ipse eas habet, & pro- B prius, ac melius in eis vincit. Vnde etiam *Ambros. serm.*15. *in Psalm.*118. loquens de corona Christi ait: *In hac corona omnes coronæ sunt, &c.* & *Cypr. lib.2. Epistol.6. Si certaminis vestri dies venerit militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, qui non sic est, vt seruos suos tantùm spectet, sed ipse luctatur, in nobis ipse congreditur, &c.*

Apoc.19. num.12. Zach.6. num. 11.

Vnde apud Romanos mos olim viguit, vt refert *Alexander lib.6. Genialium, c.6.* vt triumphantes exacto triumpho, aut in C gremio Iouis Capitolini triumphales coronas locarent, vel templis dicarent, quasi deorum beneficio triumphum sibi contigisse confitentes. Quæ fuit ratio, cur Cherubini propitiatorium intuerentur, ipsumque pennis suis obumbrarent; quia, vt inquit *August. quæst.*105. *in Exod.* Deo non sibi tribuunt pennas suas, id est, Deum honorant, virtutibus quibus præstant, quod prosequitur eleganter *Chrysostom.* ad illa verba: *Nunquid non Dei est interpretatio? Referte mihi, quod vi-* D *deritis: non de me*, inquit, *promitto vobis aliquid me dicturum, Deus est qui reuelat; narrate igitur mihi. Vide intelligentiam, & humilitatis excellentiam non dixit ego vobis dijudico, ego vobis dico somniorum euentum. Sed quid? Deus enim est solus, qui talia reuelat.*

Gen.40. num.8.

Hæc fuit ratio, cur Melchisedech victorem Abrabamum post cædem Codorlahomor, & Regum, qui cum ipso erant quasi monuerit dicens: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cælum, & ter-* E *ram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Quorum priorum verborum sensus est, vt exponit *Caiet.* Benedictus est Abraham, sed Deo excelso, id est, ad gloriam Dei excelsi, quasi fusius dicat, benedictus quidem, & laudabilis ob partam victoriam est Abrahamus, sed Deo excelso, id est, ea laus omnis, nõ Abrahamo, sed Deo authori referẽda est; ipse est enim, qui tradidit inimicos suos

Gen.14. num. 19. & 20.

suos in manu sua;sic enim legunt aliqui in hunc locũ.Et quia hæc erat mens Melchisedech,posuit ibi nomen Dei,*El* quod sigoificat forté,vt indicaretur Deus tota fortitudo, qua Abraham hostes deuicit. Et ideo cum Rex Sodomorum ad Abraham diceret:*Da mihi animas, cætera tolle tibi*, respondit ei, *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli, & terræ,quòd à filio sub tegminis vsque ad corrigiam caligæ,non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*;quæ verba sic exponit *Chrysostom.homil.35.in Genes. Non ego*, inquit Abraham, *aliud ad belli rem attuli præter voluntatem, & promptitudinem,victoriam autem, & triumphum, ac cætera operatus est Deus ineffabili virtute.* Vbi ostendit,& liberalem animam rebus terrenis minime adhærentem,& humilem dum se & laude, & præmio indignum profitetur in victoria quam soli Deo refert.

Singulare hac in re nobis exemplum reliquere filij Israël ex omoibus Tribubus electi dum post partam de Madianitis victoriam principes exercitus,tribuni, centurionésque ad Moysem dixeruot:*Nos*
Num.31. *serui tui sumus,recensuimus numerum pu-*
num.49. *gnatorum,quos habuimus sub manu nostra, & nec vnus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donarijs Domino singuli quod in præda auri potuimus inuenire, vt depreceris pro nobis Dominũ*(id est,vt communi omnium nostrum nomine Dominum tu laudes, gratiasque agas)*& susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij, in monumentum filiorum Israël.*

Testatur etiam hanc sanctorum conditionem, & ingeoium Paulus cum ait: *Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*
1.Cor.3. vbi videndus est *August. lib. de verbis*
num.7. *Apost.serm.10.& in Psal.85.Grego.2. moral. cap.27.& lib.23.cap.4.Anselm.lib. de concordia gratiæ, & liberi arbitrij*, similis
1.Cor.15. est ille alius locus Pauli 1. *Corinth.15.*
num.57. cum ait:*Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriã per Christum*, & *Matt.6.*orare nos iubet Dominus,ne cadamus in tentationem, *Oratur Deus,vt pugnes, adiuuat, vt vincas*,sicut notauit *August.Psalm.22.* Videndus item est *Plin. lib. 16. Historiæ naturalis cap. 4.* cum ait: *Antiquitus nulli nisi Deo dabatur corona,ob id Homerus, cœlo tantum eas è prælio vniuerso tribuit*, id est, Deo, cuius proprium est in omni prælio vincere,& à quo vires nobis ad vincendum deriuantur,& in quem,velut in authorem vniuersa nostra victoria

A semper referenda est, ne fortassis per superbiam cadamus, sicut docuit *Bernard. lib.de diligendo Deo*,non lõgè à principio, *& serm.85.in Cant.* cum ait de Dæmone: *In veritate non stetit, quia non est innixus Verbo, in sua virtute confisus*, ruinæ enim causa fuit,sua propria confidentia, quia enim sua virtute pugnare voluit,stare non potuit,sed addidit sedebo in monte testamenti,sedere voluit,quia stare nõ valuit, sed Deo aliter iudicante,nec stetit,nec sedit,sed cecidit, ergo qui stat, si non vult
B cadere, ne fidat;sibi dixit enim Deus,*sine* Ioan.15.
me nihil potestis facere, tu ergo qui stas, num.5.
da gloriam Deo, & dic, *Statuit supra pe-* Psal.39.
tram pedes meos, & direxit gressus meos, num.3.
quod si vincas,& submersos, ac profligatos videas hostes, non tibi carmina velis cantari, sed totum ad Deum referas, & dicas, *Cantemus Domino, &c.*

Hoc etiam obseruasse videtur Dauid cum aggrederetur carneam illam turrim, sicut loquitur *Chrysost.homil.46.in Genes.*
Dixit enim illi; *Tu venis ad me in gladio,* 1.Reg.17.
C *& hasta, & clypeo, ego autem venio ad te* n.45.46.
in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput. Et post confectum prælium, gratum animum testatus, & Deo victoriam attribuens, arma eius posuit in tabernaculo, id est, Deo consecrauit; sicut exponit *Ioseph. lib.6. antiquit. cap.11.* Quod si coram Rege magna de se retulit; coactus fuit hæc narrare, oolens hinc vanam gloriam aucupari, sed in necessitate
D constitutus, vt, & illi animos adderet, & ne spectaret ad vilitatem eius quod apparebat, sed ad fidem, quæ intriosecus latebat, supernúmque auxilium, quo adolescens, inermis viris armatis, & pastor, militibus fortior erat, & gloriam,& fortitudinem suam Deum esse agnoscebat Dauid.

Et sicut ex Homero atque Ennio loca insignia mutuari, & in Æneadem suam transferre, atque vti pro suis libenter solet Virgilius ita humilis Dauid Moysem
E imitatus, totidem verbis posuit hunc
eundem versum in Psal.117.quem postea Psal.117.
imitatus Isaias in suo Cantico repetiuit, Isai.12.
idem etiam Dauid dixit: *In conuertendo* Psalm.9.
inimicum meum retrorsum infirmabuntur, & peribunt à facie tua: Quorum verborum sensus est, cum inimici mei terga mihi dederunt, non meis viribus debilitati sunt, ac perierunt, sed à præsentia tuę potentiæ, quam sustinere nequiuerunt, &

Psal. 34. num. 1. & in Psal. ait: *Apprehende arma, & scutum, effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me.* Hunc etiam morē secutus Samuel, cum adhuc iudicis munere fungeretur. Post insignem victoriam à suis Israelitis partam, de Philistæis, quos ad certum vsque locum persecuti percusserunt, tulit lapidem vnum, & posuit eum ibi, vt omnibus sæculis testatum redderet diuina potius, quam humana fortitudine comparatam fuisse victoriam, vocauítque nomen illius loci,
1. Reg. 7. num. 12. adiutorium dicens: *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.*

Vnde licet coniicere quanta cum ratione Samuel in Regem Saulem inuectus ipsum acri reprehensione percusserat, qui post insignem de Amalecitis victoriam,
1. Reg. 15. num. 12. venit in Carmellum, & erexit sibi fornicem triumphalem, id est, arcum, in quo de Amalecitis victoriam à se comparatam describeret, vt vbi ita Glossa interlinealis Hyran. & Abulens. interpretantur, cuius rei dũ meminit *D. Gregor. 34. Moral. cap. 17.* ait; *Saul in bono quod cœperat, non permansit, qui fastu potestatis intumuit.* Quod si roges, qualis'nam fuerit tumor iste? Respondet Lyran. *Arcum extruxit triumphalem ad suæ victoriæ ostentationem.* Deiicitur itaque è regali fastigio, destrictáque feritur à supremo iudice sententia, dum erigit per summam ingratitudinem, & superbiam, triumphalem arcum, vnde sagittas ingratitudinis contra supremum Dominum emitteret, cuius fortitudine, & auxilio victoriam ipse de Amalec. fuerat consecutus; similis hac in re superbo Nabuchodonosori, qui de ædificata, id est, instaurata, & amplificata Babylone laudem sibi arrogans, & Deo denegans,
Dan. 4. num. 27. dicebat Dan. 4. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* cum tamen adhuc esset sermo in ore Regis, vox de cœlo ruit; *Tibi dicitur Nabuchodonosor vel regnum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, &c.*

Facit & ad præsens institutum id, quod
Iudic. 16. num. 21. norauit Iosephus apud *Abulensem. q. 36. in cap. 16. libr. Iudic.* dum reddit rationem cur Deus permiserit Philistæis, non solum comprehendere Samsonem, sed oculos ei statim eruere, & clausum in carcere molere coëgere, cuius miserum statum præter consuetudinem, sic eleganter deplorat Abulens. *O nimis plangende vir, imò virorum flos, qui omnes viribus superans, sola prudẽtia caruisti, & miserabilis mulierculæ pulchritudine tractus, & fallacibus lachrymis deceptus, in extremam decidisti sortem. Ita vt cunctorum, quos legerim miserior factus, turpiter ab hostibus vtroque priuatus lumini, in æternum, totius populi Hebræorum opprobrium, ad molam asinariã molere cogaris. Nec satis hoc fuit in te amare sæuienti fortunæ, imò & diuinæ vltioni nisi vt insanus effectus, vani, & turpissimi scurræ typum gerens, coram hostili caterua, in tui*
B *delusionem ludere cogereris. Quis sufficiẽter tantam calamitatem lugere queat? Imò quis dignè cogitare valeat?* ad hunc igitur miserum statum deuenisse Samsonem, ait Iosephus, quia plus, quam oportebat exultans, non Dei operationem credebat, sed suis viribus adscribebat victoriam, qua de re plura addit *Abulensis, quæst. 37. & 49. Quid enim odiosius*, ait *Bernard. serm. 54. in Cant. Illa voce, qua quidam dixerunt. Deut. Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia?* *Deut. 32. num. 27.*

C Non mirum igitur si Deus in Samsonem tam acriter animaduerterit, quandoquidem nostram in reddendis gratiis, & cognoscenda gratia ingratitudinem ægrè fert, quod apertè ostendit inuictissimus Rex Ezechias collapsæ religionis instaurandæ studiosissimus, vitæque sanctitate adeò florens, vt inter Reges tres, qui ex toto num. 17. *Reg.* Iuda tanquam cumulata laude digni exeipiuntur, ille numeretur vnus, *Eccles. Præter Dauid, Ezechiam,* *Eccl. 49. num. 5.*
D *& Iosiam, omnes peccatum commiserunt, reliquerunt legem, &c.* Et tamen post innumeras res ab Ezechia præclarè gestas *libr. 2. Paralip. cap. 31. & 32.* magna cum eius laude commemoratas post magnos beneficiorum cumulos à Deo susceptos, quos sacer textus refert, sic de rege in referendis gratiis alioqui negligẽte, ait, sacra Scriptura prædicto *capite 32.* sed non *2. Paral. 32. n. 25.*
iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, & facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem, humiliatúsque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor eius, viden-
E tur enim collata beneficia ingratum animum incusare, diuinámque exposcere vltionem, quæ plerúmque acceptis beneficiis correspondet.

Quod si in præliis, & victoriis corporalibus sancti Dei gloriam maximè quærunt, id etiam in spiritualibus victoriis non minus curare consueuerunt, quod significatum voluit Ephesiis Paulus cum *Ephes. 5.*
dixit: *Eratis aliquãdo tenebræ, nunc autem* *num. 8.*
lux

lux in Domino,quæ verba ſic explicat *Au-*
*guſt. lib. de verb. Domini ſerm.*8. *Quando*
tenebræ,non in Domino,quando tamen lux,
non in vobis, ſed in Domino , & de ſe ipſo
1.*Cor.*15. teſtatur 1.*Corinth.*15.*Gratia Dei ſum id,*
num. 10. *quod ſum, abundantius illis omnibus labo-*
raui,non ego autem,ſed gratia Dei mecum,
quibus ſimilia apud Paulum paſſim repe-
ries. Vnde ego eorum ſententiam liben-
ter amplector cum *Baron. tom.*1. *Annal.*
qui negant Apoſtolum Paulum ob Ser-
gium Paulum conuerſum , ab eodem ſic
fuiſſe vocatum,quod minimè redolet hu-
militatem Pauli , qui talem victoriam
Deo potius, quam ſibi aſcriberet , nec in
titulo,nomine ſcilicet ſuo erigeret,qui ſe
minimum Apoſtolorum , abortiuum , &
indignum vocari Apoſtolum prædicabat,
Epheſ. 3. qua de re videndus *Auguſt. homil.*17. *ex*
num. 8. *lib.*10.*homil.*cum ait : *Saulus depoſita tu-*
nica veteris peccati pannoſa , cædibus ſan-
guinea,accepit tunicam humilitatis,vt fie-
ret de Saulo Paulus,vbi Auguſt.tangit fre-
quentem apud ipſum allegoriam , quòd
Paulus ſignificet minimum, *& tract.*8.*in*
1.*Canon.Ioan.* ait Paulum euaſiſſe modi-
cum,vel minimum,vt eſſet inter Apoſto-
los tanquã fimbria veſtimenti, ſed quam
tetigerit Eccleſia gentilium , veluti flu-
xum patiens, & ſanata ſit ; minimus ita-
que Apoſtolorum, ſe minimè prædicauit
magnũ in conuerſione Proconſulis, quod
opus totum Deo ſciret debere referri,
ſicut aſſolet ſancta anima, vt proſequitur
*Cant.*2. *Bernard. ſerm.*68. *in Cant.* ad illa verba:
num. 16. *Dilectus meus mihi,& ego illi*, quod Ber-
nardus appellauit inſolens verbum , *ego*
illi,ipſum tamen emolliens ait : *Ille mihi,*
quia benignus , & miſericors eſt , ego illi,
quia non ſum ingrata ; ille mihi gratiam
ex gratia : ego illi gratiam, pro gratia ; ille
meæ liberationi,ego illius honori, & deinde
ait : *Merita proinde habere cures : habita,*
data noueris ; felix Eccleſia,cui nec merita
ſine præſumptione , nec præſumptio abſque
meritis deeſt. Habet vnde præſumat , ſed
non merita. Habet merita, ſed ad prome-
rendum , non ad præſumendum : id ipſum
non præſumere , nónne promereri eſt ? ergo
eo præſumit ſecurius , quò non præſumit.
Deeſt gratia quidquid meritis deputas,&c.
Quibus habet ſimilia *Chryſoſt. lib.* 2. *de*
compunctione cordis, & ſerm.de Publicano,
vbi inter alia ait:*Quoties aliquis non Deo,*
ſed ſibi adſcribit , bona quæ facit quid eſt
aliud, quam Dei negatio , &c. Videndus
*Luc.*18. item pro hoc argumento *Theoph.in c.*18.
num. 14. *Luc.* vbi expendit Phariſæum ſua bona

A iactantem, fuiſſe condemnatum , non ſic *Pſalm.*2.
vero Iobum, dum proprias prædicat vir- *num.* 12.
tutes.Sed fortè mirabitur aliquis quomo-
do Phariſæus cum pauca verba ſuæ lau-
dis protulerit , condemnatur , Iob vero
cum plurima fuderit,coronatur ? eo,ſcili-
cet, quod Phariſæus dicebat criminando
alios , nulla ratione cogente , Iob vero,
vrgentibus eum amicis, & preſſuris pre-
mentibus , coactus eſt proprias virtutes
referre, ad Dei gloriam, ne homines de-
ſiſterent à profectu virtutis.

B Videndus hac de re *Auguſt. ſerm.*2. *de*
verb.Apoſt. vbi expendit illud Pſalmiſtæ:
Apprehendite diſciplinam. Apprehendite,
inquit , *& exultate , ſed cum timore , vt*
ſemper humiles teneatis quod accepiſtis ; ne
quando iraſcatur Dominus, vtique ſuper-
bis, ſibi quod habent,tribuentibus, non illi,
à quo habent, gratias agentibus. Ne quan-
do iraſcatur Dominus , & pereatis de via
iuſta. Nunquid dixit,ne quando iraſcatur
Dominus,& non veniatis ad viam iuſtam?
numquid ne quando iraſcatur Dominus,&
C *non vos perducat ad viam iuſtam,aut non*
vos admittat ad viam iuſtam ? ſed , &
pereatis de via iuſta , non in longam , vbi
ſuperbis , ibi quod acceperas , perdis. Noli
altum ſapere, ſed time. Time,vt implearis,
noli altum ſapere ne ſicceris , ſi legas dili-
genter inuenies quendam de ſua abundan-
tia,quam tamen acceperat,extollere ſe cœ-
piſſe , Dominum autem miſericordem , vt
doceret humilitatem , quod dederat abſtu-
liſſe,illum vero ſubito remanſiſſe,& miſeri-
cordiam Dei recordatione confeſſum dixiſſe,
D *ego dixi in abundantia mea non mouebor* *Pſal.* 29.
in æternum,quid deeſt ? Domine in volun- *num.*7.
tate tua præſtitiſti decori meo virtutem,
auertiſti autem faciem tuam à me , & fa-
ctus ſum conturbatus. Oſtendiſti , inquit,
mihi quòd illud , quo abundabam , de tuo
erat, oſtendiſti vnde peterem,cui retribue-
rem,quod acceperam, cui gratias agere de-
berem,ad quem currerem ſitiens, vnde im-
plerer, & quo impletus eſſem, ad quem cu-
ſtodirem. Fortitudinem enim meam ad te
cuſtodiam : hoc eſt factum , vt oſtenderes
E *mihi,auertiſti faciem tuam à me,& factus*
ſum conturbatus, conturbatus, quia ſicca-
tus, ſiccatus,quia exaltatus. Dic ergo ſic-
cus, & aridus, vt implearis rurſus, anima
mea velut terra ſine aqua tibi. Hoc igi- *Pſ.*142.
tur rectè agnoſcentes ſancti cum Moyſe, *num.*6.
Deum fortitudinem ſuam fatentur dicen-
tes, *fortitudo mea*, ne Dominus iraſcatur,
& pereant, qui ſolo Deo adiuuante con-
ſiſtunt. Solet enim Deus iuſtitiam ſuam

exercere in eos, qui bona omnia in Deum non referunt, à quo, eodem largiente, hauserunt.

Testatur hoc sacer textus, vbi maledicturus Iacob primogenito filio suo Ruben, ab eius commendatione exorditur:
Gen. 46. num. 3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, prior in donis, maior in imperio.* Cuius rei rationem reddens *Origenes homil. 7. in Genes.* ait: *Quod in initijs laudis ei aliquid videtur adscribere, dicens tu fortitudo mea, &c. Idcircò fit, vt grauius notetur in crimine, qui cum patris virtus esse debuisset, ei tamen reuerentiam non seruauit.* Et *D. Chrysost.* ad eundem locum: *Prius,* inquit, *priuilegia à natura concessa dixit, volens accusationem magis intendi, videlicet quia vel à Deo vel à natura accepta beneficia meliorem præ alijs ipsum reddere debuissent, nec reddiderunt.*

Est in hanc sententiam optimus locus apud *D. Chrysost. homil. 1. in Acta Apostol.* vbi ponderat Spiritum sanctum prius in specie columbæ descendisse, deinde vero
Ioann. 1. num. 32. Actor. 2. num. 3. in specie ignis: *Cur ita videlicet?* inquit Chrysost. *illic præ se ferebant mansuetudinem, hic vero etiam vindictæ seueritatem: tempestiuè sane commonefecit iudicij, cum enim iam oportebat peccata concedere, atque abire, plurima opus erat mansuetudine: rursum postquam adepti sumus donum, iam instat iudicij, & examinationis tempus.* Memores igitur viri sancti Deum pro acceptis beneficiis gratiarum actionem & recognitionem, veluti eorumdem solutionem à nobis expectare, id precibus maximè curant, scilicet, diuinam largitatem, & beneficentiam commendare, totúmque acceptum in Dei gloriam referre, sibíque nihil attribuere, quod & Moyses facit, ac docet cum ait, *Fortitudo mea, &c.*

ANNOTAT. III.

Verus dux princeps, ac præsul, suorum & bona, & mala velut propria ducere debet; communia vero bona gratus animus propria ducit.

CVm Moysen adeò sui oblitum, & pro suis solicitum vbique videamus, non abs re illud notandum occurrit, quod obseruauit Carthusianus Moysen, scilicet de liberatione sui populi velut de pro-

A prio, sibíque tantummodo collato beneficio grates Deo retere, quod ipse existimat non solum optimi ducis ingenium, sed insuper serui specialiter Deo grati, ac deuoti esse. Non mirum igitur si Moyses tanti facit beneficium suis concessum à Deo, qui ipsorum mala velut propria ducebat, vnde Domino irato contra populum ob Idoli fabricationem dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti:* quem locum sic explicat *Bernard. serm. 12. in* Exod. 32. num. 32.
B *Cant. Si diues,* inquit, *mulieri paupercula dicat. Ingredere tu ad prandium meum, sed, quem gestas infantem, relinque foris, quoniam plorat, & molestus est nobis, numquid faciet? nónne magis eliget ieiunare, quam exposito pignore sola prandere cum diuite? ita nec Moyses audet solum se introduci in gaudium Domini sui, foris manente populo, & inquieto, & ingrato, sed tolerabiliorem sibi iudicat tortionem, & euulsionem, adeò siquidem suorum perniciem, interitum, & supplicium proprium ducebat, vt*
C *vellet potius cum eis periclitari, & perire, quam sine eis fieri in gentem magnam*; vbi *D. Bernard.* alludit ad id, quod dixerat illi Deus eodem in loco. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq́; te in gentem magnam,* super quæ Exod. 32. num. 10. verba sic ait idem *Bernard. serm. 30. in Cant. Moysi sanè oblatum est à Deo, si præuaricatorem populum vellet dimittere, & diuinæ exponere vltioni, ipsum quidem fieri posse in gentem magnam: sed ille renuit. Quare? ob nimiam profecto dilectionem, qua*
D *illi fortiter deuinctus populo tenebatur, & quoniam non requirebat quæ sua sunt, sed honorem Dei, & non quod sibi vtile foret, sed quod multis,* sic ille, cui accinit *D. Chrysost. homil. 12. in Ioan.* dicens: *Potius vnà cum his, qui sibi semel crediti erant perire, quam sine illis saluum esse, & ad maiorem dignitatem assumi, prætulit: cuiusmodi esse oportet cui animarum cura commissa est.* Similia habet *D. Ambros. 2. offic. cap. 7.* vbi expendit propterea ab illo populo fuisse summè dilectum Moysen, quia
E eiusdem commodum, & incolumitatem sibi prætulit.

Hoc etiam eleganter exposuit Dauid, cum de nostro Moyse sic ait: *Dixit vt disperderet eos, nisi Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius,* quę posteriora verba Metaphoram bellicam continent, vt notauit Genebrard. faciúntque Ps. 105. num. 24. sensum. Nisi Moyses in ipsa veluti muri perruptione se ei fortiter opposuisset, ne ad

ad puniendos Israëlitas ingrederetur ad instar fortissimi alicuius vrbis vel exercitus præfecti, qui si fortè ab hostibus murus, vallúmve aliqua ex parte diruatur, ipsorum impetum sustinens se opponit, vt suos tueatur, & ne hostes ingrediantur, quòd si ingredi contingat, ipsum primum opprimant, & interimant; eodem modo se opponens Moyses pro suis à Deo puniendis, prius voluit feriri, primus omnium occumbere, & Dei furori succumbere, qua de re videndus est *Hieron. lib. 4. in Ezech.* ad illa verba *cap. 13.* vbi deplorans iniquam prælatorum illius temporis conditionem ait: *Quasi vulpes in deserto Propheta tui. Propheta Israël,* inquit Hieron. *vulpium similes sunt, quotidie domesticarum ouium furta facientes. Legimus Aaron aduersus ignem Israëlis populum deuorantem occurrisse, & stetisse medium, & opposuisse murum pro salute populi Hierem. quoque dicitur cap. 7. ne occurrat Domino, ne stet contra iram eius orationis perseuerantia, sicut enim murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso, contraq; venienti, ita Dei sententia Sanctorum precibus frangitur, vnde & Moysi dicitur; dimitte me, & delebò populum istum: cui enim dicitur, dimitte me, ostenditur quod tenendi habeat facultatem. Illi (scilicet, iniqui pastores) stare non possunt in prælio in die Domini, vt pro populo precibus dimicent, & resistant obsecrationibus sententia Dei,* vbi sine dubio alludit ad Moysen, qui in ruptura muri sese diuinæ opposuit iræ, vt eandem solus sustineret, dummodo sui incolumes euaderent.

Ezec. 13. num. 4. — *Num. 6. num. 48.* — *Exod. 32. num. 10.*

Præfigurauit hac in re Moyses verum illum pastorem, imò & pastorum principem, Christum Dominum, qui suorum mala propria ducens, in suis persecutum se conqueritur, cum ait: *Saule, Saule, quid me persequeris? Actor. 9.* Qui etiam apud *Zachariam cap. 2.* dixit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei,* mala etenim nostra, sua reputauit bona, sicut & mala sua, nostra dixit, ac duxit bona: vnde quando in oratione præ mortis timore, *factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram,* addidit *Matth. cap. 26. Tunc venit ad discipulos suos, & dixit illis: dormite iam, & requiescite,* quæ verba sicut notauit *Hylar. can. 13. in Matth.* non continent Ironiam, sed omnimodam securitatem, & promittunt, & introducunt. *Metum,* inquit Hilarius, *demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur, Dei enim in carne labor solet esse requies, & tranquilli-*

Actor. 9. num. 4. — *C. 2. n. 8.* — *Luc. 22. num. 44.* — *Mat. 26. num. 45.*

A *tas hominum, & ideò vsus est emphatica illa particula, quam habet Ioan. Euang. Si ergo me quæritis, sinite hos abire,* quasi de ipsius comprehensione, discipulorũ, imò & omnium nostrum penderet libertas, hoc enim velle videtur particula, *ergo,* quod prosequitur *D. Leo serm. 5. de Passione,* quando ita habet: *In omnibus, quæ illa popularis, & sacerdotalis insania contumeliosè, & procaciter inferebat, nostra delebantur macula, nostra expiabantur offensa: quia natura, quæ in nobis victa semper fuerat,* B *atque captiua, in illo innocens patiebatur, & libera, vt ad auferendum peccatum mundi, ille agnus se hostiam offerret, quem & omnibus corporalis substantia iungeret, & ab omnibus spiritualis origo discerneret:* quod in laudem ipsius videtur dixisse Ecclesia sancta de ea vespera, & fine diei, quando nobis est ortum remedium totius vitæ, & requiei, quam nobis aperuit per mare rubrum, sic enim ait Scriptura: *Qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ:* vbi notanda venit pro- C prietas vtriúsque verbi, spirandi, scilicet, & inclinandi, quæ nobis ostendunt, quando piissimus pastorum pastor oues suas pauerit cibo vitæ, & in requiem introduxerit: spirare etenim dicitur dies vel in suo primo ortu, & apparitione, vel etiam in occasu; quod videtur notasse *Aristot. in problema. sect. 25. num. 4.* cum ait flatus vel solis ortu vel obitu incipit, nascendo enim dies spirat, & in signum primæ illius vitæ, tunc ferè semper lenis aura perflat, quasi sit spiritus vitæ dicit, qui tunc D primo incipit viuere. In fine itidem diei flatus sentitur & spirare solet aura, & ventus, quasi tunc vltimum emittat flatum, & spiritum ipse dies moriendo. Quod etiam dixit idem *Philosophus sect. 26. cap. 14.* cum docet Fauonium, quem Zephyrum vocamus, saluberrimum, & iucundissimum ventum ad solis occasum spirare. Tunc igitur sensus erit prædicti loci: quando vltimum spiritum agit dies, ad finémque properat, & cum sol occumbit, tunc præstantissimus pastor inter li- E lia, & flores suum agit gregem, quando enim ad occasum properabat Sol iustitiæ, & vitæ ipsius dies iam iam vltimum veluti emittebat flatum, quando ipse inter spinas spirabat, inter lilia, & flores nobis remedium præbebat, requiem parabat, vitam solicitabat, & libertatem ex ipsius comprehensione formali illatione deducebat, tunc insuper quando inclinatæ iam erant vmbræ non solum quando

Ioan. 18. num. 8. — *Cant. 2. num. 15. & 16.*

velata est facies Domini, vt percuteretur ab impiis, & quando ab ipso oblatus est decor, & species, ita, vt vmbra mortis opertus, penitus non agnosceretur, & quando ipse cum facibus, laternis, & lucernis quæsitus est, & comprehensus, quando legales vmbræ disperierunt,& fugatæ sunt, sic enim Septuaginta habent, pro eo, quod nos habemus: *Inclinentur vmbræ, donec vmbræ amoueantur, siue recedant*, tunc pauit suos fideles abolita cœna legali, instructo denuo spirituali cibo, & potu.

Illúdque hac in re maximè notandum, quòd dum sol occidit,& occumbit, erigitur, & exaltatur in oblatione cœnæ,vt illius occasus per manifestationem fiat,non per absconsionem,sicut contingit in communi astro,vt in eius interitu nostra clarius cerneretur vita, & in vmbra ipsius, nostra requies elucesceret, & in illius occasu nostra exaltatio conspiceretur.Quod prosequitur *Leo serm.6. de Passione*, vbi ait:per lignum erigitur lapsus in ligno,& gustu fellis, & aceti, diluitur esca peccati: meritò priusquam traderetur, dixerat

Ioan.12. Dominus: *Cùm exaltatus fuero,omnia ad*
num.12. *me traham*, totam causam humani generis agam, & olim perditam: in integrum reuocabo naturam: in me omnis infirmitas abolebitur,in me omnis plaga sanabitur, sic ille. Et ideò ille ipse, qui hominem ad tantam euexit altitudinem, & ad se traxit exaltatus primò, & inclinatus apparuit ad pedes discipulorum,vt eos sic melius erigeret, & pedes ipsorum ad currendam altitudinis viam dirigeret mundando, & leuaret abstergendo, fortésque redderet, ne ambulando, & currendo deficerent, dum per aquam transire facit, & per ignem, per aquam, scilicet,quam misit in peluim, per ignem item, quo diligebat in finem; imò ardebat cor illud, & pectus, supra quod collocabat Christus Dominus discipulorum pedes ad eosdem abstergendos, etenim si sicut dixit *Tertull.lib.de pallio, calor est omnis affectus*, quid dicendum de Dei amore, quo Dei hominis pectus flagrabat,imò de incendio diuinæ charitatis,quæ fecit,vt nostra bona diceret, quæcumque mala ipse patiebatur? Quod prosequitur *Bernar.serm.11. in Cant.*circa medium vbi ait:*Opus nostræ redemptionis à memoria redemptorum aliquatenus non recedat. In quo opere duo potissimum, quæ nunc occurrunt, vestris studys intimare curabo.Duo ergo illa sunt modus,& fructus, & modus quidem, Dei exi-*

A *nanitio est, fructus verò, nostra de illa repletio, non simplex autem modica illa exinanitio fuit,sed semetipsum exinaniuit vsque ad carnem,ad mortem,ad crucem.Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multa dilectionis hominem debitorem teneret,commoneretque gratiarum actionis, difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat conditionis*, id est, creationis, *facilitas*, idque maximè cùm cerneremus suam comprehensionem nostram appellare libertatem, nostram vitam ipsius mortem, B nostrum cibum,& potum ipsius corpus,& sanguinem, quibus voluit pastores, & rectores, ac principes admonitos esse, vt suorum salutem, etiam proprio dispendio & incommodo, curarent.

Hæc fuit ratio cur cùm milites accederent cum gladiis, & fustibus, ad ipsum comprehendendum, processerit & dixerit: *Quem quæritis?* &addiderit quasi per *Ioan. 18.*
explicationem: *Si ergo me quæritis, sinite* *num.4.*
hos abire. Ideóque idem Dominus de vero pastore dixit: *Cùm proprias oues emise-* *Ioan. 10.*
C *rit, antè eas vadit, & oues illum sequun-* *num.4.*
tur, Et Psalmist. de Deo dixit: *Qui Regis* *Psal. 79.*
Israël intende,qui deducis,velut ouē Ioseph. *num.1.*
Et Hierem.*Ego non sum turbatus te pasto-* *Hier.7.*
rem sequens. Etenim pastor gregem ante- *num. 16.*
cedens periculis obiicitur prior, ne ea incurrant in gregem sequentem, vnde pro successore principe substituendo, sic precatur Moyses: *Prouideat Dominus Deus* *Numer.*
spiritum omnis carnis, hominem qui sit su- *27. n.16.*
per multitudinem hanc, & possit exire, & *& 17.*
intrare ante eos, & educere eos vel intro- D *ducere,ne sit populus Domini sicut oues absque pastore.* Et hæc etiam videtur ratio cur in scriptura Reges dicantur scuta; sic enim ex Hebræo legenda sunt illa verba:
Quoniam dy fortes terræ vehementer ele- *Psal.46.*
uati sunt. Scuta terræ, principes fortes, siue *num.10.*
clypei: sic legit D.Hieronym.*Scuta terræ*: & Chaldæus habet: *Quia Domini sunt clypei terræ, & super illos omnes vehementer eleuatus est*, eadémque ratione Nebiësis legit,*quoniam coram Deo,scuta terræ vehementer exaltata sunt*, *Theodore-* E *túsque* meminit aquilam vertisse: *Scuta*, Theodorionem & Aquilam, *propugnacula*. Et in hoc sensu Dauid per clypeum *2. Reg. 1.*
fortium Saulem intellexit, ac Ionatham *num.21.*
cùm dixit: *Montes Gelboe, nec vos,nec pluuia veniat super vos, quia ibi abiectus est clypeus fortium.*Námque principes clypei sunt, quibus populus protegitur, & defenditur, vnde benè aduertit *Iustin. lib.4. suæ Historiæ*, vetustissimos & primos Reges

ges

ges hastas proscriptis solitos fuisse gestare: qua ratione & Saül in *lib.* regnorum hastam perpetuo habebat, & domi, & foris, in signum protectionis populi sui, quia ad ipsum maximè spectabat. Et Romulus Quirinus appellatus est; id est hastatus, videndúsque est hac de re *Poëta 6. Æneid.* cum Anchises filio ostendit Silvium, qui primus fuit Romanorum regum parens, aitque:

Ille vides pura iuuenis, qui nititur hasta,
Siluius Albanum nomen tua posthuma proles.

Vbi non omittenda illa verba, *pura hasta*, quæ *Donatus*, *& Rhodiginus lib. 12. lect. antiquit. cap. 16. Lypsius lib. 3. de militia, dialog. 16.* interpretantur: sine ferro, cuius rei rationem reddit *Lypsius ex Polibio*, quia, scilicet, non in communi pugna, sed extraordinaria, & singulari triumphauerit, sine sanguine, scilicet suorum, quantumlibet proprium effuderit, quod maximè decet principem virum. Et huc videtur allusisse regius Vates cum Messiam accinctum gladio ad suorum de-C fensionem describit: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, & sacri Imperatores Romani in cæremoniis, quibus consecrantur, & inaugurantur, traditur eis gladius, quo proponatur illis præcipuum Imperatoris munus, & officium esse suos ab hostibus defendere, & sese periculis primos obiicere, quo ei liberam relinquāt viam, & tutam conseruent vitam. Videndus hac de re *Chrysost. in Psal. 114.* vbi sic ait: *Hoc maximè ostendit principem, quod, scilicet, suorum curam gerat, eis D prouideat, ac prospiciat, & ideò Christus. Pastor bonus, non dixit, honoratur, sed animam ponit pro ouibus suis, hac est principatus scientia, sua negligere, & eorum, quos regit, curam gerere*, similia habet Bernard. serm. 30. in Cant. cùm ait: *Idoneus, & dignus planè, qui ponatur custos in vineis, quem propria cura vineæ à commissarum diligentia, & solicitudine non impedit, aut retardat, dum non quærit, quæ sua sunt, neque quod sibi vtile est, sed quod multis. Propterea sanè Petro cura ista credita est in E tam multis vineis, quæ erant de circumcisione, quia paratus erat, & in carcerem, & in mortem ire. Vsque adeò sua vinea, id est, suæ animæ non detinebatur affectu, quominus cura intenderet creditarum.*

Psal. 44. num. 4.

Ioan. 10. num. 11.

Facit præsenti argumento id, quod notauit Auctor operis imperfecti in Matth. dixisse scilicet discipulos Christo Domino multa in parabolis loquenti ad turbas:

A *Quare in parabolis loqueris eis?* quibus in verbis se maximè solicitos ostendunt de turbis; cum de seipsis veluti obliti videantur, etenim quia in discipulatu Christi ad magisterium, & principatum orbis educabantur, decebat maximè eos aliorum curam gerere. *Considera*, inquit ille homil. 31. *quod est beneuolentius, quod non primum interrogauerunt de intellectu parabolæ, sed mox dixerunt. Quare in parabolis loqueris illis? Quia magis de aliorum salute soliciti erant, quam de sua,* B *sicut ait Apostol. Philipp. 2. Non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed quæ aliorum; hæc est enim perfecta charitatis gratia, qui amplius festinat alijs vtilis, & lucrosus esse, quam sibi*, sic ille.

Mat. 13. num. 10.

Philip. 2. num. 4.

Quod si hoc decet quemlibet Christianum hominem, necessario reperiri debet in eo, qui aliis præpositus est, quique non suus, sed aliorum, ac communis omnium esse debet, & proinde propria minimè curare, ad quod alludit *Bernard. lib. 1. de considerat.* vbi sic alloquitur Pa-C pam Eugenium. *An ideò non seruus, quia non vni seruis, sed omnibus? Nulla turpior seruitus, quam Iudæorum, quam quocumque ierint, post se trahunt, & vbique dominos offendunt suos. Tu quoque dic quæso vbi nunquam sis liber? Vbi tutus, vbi tuus? Vbiq; strepitus, vbiq; tumultus, vbique iugum tuæ seruitutis premit*, & lib. 3. *Principem te constituerunt, sed non tibi, sed sibi, alioquin, quo pacto te reputas superiorem his, à quibus beneficium mendicas?* Videndus idem *Bernard. serm. 2. in Cant.* Cùm explicat illa verba illius animæ, quæ inter cæteras superior erat, sieque postulabat: *Trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Trahimur*, inquit, *cum tentationibus, & tribulationibus exercemur, cum internis consolationibus, & inspirationibus incitati, tanquam in suaue olentibus vnguentis respiramus, ergo quod austerum, & durum videtur retineo mihi, tanquam forti, tanquam sana, tanquam perfecta: & dico singulariter, trahe me post te, hoc enim videtur pertinere ad Prælatos, & pastores, quod autem suaue, & dulce, tibi tanquam infirmo communico, & dico, curremus.* Hoc ipsum notauit *August. homil. 9. de Pass.* ad illa verba latronis; *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. *Dicito mihi*, inquit, *latro regnum petens, quid in eo tale vides, ex quo regnum petis? Dic mihi, nam in conspicuo est, clauos, & crucem cernis, sed hæc*, inquit, *crux ipsa, regni insigne*

Cant. 1. num. 4.

Luc. 23. num. 41.

signe est, & per eam Iesum Regem appello, quia video Crucifixum, opus enim Regis est vitam suam ponere pro his, quibus regnat, quia bonus pastor vitam suam ponit pro ouibus suis, Ioan. Videndus item *Chrysost. homil.29. super Epist. ad Roman.* cùm ponderat *ex* 1.*Reg.*17.non prius Dauidem fuisse iuratum in Regem Israël, quam ostenderit, quam amico affectu esset in populum, cùm adhuc iuuenis ira doluit de calamitatibus suorum popularium, vt animam suam exponeret pro eis, cùm scilicet barbarum illum Goliath occidit, vnus pro omnibus expositus morti, similiáque habet idem *Chrysost.* cùm notat illud, 2. *Reg. cap.*24. quando Dauid irato Deo dixit; *Ego sum qui peccaui, ego qui iniquè egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei*: Et propterea Dauid in optione, quæ ei facta est suppliciorum, non famem elegit, non bellum, sed pestem, seu mortem immissam à Deo, per hanc enim solam sperabat suos omnes saluos fore, se vero antè omnes è medio tollendum, neque enim fame perire solent Reges, neque bello tam facilè capiuntur, peste tamen facilè absumi possunt; *In me igitur*, ait, *sit manus tua, quod si non sufficit, sit contra totam domum patris mei*, tantùm valet amor, & cura optimi pastoris, vellicabantúrque viscera eius cadentibus suis, tanquam si gemini necarentur filij, inde verò progreditur *Chrysostom.* Vult enim Dauidem plus dilexisse suos populares, quam filium primogenitum, quando enim mortuus est Amon primogenitus Dauidis, non sibi mortem precabatur pro vita filij, cadentibus verò ciuibus, mortem optabat, dum tamen viuerent sui, quæ omnia fecit Moyses dum pro suis se opponit, & de ipsorum malis plus dolet, quam de propriis.

Ioan.1. num.14.

2.Reg. 24.n.17.

Videndus *Theodoret.quæst.vlt. in 2.lib. Reg.* vbi expendens hoc dictum Dauidis, *Ego sum qui peccaui*, ait. Digna admiratione sunt verba Regis, ignorans causam suum vocauit peccatum, quod fuerat factum, & vt in suum genus iusta ferretur sententia supplicauit, vtens verbis boni pastoris, & imitans filium suum, & Dominum qui animam suam posuit pro ouibus suis.

Vnde iam innotescet modus ille loquendi eiusdem Regis, cùm sibi facta & illata mala fatetur, quæ suis attulerat Ioab, cùm dixit 3.*Reg.*2. *Tu scis quæ fecit mihi Ioab, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël*, vbi verbis vtitur, quibus ostendat peculiare ac proprium fuisse illud nocumentum suis illatum, neq; enim alia sibi facta commemorat, quam, quæ commissa fuerant contra duos Principes, sed sibi illata asserit, quia Rex publici commodi curator, suis illata mala, propria reputat, atrocius in se peccatum iudicat, cùm subditi affliguntur, quam cùm ipse læditur.

3.Reg.2. num.5.

Misit olim Deus, vt vngeretur Iehu in Regem super populum Domini Israël, & percuteret domum Achab in vltionem sanguinis Prophetarum, & sanguinis omnium seruorum Domini de manu Iezabel. 4.*Reg.*9. profectúsque est in Iezrahel, vbi Ioram ægrotabat, qui audito aduentu Iehu ad eum misit plures nuntios, qui minimè reuertebantur, quod vbi resciuit Ioram, surrexit, ascenditque currum in occursum Iehu, inuenitque cum in agro Naboth Iezraëlitæ, & dixit illi: *Pax est Iehu? At ille respondit, Quæ pax? Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.* His auditis conuertit Ioram manum suam, & fugit. Porro Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas, & egressa est sagitta per cor eius, statímque corruit in terra. Cur quæso modum, quo Iehu fuit interfectus, nobis sigillatim exposuit sacer textus, cum vno verbo posset necem regis proponere, neq; enim intererat scire vtrum à tergo, an vero anteriori parte pectoris fuerit percussus? Crediderim certè, ideò sic fuisse scriptum, vt ignauum Regem in posterum sugillaret sacer textus, qui se non opposuit venienti Iehu, in sui, suorúmque defensionem, quod maximè spectat ad regios viros, vnde *Ecclesiasticus, c.*7. ait, Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate sua. Vnde *Xenophon. lib.*3. de dictis & factis ait, Principem elige, non vt sui ipsius curam habeat, sed vt per ipsum, qui eum elegerunt, in felicitate viuant.

4.Reg.9. num.6.

Eccl.7. num.6.

Et modo intelligetur ratio, cur moribundus Moyses postulauerit à Domino, populo principem sui similem, & qui eos tali dilectione regeret, quali eos ipse fuerat prosecutus, qui scilicet suorum detrimenta singulariter patiebatur, & cum lugentibus lugeret. Dixit enim: *Prouideat Dominus Deus spirituum*, Alij legunt, & marginales notæ; *spiritum*, habent, vt sit sensus.

Numer. 26.n.12.

sensus. Prouidear Dominus Deus spiritum qui instar animi doleat de membris, & singula curet, & viuificet, & hoc sibi peculiare munus arbitretur, dolere de singulis, & viuere singulis. In quam sententiam videndus est *Chrysost. homil. 56. in cap. 20. Matth.* vbi ita habet: *Honores in Christo, in prima quidem facie videntur honores, re vera autem non sunt honores diuersi, sed sunt diuersa ministeria: vt puta honor oculi videtur, quia illuminat corpus, sed ipse honor illuminandi, non est ei honor, sed ministerium eius: & pedū humilitas esse videtur, quia baiulant corpus, sed ipsa humilitas baiulationis, non est eorum contemptio, sed ministerium eorum. Propterea Dominus corporis, scilicet, homo, nec oculum suum amplius honorat, quam pedem; nec pedem magis contemnit quam oculum: quia nec oculus pro aliquo suo merito honoratus est, vt oculus sit, sed ad hoc ministerium creatus est: nec pes pro sua culpa cōtemptus est, vt sit pes, sed ad hoc ministerium est creatus. Propterea vnumquodque membrorum nil minus se habere intelligens secundum ministerium, ad quod est creatum, nec amplius: nec inuidet alteri membro, quasi plus habenti, nec spernit alterum mēbrum, quasi minus habens. Sic est inter sanctos; vniuscuiusq; sancti honor nō est honor eius, sed actus ipsius: vt puta Apostoli; apostolatus putatur à nobis honor esse ipsius Apostoli, vere autem non est honor eius, sed ministerium eius: Vnde Paulus de apostolatu suo dicebat: nam si euangelizem, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Va enim mihi, si non euangelizauero, si enim volens hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.* Sic ille. Plura quæ sequuntur in hunc sensum videnda apud ipsum *Chrysost. homil citat.*

Neque vero mala solum, quæ sui patiebātur, propria existimabat Moyses, sed bona insuper, sibi collata ducebat, quod inde elicio, quia dum eum Dominus ad mortem oppetendam euocat, & ingressum promissæ, optatæ totque annis expetitæ terræ prohibet, omnis eius mens, & cogitatio in bono illius reipub. hæret, mortem nihil horret, eiusque sensu nullo tangitur, non vrget, aut diutius viuere, aut propius ad promissam terram accedere, de bono tantum illius reipub. solicitus, ipsi optimum expostulat ducem, hoc vnum à Domino rogat, & exposcit. Cuius rei rationem reddens *Philo initio libri de charitate* ait: *Summum, scilicet esse erga populum à Deo sibi commissum amo-*

A *rem hic vt de populi commodis, & vtilitatibus velut de proprijs in posterum curam solicitudinemque tantam capere faciebat. Pater ijs omnibus viuens fuerat, vult & moriens esse pater, pupillis illis suis vult optimum præfici tutorem, & curatorem, optimumque, & amplissimam ijs hæreditatem relinquebat, terram scilicet, à Deo promissam, ne vero infantuli quapiam stoliditate, ac leuitate illam deserant, vel aliorum scelere, ac iniuria eandem amittant, omni sibi ratione prouidēdum existimat; nihil autem*
B *ad hoc momēti plus habet, quā si custodem, moderatoremque laboris, optimum filijs suis relinquat parentem.* Vnde quasi de singulari beneficio Moysi collato loquitur Deus dum ait: *Tolle Iosue filium Nun.* Vbi textus Hebræus habet; *Tolle tibi.* & licet
ille datiuus Pleonasmū Hebraicum ple- *Num. 27.*
runque contineat; attamen commodum *num. 18.*
multoties significat, qualis est ille locus:
Elegit sibi Loth, regionem circa Iordanem; *Gen. 13.*
& cum Iudas de annulo & armilla dixit, *num. 11.*
habeat sibi. Et alibi sæpe. Sic etiam hoc *Gen. 38.*
C loco quasi si beneficiū ipsi Moysi præstare- *num. 23.*
tur in præficiendo populo illi peridoneo successore significatum existimo in eo quod Deus dixerit Moysi, *tolle sibi.* Idque amplius nobis constabit, si conspiciamus Septuaginta eo in loco habere, *summe ad te ipsum*, quasi hoc peculiari ratione respiciat Moysen, ad ipsumque pertineat. Neque hæc expositio displicet *Serario lib. 1. in Iosue quæst. 8.*

Putabat fortassis quispiam supplicium Moysi à Deo illatum fuisse in eo quod
D Deus præceperit illi, vt ascenderet in
montem Abarin, indeque terram, quam *Num. 27.*
daturus erat filiis Israël contemplaretur, *num. 12.*
& post visam, vitam conficeret. Quid enim proximum morti terram conspicere iubet, quando potius ad cælum oculos deberet conuertere, nisi, vt terram tandiu optatam conspiciens, quam tamen possessurus non erat maiori mœrore afficeretur in pœnam præteritæ incredulitatis, quam ei Deus exprobrauerat? Verum aliter hac in re mihi videtur iudicandum
E de Dei misericordia, cuius ipse, vel, in medio furore recordatur. Existimo igitur id à Deo ideo factum, vt mortis molestiam Moysi leniret, leniotemque redderet, sicut enim post similem culpam iussit Deus Moysi, vt tolleret fratrem Aa-
ron, & duceret in montem Hor nudaret- *Num. 20.*
que ipsum coram filio Eleazaro, eumque *num. 26.*
in parētis oculis vestibus pontificiis illius indueret: quod peracto, Aaron moreretur

in

in montis supercilio, quod ideo *factum fuisse asserit *Lyran.* vt cum Aaron videret filium dignitatis summæ sibi successorem, sacerdotis supremi ornatu indutum, non solum placidius, sed & libentius moreretur. Sic etiam nihil Moysi mortis acerbitatem potuit lenire melius, & extremæ separationis dolorem temperare, quam fælicis illius regionis aspectus, quæ iam iam obueniebat populo, cui Moyses velut dux præfuerat, quem in sinu velut mater portauerat, quem velut pastor deduxerat; verus si quidem dux, pater, & pastor qualis plane Moyses erat, suorum vtilitatem etiam propriæ vitæ præponere consueuit, quando quidem illam suam reputat. Lætus itaque moritur Moyses, si dum ob oculos mortem videt, viderit simul terram vberem, & optimam à suis postmodum possidendam, quod ipse veluti beneficium sibi collatum reputabat. Is igitur qui suorum detrimenta tanquam sibi peculiariter illata patiebatur, & illius populi sibi à Deo commissi bona vitæ suæ præponebat, eiusdem populi salutem, & libertatem ab imminēti mortis periculo veluti sibi concessam decantat, & gloriatur eum ait: *Factus est mihi*, non nobis omnibus *in salutem.*

Neque vero hoc loco omittendam censeo, in Moyse grati animi singularem notam, dum commune, ac omnibus concessum beneficium, peculiare, ac proprium duxit quod minime vulgare est, proindeque repertum in Paulo dixit: *Dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me*, vbi Chrys. sic ait: *Quid facis ô Paule, dum communia, propria tibi vendicas, quaque pro toto terrarū orbe facta sūt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti, qui dilexit nos, sed, qui dilexit me. Atqui Euangelista dixit, Sic dilexit Deus mundum, quin & tu ipse dicis, qui proprio filio suo non pepercit, sed tradidit eum pro nobis. Non igitur pro te, sed pro omnibus. Ac rursum vt acquireret sibi populum peculiarem. Quid est igitur quod hic dicit; Cum consideraret Apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei solicitudinē, tum quibus ipsum malis liberasset, tum qua bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur: quando quidem, & Propheta non raro Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Praterea vero declarat, hoc quoque par esse, vt quisque vestrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum abuenisset: neque*

Galat. 2. num. 20.

Ioann. 3. num. 16.

Rom. 8. num. 32.

Psal. 62. num. 1.

A *enim recusaturus erat, vel ob vnum tātam exhibere dispensationem, adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum*, sic Chrysost. ostendit Pauli gratitudinem, instar cuius Moyses in præsenti commune beneficium, proprium ducens, se solum liberum, & incolumem prædicat, & gratulatur.

ANNOTAT. IV.

B

Quo tempore Deus soleat suis plerunque succurrere.

Factus est autem Deus fortitudo, & salus Israelitico populo in extremo periculo constituto, dumque res in arctissimo posita omnino esset, quod plerunque diuina misericordia consueuit expectare, vt subueniat, sicut prosequitur Augustinus serm. 89. de temp. in hunc modum. *Includuntur, persequentibus Ægyptijs, Hebræi*
C *inter mare, & hostes, inter vndas, & gladios, hinc mare spumat, inde arma coruscant, hinc aquarum, inde armorum strepitus. Sic operari Deus suis assueuit, vt vbi defecit humanum consilium, illic intercedat diuinum adiutorium: quibus visis, populus territus formidabat, mox vniuersi exclamabant ad ducem Hebræorum. Dum Pharaonis dominio carere volumus, discrimen inquiunt, inuenimus, & cum voluntariè seruire nolumus, ad periculum peruenimus, exhibes mala quibus adhuc vsque contra-*
D *ria promitis, nec te interitus nostri auctorem intelligis, dum tantis malis obnoxium non agnoscis: quibus Moyses sanctissimus ait. Ne formidetis viri, estote fide armati, credite verbum, quod sentietis futurum, eredite victoriam vestram iam properare, & gentis furentis interitum: non consentientibus ventis aquarum volumina imperfectis cursibus refrenantur, ne hostes vestros ante puniant, quam iubentur*, & cætera quæ prosequitur ostendens hanc Dei indolem subueniendi in extremis pericu-
E lis, & desperatis rebus, vnde Isaias ait: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua spes à turbine, vmbraculum ab æstu, &c.* Et certe virtus, fortitudo, & omnipotentia Dei in nostra infirmitate veluti perficitur id est, declaratur, sicut dixit Paulus: fortitudinem enim ibi videtur significare vox Græca, non probitatem. Vnde Dauid dixit *Psalm. Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, vbi Theodoret.

Isai. 25. num. 4.

2. Cor. 12. nu. 9.

Psalm. 9. num. 10.

Theodoret. refert Aquilam vertentem, *in tempus opportunum: opportune*, Symmach. vel *tempore necessitatis*, clarius vero *Clem. Alexand. 6. stromat. cap. 2.* ait, *opportune, & tribulatione*: explicans, scilicet, qualis sit ea opportunitas, quam Deus expectare solet, nempe tempus tribulationis, quod aliqui ex Hebræo sic vertentes annotant. *Adiutor temporibus*, quibus quis est, *in tribulatione*: vsitatissimo enim more scripturæ explicat Dauid, cum ait, *in tribulatione*, quid opportunitatum nomine intelligeret, per figuram quam Grammatici vocant, appositionem, cum scilicet, ad prioris vocis expositionem, vox altera ponitur. Vbi igitur est magnitudo discriminis, ibi magnitudo gratiæ sicut dixit *Hieron. epist. 127. ad Fabiolam*, & Philo necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium, sicut refert *Eusebius Cæsar. lib. 2. Eccles. cap. 5. & Iosephus lib. 2. antiquit. cap. 14.* non minus eleganter dixit. Non in paruis diuinitas auxilium sui fauoris solet accommodare, sed potius in quibus humanam spem ad meliora non videt accedere. Similia sunt quæ habet *Hieron. epist. 27. ad Eustochium*, vbi exponit illud *Isai. c. 49. tempore opportuno exaudiui te, &c.* Videndúsque est *Plato in Cratillo* cum explicat quomodo Deus negotiorum difficultates, & extrema pericula dissoluat.

Notauit pro hoc argumento *D. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 34.* cur misericors Deus non priusquam peterent filij Israël escas, eis prouiderit, sed cum famescentes videret, & pene iam enectos, ac desperatos, dicentésque. [Exod. 16. num. 3.] *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panes in saturitate, cur induxistis nos in desertum, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Quare igitur tam tardus ad patrocinium fuit, qui ambulat super pennas ventorum? Respondetur ergo conuenientem petitionem, clamorémque illorum expectatum fuisse; tunc enim gratissimum solet videri beneficium, quando magno ardore petitur, & imminente periculo, necessario expectatur, aliter animus hominis beneficij magnitudinẽ non cognoscit; & cum pro periculo crescat, & beneficij magnitudo, tunc se benefactorem ostendit Deus, cum ipse tantummodo potest opitulari, qui in necessitatibus est opportunus adiutor. Videndúsque est [Matt. 14. num. 24.] *D. Chrysost. homil. 15. in Matth.* cum ponderat verba illa *Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim ventus contrarius, quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, &c.* Ait ergo Chrysost. *Quando dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, erudiens eos non cito solutionem quærere aduenientium malorum.*

Hoc etiam in Iob factum fuisse videmus, ait idem *Chrysost.* nam cum tentationi finem allaturus esset, tunc molestiora fieri permisit, non dico de liberorum morte, non de verbis vxoris, sed de seruorum, atque amicorum opprobriis, &c. quæ prosequitur, vt ostendat Deum multoties acerbiora mala suis infligere, tum vt occasionem maioris meriti tribuat, tum vt illis maiorem lætitiam ingerat, potentiámque suam in eis liberandis felicius ostentet. *Nec enim*, inquit ille, *prius se Christus reuelauit, quam magnitudine terroris superati, vna omnes voce, clamitassent; latior enim, atque gratior præsentia eius illis apparuit.* Licet enim verum sit id, quod idemmet Deus de se prædicat, præsto, scilicet, inuocationibus nostris adesse, nobis adhuc loquentibus auxiliari, nec finem verborum expectare, vt succurrat. Quod eleganter prosequitur idem *Chrysost. homil. 15. in Matth.* cum ponderat illa verba: *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adsum.* [Isai. 58. num. 9.] Vbi Dei celeritatem, & promptitudinem ad preces nostras exaudiendas sic prosequitur. Quis adeo fuit paratus, & erectis continue auribus adstans, ne quando à filiis suis vocaretur? Nemo profecto. Deus autem paratus continue ad suorum vocem seruorum, nec vnquam vt oportet, vocauit, obaudiuit, hac de causa dicit, adhuc te loquente, *non expecto*, inquit, *vt orationem finias, sed confestim cum incipias exaudio. Scindetur cælum*, ait, *matutinale lumen tuum. Sed attente oro, mentem adhibeas, & primum illud videamus, cur non, apparebit, dixit, sed scindetur, vt velocitatem, scilicet & copiam dantis exprimeret. Vtq; hoc verbo intelligamus valde illum nostræ salutis cupidum esse, quodq; muneribus plenus ex largiendi festinatione quasi prorumpit, cum nihil sit quod inæstimabile dandi desiderium prohibere possit, quibus omnibus infinitam profecto bonorum copiam paratam nobis esse ostendit, deinde videamus quid sibi matutinale velit. Nihil aliud certe hoc te nomine docet, nisi vt scires quod non postquam periculum tentando fecerit, neque postquam afflictiones*

inuaserint solum, verum etiam antea præuenire solet, namque quemadmodum in pugilibus, matutinalia, quæ citius quam sperauimus in maturitatem peruenerunt appellare soliti sumus: eodem hic sane pacto, quod vel ante tempus nobis illuceat, matutinale nuncupauit: quale illud etiam est, adhuc te loquente, dicam, ecce adsum. Hæc ille, quæ licet vera plerunque sint, tamen multoties ad extremum periculum nos permittit adduci, vt pluris faciamus, cum adueniat diuinum auxilium, à solóque Deo liberatos nos agnoscamus.

Quod si quis inquirat, cur Deus seruos suos ad extremum vsque periculum deuenire sinat, & in artissimo poni, vt tunc illis subueniat, & misericorditer eos eripiat. Ea nobis videtur ratio, vt eos intelligere faciat, & cognoscere quid ex se, & per se possint, deinde vero, quid valeant Dei adiutorio, & protectione, ne aliqua elatione superbiant, ne inani opinione extollantur. Hinc est enim, quod Elias dum tot viribus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Iezabel postmodum quamuis Reginam, tamen mulierculam fugit, Quod expendens *D. Gregor. 19. moral. cap. 5.* ait: *Perpendo hunc miræ virtutis virum ignem de cœlo trahere, & secundo quinquagenarios cum suis omnibus, petitione subdita, concremare, verbo cœlos à pluuiys claudere, verbo cœlos ad pluuias aperire, suscitantem mortuos, ventura prauidentem, & ecce rursus animo occurrit, quo pauore ante vnam mulierculam fugerit. Considero virum timore perculsum, de manu Dei mortem petere, nec accipere, de manu mulieris mortem fugiendo, vitare. Quærebat enim mortẽ, dum fugeret, dicens: Sufficit mihi, tolle animam meã, neque enim melior sum quam Patres mei. Vnde ergo sic potens, vt tot illas virtutes faciat? Vnde sic infirmus, vt ita fœminam pertimescat, nisi quia æqua appenduntur mensura vt ipsi sancti Dei homines, & multum valeant per potentiam Dei, & rursus quadam mensura moderati sint, per infirmitatem suam? In illis virtutibus Helias quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat; agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas, custos virtutis:* in illis virtutibus ostendebat, quid acceperat, in istis infirmitatibus hoc, quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Helias, in infirmitatibus seruabatur; sic Paulum, cuius cum ipsa initia cõuersionis conspicio, perpẽdo quod ei summa pietas cœlos aperit, seséque illi Iesus de sublimibus ostendit. Ad Ananiam mittitur, vas electionis vocatur, & tamẽ de ciuitate eadem, quam post visionẽ Iesu ingressus fuerat, fugiens recedit, sicut ipse testatur: *Per murum demissus sum in sporta, &c.* Cui licenter dicam: ô Paule in cœlo iam Iesum conspicis, & in terra adhuc hominem fugis? vnde sic fortis, vt ad cælestia rapiaris? vnde sic infirmus, vt in terra hominem fugias, & adhuc à sathanæ angelo aduersa toleres: nisi quia ipse, qui te subleuat, rursum subtilissima te mensura moderatur, vt & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rursum in timore tuo reminisci nos facias infirmitatis nostræ? Sic ille.

3. Reg. 19. n. 3.

2. Cor. 11. num. 3.

Ex hac igitur doctrina aperte constat Deum suos multoties periclitari sinere, & ad extrema pericula deuenire, vt eos commonefaciat infirmitatis propriæ, & certos reddat de omnipotentia, & bonitate sua: cúmque tot editis miraculis, & patratis mirabilibus, eduxerit populum suum de Ægypto, ne in superbiam efferrentur, & plusquam par erat de libertate sua superbientes gloriarentur, ad extremum eos deduxit euentum, vndique facile perituros concludit, vt solam Dei virtutem probe agnoscentes, in omnibus, & pro omnibus quæ acceperant, & viderant, laudarent; nihilque sibi tribuentes ad Deum referrent, & exitum de Ægypto, & transitum per medium mare, quod à nullo alio aperiri poterat, neque extremo casui subuenire, nisi solus Deus, qui perituris solet occurrere, vt clarior ipsius omnipotentia reddatur.

Notauit in hanc sententiam *D. Chrysost. homil. 32. in Genes.* nõ liberasse Deum Saram vxorem Abrahæ, neque quando ingressus est Ægyptum, neque antequam sublata esset mulier in domum Pharaonis, sed postquam Rex ad extremum deuenerat malitiæ, vt eam in domum suam tandem deferret, illa quidem vsurus, nisi Deus ipsum flagellaret plagis maximis, donec vocato Abrahamo, illi dixerit: *Ecce coniux tua, accipe eam, & vade. Talia sunt*, inquit Chrysost. *quæ à Deo dispensantur, rara semper; & admirabilia: & quando apud homines desperatum est, tunc potentiam, & sapientiam suam Deus declarat. Enim vero sicut admirabile, & rarum erat videre virum desideriorum stare in medio ferarum, & nihil pati, sed quasi ouis eum circumire, & ita illæsum egredi de lacu. Et tres pueros in camino, quasi in prato, & paradiso versari, & nihil ab igne lædi, sed ingredi inde, vt virorum fortissimos: ita*

Gen. 12. num. 17.

Dan. 14.

Dan. 13. *ita admiratione dignum est & hoc facinus, quod iusti vxor nullam contumeliam experta à Rege Ægyptio, tyranno, intemperante, exiuit salua; Deus enim erat, qui faciebat omnia, & inuijs viam dabat, & spem bonam semper in rebus deploratis asserre valet.* Similia sunt, quæ habet idem *Chrysost. hom.* 51. *in Matth.* vbi ponderat Deum voluisse, vt Abraham ad extremum vsque discrimen in filij immolatione perueniret, & hanc emphasim mihi videntur habere verba illa sacri textus: *Ecce Angelus*
Gen. 22. num. 11. *Domini de cœlo clamauit*, quasi dicat. Mira res non in itinere, non in montis ascensu, non in ædificatione altaris, sed in ipso articulo discriminis, vbi humani remedij spes nulla iam subesse poterat, subuenit Deus, vocat, prohibet, saluat, & remunerat.

Ad extremum vsque peruenerat discrimen & vitæ, & honoris Susanna, quod
Dan. 13. ostendit etiam illud Daniel. 13. quando
num. 43. flens suspexit ad cœlum, vbi Lyranus optime ait: *Suspexit ad cœlum, quia aliunde non poterat habere auxilium, & proprium est diuinitatis succurrere in casibus desperatis.* Sic ille. Deinde etiam dixit: *Ecce morior, quum nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me:* sed vide quid huic vltimo periculo correspondeat, exaudiuit Dominus vocem eius, eúmque duceretur ad mortem, *Suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel, &c.* Verum etenim est id, quod notauit *Ambrosius*, tunc esse tempus subueniendi Deo, quando humanæ res pene desperatæ sunt, sic enim exponit
Psal. 118. n. 126. verba illa *Psalm. Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam*, vt sit sensus, omnis substantia consumpta est, & remedium nullum iam inuenitur, tempus ergo opportunum est, vt ad humani generis redemptionem descendas.

Similis etiam est ille locus *Psal.* quando Dauid dixit: *Tu exurgens Domine mi-*
Psal. 101. num. 14. *sereberis Sion, quia tempus miserendi eius*, id est, nunc quando lex naturæ abolita iam censetur, & lex scripta pene extincta
Matt. 21. reputatur, nunc quando serui à te missi ad recipiendum fructum occiduntur, nunc quando iam in humanis nullum extat, aut speratur remedium, tempus miserendi est; non iubendi, vt inquit, *Ambrosius*, sed miserendi, sic enim consueuit diuina misericordia, & omnipotentia occurrere, cum homines nullum penitus ab hominibus remedium expectant, vt totum prorsus diuinum sit, non humanum.

A Miserunt sorores Lazari cum infirmaretur ad verum, ac diuinum medicum dicentes: *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Audiens autem Iesus, quia infirmabatur, *tunc* quidem *mansit in eodem loco duobus diebus*, deinde post hæc dixit discipulis suis: *Eamus in Iudæam iterum*, quæ verba expendens *Chrysol. serm.* 63. ait: *Videtis quemadmodum dat locum morti, licentiam dat sepulchro, corruptioni posse permittit, negat nil putredini, nil fatori: atque vt Tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit;* Ioan. 1. num. 3.
B *atque agit vt humana spes tota pereat, & tota vis humanæ desperationis accedat: quatenus quod facturus est, diuinum sit, non humanum. Tantum autem in loco expectatione mortis residet, vt & mortuum ipse nunciet: & tunc ad Lazarum denunciet se venire.* Sic ille ostendit quomodo Christus Dominus totam spem sororibus interclusferit, humanam, vt sibi accommodato tempore illis adueniret, quatenus totum, quod facturus erat diuinæ omnipotentiæ liquido tribueretur.

C Facit etiam præsenti instituto difficilis ille locus apud Ioannem, quando Christus seruator beatissimæ Virgini Matri pro vino deficiente deprecanti dixit: *Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea*; vbi mihi modo placet expositio Ioan. 2. num. 4.
Augustin. serm. 41. *de temp.* qui existimat participium illud, *deficiente vino*, præsentis potius temporis vim habere, quam præteriti, vt significet nondum penitus defecisse vinum, sed ad defectum properasse, & iam pene deficere, quod probat
D etiam Maldonatus, & videtur amplecti Toletus, commendátque maxime Virginis Matris commiserationem, quæ præuenire solet miseriam priusquam miseri homines in verecundiam, vel desperationem incidant, & ideo simul vt vidit non satis esse vini, Filio suggessit, vt prouideret, & occurreret defectui, ne appareret confusio, quod Bernard. etiam dixit *ferm.* 1. & 2. super hunc locum Ioannis, antequam igitur vinum omnino deficeret magna Mater misericordiæ, deficientis vini
E inopiam subleuare curauit, magno Filio dicens, *vinum non habent.* Cui ipse respondit, *nondum venit hora mea*, quorum verborum literalis, ac planus sensus esse potest, nondum extrema vini egestate conuiuæ premuntur, id autem tempus, & ea hora est, qua ego soleo, editis (si necesse est) miraculis, egentibus opitulari: quoniam igitur nondũ ea peruenit occasio, nondum etiam, & hora mea peruenit,

H 2 proinde

proinde non est cur tam cito roges, nec à me remedium præstoleris.

Nouerat hanc Dei conditionem Moysis mater, quæ cum celare non posset elegantem filium, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eam in carecto ripæ fluminis, quasi tradens eum diuinæ prouidentiæ, quæ eum liberare posset de manu Pharaonis, à quo necem pueri futuram certo sperabat, si eum diutius domi seruaret; ait ergo *Lypom.* ad hunc locum: *Crudelitati patris obstitit filiæ clementia, vt sunt cogitatus, & voluntates hominum in manu Dei. Discamus vbique confidere Domino, qui mirabiliter eximit suos, & consolatur in se sperantes, vt quem exposuerant prouidentia Dei, ipsum reciperent cum pace Regis, deq; ipsius alimonia, non proprijs impendijs alendum, vt matris quoque vberibus restitueretur lactandus: quo quid erat mirabilius? sed sic Dominus agit cum suis fidelibus. Sic igitur parabatur à Rege, contra Regem, volente Deo*, sic ille ostendit quomodo delusa fuerit mater Moysis, dum eum extreme periclitantem, diuinæ commisit prouidentiæ, quæ de more, contra Regis præceptum, in domo Regis puerum enutriuit, & exaltauit. Vnde merito per Dauidem nos hortatur, dicens: *Inuoca me in die tribulationis tuæ*, sicut addunt, *August. Cassiod. & Hieron. Eruam te, & honorificabis me*, quem locum citans *Gregor. lib. 11. Epist. 2.* ait: *Ipse sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet vt inuocetur.* & Cassiod. hunc versum Psalmi appellat ditissimum promissione, qua nos certos reddit, minimè defuturum in magnis tribulationibus, quas permittit, vt & in eis nos probet, sicut enim eleganter dixit *Seneca lib. de prouident.* argumentum est à Deo vt imbellem, & ignauum contemni, cui nihil sinat euenire aduersi: insuper, & tribulationes permittit, vt probatam nobis ostendat prouidentiam suam in eis minimè deficientem, & proinde se quodammodo honorificatum, & gloriosum reddat, sicut dixit Dauid, & testatur Moyses in initio nostri Cantici.

Exod. 2. num. 3.

Psal. 49. num. 16.

Vnde *Cassian. collat. 6. cap. 11.* docet vnam de præcipuis causis, cur Deus tribulationes immittat, esse gloriæ suæ illustrationem: affertque exemplum cæci nati, vt manifestarentur opera Dei in illo. Ideirco orari solet Deus ab ærumnosis, calamitosis, egentibus, & periclitantibus, vt propter gloriam nominis sui

Ioan. 9. num. 3.

A eosdem liberare dignetur, & quia piectissimi Domini honor, & gloria, nostra etiam esse consueuit, ipse per Dauidem asserit, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Quando igitur eripiendo nos ab imminentibus periculis, nosmet glorificare dicitur, decet maximè vt nos vicissim erepti eundem glorificemus, sicut fecit Moyses cum suis, dicendo: *Cantemus Domino, &c.*

Psal. 90. num. 15.

B Ad calcem autem huius annotationis illud aduertendum est, ideo affuisse Deum Israëlitis extremè periclitantibus, quia spectabat ad eius honorem, & omnipotentiam, libertatem, quam operari inceperat, perficere, & ad optatum finem perducere; neque enim Deus incipit, quin perficiat, sicut testatur *Paul.* Quapropter merito *D. Bernard. serm. 1. in die Pascha*, carpit Iudæos, qui in cruce pendenti Christo Domino dixerunt: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Eò tendebat*, ait Bernardus, *malitiosa suasio, non vt ipsi crederent, sed nostra quoque, si qua erat fides in eum, omnimodis deperiret. Legentes enim, Dei perfecta sunt opera, quando fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum? sed patiendi tempus est, non faciendi*, quasi dedeceret Dei maiestatem imperfectam relinquere nostram redemptionem, quam inceperat, vnde rectè subinfert Bernardus: *Ita & nos quicumque sequimur caput nostrum, non cessemus agere pœnitentiam, non cessemus tollere crucem nostram perseuerantes in ea, sicut ipse perseuerauit, donec dicat spiritus vt requiescamus à laboribus nostris: neminem audiamus fratres, non carnem, non sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum à cruce suadentem: persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostra leuitate.*

Philip. 1. num. 6.

Mat. 27. num. 42.

Deut. 32. num. 4.

Est optimus in hanc sententiam locus apud *Augustinum lib. 7. de Ciuit. cap. 7.* vbi arguit vanitatis Gentiles, qui Ianum Deum principiis applicabant, alium verò finibus, quem appellabant Terminum. Qui enim fieri poterat, vt Deus esset ille, qui aliquid incipere poterat, at non finire, & perficere, cùm ad eundem, qui incepit aliquid, si verus Deus sit, & omnipotens, pertineat, ad felicem exitum perducere, quæcumque incepit. *Nunquid ergo*, inquit August. *ad mundum qui Ianus est initia rerum pertinent, & fines non pertinent, vt alter illis Deus præficeretur?*

ficeretur? Quæ est ista vanitas in opere illi dare potestatem dimidiam? in simulachro faciem duplam? Nam cui exciderit, quod cœperit, quomodo finiat, cum non inueniet? quod si Iano solam initiorum tribuerent potestatem, profectò ei praeponerent terminum, eúmque à dijs selectis alienarent. Quanquam etiam nunc cum in istis duobus dijs initia rerum temporalium, finésque tractantur, Termino dari debuit plus honoris; maior enim lætitia est, cùm res quæque perficitur, solicitudinis autem A *plena sunt cœpta, donec perducantur ad finem; quem qui aliquid incipit, maximè appetit, intendit, expectat, exoptat, nec de re inchoata nisi terminetur exultat*, sic Augustinus, ex cuius doctrina colligimus ad Deum primum eductorem populi Israëlitici de Ægypto maximè spectare, eundem in extremo periculo constitutum ad mare rubrum, gloriosè liberare, & ad promissam terram perducere, alioqui istud Dei opus perfectum non appareret, cum perfectissimi Dei esset.

TEXTVS.

Ipse Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum.

Num. 2.

EXPOSITIO LITERALIS.



TANTA fuit in te adeò memorabilis diuina virtutis ostensio, & euidentia, vt penè oculis illum sibi præsentem, atque propitium, hostibus infestum cernere viderētur, dum talem in sua protectione experiebantur. Duas autem causas eius laudandi, atque extollendi in verbis nostri contextus sibi adesse testatur sacer Author: alteram allati sibi auxilij, & virtutis diuinæ in sui defensione expertæ, cùm ait; *Iste Deus meus*, seu, *fortis meus*; alteram iam inde sibi à suis maioribus impositam, quos ille sæpè numero iuuerit, quibus se reuelarit, à quibus vt generis originem, ita pietatis, miserationísque ad se haustam, & in se veluti transfusam acceperit.

Vel etiam secundo possunt hæc verba referri ad Pharaonem, eiúsque perfidiam, impoperationem contra ipsum continent: enimuero Pharao Moysi Dei legationem fungenti, & annuncianti, vt dimitteret filios Israël per summam super-
Exod. 5. num. 1. biam, & impudentiam dixerat; *Quis est dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Hanc igitur insolentem animi elationem & cæcam perfidiam videtur irridere hoc in loco Moyses, cùm ait: *Iste Deus meus*, quasi alloquens, & subsannans Pharaonem: quis est dominus quæris? Disce igitur non tam ver- B bis edoctus, quā tuo maximo malo, quisnam ille sit, quæ potentia, & maiestas illius; iste igitur est, quem experiris, cuius manum sentis, postquam digitum vidisti in Ægypto; cuius verberibus flagellaris, Deus ille meus, quem ego glorificabo, pro eo, quod tu abiiciebas, & cui nihil prorsus est cum iis diis, qui non sunt.

Hebraicè habetur *iste, El meus*, & *Ane-* C *uahu*. Est autem nomen, *El*, sumptum à fortitudine *Aneuahu*, autem significat tabernaculo ei, siue latinius, tabernaculum faciam ei, à radice *Nauah*, quod est tabernaculauit, seu tabernaculum fecit: & ideò Vatablus ex Hebræo: *propterea extruam illi tabernaculum*, Tabernaculum autem non quodcumque, vt afferunt ij, qui coniecturas sequuntur temporis, ac loci, sed D humile, & planè tale, quale est pastorum, nempe tugurium vel casam, siue caulam quam describit Poëta partim eclog. 1.

Pauperis, & tuguri congestum cespite culmen.

Partim in ecloga secunda.

Atque humiles habitare casas.

Et ita Oleaster vertit *tugurium ei faciam*. Vnde nomen, *Naueth*, à prædicto E verbo, *Nauath*, deductum significat casam, aut caulam vt videre est, 2. *Reg*. 7. 2. Reg. 7. num. 8.
Ezechiel. 34. vbi nos habemus, *requiescunt in herbis virentibus*. Hebræa proptietas habet. *Cubabunt. Benaueth thob*, id est, in caula bena. *Hierem. cap*. 33. *Habitaculum pastorum accubantium Naueh roim.* Ezec. 34. num. 14. Hierem. 33. n. 12.

Vnde videtur Moyses, ac populus Israëliticus tunc in votis habuisse tabernaculum extruere ad modum tugurij, domúsque campestris.

Nisi potius hoc sit decernere, & pollicitatione quasi se voto obstringere extruendi Deo aliquod domicilium, quem admodum postea Rex Dauid simili erga numen pietate, & religione perculsus, indignissimum ducens habitare se in domo cedrina, arcam verò Dei vel potius Deum, qui in arca habitare reputabatur, sub pellibus agere, non contentus adduxisse se

1. Reg.6. num.4. arcam ex domo Abinadab, 1. Reg.6. & posuisse illam in domo Obededon, atque inde rursus eduxisse illam in ciuitatem suam, id est, arcem Sion, cogitauit de ædificanda magnificentissima domo arcæ, ac numini, quam totam historiam prose-

Psal.131. quitur, *Psal.131.*

Neque inurbanum videri debet, quod Moyses, & populus polliceantur se facturos Deo tugurium pastoritium, & tabernaculum, tempori námque & loco inseruiunt; est enim tugurium, seu tabernaculum commorandi locus ei aptus, qui iter faciens per loca deserta non habet stabilem mansionem, sicut de Abrahamo ait

Hebr.11. num.9. Paulus Hebræorum 11. *Antequam terram promissionis possideret, tanquam in aliena, in casulis inhabitando cum Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem*; quod etiam legimus de eodem Abraha-

Genes.12. & 18. mo, *Genes.12. & 18.* Deo igitur per desertum progredienti, populumque peregrinantem comitanti non stabilis mansio, sed tabernaculum, & mobile domicilium conueniebat, tale ferè illud Thyrsidis pastoris apud Virg. eclog.7. ad hortorum Deum.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu
Si fœtura gregẽ suppleuerit, aureus esto.

Et in hanc sententiam rectè Plin. excusans muneris exiguitatem ad Vespasianum, ait; *Immensa præter cæteras subit cura, vt quæ tibi dicantur, digna sint. Verùm & dijs lacte rustici, multæque gentes supplicant, & mola tantum salsa litant, qui habent, thura, nec vlli fuit vitio deos colere quocumque modo posset.*

Vt tamen veritatem hanc tabernaculandi Deo, cum nostra Vulgata, dum glorificandi verbo vtitur, cohærere ostendamus; illud necessariò aduertendum est, quod erigere Deo tabernaculum, seu domicilium, in quo inhabitet, ipsum glorificare est, quia de diuinitate illius attesta-

A tur, qui tale operatur, siquidem templum soli Deo ponitur, & etiam si interdum sub alicuius sancti memoria, & inuocatione ponatur, id secundario est, primario tamen ad Deum refertur, cui in illo sacrificium offertur. Sicut videre est apud *Suari. 2. tom. 3. p. disput. 53. sect. 3.* qua de re videndus est *Bellarminus libr. de cultu Sanctorum, cap. 5. tom. 2.* vbi prosequitur discrimen inter Basilicas, & templa: quæ soli Deo ædificantur, ideóque Theologi ex eo quod Apost. 1. *Corinth.6.* Spi- 1. Cor.6. num.9.

B ritui sancto templum tribuit: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti*, diuinitatem Spiritus sancti meritò colligunt, vt videre est apud *Molinam 1. p. quæst. 27. cap. 1. art. 1. disp. 4. §. 1. Suar. lib. 2. de Trinit. cap. 5. in fine.*

Vulgatus igitur interpres ac Septuaginta ad sensum potius, quam ad verbum transtulerunt: *Glorificabo eum*, & tamen optimè, vt sæpè alias facere solent, cuius rei vnum modo afferimus exemplum, cùm multa suppetant, verbi gratia, *Cant.1. in* Cant.1. num.7.5.

C *cap.5.* iuxta Hebræam proprietatem habetur: *Et digiti mei pleni myrrha transeunte*, seu, *transmittente*, vulgatus tamen vertit: *Myrrha probatissima*, id est, electissima, & optima, nimirum quia cuius myrrhæ odor est transiens, sine longè, latéque se transmittens, & fundens, illa probatissima est: sic etiam hoc in loco, quia proprium est Dei templa habere, & in eius solius gloriam, & honorem eriguntur & extruuntur, ideò dum textus Hebræus promittit Deo erigendum taber-

D naculum, vulgatus Latinus promittit, ei gloriam & honorem, *Ille Deus meus, & glorificabo eum.*

Hoc etiam in loco notanda venit, sed reiicienda expositio Hebræorum, qui id eò dictum à Moyse putãt, iste Deus meus, quia Deus visibiliter apparuit Hebræis super mare rubrum, similis fortissimo viro bellatori, & ad hostes Iudæorum profligando intentissimo, & vniuersum populum Hebræorum clarè tunc vidisse eum, & multò perfectius, quàm vide-

E runt eum postea Prophetæ: *Sed cum hoc*, ait Lyran. *ex diuina Scriptura non habeat auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, maximè cùm ille populus contra Moysem acriter, & iniustè murmurasset: nec est verisimile tantam Dei condescensionem tacuisse.* Hæc Lyran. Cui additur, Scripturam apertè declarasse qualiter tunc Deus apparuerit super mare rubrum, dum ita habet: *Iam aduenerat* Exod.14. num. 14.

vigilia

vigilia matutina , & ecce respiciens Do-
minus super castra Ægyptiorum per co-
lumnam nubis , & ignis , interfecit exer-
citum eorum, & subuertit rotas curruum,
ferebanturque in profundum. Quæ verba
denotant Deum non apparuisse secun-
dum aliquam speciem visibilem hominis
armati , sed secundum admirabilem ope-
rationem ex illa columna nubis quasi ia-
culantis tela , id est , fulgura , & fulmi-
na , & tonitrua , horribilémque ventum,
quibus rebus currus, & equos Ægyptio-
rum subuerteret , & confringeret , suís-
que instrumentis bellicis complicaret,
& opprimeret Ægyptios , quod etiam
Exo. 14. indicant verba præsentis Cantici : *Mi-*
num. 19. *sisti iram tuam , quæ deuorauit eos , sicut*
stipulam ; constat insuper ex eodem *ca-*
pite numero 19. eum qui apparuit fuis-
se Angelum Dei vices in columna geren-
tem , vnde in fine capitis eum vocat
Deum Moyses.

Deinde ratio , qua Moyses probat in
celebri apparitione montis Horeb Deum
illis non apparuisse in aliqua visibili spe-
cie , probat optimè nullibi eis visibiliter
apparuisse , scilicet , quia nouerat inge-
nium, & animum Hebræorum ad idolo-
latriam procliuissimum , & ideò diligen-
ter cauisse , ne ex visionibus sensibili-
ter factis occasionem arriperent colendi
idola, aliter infirmum esset argumentum,
si Hebrçi quamuis in Horeb non vidissent
tale quippiam , vidissent tamen in mari
Deut. 4. rubro , Sic enim habet Scriptura: *Locutus*
num. 12. *est Dominus ad vos de medio ignis : vocem*
verborum eius audistis , & formam peni-
tus non vidistis , & infra num. 15. eius-
dem cap. *Non vidistis aliquam similitu-*
dinem in die , qua locutus est vobis Domi-
nus in Horeb , ne fortè decepti faciatis vo-
bis sculptam similitudinem, aut imaginem
masculi vel feminæ.

Adde longè probabilius esse nunquam
in testamento veteri Deum apparuisse, sed
semper Angelum Dei vices agentem , vt
in materia de Angelis tractant Theolo-
gi, cum agũt de angelicis apparitionibus.
Ideóque Theodoretus hoc in loco ait, de-
monstratiuo pronomine , eius naturam
minimè communicari posse cum his diis,
qui non sunt, ostenderunt, hic Deus meus
non falsi, non ij qui olim in Ægypto à vo-
bis sunt culti, huic & gloriam dabo, nam
dominum Deum meum adorabo , & illi
soli seruiam. Et si enim nos in Ægypto
ettâtes dæmonibus, & non Deo immola-
bamus , tamen nunc dicamus Deum pa-

A tris nostri Iacob nos adotatutos , & in
altum erecturos , nihil abiectum vel hu-
mile de ipso sentientes, sed cognoscentes
ipsum Deum verum esse , non opus vel
figmentum, sed totius vniuersitatis opifi-
cem, & supra totum mundum, qui cerni-
tur, & non cernitur.

Deus patris mei, sicut si dixisset , Deus
patrum meorum intelligeremus tres Pa-
triarchas, Abraham , Isaac , & Iacob, qui
patres Hebræi populi in Scriptura nuncu-
pantur, sic quia in singulari dicitur, *Deus*
B *patris mei* , significare videtur Abraha-
mum , qui præcipuè vocatur pater He-
bræorum : tum quia in eo cœpit electio
populi Dei, quando, scilicet, Deus ei, & se-
mini eius benedixit , quia Circumcisio-
nem accepit , tanquam signum distincti-
uum populi Dei ab aliis populis. Quod Rom. 4.
prosequitur Paulus , dum eum patrem num. 1.
communem appellat , & num. 11. eius-
dem cap. ait : *Et signum accepit Circum-*
cisionis , signaculum iustitiæ fidei , quæ est
in præputio , vt sit pater omnium creden-
C *tium per præputium , vt reputetur & illis*
ad iustitiam , vt sit pater Circumcisio-
nis. Deinde propter merita ipsius Abra-
hæ Deus benefaciebat populo , & adim-
plebat promissiones Abrahæ factas , sicut
loquitur Scriptura : *Vt adducat Domi-* Gen. 18.
nus propter Abraham omnia , quæ locutus num. 19.
est ei Deus. Quod hoc in loco expendit
Abulensis.

Cum ergo apertum sibi diuinitus per
mare rubrum viderint Hebræi iter ad
promissam Abrahæ terram , rectè illius
D meminere, cui Deus sponsionem iam pri-
dem fecerat cuiúsque meritum in adim-
pletione modo respiciebat.

Neque mirum alicui videri potest , si
Moyses hoc in loco alios Hebreæ Gentis
proceres, & patre omittat (nisi velis re-
currere ad synodochen singularis nume-
ri pro plurali , quæ frequens est in sacris
literis) videtur enim hac in re imitatus
ipsum Deum, qui apparens Isaac ait : *Ego* Gen. 26.
sum Deus Abraham patris tui. Vbi *D.* num. 24.
Chrysost. hom. 52. *tom.* 2. quantum Deus
E omnium hominum , totiúsque adeò vni-
uersi Dominus , de vno Abrahamo seruo
suo glorietur , ita declarat : *Ostendit*
quomodo sibi vendicarit & proprium fece-
rit Abrahamum, & ita dignatus se Abra-
hæ Deum vocare : Dominus, & conditor or-
bis vnius hominis Deum se dicens non con-
cludit, & abbreuiat cum Patriarchæ appel-
latione dominium suum, sed magnam in il-
lum suam beneuolentiam monstrat; ita in-
quam

quam eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tantus, quanti alij omnes. Sic Chrysost. à quo sic conficimus rationem, si ipse Deus tantoperè de Abrahamo gloriatur, vt cæteris hominibus, imò & rebus omnibus omissis, solius Abrahæ se Deum prædicet, quid mirum si Moyses, & Hebræus populus ab Abrahamo prognatus, de eo tantoperè glorientur. Cum videant rerum Dominum vnius Abrahami Deum se dicere, eademque proinde, qua Deus locutione, & ratione vtantur?

B *Et exaltabo eum*, id est, altissimum esse, palam confitebor, & quantum potero prædicabo, Altissimus vocatur per excellentiam Deus, non quidem corpore, cuius natura est incorporea, sed summa dignitate, & auctoritate creationis, & dominationis omnium, cui subinde summus cultus, & summa laus debetur, & exhibetur ab omnibus, sicut obseruat D. Thom. in il-
Iob. 31. lud: *Si osculatus sum manum meam ore*
num. 27. *meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Et in hoc sensu idem est, Deus altissimus, ac Deus cui
C summus cultus debetur, sicut etiam notat Lyran. ad eundem locum. Sic etiam legi-
Gen. 14. mus, quod Melchisedech *erat Sacerdos*
num. 18. *Dei altissimi*, & apud Psalmist. *Redde Al-*
Psal. 49. *tissimo vota tua*, & iterum, *Tu solus Al-*
num. 14. *tissimus in omni terra.* Vbi D. Hierony.
Psal. 82. *Erigat se, qui vult, nos dicamus: tu solus*
num. 19. *Altissimus, quamuis quis exaltetur, nos ha-*
Psalm. 8. *bemus Deum, cui excelsius nomen est.*
num. 1. Ideóque Dauid, *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra, quoniam eleuata est ma-*
D *gnificentia tua super cœlos*, & Seraphim præ magna reuerentia maiestatis Dei, velabant facies suas.

Isai. 6. Dicitur etiam altissimus, quod perfe-
num. 2. ctio diuinæ substantiæ naturis omnium rerum infinite superemineat, & quidquid in omnibus aliis rebus boni sparsum est, id omne cum infinita quadam eminentia, Dei natura contineat.

Est & altissimus Deus scientiæ altitudine, quæ non solum excedit omnem creatam, sed etiam omni humano, siue ange-
E lico intellectui est prorsus incomprehensibilis, quod dixit, Scriptura, dum eum
Hier. 32. *magnum consilio, & incomprehensibilem*
num. 19. *cogitatu*, appellat. Et Paulus, *O altitudo diuitiarum sapientia, & scientia Dei, quam incomprehensibilia, sunt iudicia eius, & in-*
Rom. 11. *uestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit*
num. 4. *sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* quam sententiam dixit D. Hierony. in

cap. Isai. 40. desumpsisse Paulum ab Isaia Isai. 40.
40. & pro eo, quod nos habemus *incom-* num. 13.
prehensibilia, Ambros. lib. 4. de fide cap. 6. & August. lib. de grat. & libert. arbit. ad Valent. cap. 22. legunt, *inscrutabilia*, & *inuestigabiles*, significationemque habent negantem, id est, quæ non possunt inueniri, seu imperuestigabiles, forsan enim, sicut ibi aduertit Tolet. Error scriptorum est, qui non attente abstulerunt vnum, *in*, quod tamen parum refert, dum sensus non mutetur.

Dicitur etiam Deus altissimus ab altitudine potestatis, Dei enim potestas super omnia est, quam benè agnoscens prædicaui Nabuchodonosor dicens: *Ego Na-* Dan. 4.
buchodonosor benedixi Altissimo, & vi- num. 31.
uentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius, potestas sempiterna, & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt, & non est qui resistat manui eius. Et filio Nabuchodo-
nosor dixit Daniel, *O Rex, Deus altissimus* Dan. 5.
regnum & magnificentiam, & gloriam de- num. 15.
dit Nabuchodonosor patri tuo, quando autem eleuatum est cor eius depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum, & quacumque voluerit suscitabit super illud.

Postremo Deus vocatur Altissimus ratione habitationis, licet enim vbique sit, peculiari tamen ratione dicitur esse in cœlo, imò, & in altissimo cœlorum, quod Theologi vocant empyreum, ibi enim est eius regia, ibi se clare videndum beatis omnibus præbet, ibi perpetuo ab omnibus laudatur, vnde sacra Scriptura sæpissimè dixit Deum habitare in altis, & excelsum esse eius habitaculum. Ex quibus infertes exaltare Deum hoc loco significare non solum quæ altissima sunt de ipso prædicare, sed acceptum beneficium victoriæ de Ægyptiis, Deo tanquam supremo Domino, & largitori tribuere, & proinde ipsum super omnia laudare, id enim mihi videtur significare verbum exaltandi, cum dicitur, exaltari super cælos, nihil aliud existimo significari, quam famam, ac gloriam nominis Dei ad vsque cœlum ipsum, imò & supra cœlum peruenire, quale est illud
Habac. cap. 3. *Operuit cœlos gloria eius*; & Abac. 3.
apud Græcum odiss. 9. *& mea gloria* num. 3.
ad cœlum peruenit, & apud
Latinum Æneid. 7. *fama*
super æthera
notus.

ANNO

ANNOTAT. I.

Quanto maiori cum ratione post Incarnationem Verbi appellare possumus Deum nostrum, quam Moyses, proindeq́; eum glorificare.

ID igitur primo in hoc loco notandum occurrit ex eo fundamento Moysem appellare Deum suum, *Iste Deus meus*, quod ipsius beneficentiam in se expertus fuerat, & beneficia receperat. Vnde si mentem altius erigamus nobis statim occurrent non Dei beneficia tantum, sed & ipse Deus, qui sese nobis in filio communicauit, & nostram naturam sibi copulauit, ac desponsauit, cuius veluti sponsalia celebrata sunt & in lege naturæ inscripta, matrimonium vero celebratum in aduentu Christi, vt dixit *Irenæus lib.4. cap.17. August. lib.22. contra Faustum cap.89.* & consummatū est hoc matrimonium cùm virgo parens dixit: *Fiat mihi secundum*
Luc. 1. *verbum tuum.* Quando persona Verbi
num. 38. communicata est naturæ humanæ, imò & nostram naturam ad se traxit, sibique vniuit pro nobis etiam in morte offerendam, quod rectè Ambros. dixit serm. 10. in Psalm. 118. *Habemus, inquit, aliquid, quod fortasse Angeli non habent, vbi enim abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Nobis natus est Christus ex Virgine, legimus enim, puer natus est nobis, & filius datus est nobis, nobis carnem suscepit, imò potius nos in illa carne suscepit*, quæ fuit ratio cur beatissima Parens post felicissimum partum, non sibi ipsum brachiis adstrinxerit, sed potius reclinauerit in præsepio, quasi nobis ipsum offerens, qui nobis natus erat, & *August. lib. 1. Confess. c. 3.* ait: *Cum effunderis super nos, non tu iaces, sed erigis nos.* Et lib. de agone Christiano. *Nolite vos ipsos contemnere viri, Filius Dei virum suscepit, nolite vos ipsas contemnere fœminas, Filius Dei natus ex fœmina est.* Æquum enim erat vt se magnifacerent homines, & mulieres, quando Verbum factum est simile illis natum ex Virgine, decorans istas, virisque se communicans. Illud tamen necessario nobis recolendum est, quod etsi is, qui per gratiam, Deum participat, eundem appellare possit suum, sicut notauit *Origen. in cap. 1. Epist. ad Rom.* Quod etiam attigit *Dionys. Areopag. 2. de Cœlest. Hierarchia*, in fine,

A cum dixit; *Sit dux verbi Christus (si mihi dicere liceat) meus.* Qua ratione olim Deus dicebatur Iustorum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, Heliæ, & Danielis, tamen longe maiori cum ratione, ampliorique iure nos dicere eum possumus nostrum, postquam nostram naturam assumpsit, imò nos in ea natura assumpsit, vt collapsos erigeret, perditos reformaret secúmque ad cœlestia regna deferret.

Adeóque se nobis communicauit, nosterque voluit esse caro factus, vt nun-
B quam nostram carnem demiserit etiam in morte, quanquam anima à corpore separata fuerit, tamen & diuina hypostasis Filij, & diuina itidem natura vnita permansit carni, quam nunquam demisit etiam in sepulchro. Dixerat olim Iacob Domino, Angelóve eius personam gerenti. *Non dimittam te nisi benedixeris* Gen. 32.
mihi. Sed longe aliter posset dicere ipse num. 26.
Dominus, & semini Iacob, & carni ipsius. Non dimittam te etiam si maledixeris mihi. *Etenim cum malediceretur non ma-*
C *ledicebat*, sicut dixit Petr. seu vt habet 1. Petr. 2.
textus Græcus; *non remaledicebat*, quando num. 23.
etiam legunt potiores Patres, *Hieronym. Ambros. August. Cyprian. Fulgen. Paulin. & Ruffin.* licet enim asperis verbis Iudæos fuerit allocutus, appellans eos *diaboli filios* Ioann. 8. *generationem malam*, Ioann. 8.
Matth. 12. *prauam & malam, & adulte-* num. 44.
ram, Matth. 16. *cæcos, & duces cæcorum*, Matt. 12.
Matth. 15. *occisores Prophetarum*, Matth. num. 39.
23. *Sepulchra dealbata, plena ossibus mor-* Matt. 16.
tuorum, & omni spurcitia. Matth. 23. & num. 4.
D similia, hæc tamen non legitur dixisse ab Matt. 15.
aliis prouocatus, quasi seipsum vendica- num. 14.
uerit, & maledictus remaledixerit, imò Mat. 23.
cum iniuriis impeteretur tacuit, & reti- num. 31.
nuit patientiam, & constantiam, vt quan- Mat. 23.
do dæmoniacus appellatus est, ac Sa- num. 27.
maritanus vtens opera Beelzebub, vorax, potatórque vini. Non modo autem non maledicebat, sed & benedicebat: Maledictus insuper fuit, quia *maledictus* Galat. 3.
omnis qui pendet in ligno. Sed neque ad- num. 13.
huc ab hominibus maledictus humanam
E carnem demisit, etiam cum se demissum conqueritur à Patre, & cum discipuli omnes relicto eo fugerunt. Quod optimè notauit *D. Leo serm. 17. de Passione Domini Feria 4.* dicens: *In tantam vnitatem Dei, & hominis natura conuenit, vt nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi*; Quod ita intelligendum est, vt per naturam hominis intelligamus carnem, seu corpus, atque animam se-

paratam à corpore, quæ dum vniuntur, A constituunt humanam naturam: nam per mortem Christi separata est anima a corpore, & desiit tunc esse natura humana, seu humanitas; at vero partes constituentes ipsam naturam, nunquam deseruit Dei natura, & persona Verbi, mansit enim & carni vnitum, & animæ.

Quod insuper possumus probare ex pulchro modo loquendi *Tertulliani lib. de carne Christi cap. 20.* vbi sic habet.
Ps. 138. num. 3. *Accipe Christum, & audi Dominum, Patri Deo colloquentem, quia tu es qui auulsisti* B *me ex vtero matris meæ, quid auellitur, nisi inhæret, quod infixum, & innexum est ei, à quo, vt auferatur auellitur? si non adhæsit vtero quomodo auulsus est? etiamsi cum quid extraneum extraneo agglutinatur ita concarnatur, & conuisceratur cum eo cui agglutinatur, vt cum auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid, à quo auellitur, quasi sequelam quandam abruptæ vnitatis, & traducis mutui coitus.* Quibus verbis talem coniunctionem asserit Tertull. inter personam, ac C naturam Verbi, & naturam humanam, vt non fuerit diuinum Verbum separatum ab humanitate, & totali natura in triduo mortis, quin secum deferret coniunctam, & carnem, & animam, ea enim, quæ conglutinata sunt, quando ad inuicem separantur, semper secum deferunt frusta alterius partis, veluti in signum adhæsionis præcedentis. Conglutinatus itaque olim dicitur Deus Patribus antiquis (vt iuxta modum loquendi Scri-
Deut. 10. num. 14. pturæ, & Tertull. loquamur) per amo- D rem; sed maior accessit, eaque ineffabilis vnio hypostatica, qua diuinum Verbum carni ex ipsorum patrum progenie vnitum, & conglutinatum est, vt noster posset vocari, longè maiori cum ratione, quam Moyses Deum suum appellabat, & vt vera semper esset hæc locutio, partes essentiales quas semel assumpsit, nunquam dimisit. O si nostrum, nostræque carni sic indissolubiliter vnitum Deum hac in re ipsius ope imitari conatemur, vt scilicet nunquam ab E eo separemur; etenim sicut dixit Pau-
1. Cor. 6. num. 17. lus: *Qui adhæret Deo vnus spiritus est,* vbi D. Thomas lect. 5. *Qui adhæret, scilicet per fidem, est vnus spiritus cum illo, quia scilicet vnitur ei in vnitate spiri-*
Ioan. 17. num. 20. & 21. *tuali, non corporali. Et hanc vnitatem precabatur ipse Filius Dei in carne, dum dicebat. Non pro eis rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Vbi tamen cauenda quidem æqualis similitudo, quam falsò introduxere Ariani, nam Filius in Patre, & Pater in Filio est per naturæ identitatem, quam mutuam existentiam vocant Theologi circum in sessionem, secundum quam Athanasius in expositione fidei dixit Spiritum sanctum semper esse in manibus Patris. Et *Damasc. lib. 1. de fide cap. 10.* vocat Spiritum sanctum inseparabilem, & indigressibilem à Patre & Filio. Qua de re videndus *D. Thom. part. 1. quæst. 42. artic. 1.* Et *Suar. lib. 4 de Trinit. cap. 16.* At vero nos vnimur Deo per fidem, charitatem, & gratiam, per quam dicimur esse in ipso, & ipse dicitur esse in nobis, & vnum esse inter nos & cum ipso, quod docte & subtiliter prosequitur *Cyrill. Alexandr. lib. 11. cap. 26.* Hanc igitur cum Deo vnionem debemus conseruare, & pro ea pugnare, quandoquidem ipse vnionem nobiscum factam sic conseruauit. Tunc enim & dicere possumus, *Iste Deus meus*, tum quia ipse nostram assumpsit carnem, tum quia illi vniti sumus per gratiam. Conducit vero maximè ad conseruandam hanc vnionem spiritualem: corporalis vtique vnio, quæ fit per præsumptionem corporis, & sanguinis Christi, quam appellauit Chrysost. Incarnationis extensionem; illa enim diuinitas, & persona Verbi, quæ singularem naturam illam sibi vniuit, & assumpsit, pluribus in hoc sacramento, dum manducatur, vnitur, quibus vnionem promittit, dum ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit* Ioan. 6.
meum sanguinem, in me manet, & ego in num. 4.
eo. Manet enim, qui verè manducat, in eo ratione gratiæ ex manducatione acceptæ, per quam dicitur Deus inhabitare in nobis, & manere, & noster sic dignatur dici, qui à nobis dicitur manducari, & bibi.

Sicut autem cum alicuius rei possessionem quis accipit, ipsam manibus nititur attrectare: vt sic Deum nobis natum, & à nobis susceptum ostenderet Ioannes, ait: *Quod perspeximus, & manus nostræ* 1. Ioan.
contrectauerunt, de verbo vitæ, quæ ver- num. 1.
ba etiam ad tactum rudem discipulorum videntur referre *August. serm. 147. cap. 1. de temp. & 155. cap. 2. & 160. cap. 1. & serm. 18. de verb. Domini cap. 1. & D. Leo Epist. 97. cap. 2. & Epist. 10. cap. 5.* Etenim cum cæteri sensus eminus excipiant, &
possideant

possideant sua obiecta, sicut ait *Aristot.* *2. de anim. cap. 2.* quibus similia habet Philo lib. de Abraham: cum insuper noster aspectus plerúmque fallatur, vnde quando remum aquæ immersum videmus, fractum existimamus, nostrique visus errores corrigit tactus, sicut dixit *Tertull. lib. de anim. cap. 17. & Aristotel. libro 1. de Histor. animal. cap. 15.* Vnde eleganter *D. Ambrosius in Commentario Psalm. 3.* prædicta Ioannis verba legit, & manus nostræ scrutatæ sunt, ideóque Christus Dominus non habuit satis se, & sua vulnera ostendere discipulis, sed addidit: *Palpate, & videte, quia spiritus, &c.* Et impietas Thomæ Apostoli solo tactu reducenda fuit, cum dixit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam.* Ioan. 20. super quæ verba sic ait *Augustin. serm. 159. Manus quærebat, & latus, & dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrit in fide: nec prius certus redditus est, quam tetigerit,* sicut ait *Tertullian. lib. de anim. cap. 18. & Ambros. Psalm. 34. Cyrill. libr. 12. in Ioann. cap. 58. Gregor. homil. 26. in Euangel. Augustin. tractat. 121. in Ioann.* vbi latè docet non prius credidisse Thomam, quam vulnera Christi Domini tetigerit. Quibus habet similia *Chrysost. tom. 3. homil. de Trinitat.* cum existimat eum locum Psalm. 69. *Deum exquisiui manibus meis, & non sum deceptus,* referendum esse ad tactum Thomæ Apostoli, palpando siquidem fidem inuenit, quam perdiderat. Vt igitur Christus Dominus se hominibus natum, & datum, sicut canit Ecclesia ostenderet, Simeoni traditur, vt eum accipiat in vlnas suas *Luc. 1.* vt is, qui erat expectans consolationem Israël, eius compos fieret communi omnium hominum nomine, deinde se contrectandum, & possidendum præbet discipulis, quam possessionem à se acceptam fatetur Thomas cum post contrectationem vulneris, Deum suum, & Dominum suum proclamat dicens: *Dominus meus, & Deus meus,* tunc enim suum & Deum, & Dominum fatetur, cum manibus suis inquirens, acquirit; neque enim audiendus impius Theodosius damnatus in sacra Synodi Constantinopolitana cap. 12. dum prædicta verba non per assertionem dicta putat, sed per admirationem, quasi in iis Thomas admiretur Dei potentiam, qui Christum purum hominem à mortuis excitauerat, cum con-

Luc. 24. num. 39. — *Ioan. 20. num. 25.* — *Psal. 76. num. 3.* — *Luc. 1.*

A stet Thomam diuinitatem in Christo apertè confiteri.

Noster itaque factus est Deus per Incarnationem quando in nostros vsus totus expensus est in incarnatione, quod eleganter probat *D. Bernard. tractat. de diligendo Deo.* Vbi asserit Deum in nostri creatione nos ipsos dedisse nobis, at vero incarnatione sua se nobis dedisse, *& serm. 2. in Cantic.* ait: *Securus suscipio mediatorem Dei Filium, quem agnosco & meum. Minimè planè iam mihi suspectus* B *erit, frater enim & caro mea est. Puto enim spernere me iam non poterit os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Sic ille. Cum vero infiniti valoris fuerit hoc donum, Verbum, scilicet carni vnitum, & caro factum, arridet maximè ea expositio, quam quidam ex recentioribus affert ad ea verba: *Cecidit Abraham pronus in terram,* quando, scilicet, Deus illi promisit futurum pactum, & deinde fore patrem multarum gentium respiciendo ad semen cœleste Christum, & ex eo, ac per eum C fideles Abrahæ filios in cœlo instar stellarum radiaturos. Ait enim prædictus autor Abrahamum id fecisse, quia pondus tanti beneficij sustinere non valuit, si enim quodlibet beneficium gratum animum onerare solet, quid mirum si Abrahamum deprimit vel etiam in specie datus Deus homo.

Gen. 17. num. 3.

Quoniam vero idem Deus homo nobis datus est, testatum id voluit benignissimus Dominus, cum & Dei maiestatem nobis vtilem præbuit, & homi- D nis infirmitatem nobis prodesse ostendit; quod eleganter prosequitur *D. Bernard. serm. ad milites Templi cap. 11.* vbi ita habet; *Totum nobis de Christo valuit, totumq; salutiferum, totum nostrum fuit, nec minus profuit infirmitas, quam maiestas, quia & si ex Deitate potentia peccati iugum iubendo submouit, ex carnis tamen infirmitate mortis iura moriendo concussit, &c.* Ad hoc ergo nobis datus est, vt totus nobis in vtilitatem, & commodum velut noster cederet: vnde E idem *Bernard. homil. 3. super missus est,* circa finem, ait: *Id de nobis exigit, vt nostro Deo in nostram vtilitatem, & salutem velimus vti, nobis, non sibi, paruulus natus est, nobis vtamur nostro, in nostram vtilitatem de Saluatore salutem operemur, studeamus ne magnus Deus sine causa factus sit homo paruus.* Quibus habet similia *serm. 1. de Natiuitate Domini,* vbi ait: *Quid tu times, ô homo, quid*

trepidas à facie Domini? Homo factus est, vt tibi se adeundi fiduciam magnam præberet, licèt paruulus ad nos venerit, non parum tamen attulit nobis, nec contulit. Et *D.Gregor.homil.34.in Euang.ad fin. Fiduciam præbet apud Deum, homini, Deus homo.* Et *Faustus Rhegiensis Galliarum Epi-*
Isaiæ 9. num.6. *scop.tom.3.Bibliot.Epist.vltima*, ait: *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis*, Isaiæ 9. natus est nobis, qui sibi erat. Datus ex diuinitate, natus ex Virgine, natus qui sentiret occasum, datus qui nesciret exordium, natus qui matre esse iunior, datus, & quo nec Pater esset antiquior, natus qui moreretur, datus per quem & vita renasceretur, illic dominatur, hic humiliatur, ibi regnat, & mihi militat. De nostro est quod appendit, de suo est, quod donauit: de nostro habuit vnde caderet, de suo vnde consurgeret, de nostro habuit vnde pro nobis solueret; de suo vnde penitus in nullo debitor appareret; de nostro obtulit sacrificium, de suo contulit præmium, homo infirmitatibus agnoscitur, Deus virtutibus approbatur. Sic ille.

Id tandem hoc loco notandum est, quod Apostolus eleganter dixit argumento illo suo à minori affirmatiuè, vt Logi-
Rom.8. num.32. ci loquuntur, dum dixit: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* seu, vt exemplaria Græca, habent, & Ambros. legit, *donabit?* Est igitur sensus, si quod minus videbatur faciendum, factum est pro nobis, ergo etiam quod magis faciendum videtur, quid enim minus faciendum, quam vt Deus omnium rerum creator fieret noster per incarnationem, quid iam deinde suum nobis negare poterit, qui seipsum concessit nobis, vt noster fieret, nostrámque sibi vniret, ac desponsaret naturam, quod argumentum pulchrè sanè prosequitur *Chrysostom. homil. 12. in Matth.* vbi ita habet: *Illud est admirationis omnimodo plenum, quod ille qui erat Deus, homo fieri voluit, iam vero alia iuxta rationis ordinem consequuntur, ex illo enim antecedente, quod & natus, & datus est nobis Filius Dei*, rectè infertur cætera omnia facillimo negotio, donaturum qui à tanto beneficio non abstinuit. *Et August.in Psal.*118. plus est, quod fecit quam quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te, idem dicito de nato Deo pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo, incredibilius est, quod mortuus est Æternus,

A adde, & quod natus est, quam vt in æternum viuat mortalis, iam quod incredibilius est tenemus, non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui viuet in æternum? Sic August.

Videndum igitur si cum nobis conferri possunt ij, qui Deum suum appellabant ratione liberationis ab Ægyptiis, cùm noster factus sit per incarnationem, vt à peccatis nos redderet liberos, videndus si debemus eum glorificare, & Deum nostrum proclamare, cùm iam
B ipsum digito velut vnum ex nobis ostendat Ioannes, & nos eius gloriam veluti vnigeniti à Patre in terris videamus oculis, auribus nostris audiamus, & manibus nullatenus dimittendum, vtpote nostrum, contrectemus: magnificetur igitur à nobis (cum *D.Bernard. homil.3. super missus est*) paruulis magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus est paruulus, nam sicut notauit *D.Leo serm.5. de Natiuitate Domini, cap.3.* in assumptione naturæ nostræ factus est gradus
C quoad ipsum, per ipsum possimus ascendere. Et *Bernard. de diligendo Deo.* Si totum me debeo pro me factum, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facilè refectus, quam factus, nam qui me semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna; in primo opere me mihi dedit, in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis
D debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam & si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? sic Bernard.

Aduertendum autem est hoc in loco id, quod elegàter dixit *Cassiodorus lib.10. variarum, cap.13.* magnum scilicet beneficium Principis fuisse semper velle videri à suis: *Certè*, inquit, *præclarum munus est videre principem.* Et *Senec. lib. de clement. cap.3.* ait: *Illius magnitudo stabilis fundataq; est, quam omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt, cuius curam excuba-*
E *re pro salute singulorum, atq; vniuersorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod, aut noxium animale cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum, ac beneficum sydus certatim auolant.* Exierat è sinu paterno illum vtique minimè deserens, Verbum diuinum, & venit in hunc mundum factum caro, vt carnis nostræ mala, excepta culpa, susciperet, & culpas etiam ablueret, vitam

vitam pro omnibus expositurum; vide A
quanta cum ratione ad ipsius egressum è
materno thalamo debemus accedere, laudare, & benedicere, nostrúmque semper
dicere, & decantare, vt suos nos ipse dignetur reddere antequam enim ad suos
homines ipse veniret nō sic ad ipsum poterant accedere, neq; suum tam confidenter dicere, quod argumentum rectè prosequitur *Bern. serm.* 22. *in Cant.* ante medium cum ait. Sanè Ecclesia non ante currere valuit in odorem sui Salomonis, quovsque is, qui ab æterno ex Patre sapientia B
erat, factus est ei in tempore à Patre sapientia, quo ipsius odorem percipere posset. Sic iustitia, sic iustificatio, sic & redemptio nihilominus ei factus est, vt horum quoque in odorē currere posset, cum hæc æquè omnia in se ante omnia esset, nam & in principio quidem erat Verbum, sed tunc Deum ad videndum ipsum pastores venerunt festinantes, cùm nunciatum est factum. Deniq; & loquuntur ad-
Luc. 2. inuicem, *Transeamus vsque Bethleem, &*
num. 15. *videamus hoc Verbum, quod factū est, quod* C
fecit Dominus, & ostendit nobis. Et sequitur quia *venerunt festinantes.* Prius non se mouebant, dum Verbum erat tātùm apud Deum, at vbi Verbum, quod erat, factum est, vbi hoc Dominus fecit, & ostendit, tunc venerunt festinātes: tunc cucurrerūt. Sic ille. Cui concinit *D. Ambros. serm.* 3. *in Psalm.* 118. vbi ait. Corpus suscipiens Dominus Iesus charitatis se vinculis alligauit, & tanquam fasciculum se nobis dedit, quem inter vbera nostra contineamus, cuius aspectu lætemur, saturemur D
gestu (absque tamen societate) roboremur contractu. Sic *Ambros.* ostendit ad quid noster aduenerit Filius Dei, & cur ipsum nostrum possimus appellare, quare etiam & nos illius potius, quam nostri esse velimus, qui se ideo nostrum fecit, vt quocunque indigeremus, non de alieno, sed de nostro haurire quam facilè possemus. Quod sic *Plutarc. orat.* 1. *de Fortuna,* Alexandri dixit: Alexandrum conciliasse arctissimo, & perpetuo amoris fœdere Asiam cū mutato Macedonico habitu, in E
Persico eandem ingressus est, quid mirum igitur, si Filius Dei habitu inuentus vt homo, cælum & terram copulauit, hominésque Patri reconciliauit, & is qui solus hucúsque dicebatur tnæ Angelorum Rex ratione perpetuæ familiaritatis, modo iam dicatur nostræ ratione assumptæ carnis, qua indutus nostros omnium deuicit, & captiuauit affectus.

Videndus erit in hanc sententiam Pacatus oratione Panegyrica Theodos. Imperat. vbi illud primum commendat in Theodosio quod crebro egrederetur, spectantibus populis, nec se videri tantummodo faceret, sed facilis insuper esset aditu, & ex proximo acciperet suorum vota: at noster Imperator talem se erga nos, támque beneuolum & benignum exhibuit, vt non solum ipsum possimus adire, sed longè præstantiorem benignitatem testatus, velit à nobis excipi velut noster, & in tabernaculis nostrarum animarum intromitti, & ne tandem illius obliuisceremur & cibus, & potus nobis factus est, sine quibus vita nostra consistere nequit, vt si quando amor deesset, necessitas vrgeret, ad quærendum illum & inueniendum. Nec mirum quod sic in hominibus voluerit inueniri qui ab iisdem voluit manducari, vt omnibus, quibus posset modis, nobis addiceretur: qua de re videndus *D. Thom. opuscul.* 57. Neque veritus est inter homines inueniri, & cum eis conuersari, quod apud mortales minuit quidem, & detrahit de auctoritate Principum, sicut Suetonius dixit in *Tiberio cap.* 10. vbi ita habet. Secede interdum, vt vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueare, quod etiam de Scipione dixit Liuius: decimo iam propè anno absoluto, assiduus in oculis fuerat, quæ res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit. Cùm enim nihil aliud intendat Filius Dei in carne, quam à nobis excipi, talem se exhibere dignatus est, quem potius amaremus, quam timeremus, qua de re videndus est *Chrysost. homil.* 17. *in Ioann.* vbi ostendit Deum seruato decore descendisse in carne, vt charitatis vinculis homines alligaret sibi. *Quemadmodum,* inquit, *in nuptijs non sponsa sponsum petit, sed è contra, quamuis Regis filius vilem ancillam duceret, ita nunc descendit Deus ad homines, licet viles, & abiectos, vt humanam nostram naturam contemptam prorsus, & deiectam ad cælum reduceret, & eleuaret, velut ad thalamum nuptialem.*

Si verò licet falsa componere veris & prophana adiungere diuinis, ad rem nostram facit locus ille apud Anacreontem Lyricum Græcum in carminibus de amore, vbi introducit amorem certantem cum quodam vt eum deuinceret, & ad suum affectum reduceret, & alliceret, cumque omnibus in eum iactis telis, nihil tandem proficeret velut si lapideum

cor sagittaret, æstuans iecit se penetrans A in eum, quem amauerat, suúmque reddidit. Hoc videre licet in diuino amore, dũ *semen Abrahæ apprehendit*, sicut dixit Paulus *Hebræorum* 2. vbi *Chrysostom. homil.* 5. quem sequuntur *Theophylact. Eutym. & Oecumen.* illud notarunt, nõ dixisse Apostolum semen Abrahæ suscepit, sed visum fuisse hac dictione, *apprehendit*, metaphora sumpta ab illis, qui persequuntur auersos, & fugientes, omniáque faciunt, ac quam ocissimè currunt, vt eos comprehendat. sic denotat *Paulus* fecisse Deum B ex magna charitate; qui Angelos fugientes, & cadentes velut fulgura, abire permisit, renuentem verò sanguinem, & carnem Abrahæ præ nimia dilectione detinuit, comprehendit, sibique vniuit.

Hebr. 2. *num.* 16.

Gen. 18. Semen Abrahæ erat Iacob, qui fessus de via, quando Mesopotamiam petebat, accubuit, lapidémque capiti supposuit, apertúmque illi apparuit cælum, & Angeli descendebant, rursusque ascendebant, & in summitate scalæ innixus apparuit ipse Deus, fortè pollicitationibus cum Ia- C cobo decertans, & in sui amorem alliciens eam carnem, quam de illius posteritate in virgine erat assumpturus. Iacula profectò amoris hæc omnia erant, cæterum quasi parum profecissent, veluti per vim extorquere voluit redamationem, eámque carnem sibi trahere, suámque reddere quando luctatus est cum Iacob vsque mane: etenim ibi dicitur: *Nequaquam vltra vocabitur Iacob nomen tuum, quoniam si fortis contra Deum fuisti, quanto magis contra homines praualebis!* Et D apud Oseam vbi nos habemus, *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo*, in Hebræo habetur, *directus est cum Deo.* Licet enim Angelus esset ille, qui luctabatur cum Iacob, Dei tamen personam agebat, & propterea, de more Scripturæ, se Deum nominauit. Aduertendum deinde est eam luctam factam fuisse per comprehensionem membrorum, & attrectationem; nam verbum Hebræum pro quo noster Interpres vertit, luctabatur, potius significat puluere respersus est cum Ia- E cob, alludens Moyses ad antiquum morem quem seruabant Palestritæ, & luctatores conspergentes corpora puluere, vel arena, quando luctaturi erant, sicut aduertit *Plinius lib.* 35. *c.* 5. *& Suet. Tranquill. in Nerone c.* 45. vbi plura dixit *Beroald. & Rader. lib.* 1. *epigrāmat. Martialis epigrammat.* 62. vnde est illud *Lucani lib.* 4. agens de lucta Herculis cum gigante Antheo.

Gen. 32. *num.* 28.

Osea 12. *num.* 4.

Auxilium membris calidas infudit arenas.

Itaque vsque adeo Deus amauit carnem & sanguinem Iacob, vt luctando, & veluti per vim eum sibi adiunxerit, quod significare videntur ea verba, *Ecce vir, id est Deus luctabatur cum eo, vel eodem puluere respersus est cum eo*, sic enim passiuè legendus est locus in Hebræo; puluis enim, & caro in hac materia idem prorsus sunt. Voluit itaque Deus, eum hominem quem beneficiis non potuit deuincere, & superare, vt ad Deum confugeret, veluti iaculis immissis, tandem ad se attrahere, suúmque reddere, vt & nos ipsum nostrum dicamus, & quilibet iam dicat: *Iste Deus meus, & exaltabo eum.*

Cùm ergo quilibet nostrum possit dicere iam, *Iste Deus meus*, addat quæso, *& tabernaculo*, seu, *habitaculum faciam ei.* Olim Deus domum habebat in Hierusalem iuxta illud, *Cuius ignis in Sion, & caminus in Hierusalem*, & ideo qui ipsum conuenire vellet, domum illius poterat adire, at nunc ipse nos conueniens, domum, & hospitium nostrum quærit, & nec etiam in diuersorio vniuersorum Dominus locum inuenit. Natus siquidem est in præsepio, quia non fuit ei locus in diuersorio, de cælo quod nobis est expositus, sicut dixit *Tertull. lib.* 4. *contra Marc. cap.* 21. vt in corde nostro reponatur, temporis iniuriis expositus, vt inter vbera nostra eum commorari faciamus. Cuius enim non moueant, & aperiant viscera vagientis gemitus, qui per viscera misericordiæ suæ nos visitare dignatus est ex alto, & in humili loco, ac infimo inter bruta reponi. Vnde *Chrysolog. serm.* 69. *Iacet in cunabulis vt homo: vagitu suo implorat, inquirit, exigit, quam tibi præstitit ipse pietatem.*

Isaia 31. *num. vlt.*

Quod si homines, proh dolor! *omnes quærunt quæ sua sunt*, videtur vtique, iam adest, imo sese nobis offert Deus noster. Quis igitur eum domi non recipiat? Quod si frigidum solummodo verbum, vt loquitur *Chrysost.* meum, aut tuum audi- tur, cur non audiatur frigore rigens, Verbum homo caro factum, pro nobis, imò & nobis vt amoris calore foueatur? Ipse, *in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, ab hominum habitatione velut eiectus, in præsepio, vt ei offeramus in nobis verum tabernaculum, ac animi nostri domicilium, & qui venit habitare in nobis, incipiet iam inuitari à nobis, & veluti à nobis tabernaculari, sic enim interpre

Philip. 2. *num.* 21.

Coloss. 2. *num.* 9.

interpretatur Theodoret. lib. contra hæ-
Ioann. 1. reses illud verbum apud *Ioann.1.& habi-*
num. 14. *tauit in nobis*, cum illo *Apocal.21. Ecce*
Apoc.21. *tabernaculum Dei cum hominibus, & ha-*
num.3. *bitauit cum eis*, aduertit autem *August.in Manuali ca.26.* ad nos Deum descendisse, vt familiarius ab homine diligeretur, vnde nostrum pungens otium, & exercitans negligentiam *D. Chrysolo. serm.141.* ait: *Tamen homo si nō mox cum Angelis agnosce, vel tardissime cum iumentis, ne dum moraris, ipsis iumentis, quibus ante comparatus fueras, postponaris; ecce iumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu, quo possunt auctorem suum fatentur contra naturam, in tuam veniße naturam.* Si quidem igitur tot modis iste Deus est tuus, tabernaculum ei in animo tuo debes struere.

Quod si aliqui iuxta vim Hebrææ vocis vertunt hoc loco, *Iste Deus meus, & decorabo eum*, id est decorum, ac pulchrum prædicabo, decet vtique talis laudatio Christo Domino recenter nato, ratione in primis humanitatis. Nam sicut dixit *Hieron.in cap.52.Isai.* Quid pulchrius quam in forma serui, fieret forma Dei, & sederet, & regnaret cum Christo in cælestibus? Vnde *Origenes de* illa intelligit illud
Cant.1. *Cant.1.Ecce tu pulchra es amica mea.* vbi
num. 15. ipse legit, *Ecce speciosa proxima mea. Quare*, inquit ille, *non solum speciosa es, dicit, sed speciosa es proxima mea, sponsa si longe fuerit ab sponso, non est speciosa. tunc pulchra fit, quando Dei verbo coniungitur.* Sed clarius ad rem nostram *Bernard.serm.45. in Cant.* ait: Quam pulcher es Angelis tuis Domine Iesu in forma Dei, in die æternitatis, in splendoribus sanctorum, quam mihi decorus es, Domine mi in ipsa tui huius positione decoris, etenim vbi te exinanisti, vbi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, vbi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit; quam clara mihi oriris stella ex Iacob, quam lucidus mihi flos, de radice Iesse &c. Quæ persequitur quæque possemus claudere dicendo, iste Deus meus, & decorabo, seu decorum prædicabo eum.

Sed quid dictura est lingua parua ad laudandum, & decorandum, & magnum, & pulchrum Dominum, sicut ait *August.*
Psal. 95. *in Psal.95.* ad ea verba, *Magnus Dominus,*
num.1. *& laudabilis nimis*, quod si admittas nimis laudabilem Dominum, paruulum tamen in præsepio. Quod etiam dixit *Bernardus serm.48.in Cant.* Fateor parua laus, quoniam parui laus, non enim hoc loco prædicatur magnus Dominus, & laudabilis nimis, sed paruus Dominus, & amabilis nimis. Respondet optime Aug. Noli contemnere paruum, sed intellige magnum, paruus factus est, quia parui eratis, intelligatur magnus, & in illo magni eritis. Quibus habet similia *D. Ambros. præfat. in Psalm.35.* cum ait Magnus Dominus, & magnus puer, nec in carne magnitudinis suæ nomen amittit, cuius magnitudinis non est finis. Denique tam pulcher, & decorus est Dominus in præsepio, vt August. ad præsentiam pulcherrimi infantis neget noctem dicendam eam in qua natus est: sic enim habet *serm. 26.de verb. Domini* ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, ex eo denique factum puto vt nox decresceret, vt sol festinus ob Dominicæ natiuitatis obsequium, ante mundo lucem protulit, quam nox cursum sui temporis consummaret; quare non credamus, quod nascente Christo sol obsequium lucidior aduenerit præ gaudio, vtique lucidiore potuit aduenire sed nouam à luce inaccessibili hauriens, lucidior rediit ac occasum. Aurora appellatur tempus Natiuitatis ab *Osea. Quasi diluculo præparans* Osee 6.
egressus eius, prout multi apud Riberam num.4.
intelligunt hunc locum, tuncque orta est lux magna iuxta illud. *Populus qui* Isai.9.
ambulabat in tenebris vidit lucem ma- num.2.
gnam. Et cap.30. *Lux solis erit septempli-* Isai.30.
citer sicut lux septem dierum in die qua num. 26.
alligauerit Dominus vulnera populi sui, & percussuram plaga eius sanauerit. Hanc igitur lucem ego interpretor fuisse meridianam, etiam si apparuerit in ortu, & prima apparitione solis: nam si meridies tunc fit, quando sol existit in altiori puncto orbis, sane quando natus est sol iustitiæ: *Visitauit nos oriens ex alto.* Vnde Luc.1.n.
meritò sponsa de Verbo incarnato & re- 78.
clinato in præsepio ait *Cant.1.Indica mi-* Cant.1.
hi vbi cubes in meridie, quæ verba magis num.7.
constabunt ad sensum nostrum si apponamus expositionem Hieronym. quam ipse
affert ad illa verba *Abac.3.Deus ab Austro* Abac. 3.
veniet, vbi omnes ferme, ac grauiores in- num.2.
terpretes dicunt Bethleem à meridie respicere Hierusalem, & in ortu suo Christum Dominum à meridie apparuisse. Vnde *Diuus Augustin. libro 8. de Ciuit. Dei*, Austrum explicat per meridiem, quæ expositio placuit Hesychio teste Agellio. Hieronymus igitur ait, Deus semper in meridie est. Et Ioseph. in typo

Christi

Christi conuiuium facit fratribus in meridie, venit ergo in pleno lumine. Sic ille ostendit eum qui semper est in meridie etiam mediam noctem ortu suo, ac pleno lumine in meridiem conuertisse.

Est optimus pro pulchritudine Christi infantis locus apud *Cyrill. lib. 1. in Ioann. cap. 18.* vbi aduertit postquam dictum est, *Et Verbum caro factum est*, addendum necessario fuisse, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, ne quispiam putaret de antiqua maiestate aliquid perdidisse cum factus est homo, sicut ait: *Augustin. lib. 3. de Trinit. cap. 19.* Quibus habet similia contra *Felicianum cap. 12. in Psalm. 29.* ibi *Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se, Nō in decore*, ait August. *incarnatus est Dominus sicut pulchre, & hunc mundum creauit, etenim & potens, & formosus est Dominus creando, potens, & formosus est incarnando*, non lædit enim generositatem Dei, humanitatis depressio, & humilitas hominis, imo pertinet ad generosos, sicut notauit *Theophylact. in cap. 13. Ioan.* nihil humile eorum gloriam offendere: pro quo argumento videndus Plutarc. in vita Pompei vbi infelicitatem eius enarrat, postquam enim superatus est à Cæsare in eas angustias redactus est, vt omni seruorum ministerio destitutus, nō haberet qui aquam manibus infunderet, cæteraque ministeria seruitia exhiberet, ideoque sibi ipsi seruire coactus est, & tamen inter hæc, & in tanta fortunæ commutatione animi sui dignitatem seruauit, & pectoris generositatem retinuit. Itaque, inquit Plutarc. exclamasse quendam. O quam decora sunt omnia generosis! Quid mirum igitur si filius Dei nostram sibi vniendo carnem, decorem & pulchritudinem induit, ita vt meritò ei dicere possimus. *Iste Deus meus, & decorabo*, seu: *decorum decantabo, & prædicabo eum.*

Ioann. 1. num. 14.

Hanc fanè Christi Domini in carne pulchritudinem videre cupiebant Angeli, qui visi sunt à Iacobo ascendentes, & descendentes ad ipsum venire, vt iam tunc contemplarentur eam carnem Iacobi, quam de Virgine matre filius Dei sibi erat assumpturus, & in qua benedicendæ erant omnes gentes, sicut ei ibi à Deo dictum est; vulgare enim est apud sanctos Patres, scalam illam fuisse prophetiam de Christo, vt videre est apud *Augustinum lib. de verb. Domini serm. 40. & tract. 7. in Ioan. lib. 12. cont. Faust. cap. 27. & lib. 16. de Ciuit. cap. 38. & lib. quæstionum in Genes. quæst. 83. & 84. & in Psalm. 4. & sæpe alibi Prosper lib. de promissionibus Dei. p. 1. cap. 25. & Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata*, vbi ait Iacobum præuidisse Christum in terris, ad quem Angelorum caterua descendit, atque ascendit. Quid mirum vero si angeli descenderint ad videndam eam carnem, quam labentibus annis filius Dei assumpturus erat. si nunquam satiātur visione humanitatis Christi, sed semper ipsum amplius exoptant videre, quasi semper videnda eis restet aliqua portio illius pulchritudinis, & quasi recens, semperque noua, & sine fastidio, tædioque lætitia eis oriatur, tantoque velut impetu in illius obiecti perceptione versentur Angeli, ac si nunc primum inciperent Christi humanitatem videre, iuxta illud *Eccles. 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient.* Eccl. 24. num. 29. De Christo enim intelligunt eum locum, 1. *Petr. 2. In quem desiderant Angeli prospicere Cyrill. Alex. serm. de eo, quod Verbum Dei factum sit homo, Hugo, Beda, glossa ordinar. Thom. Angeli. Titelmanus*, 1. Petr. 2. num. 12. probabile putat, *Carthusianus, Sophronius. oratione, id est, de Christi Natiuitate tom. 2. Biblioth. Patrum, Petrus Damianus Epistol. 3. ad Blancam. cap. 4. & apud August. tom. 3. autor lib. de spiritu, & anima. cap. 59. Bern. serm. 1. & 4.* de omnibus Sanctis.

Gen. 28. num. 12. & 14.

Sed adhuc pro singulari Christi hominis pulchritudine aliam huius loci expositionem addo, Angelos scilicet, non contentos, quod intellectu percipiant perfectionem, & pulchritudinem humanitatis Christi Domini summopere adhuc desiderare potentiam videndi corpoream, vt oculis corporeis eam possent intueri ad instar hominum, illudque gaudium ex tali obiecto corporaliter viso haurire, quo nos fruemur dum ipsum videbimus, proindeque, cum sint intellectuales spiritus, velle insuper corporeum organum habere, quo maiorem lætitiam, visa illa pulchritudine perciperent. Nec mirum si corporeos oculos optant Angeli cum ipsos etiam loquentes, & interrogantes de Christi aduentu in carne introducat Dauid cum ait, *defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes quando consolaberis me. Psal. 118.* vbi Augustinus legit, *defecerunt oculi mei in verbum tuum*, factum scilicet, caro. Et quasi loquantur oculi dum ardenter expectant, me interrogant, & quærunt de tempore, quo aduenit illa Psal. 118. num. 84.
consolatio

consolatio Israël, qua visa nihil amplius videre voluit Simeon *Luc.* 1. Vnde & Christus Dominus dixit *Luc.* 10. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, dico enim vobis, quod multi prophetæ, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.*

Luc. 1. *num.* 29. *Luc.* 10. *num.* 23.

Est optimus pro hac sententia ille locus apud *Hieron. in Epistol. ad Rust.* vbi laudat Baptistam commorantem triginta annos in deserto inter asperas rupes, & incultos colles, nihilque decorum, & vrbanum vidisse; seruabat enim oculorum aciem, vt in speciosum præ Filiis hominum illam defigeret. *Viuebat*, inquit, *Hieronym. Baptista in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere*, cætera enim omnia ei fæda, & impura apparebant, qui veram pulchritudinem Christi in carne quærebat, sperabat, & exoptabat. Totidem fere verbis idem dixit *Chrysostom. homil.* 1. *in Marc.* vbi ita habet. *Oculis expectantibus Christum nihil aliud dignum est aspicere, nisi Christum.* Etenim si fingamus in vno homine aliquo omnes omnium creaturarum perfectiones, & virtutes positas, & collocatas esse, vt sapientiam Salomonis, celeritatem Asaëlis, Samsonis fortitudinem, obedientiam Abrahæ, Iobi patientiam, Moysis mansuetudinem, Iosephi prudentiam, sanctitatem Dauidis, Tobiæ misericordiam, & ne prolixior sim, sumamus omnes virtutes, omnia dona, gratias, perfectiones, & prærogatiuas, quæ fuerunt, sunt & erunt, & ponamus eas simul omnes in vno homine: maximus profecto, & excellentissimus habendus foret, verum vltra illam comparationem maior huius Dei hominis perfectio, & pulchritudo infinita, & absoluta est, cui recte proinde dictum est, *Beatus quem elegisti, & assumpsisti. Psalm.* 64. proindéque semper si fortitudo consideretur, sapientia pensanda restat, si misericordia perpendatur, cæteræ pulcherrimæ virtutes sese offerunt, quæ hominem illum in infinitum reddunt spectabilem.

Psal. 64. *num.* 5.

Contingit aliquando Principem peregtino indutū habitu spectabiliorem reddi, & pulchriorem suis videri, quam antea videri consueuerat, vt in ludis festiuis contingere sæpe solet. Nulla omnino additio diuinæ pulchritudini fieri potest, quæ omnem omnium creaturarum perfectionem eminenter continet, verum caligantibus, & cæcutientibus oculis, &

A inaccessibilem lucem minime valentibus attingere, pulchrior videtur filius Dei factus homo in die desponsationis suæ, & lætitiæ, vbi vestitum protulit peregrinum, *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Philipp.* 2. non quasi natura humana à verbo assumpta vere non fuerit, non vt pura vestis tegens diuinitatem tantum, sed ita indutum est humanitate, vt Deus sit homo, & homo sit Deus: peregrinum dixi vestitum, quia non ex prouincia sua, cælo, scilicet, neque ex Angelis assumpsit, sed ex

Philip. 2. *num.* 7.

B nobis eam sibi vniuit substantialiter in die dispensationis, & lætitiæ, quia ipse desponsationem appellauit incarnationem, sic enim interpretatur *Chrysost.* id, quod Christus Dominus dixit *Matth.* 22. *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, homil.* 38. *in Euang.* satisque vulgare est apud sanctos Patres, appellauit etiam lætitiam *Prouerb.* 8. *Delitiæ meæ esse cum Filijs hominum*, cum ergo in nuptiis regum, & in

Mat. 22. *num.* 2.

Prou. 8. *num.* 31.

C principum lætitiis, & delitiis ludi celebrari soleant quam gratissimi, tunc & ipsi pulchriores visuntur principes, & ad hunc sensum reducere optimè possumus illud Platonicum quod *Marsilius Ficinus in Cratyl.* scribens producit, quamuis in alium sensum id à *Platone* sit dictum *lib.* 7. *de legibus*, qui incarnationis mysterium prorsus ignorauit. Sicut itaque ad ludum festiuum, & lætum iocum personati procedunt homines, & inde maximam delectationem capiunt, & pulchrio-

D res, ac illustriores visuntur, ita Deus ad delitias suas, & nostras habitum, & naturam hominis in hoc sensu inducere dignatus est. Neque vero propterea in errorem damnatum à beato Damasceno incurrimus, is enim *lib.* 3. *de fide cap.* 8. reprehendit quosdam hæreticos, qui vnionem factam duarum naturarum, personatam (non personalem vt male vertit interpres tum Iacobus Faber, tum Iacobus Billius Prunæus) seu laruatam, siue simulatam, aut habitualem, aut secundum di-

E gnitatem, aut eandem voluntatis conspirationem, aut honoris æqualitatem, aut acceptationem Deo dicebant, vt Nestorius, ille enim laruæ assumptæ à Deo comparabat incarnationem, negans vnionem hypostaticam, nos vero illa Catholicè credita, & confessa, ad hypostasim Verbi factam dicimus instar cuiusdam personæ, siue laruæ, qua delitias sibi faceret, & ostenderet Deus humanitatem

assumpsisse,& ita intelligendus locus Damasceni, qui alioqui satis obscurus, & difficilis videretur. Quid mirum igitur si quando lætior,& iucundior visus est, pulchrior itidem apparuit?

Et quia ex hac vnione talem decorem, & pulchritudinem sibi acquisisse visus est, fratres suos nuncupat homines quando
Mat. 25. in sede Maiestatis suæ apparet, neque
num. 40. enim ratione nobilitatis ab iisdem per humanitatem participatæ,fratres eos appellare censendus est, qui iure diuinitatis supremum honorem obtinet, sed quia se factus homo pulchrum, & decorum iudicauit. Vbi auctor operis imperfecti *homil. vltima* sic ait : *O bonitas Christi esto quamdiu in corpore contemptibilis erat in mundo, fuerat verisimilis ratio vt propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret: quid autem dicamus quod in illa gloria constitutus, adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem, si bonos seruos illos vocaret: detrahet sibi quod habet, vt illis prastet quod non habent: ecce homo, si ex humili generatur,& Deo prastante, ad aliquam ascenderit dignitatem, erubescet generationem suam audire. Si quis dixerit eum illius esse filium indignatur se ipsum confiteri quod est. Et Christus adhuc gloriabitur, fratres suos dicendo sedens in maiestate*, & merito, quia veniens in iudicio gloriæ non mutauit voluntatem priorem, scilicet, secundum quam iudicauit, *Delitias suas esse cum Filys hominum*, & audiuit
Psal. 44. *se speciosum pra Filys hominum.Psalm.*44.
num. 3. vbi Chaldæus habet, *Pulchritudo tua ô Rex Christe prastantior est Filiorum ho-*
Cant. 5. *minum*, vnde & Sponsa in *Cantic.*5. ait:
num. 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*, vnde cum in Regibus, & Imperatoribus laus in primis à fortitudine tribuatur, in Christo Domino apte pulchritudo præponitur, imo illi vincendi ratio per speciem, & pulchritudinem assignatur, cum dicitur: *Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere procede, & regna*, & sane cum illa rapiat violenter, & à Socrate apud Platonem summa tyrannis dicatur, & à Carneade vocata sit regnum sine satellitio, & Xenophon in conuiuio dixerit hoc differre pulchros à robustis, quòd istos laborare oporteat, & periculis se obiicere si velint bona acquirere, sicut & sapientes oratione vti, at vero pulchri in summo otio omnia conficient, quæ est causa cur ipsa pulchritudo interdum pro

A fortitudine sumatur, & segnes imbelles, fracti animo, deformes nominentur, ideóque fortissimus Hercules pulchri vocabulo decoratur, sicut & alios Heroas pulchros dicant plerique, vt videre est in Luciano Charidemo. Iure optimo pulcherrimo omnium Christo Domino regnum, & potestas, & victoria eius decori, & pulchritudini defertur, qui à Moyse hoc in loco pulcher, & decorus prædicatur.

B

ANNOTAT. II.

Non antiqui Patres, sed nos dicere possumus per demonstrationem ad sensum. Iste Deus meus.

EX iis, quæ in superiori annotatione diximus, & circa literam annotauimus, constat non posse à Moyse, & Israëlitis fieri demonstrationem ad sen-
C sum, sed tantum ad intellectum, neque enim Deus ante illam plenitudinem temporis, in qua misit Filium suum factum ex muliere sub sensum cadere potuit, vnde *Augustinus* 10. *confess.cap.*6.*tom.*1. sic Deum alloquitur. Quid autem amo,cùm te amo?non speciem corporis,nec candorem lucis istis amicum oculis: non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam, non manna, & mella; non membra accepta-
D bilia carnis amplexibus, non hæc amo, cum Deum meum amo, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei. Sic August.nihil prorsus à scholasticæ Theologiæ rigore alienum docens: nam Deus nihil sensibile est formaliter, omnia tamen ea esse eminenter, detractis imperfectionibus. Similia sunt quæ habet
E *lib. soliloqui. cap.*31. *tom.*9. *Misi*, inquit, *nuntios meos omnes sensus exteriores, vt quærerent te, & non inueni: quia male quærebam, nam tu es intus, & tamen ipsi qua intraueris, nescierunt. Nam oculi dicunt: coloratus non fuit ad nos non intrauit. Aures dicunt: si sonum non fecit, per nos non transiuit. Nares dicunt: si non oluit, per nos non venit. Gustus dicit, si non sapuit, per me non introiuit. Tactus etiam*

etiam addit: si corpulentus non est, nihil me de hac re interroges. & cætera quæ prosequitur in eandem sententiam. Ex quibus illud iam fit consequens, quod si de bonis sensibilibus formaliter sumptis loquamur, & in eis Deum nostrum quæramus, non potest fieri demonstratio ad sensum, neque sic accipienda sunt hæc verba à Moyse, & populo Hebræorum prolata.

Potest tamen prædicta demonstratio à nobis fieri post diuinum Verbum incarnatum, hoc enim est eximium, & illustre B legis gratiæ priuilegium, in qua verus Deus demonstrari potest ad sensum, de

Isai. 30. oculis etenim dixit Isaias: *Et erunt oculi*
num. 20. *tui videntes preceptorem tuum.* Vnde &
Luc. 3. *Luc.in cap.*3.refert ex eodem *Isaia cap.*2.
*num.*6. *Videbit omnis caro salutare Dei*, hoc est
Isai. 52. Deum Saluatorem, sic enim intelligunt
num. 10. locum antiqui Patres, *Irenæus lib.*3.*cap.*9. *Augustin.lib.*2.*de Ciuit. cap.*29. *Ambros. in Epist. ad Rom. cap.*3. *Gregor.homil.*20. *in Euangel. Euseb. libr.*7. *demonstrationis Euangelicæ.* Et licet non omnis homo vi- C derit Christum Dominum, quæ fuit ratio, cur aliqui in diuersas abierint sententias, illud tamen, *Videbit omnis caro*, significat quantum est ex se visibilem se exhibebit oculis corporeis, plena enim est Scriptura huiusmodi locutionibus, qualis

Isai. 12. plane est illa Isaiæ. *Ecce Deus Saluator*
*num.*2. *meus, &c. Et dicet in illa die ecce Deus*
*Isai.*25. *noster iste, spectauimus eum, & saluabit*
*num.*9. *nos; iste Dominus, sustinuimus eum,& lætabimur in salutari eius*, quem locum *D.Athanas. in lib. de Incarnatione Verbi,* D de Verbo incarnato intelligit Maiestate etiam tei admirata Sponsa dixit: *Ecce*
*Cant.*2. *iste venit saliens in montibus,&c. Cant.*2.
*num.*8. quod *Cyrill. Alexandr.* factum esse dixit,
Ioann. 1. cum Ioannes Baptista digito Deum in
num. 29. carne ostendens clamauit: *Ecce Agnus*
Baruc 3. *Dei,* & *Baruc. Post hæc in terris visus est,*
num. 38. *& cum hominibus conuersatus est*: sed præ
*1.Ioan.*1. omnibus clarius locutus est Ioannes ini-
*num.*1. tio suæ primæ Epistolæ, cum ait: *Quod vidimus oculis nostris, quod audiuimus, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauere,&c.* Visus igitur, auditus, & tactus nobis in carne Deum ostendunt, ita vt recte dicere possimus, *Iste Deus meus* vnde *Tertull.carn. c.*7.

Auribus audiuere, oculis videre salutē,
Tractauere manu corpus de morte receptum.

Etenim expers carnis Verbum crassescit incarnatum, & inuisibilis Dei Filius A cernitur visibilis iam factus, intractabilis contrectatur. Namque si populus Israël ferre non potuit faciem Moysis loquentis cum Deo in monte sicut dicitur *Exod.*34. *Exod.*34.
Oportuit enim suam velare faciem quo- *num.* 33.
ties egrediebatur à Deo, vt cum populo loqueretur, quis potuisset faciem ipsius Dei intueri, qui lucem habitat inaccessibilem, nisi radios suæ fortitudinis, potentiæ, & maiestatis humilitate nostra collegisset, & occultasset, quod videtur Paulus notasse eum ait Philipp. *Qui cum in* *Philip.*2.
B *forma Dei esset nen rapinam arbitratus est* *num.*6.
esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, pro cuius loci explicatione videndus est *Nazianzen. Orat.*5.*de Theologia Basil. lib.*2.*aduersus Eunomium Nicen.lib.de serm.in monte, Hieron.in cap.*1. *Epist.ad Titum.Hylarius in Psalm.*138.*& lib.*8.*de Trinit. August. lib.*2.*contra Maxim. cap.*5. *Ambros. Epist.*47. *& lib.*2. *de fide cap.* 4. qui omnes aduertunt in forma Dei esse nihil aliud significare, quam esse, natura Deum. Hoc vero supposito, videretur fortasse alicui in his verbis latere tacitam similitudinem petitam à latronibus, qui ea, quæ per furtum & rapinam abstulerunt sub pallio occultant ne deprehendantur, nullatenus tamen his verbis talis continetur similitudo, licèt allusio sit aliqualis in occultatione non furti quidem, sed propter diuinitatis. Licèt enim Apost. velit occultam esse diuinitatem sub habitu carnis, eam tamen non significare voluit ablatam furto; enim vero particula, sed, hoc in loco aduersatiua non est, sicut impiè voluerunt ministri Transiluani, & male scripsit Erasmus, & ante eos Maxim. apud *Augustin. lib.* 2. *cap.* 5. imò potius dicta particula correctiua est, sicut aduertunt Patres Græci, Theodoret. Theophylact. Oecumenius omnes sequuti Chrysost. in Comment. super eundem locum, vt sit sensus cum Christus natura Deus sit, adeò non putauit rapinam æquare se Deo, vt E potius non dubitauerit dissimulare suam diuinitatem, & deponere quodammodo insignia, & maiestatem huius æqualitatis veluti retrahendo, & cohibendo in carne radios inaccessibilis lucis, certus vtique se non posse diuinitatem, & potentiam, gloriam, & maiestatem amittere, cum natura Deus esset. Est autem aptissima ea similitudo qua sancti Patres vtuntur ad hoc significandum, sicut enim

 qui

qui cognouit se Regem esse, facilè deponit purpuram, sceptrum, & coronam, cæteraque regia ornamenta, cum oportet, & induit plebeam, ac communem vestem absque eo, quod timeat tali depositione, & mutatione regnum statim amittere, cùm neque ius, neque naturam Regis amittat, nec in alium totaliter commutetur. Tyrannus autem qui contra ius, & rationem rapuit regiam maiestatem, non audet sine purpura, sceptro, & corona comparere, ne regnum, quod furto abstulit, deponat pariter cum veste: cùm enim nihil regale prorsus habeat præter externa ornamenta, iis denudari omnino refugit; ad quod eleganter allusit *Philo lib. de legat. ad Caium*, cùm ponderat ipsum Caium, per summam tyrannidem, & iniustitiam, honores, & insignia sibi vsurpasse eorum, quorum virtutes aspernabatur, contentus, inquit, solis insigniis. Sic igitur confidenter humano habitu, ac natura personam & naturam diuinam Filius Dei in carne occultauit, tum vt nos facilius ad ipsum possemus accedere, indéque & doctrinam, salutémque, & vitam haurire: tum etiam vt diabolus non timeret, cum ipso congredi, & sic vinceretur ab ipso, & non ante congressum fugeret, veniebat etenim Filius Dei saluare, & vincere, non deterrere. Dixit hoc eleganter *Chrysost. homil. 2. in Matth.* in bello, inquit, sæpius Rex purpura, & diademate deposito, militis habitu induitur, ne cognitus hostes in sese conuertat, sicut occultare se voluit, ne ab hostibus agnitus occideretur Achab, & ideò Scriptura

3. Reg. 22. n. 31. *3. Reg. 22.* ait: *Rex Israël mutauit habitum suum, & ingressus est bellum*, at noster verus Rex occultare se voluit, vt potius occideretur pro suis, & mortuus mortem, ac diabolum vinceret, & qui in ligno vicerat, ab eodem suspensus vinceretur; denique formam serui accepit, vt nos dominos constitueret, & coronam regni in capite poneret, quod *D. Chrysost. homil. de*

1. Reg. 18. n. 18. *verbis Dauid*, prosequitur, *Quis sum ego, &c.* vbi ait, quod dixit Dauid, minimus fui in tribu mea, significabat perfectam Domini humilitatem in mundo venientis, qui formam non ingenui, sed serui assumere voluit, vt seruitus ipsius nobis ingenuitatem donaret.

Explicat autem *August. concion. 1. & serm. 38.* de verbis Domini similitudine quadam, quo pacto inuisibilis Deus per naturam visibilis nobis apparuerit. Non possent, inquit, homines carnales Verbum

A Dei audire, nisi Verbum caro factum esset, non alio modo quam infantibus solet euenire, quibus impares sunt cibi maiores, eisdem lac præbere solent matres, accommodatum cibum eorum imbecillitati, cùm inter brachia materna, non longè à mensa esuriunt, nonne esca in mensa erat? Seu inualidus est infans ad comedendam escam, quæ in mensa est, quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa, quod infantulus percipere potest, sic Verbum caro factum est, vt lacte

B paruuli nutrirentur, qui ad cibum quidem eramus infantes, quod maximè miratur idem *August. tract. 1. in Epist. Ioan.* vbi hæc de re putat intelligẽdum locum. *Psal. 77. Panem Angelorum manducauit homo, & tract. 2. in Euang. Ioan.* ait, Verbum quatenus factum est homo, quasi collyrium quoddam fecisse nobis, vt Deum cernere possemus, idem habet *lib. de verbu Domini, serm. 38. & in Psalm. 33. & 119.* vbi repetit prædictam similitudinẽ matris, quæ refertur etiam à *D. Prospero lib. sentent.*

Psal. 77. num. 25.

C *sentent. 262.* Videndus idem *August. 1. de doctr. Christ. c. 14.* vbi ait sapientiam Dei non solum hominem curasse, sed etiam aptè curasse, sumendo nempè humanitatem, & humilitatem nostram, quod etiam prosequitur, *lib. de agon. Christ. cap. 11.* cui suffragatur *Euseb. Emiss. ser. vlt. de Pascha. Chrysost. hom. 17. in Ioan. & Gregor. lib. 4. dialog. cap. 1.* vbi omnes mortales comparat homini vel puero cæco nato, & enutrito in carcere, & *homil. 34. in Euang. in fine*, vbi ait magnam nobis fiduciam præ-

D bere Deum hominem, ideò enim maximè Deus homo factus est, vt per humanitatem quasi temperata luce, gloria, & maiestate sua, maiorem fiduciam ad eum accedendi hominibus præberet, vnde Paulus ait, *Hebr. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur.* Ideóque, *lib. 28. Moral. c. 2. & homil. 2. in Ezechielem*, ipsum Verbum incarnatum electro comparat. Consentaneæ sunt, quæ habet *Cyrill. Orat. 10. ad Catech. & orat. 12. Euseb. Cæsariens. lib. 4.*

Hebr. 4. num. 16.

E *demonstrationis Euang. cap. 6. & Nazianz. Orat. de fide*, vbi celebrem speculi affert similitudinem. *Irenæus lib. 4. contra Hæreses, cap. 59. Cypr. lib. de idolor. vanitat. & Lactant. lib. 4. de vera sapientia, c. 24.* ait: Si ad homines veniat Deus, vt Deus, vt omittam quod mortales oculi claritatem eius conspicere, ac sustinere non possunt, ipse certè Deus virtutem docere non poterit, vt igitur & videremus, & discere

disceremus, factus est homo. Videndus A hac de re *Tertull.lib.contra Praxeam.Minutius Felix in dialogo qui inscribitur Octauius,Dionys.Areopag.lib. de diuin.nominibus, & Nazianz.Orat.1.Apolog.* Denique hoc totum claudat *August.lib.*50. *homil. homil.*32. vbi sic habet, Deus factus est homo præcipuè, vt in vno tibi esset, & quod crederes, diuinitatem nempè eius; simul & quod videres, id est, humanitatem eius.

Si autem velimus conferre demonstrationem, de qua hoc in loco Moyses, cum B nostra, inueniemus hic super mare rubrum demonstratum ad intelligendum Deum percutientem homines (nempe Ægyptios) sed nos ipsum ad aliud mare rubrum crucem, scilicet, sanguine rubram, possumus ostendere, seu ad mare sanguinis effusi, quo nos liberauit, lauitque à peccatis nostris, sicut dixit *Ioann. in Apocal.* Dixi autem mare sanguinis, copiosa enim fuit apud eum redemptio, *Psalm.*129. vbi *Bernard.serm.*22. Benè, inquit, copiosa, siquidem non gutta, sed vnda sanguinis quinque per partes corporis emanauit, quod si tunc in aquis vehementibus submersit Ægyptios, modo de latere fundit aquam, vt paradisi viam nobis tempetet, sicut ait *Chrysolog.serm.*113. & vt mundaret sibi populum, ac lauaret in sanguine proprio stolam suam, id est, Ecclesiam. Qua de re videndus est *Rupertus Abbas lib.*9.*in Genes.cap.*33. vbi adducit locum: *Sicut vnguentum cadens super barbam Aaron, & super oram vestimenti eius*, ex quo deducit tantam fuisse co- D piam pretiosi effusi vnguenti, quo caput summi Sacerdotis vngebatur, vt ad extremas vsque oras vestimenti defluxerit, sicque magis videtur effusum ad vngendas vestes Sacerdotis, quàm ad vngendum caput eius: sic similiter in Christo Domino effusus est sanguis potius ad abluendam vestem, & pallium; hominibus enim velut vestimento vestitus est Christus, & ad mundandas sordes stolæ suæ, id est, Ecclesiæ, quàm carnis; licet enim plerique per stolam Christi intelligant eius E sacratissimam carnem, vt videre est apud *Cyprian.lib.*2.*Epistolar.Epist.*3.*& August. lib.*83.*quæstion.quæst.*73. *Tertull.*4. *contra Marc.& lib.de Trinit.cap.*6. vbi *Pammell. annotat.*83. tamen clarissimum est per stolam Christi intelligi Ecclesiam, vt videre est apud *Origen. homil.*17. *in Genes. apud Ambr.lib.de bened. Patriarch. & serm.*22. *in Psalm.*118. vbi Ecclesiam vocat stolam

*Apoc.*1. *num.*5.

*Ps.*132. *num.*2.

siue pallium, quod ab humeris Christi dependet, idque probat ex *Luc.*15. vbi pastor deperditam ouem, quæsiuit, & suis humeris reportauit, pallium autem ab humeris dependet, & ideò fortassis *Isai.*9. loquens de Christo ait: *Factus est principatus eius super humerum eius.* Videndus item *Baron. tom.*3. *Annal. anno Christi* 310. vbi refert Christum dominum in ætate penè pucrili apparuisse D. Petro Alexandr. Episcopo in veste scissa, qui tamen partibus disruptæ vestis arctissimè pectus operiebat, atque hæc addidisse. Arrius meam vestem, hoc est Ecclesiam, disrupit. Videndus *August. tract.*18. *in Ioan.* quem sequuntur fermè omnes Patres cùm explicant illa verba *Ioann.*19. *Erat tunica inconsutilis desuper contexta per totum, &c.*

*Luc.*15. *num.*5.

Isaia 9. *num.*6.

Hoc igitur posito constat Christum Dominum in sanguine suo mandasse Ecclesiam, & fidelium congregationem, quo melius, & facilius ingrederetur ciuitatem illam, quam nihil coinquinatum ingreditur, qua de re vidèdus *August.lib.*12. C *contr.Faust.c.*42.*& lib.de essent.diuinitat. tom.*6. quod certè dixit *Isai.* cùm ait: *Iste asperget gentes multas*, quàm prophetiam videtur interpretatus *Ioan.* cùm ait; *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, super quæ verba sic ait *Tertull.lib.*4.*contra Marc. cap.*10. *Demissorem delictorum Christum recognosce, si fuerint delicta vestra tanquam roseum, velut niuem exalbabo, & si tanquam coccinum velut lanam exalbabo, in roseo sanguinem ostendens Prophetarum: in coccino Domini, vt clariorem.* Sic ille. Videndus *August. loco proximè citato, & Cyprian. lib.*2. *testimonium contra Iudæos, cap.vlt. & D. Chrysost. homil.*45. *in Ioan.* vbi ait: *Quemadmodum si quis liquefacto auro manum, vel linguam iniiciat, quam primum deauratur, ita anima immersa sanguine Christi aurea redditur, resurgit enim vehementius igne fluuius, neque intendit, sed abluit quidquid comprehenderit.* Sic ille. Et idem *Ioan.* dixit: *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni*: Nihil verò prohibet animam sanguine ablui & dealbari, quamuis hoc videatur contra naturam sanguinis, qui ruborem potius introducit, quam albedinem, qua de re videndus est *Iustinus Martyr.in dialog. cum Triphon.non longè à principio*, vbi ostendit præstantiam, & differentiam sanguinis Christi à sanguine aliorum

Isaia 52. *num.*15.

*Apoc.*1. *num.*5.

*Apoc.*7. *num.*14.

aliorum hominum, sanguis enim Christi diuinus redditus propter vnionem ad Verbum, ac proinde non est mirum si virtutem habeat abluendi pariter, & dealbandi. Videndus item *Bernard. serm. ad milites Templi, c. 10.* cùm ait: *Lauit nos Christi sanguis, non quidem vt aqua diluens, sed retinens sordes, sed vt solis radius exsiccans, & retinens puritatem:* quam sanguinis virtutem voluit Dominus ostendere in præscriptis à lege sacrificiis, quorum nullum sine sanguine offerebatur, vt *Philo lib. de victimis,* dixit: *Sanguis circum altare funditur, qui circulus figura est perfectissima, ne huius libationis exors sit aliqua pars animæ;* tanquam apud Hebræos religio esset circa sanguinem, hæc enim erat ratio cur continuo terra cooperirent, si quid sanguinis in terram caderet, vel etiam ex animantibus, quæ in venatione vulnerabantur, tantam enim vim, & diuinitatem credebant esse in sanguine, sicut aduertit *August. lib. in Leuit. quæst. 57.*

Sanguine igitur præstantissimi agni mundati & dealbati, & veluti per mare rubrum ad promissam gloriam transmissi possumus ad sensum ostendere Deum nostrum, non iam propter suorum libertatem mortem solum inferentem, sed potius sustinentem, non percutientem tantum Ægyptios, sed pro suis potius percussum. Quanto igitur maioris amoris indicium est extrema in seipso pati, quam extrema aliis infligere pro amico, tanto magis animandus, & glorificandus Deus demonstratus quidem ad sensum percussus, quam demonstratus ad intellectum percutiens. Vnde *Bernard. serm. 1. de Epiphan.* sub initium ait: *Quid tantopere declarat Dei misericordiam, quã quod meam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei Verbum propter nos factum est fœnum? Non interroges homo, ea quæ pateris, sed quæ passus est ille, quanti te fecit, ex ijs, quæ pro te factus est, agnosce. Quanto enim minorem se fecit in humilitate, tanto maiorem se exhibuit in bonitate, & quanto pro me vilior, tanto mihi amabilior est.* Sic Bernard. *& serm. in fer. 4. hebdomadæ pœnosæ*, ait. Non solum formam serui accepit, vt subesset, sed mali etiam serui vt vapularet. Quid debui amplius facere vineæ meæ? Et *lib. de Pass. cap. 44.* Necesse est, inquit, omnem passionem hominis leuem videri respectu passionis Dominicæ. Prosequitur hoc ipsum argumentum *Euseb. Emiss. homil. 6. de Pasch.* his verbis. Suscepit mala nostra, vt tribueret bona sua, maximum circa hominem diuini amoris insigne est, quod inter ipsa mundi principia imaginem, ac similitudinem Dei sui seruus accepit: sed penè amplius est, quod nunc formã serui Deus auctor assumpsit: grandi dignatione primo homini spiraculum vitæ de suo pius formator insudit, sed nunc penè maiori charitate pro eodem homine non iam sua dedit, sed ipsum se impendit, ac tradidit. Magnum mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum, sed multum plus est, quod transisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam captioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur, & cætera quæ prosequitur in hanc sententiam.

Si quis verò quærat, cur Deus præter bona, quæ nobis contulit, voluerit insuper tot pro nobis acerbissima mala, & supplicia perpeti, optimam hac in re, & in nostro argumento adhibuit responsionem *Chrysolog. serm. 69.* Refert enim beneficia, quæ Deus contulit populo Israelitico in hunc modum. Patefit Deus ad nutum famuli: irrogat flagella vel tollit, & in mari quantus sit, quantúmve homini dederit, vltricis vndæ demonstrant obsequia: cum siccato gurgite cedit vnda piis: & liquore durato mutum præstat, munimen exhibet liberandis: ac tota naturæ suæ virtute de hoste sæuissimo triumphatura decurrit. Affuit desideriis, voti annuit singulorum, mox ad interrogata respondit, regnum contulit, donauit opes, fœcundas præstitit terras, coniugia ipsa filiorum copia, & honore decorauit. Sed adhuc parum esse credidit, si affectum suum erga nos præstando prospera tantum, & non etiam aduersa sustinendo monstraret: sistitur terræ fundator, iudicatur humanæ largitor veniæ, punitur vitæ dator, & redditor cunctorum resurrectio sepelitur, vt tarda mens hominis, & intelligentia satis pigra, vel morte in se Dei probaret affectum, quæ prædictis, & innumeris Dei beneficiis, Dei erga se non intellexerat, non senserat charitatem, &c. Prodidit enim seipsum amor duabus veluti viis, bona scilicet conferendo dilectis, & mala insuper pro eisdem patiendo. Prima via communior, ac magis trita est, & accommodatior bonitati, quæ sui diffusiua est, & seipsam vult communicare, ac beneficia cumulatissima dilectis elargiri. Secunda via difficilior, asperiórque est, & quæ magis

magis probet, probátque affectum: non A tam mirum enim est si diuina bonitas bona conferat, quam si mala substineat, illud enim maximè ei conuenit, hoc illi omnino repugnat, vnde, & alienam sibi acquisiuit, & vniuit naturam, qui in sua impassibilis est, & cuiuslibet doloris omnino expers, vt iu nostra humanitate, & supplicia & dolores pateretur, & summú, dum pro nobis patitur, in nos testaretur
*Psal.*118. amorem; ideóque August. ad illa verba, *In*
num. 14. *via testimoniorum tuorum delectatus sum*, ait, Testimonia sunt ea, quibus Deus quá- B tum nos diligat nobis probare dignatur: cum ergo Christus dicat, *Ego sum via*, humilitas eius carnalis natiuitatis, atque passionis euidentia sunt testimonia diuinæ erga nos dilectionis, procul dubio via testimoniorum Dei Christus est, quam viam nos currere debemus, si delectari volumus in diuitiis diuinæ dilectionis, quas effudit in nos abunde, qua fortè ratione Christus Dominus appellatus est à
*Apoc.*1. Ioan. Euangelista, *Testis fidelis*, dum pri-
*num.*5. mogenitus dicitur, mortuorum, & dile- C xisse nos, dum lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, mors enim ipsius, sanguísque in passione effusus fidelissime testantur, qualis erga nos fuerit diuina dilectio.

Glorificare proinde istum Deum nostrum, debemus magis quam Moyses, ille
Tit. 3. enim omnipotentiæ effectum vidit, nobis
*num.*4. testatus effectus eius visus est, dum *apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris nostri Dei*, quod ideò dictum esse vult *Bernard. serm. de diligendo Deo*, quia po- D tentia occultata est, quoniam in infirmitate ad nos venit, quá scilicet indigebant infirmitates, & miseriæ nostræ, vt omnino abolerentur quatenus easdem soluere venerat, & delere in sanguine suo, qua de re videndus *August. serm.* 18. *de verb. Domini tom.* 10. vbi inter alia ita loquitur; *Christus ad hoc suscepit infirmitatem naturæ nostræ; ne sempiterna esset infirmitas nostra, assumpsit corpus mortale, in quo occideret mortem nostram.* Is itaque qui olim vt suos liberaret, ipsorum ho- E stes extinxit & destruxit modo, vt nos liberaret se ipsum tradidit. Vnde Moyses se infirmum liberatorem populi confessus est, quando illi Deus suæ omnipotentiæ assistentiam promittit, & potestatem facit inaudita miracula patrandi dicens:
Exo. 4. *Mitte quem missurus es*, vbi *Rupert.*
num. 13. *libro in Exod. capite* 18. asserit Moysem recusasse ministerium à Deo commis-

sum, quia probè nouerat nihil ad perfectum ducere, quod soli Christo Domino reseruatum erat.

Hunc etiam liberatorem optabat Dauid cum dicebat; *O si quis mihi daret de ci-* 3. *Reg.*
sterna quæ est in Bethleem iuxta portam, 23. *n.* 15.
quam cum attulissent illi fortes, qui castra Philistinorum irruperunt, ille noluit bibere, sed libauit eam Domino, quod factum expendens *D. Ambrosius in Apolog. Dauid cap.* 17. ait: *Si altius velis expectare, & introspicere mysterium, sitiebat Dauid non aquam de lacu, quæ est in Bethleem, sed oriundum ex Virgine Christum spiritu præuidebat: non bibit oblatam aquam, sed Domino profundit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum; illum sitire se fontem æternum, non qui periculu quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret.* Sic ille. Et *Sophronius Archiepiscop. Constantinopolit. Orat.* 1. *in Christi Natiuit. ait.* Dauid in Regem assumptus spiritali siti arens, ardénsque salutarem aquam ex cisterna quæ erat in Bethleem desiderabat; aqua autem, quam ille mysticè expetebat, & viua erat, & omnes qui ex ea bibebant, diuina virtute viuidos efficiebat: *Si scires donum Dei*: aiebat Fons ille vitæ, *& qui est qui dicit tibi, &c.* Cisterna hæc sacra san- *Ioann.* 4.
ctissimam Virginem designabat, quæ & vterum gestura, & Deum paritura erat, quod enim hic transigebatur, Prophetia & figura erat de Christo, qui est aqua vitæ, omnibus vitam infundens. Hanc cisternam, & aquam bifariam Rex Dauid videre desiderabat, incensúque gestiebat spiritualibus nimirum, & corporeis oculis; illis quidem vt illustrissimus Propheta, his vt consummatissimus iustus, hoc ergo desiderio intus ardens aiebat: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxta portam.* Noluit allatam aquam bibere, verum libauit eam Domino, at cur noluit? qui Prophetiæ lumine illustratus fore prævidebat, vt Iudæi aquæ illi videnti, omniáque viuificanti secundum carnem è Bethleem orituræ, & è lacu Virgineo nasciturae, & in lucem prodituræ, hoc est Christo fidem denegaturi essent, vt Vates ergo sanctissimus Iudæorum in Christum perfidiam facto adumbrabat. Ob id inquam diuinus vir aquam ad se delatam haurire noluit, quia insanos sceleratósque Iudæos Christi prædicationi in suum ipsorum interitum, & perditionem nequaquam crediturος præsagiebat, certóque

certóque præuidebat. Sic ille prosequitur qualiter factus nobis sit in salutem Christus Dominus. Et hæc fuit ratio, cur quæsitus Dominus ad mortem, & tormenta
Ioann.18. num.8. dixit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Vbi inter cæteros notauit *Cyrillus lib.*11. *in Ioan. cap.*33. Id propterea Dominum dixisse, quia vnum mori oportuit sufficientem pro vita omnium, ne quis illud ridiculum verum esse putaret, Apostolorum mortem ad destructionem interitus aliquid contulisse, solus qui ex viuo Patre est, pro vita omnium carnem tradidit suam, sciens ad se solum certamen illud pertinere, & opus nostræ salutis.

Prosequitur hoc argumentum *Bernard. serm.*3. *de Pass.* ita dicens: *Ea hostia sicut sola prodesse potuit, sic sola sufficit, neque Christum decuit simul alium discipulum assumere vt montem ascenderet, passurus pro nobis, sicut assumpsit, cum se gloriosum*
Matt.17. num.1. *exhibuit*, Matt.17. *Imò crucifixi sunt cum eo duo alij, sed alij duo nequam, de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi, quod ex eis minus efficax sacrificium suppleretur.* Sic ille. Et *Ambrosius* explicans prædicta verba Christi: *Sinite hos abire*, in Comment. ad *Psalm.* 61. ait. Non quæro consortem passionis, qui ad salutem omnium adiutore non egeo. Videndus *Chrysostomus homil.* 82. *in Ioann.* cum ponderat Christum in liberandis discipulis suis ostendisse suam omnipotentiam, sic enim habet. Admirari quis posset cur non comprehenderint etiam cum Iesu, vt verberarent, discipulos, quid ergo eos continuit? Nemo alius, quam quæ eos retrorsum egerat potentia. Similia habet *Theophylact. in cap.*18. *Ioan.* Miraculum, inquit, est quomodo non comprehenderint Apostolos, & dissecuerint illos, sed in primis virtus comprehensi hoc effecit, & sententia, quam prædixerat, nullum ex eis per-
Ioan. 17. num. 12. dendum fore *Ioan.*17. Voluit itaque suam omnipotentiam in aliis liberandis ostentare, suam ramen misericordiam in patiendo pro iis. Facit *Hylar. can.* 13. *in Matt.* vbi existimat non per ironiam di-
Matt.26. num. 45. xisse Christum Dominum: *Dormite iam & requiescite*, sed vt omnimodam securitatem, proprio partam labore, & passione, discipulis inculcaret, quod idem voluisse videtur *Diuus Leo serm.*5. *de Passione Domini.*

Hunc igitur nostrum Deum non percutientem Ægyptios, sed percussum ab hominibus debemus glorificare, seu decorum prædicare, adhuc enim verus Deus

A est, quod ostendit *Isai. cap.*53. vbi postquam de Messia dixit: *Verè langores nostros ipse tulit*, addidit, *& nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo*, vbi pro illis verbis, *percussum à Deo*, Heb. habetur Mech Elohim. & quoniam inter vtramque vocem nulla est præpositio interiecta, commodè aliqui vertunt: *Percussum Deum*, vt ita sapientissimus Vates Christi diuinitatem, vel in ipsa percussione, & passione testetur. Sed quomodo prædicabimus decorum ipsum, de quo di- Isai. 53. num.4.
B citur: *Non est ei species, neque decor, vidimus eum, & non erat ei aspectus?* Interrogationi satisfacit *August. serm.*50. *de verbis Domini*, vbi ait: *Talis in cruce apparuit, talem se spinis coronatum exhibuit, talis visus est cæcis, ex persona quippe Iudæorum hoc dixit Isai. talem Iudæi videbatis, quia cæcitas ex parte Israël facta est.* Rom.11. Isai. 53. num.2.
Donec plenitudo gentium intraret, quia ergo cæcitas facta est, ideo sine decore vidistis. Ille qui nos quasi fœdos tolerauit, pro nobis formosus orauit. Pater ignosce, quia Rom. 11. num. 25.
C *nesciunt quid faciunt; si enim sine decore, quid est quod amat ista, qua dicit: Annunciа mihi, quem dilexit anima mea?* Sic August. qui etiam in *Psalm.*44. in eodem sensu nititur conciliare verba eiusdem *Psalm.*44. *Speciosus forma præ filijs hominum*, cum his apud Isai. *Non erat ei species, neque decor, &c.* Hoc autem, inquit, magis amplificat pulchritudinem Christi, etenim non habebat speciem Iudæis, fidelibus pulcherrimus erat. Et super titulum eiusdem Psalmist. Si aliquid fœdi, inquit, Cant.1. num. 7. Psal. 44 num.3.
D inuenerimus in eo, non amemus eum, at hoc ipso, quod talem carnem indutus est, vt de illa etiam diceretur, *Vidimus eum, & non erat ei aspectus, neque decor*, si consideres misericordiam, qua factum est, & ibi pulcher est, nobis ergo vbique sponsus pulcher occurrat, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo, &c. & *in Psalm.*127. ait. Quomodo non habebat decorem, quem tot virgines amant Crucifixum, ita, vt maritos in ter-
E ris nolint; tot martyres, ita, vt omnia cruciamenta illius causa subeant sponte, Iudæi enim fœdarunt, ne amarent, verum inter dedecora Iudæorum, apparet pulchritudo Crucifixi. Similia habet, *homil.* 36. *tom.*10. ponderans ea verba dicta in Christum: *Ascendet sicut radix de terra sitienti*: Sic enim ait: *Radix non est foris pulchra, sed intus habet vim pulchritudinis suæ. Attendis arborem pulchram, &* Isai.53. num.2.
amœnam,

amarum, si radix ostendatur tibi, nulla pulchritudo in ea est: Noli tamen contemnere, quod abiectum est: inde processit, quod mirari: Crucifixus est Christus Dominus, ecce hic species non est, sed in Ecclesia gloria radicis pollet, &c.

Est optimus pro hac re locus apud D. *Ambros. in Comment. ad Psalm.* 61. vbi expendit id quod dixit *Matt.* 27. de Christo Domino in Cruce pendente: *Praetereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: vah qui destruis Templum Dei, &c.* Pulchrè Euangelista, ait, quando transeuntes mouebant capita sua, transeuntes, non stantes: stantes, non transeuntes sunt pedes benedicentium, quasi velit *D. Ambros.* quod si attente considerarent pulchritudinem, maiestatem, & bonitatem illius hominis Dei pro nobis in Cruce pendentis, & non statim transirent, sed starent, fieri non posset, vt maledictis impeterent, sed potius benedicerent, & glorificarent dicendo, *Iste Deus meus, & glorificabo eum.*

Mat. 27. num. 39.

Dum se gloriosum electis discipulis in monte Christus Dominus voluit exhibere, resplenduit facies eius, sicut sol, dum vero pariter sol obscuratus est, totúsque orbis tenebris operitur, solus Christus Dominus verus sol apparet, solus vtique velut omnium pulcherrimus, & prae omnibus rebus videndus, radiaréque dignatus est animam latronis pendentis, vt illius desiderio penè contabesceret. Vnde *D. Ambros. serm.* 44. *de latrone beato*, sic exclamat: *Mira res plus in Cruce latro Christum diligit, quam Iudas dilexit in coena, inde enim exiuit, vt magistrum traderet Iudas, & in Cruce, vel saltem sui memoriam precatur latro, quod singularem erga Dominum indicat affectum, & rectum de Christi pulchritudine probet iudicium, etenim Angelicis oculis vidisse percussum Deum asserit Augustin. serm.* 120. *de tempore, vbi etiam addit. Illuminauerat credo fidem credentis in Christum diuinitas, qua se largius sub momento illo, pro peragenda redemptione infuderat, vnde dum discipulus, & iam magister atque ex latrone confessor, quia, & si poena coeperat in latrone, nouo genere consumatur in martyre.* Sic ille. Testis enim extitit illius pulchritudinis cruci appensae, cuius charitate incensus vitam finiuit in cruce. Quod si pulchritudo animos allicit, & pertrahit, tunc censuit Dominus ex toto orbe sibi alliciendos animos, & congregandam ex omnibus gentibus Ecclesiam, cum absque specie, & decore, humanis oculis pependit in cruce, sic enim existimat *Chrysostom. serm.* 4. *de feria* 5. *Passionis, tom.* 3. cum ait. Deus noster expandit ecce manus, & alas extensas aperuit, non vt crucis supplicio satisfaceret, sed, vt nos ex omni orbe ad crudelitatem Ecclesiae congregaret.

Hunc igitur Deum nostrum pro nobis percussum, post partam victoriam de inimicis nostris, post liberationem ab ipsorum seruitute, post apertum iter mare rubrum pretiosi sanguinis effusi glorificare debemus, longè aliter ac Moyses cum suis fecit, sed instar Angelorum, quorum millia, millium voce magna dicebant. *Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam*, accipere, inquam, haec omnia, siue clarius horum omnium confessionem ab Ecclesia sua, vt impleatur illud Psalm. 28. *In Templo eius omnes dicent gloriam*, quam etiam prosequitur *Rupert. lib.* 2. *in Exod. cap.* 37. in hunc modum: iste quondam despectus, & nouissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatem, qui cum moriendo equum, id est, mundum, & ascensorem eius (id est, diabolum, qui dicebat: *In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo soliū meum*) deuicit, & proiecit in mare, Deus meus est, & homo est, & Deus meus est, glorificabo eum, non erubescam eum, istum glorificabo, istum exaltabo. Sed dicunt mihi synagogae Iudaeorum, & conciliabula Haereticorum, si iste homo est Deus tuus, Deus recens est, & Deus alienus, & contradicis sacrae Scripturae praecipienti Psalm. 80. *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Sed ego respondebo ad ista, & cantabo confidenter, *Iste Deus meus, & glorificabo eum; Deus patris mei Abraham, & exaltabo eum*, nam, vt ipsemet dicit Iudaeis antiquitatem eius nō intelligentibus *Ioan.* 8. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Rursum: *antequam Abraham fieret ego sum.* Igitur non est in me Deus recens, neque adorabo Deum alienum, sed Deum Patris mei, & Deum antiquum. Nam, & si Filius est, nec atomo vno minor est patre, istum igitur Deum exaltabo, & glorificabo. Sic Rupertus.

Apoc. 5. num. 12.

Psal. 28. num. 9.

Isai. 14. num. 13.

Psal. 80. num. 10.

Ioan. 8. num. 56.

Conuenit autem verbum exaltandi maximè Christo Domino, qui de se cruci affixo, eodem toties vsus est, sic enim dixit

L Ioan.

Ioann. 3. Ioan.3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem* A
num. 14. *in deserto, ita exaltari oportet Filium ho-*
Ioann. 8. *minis*, & Ioann.8. *Cum exaltaueritis Fi-*
num. 28. *lium hominis, tum scietis, quia ego sum,*
Ioan. 12. & Ioan.12. *Ego si exaltatus fuero à terra*
num. 32. *omnia traham ad me ipsum.* Cuius rei rationem reddit *Rupert. lib. 3. Commentariorum in Ioan.* vbi ita habet. Si aliter Iudæi Christum occidissent, nullo modo tam commode potuisset exaltati mortis eius euidens signum, si vt aliquando conati sunt,
Ioann. 8. nati sunt, lapidassent, aut de supercilio
num. 59. montis præcipitassent, vel aliquo genere B
Luc. 4. mortium, quibus prophetas occiderunt,
num. 29. illum peremissent, longe minus euiden-
Mat. 23. ter mortis imaginatio proponi potuisset.
num. 34. Nunc autem in qualitate mortis, & mentibus est miraculum audacissimi sceleris eorum, & oculis aptum, atque euidens propositum imaginationis spectaculum. Verè igitur exaltatus est Filius hominis, quia sic oportuit. Hæc ille. Qui propterea exaltatum dicit Christum Dominum in Cruce, vt nobis propositus, & mentibus, & oculis colendus appareret. Suffragatur *Cyrill. Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 5.* dicens, cum autem in sublime corpus exaltatum fuit, in eam cognitionem Passionem Christi peruenturam denotabat, vt nemo sit, qui in Cruce ipsum passum ignotet. Similia habet *Lactant. Firmian. lib. 4. cap. 26.* cum ait. Cum is, qui in patibulo suspenditur conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potius electa est, quæ significaret illum tam conspicuum, & tam sublimem futurum, vt ad eum cognoscendum pariter, & colendum, cunctæ D genres confluerent.

Verum ad gloriam Christi, & triumphum de diabolo reportatum denotandum videtur dictum noua loquendi forma exaltatum, in quam sententiam dicit optimè *D. Gregor. Magnus* intelligendum
Cant. 7. esse locum *Cantic. in cap. 7.* cum Christus
num. 8. Dominus ita dicit: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*, quasi crux victoriæ, & honoris symbolum sit, sicut & palma olim erat, sicut Ecclesia hac de
Psal. 95. re canit ex *Psal. 95. Dicite in nationibus,* E
num. 10. *quia Dominus regnauit à ligno.* Ita *Iust. Martyr. dialog. cum Triphon. & Tertullian. lib. 3. contra Marcionem. Diuus Cyprian. lib. de operibus Cardinalibus Christi*, vbi ita habet. Considero opera tua, & admiror te Cruci inter damnatos affixum, & eleuatum in sublime, & quasi cœlo proximum superioribus inferentem consummati agonis vexillum, & inferioribus

A euexisse scalam in patris occursum. Et *Nazianz. Oratione de pace*, existimat de Christo Domino Cruci affixo intelligendum esse locum, *Ascendens in altum ca-* *Psal.* 67.
ptiuam duxit captiuitatem, id est, exaltatus in Cruce dæmonem debellauit, & captiuum duxit in suam potestatem. Videndus pro hoc argumento *D. Chrysost. homilia de Cruce & latrone*, cum ait, crucifixus es? Clauis retineris, & paradisum polliceris? Volo vt in Cruce possint omnes meam virtutem inuenire, vt in ligno mea B largitas demonstretur, &c. Videndus *Greger. Nyssen. in Catholica oratione, c. 12.* vbi dicit Crucem diuinitatem referre. Quod etiam insinuat *Tertull. in apolog. cap. 16.* Videndus item *Gregor. Nyssen. orat. 42.*

Cum igitur Christus Dominus se in Cruce dicat exaltatum propter triumphum, quod in ea de dæmone reportauit, & propter nostram salutem, quam operatus est in Cruce, significata in virga Moysis aperiente viam filiis Israel, merito, & ob singularem victoriam de Pharaone C spirituali & quia moriens factus est nobis in salutem, possumus iam dicere. *Iste Deus meus, & exaltabo eum*, pro me in Cruce exaltatum.

ANNOTAT. III.

Quantum conducat parentum religio, & probitas, ac nobilitas, & officiat eorundem iniquitas.

D DVm Moyses hoc in loco asserit *Deus Patris mei, & exaltabo eum*, illud profecto ostendit magnum ad virtutem incitamentum esse Dei cognitionem, cultum, & religionem à parentibus, & maioribus acceptam, insupérque quantum nobis prosit maiorum iustitia, & virtus, vt Deus nobis in tempore opportuno maiora conferat beneficia. Hoc voluit Christus Dominus docere Iudæos cum dicit:
Si filij Abraha estis, opera Abraha facite, *Ioann.* 8.
E quorum verborum sensus est. Si filij estis *num.* 39.
Abrahæ, ipsum imitari debetis, filiorum enim est patres imitari, quod vos minime facitis, nam quæritis me interficere hominem innocentem, & benefactorem vestrum, quia quæ audiui à Deo, vobis aperui; tale opus nō fecit Abraham, cuius vestigiis insistere debetis, si ipsius posteri dici vultis. Ideóque *Nazianzen. orat. 22.* dicit filiorum virtutes parentibus adscribere

bere æquiſſimum, & iuſtiſſimum eſt, & D. Hieron. Epiſt. 77. Si tenuiter, inquit, riuus fluit, non eſt aluei culpa, ſed fontis, & Theodoret. præfatione in Daniel. ita habet Diuina lex præcipit, vt quæ à parentibus didicimus, ea filios noſtros edoceamus.

Deut. 4. num. 9. Docebit, inquit Deuter. 4. *ea filios tuos, & nepotes*, quare magnus ille quoque doctor

Pſal. 77. num. 1. Dauid. *Attendite*, inquit, *popule meus, legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei, aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio*. Deinde vnde hæc didicerit oſtendit. *Quanta audiuimus*, inquit, *& cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis; non ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera*, docénſque cognitionis cauſam. *Legem poſuit*, inquit, *in Iſraël, quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera, filij qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filijs ſuis*. Vtilitatem itidem, quæ ab hac doctrina proficiſcitur demonſtrans ſubiicit, *Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant*. Hanc itaque doctrinam à parentibus acceptam, quaſi alieno iuſto ære obſtricti, iis qui nobis natu minores ſunt, ac poſteris debemus, grato animo par eſt ſoluere, ſic ille.

Duplex autem debitum hac in re conſidero inculcatum, primum, quod diuina lex inducit, dum obligat parentes, poſteros ſuos edocere ea, quæ ad Dei notitiam, timorem, & cultum pertinent. Secundum agnoſco in filiis ad percipiendam parentum inſtitutionem de Deo, & eorum religione imitanda, ac pietatem ſequenda. Cæterum ſi Theodoret. ſe veluti iuſto ære alieno obſtrictum cenſet, & profitetur, vt ea, quæ Dei ſunt, doceat & tradat, non poſteris tantum, ac filiis, ſed etiam minoribus natu, qualiter ſeſe debent reputare parentes ad docendos, & inſtituendos filios obligatos in iis, quæ ad Deum pertinent, quo etiam iure obligatos arbitramur filios ad ſequenda parentum veſtigia, & doctrinam ipſorum capeſſendam, ac pietatem proſequendam?

Et hæc mihi videtur ratio, cur talem virtutem benedictionis Deus conceſſerit parentibus erga filios, à qua plerunque dependet ipſorum vita, & omnimoda felicitas, vt ſic conſtrictos magis redderet filios ad capeſſendam doctrinam parentum, & iuſtitiam ab iis acceptam conſeruandam; etenim qui virtutem parentum ſectantur, paternam benedictionem conſequuntur, at vero, qui aliter atque edocti ſunt, in vitia prolabuntur, diras parentum imprecationes incurrunt, ſicut dixit Sapiens Eccleſ. cap. 3. *Benedictio patris confirmat domos, maledictio matris eradicat fundamenta*. Videndus eſt hac de re *Ambroſ. lib. de benedict. Patriarc. ſtatim in cap. 1. & Plato in dialog. 11. de leg.* vbi multis exemplis oſtendit, efficaces eſſe parentum imprecationes, ſiue bonas, ſiue malas, inter quæ exempla illud eſt optimum, cuius meminit Euripedes, & grauiores antiqui auctores Græci, ac Latini, de Edypo Thebarum rege qui vtrumque filium, quem habebat diris deuouit imprecatus, vt alter ab alterius manu occumberet, cuius deuotiones impletas fuiſſe affirmant omnes. Videndus item *Auguſt. lib. 22. de ciuitate cap. 8. ad fin.* vbi refert decem fratres filios omnes vnius, & eiuſdem viduæ propter maternam maledictionem perpetuo omnium membrorũ tremore agitatos fuiſſe in exemplum maternæ obedientiæ. Hæc fuit ratio. cur *Phil. lib.* quod deter. potior. inſidietur dixerit. Qui obſequium præſtant parentibus potius de ſe, quam de parentibus bene merentur, quod videtur dixiſſe *Phil.* quia huiuſmodi filiis ſolent parentes bona precari, & Deus eadem illis larga manu conferre. Eccleſ. 3. num. 11.

Id ergo non aliunde à diuina prouidentia factum eſſe exiſtimo, niſi vt ſic filios melius in officio cõtineret, eóſque promptiores redderet, & paratiores ad exequenda parentum præcepta de religione, & iuſtitia, qua in re dum ſe ſolicitos exhibent parentes, & ſibi bene conſulunt, dum recte funguntur paterno munere, & filiis multam pariunt vtilitatem, quam, vt libentius ſibi compararent, voluit omnipotens Deus potentes reddere parentes in filios, & quia talem colligationem in naturalibus etiam voluit Deus in filiorum compoſitionem, vel eorumdem corruptionem, plerumque parentibus attribuimus bonitatem & prauitatem, eos enim filij imitantur ducti non ſolum naturali ordine, ſed etiam bene, aut maledicendi poteſtate: quæ fuit ratio cur diuinum oraculum laudauerit in Iob generis nobilitatem, & ſanguinis claritudinem, etenim in c. 1. vbi noſtra vulgata iuxta Hebraicam veritatem, ait: *Et erat vir ille magnus inter omnes Orientales*, LXX. habent vocem, quæ idem valet, ac ſi diceret, *erat nobilis, generoſuſq́; inter omnes Orientales*, quod *Orig.* eo refert, quia Iob genus ducebat ab Abraham, ſiue per lineam rectam, ſiue per

per obliquam. Qua de re videndus *Euseb. Cæsar. lib. 9. de præparat. Euang. cap. 4. & Chrysost. homil. 80. tom. 1.* Dicitur vero generosus, & nobilis, qui dictus fuerat simplex, ac timens Deum, id est, religiosus, is enim propriè dicitur nobilis, vt docet *Aristoteles 2. Rhetoric. cap. 15.* qui mores maiorum suorum, qui pij fuerunt, imitatur, nec à virtutibus eorum degenerat, quibus similia habet *Phil. lib. de nobilitate.* Vnde *D. Thom. in illud Iob. cap. 39. Aquila in arduis ponit nidum suum, &c.* Expli-

Iob. 39. num. 30. cat, vt pulli eius statim nati consuescant B in altum morari, quod debent imitari parentes in educatione filiorum, vt ipsos assuefaciant commorari, & conuersari cum Deo per orationem, cælósque petere cogitationibus suis, illisque adhuc pueris instillent, & suggerant veram Dei Religionem, cultum, & amorem, quem in reliquo vitæ decursu debeant conseruare, qua ratione Euriped. eleganter vocauit filiorum animam parentes; sicut enim anima forma est corporis, & principium omnium operationum, sic & parentes de- C bent filios informare docendo, rectéque educando, & veluti principium omnium operationum esse, siquidem quæcumque ipsi postea fuerint operati, animæ debent attribui, scilicet parentibus suis, à quibus virtutem, vel malitiam hauserunt.

Ezec. 16. num. 44. Vnde *Ezech. c. 16.* Postquam iniquitates Hierusalem multis verbis descripsit assumpta similitudine adulteræ, & prostitutæ mulieris tandem addit. *Ecce omnis, qui dicit vulgo prouerbium in te assumet illud dicens: Sicut mater ita & filia eius.* D *Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum, & filios suos: mater vestra Chetæa, & pater vester Amorrhæus, & soror tua maior Samaria:* quorum verborum sensus est, quisquis volet eleganti, ac vero aliquo vti prouerbio nullum melius, aut aut verius inueniet, quam si de te dicat. Qualis erat mater, talis est filia, vel etiã, & fortassis melius, comperta est in te veritas illius prouerbij satis vulgaris, ac triti. Qualis mater, talis filia, quæ est expositio *Hieron.* cùm ait. Aptatur ei tritum E vulgi sermone prouerbium, siue vt L X X. transtulere parabola.

Illud autem mihi difficile, quod Maldonatus hoc in loco voluit, qualis mater erat talis est filia, id est, talis est nunc Hierusalem, qualis semper fuit: plena, scilicet, impietatis, & scelerum: matrem vocat veterem Hierusalem, filiam verò nouã, quia hæc ex illa genita est. Quæ expositio non

A videtur posse stare cum litera, nam sacer text. dicit mater vestra Chetæa, vnde *Hieron.* ait. Mater Hierusalem sicut & supra, & in consequentibus scriptum est Chetæa appellatur, & cum idem doctissimus vir sorores Hierusalem dicat quas sacer text. nominat, non video cur matrem appellet veterem Hierusalem, & non potius Chetæam, quam litera matrem appellat.

Prædictum itaque prouerbium in sacris literis consecratum nobis ostendit, qualiter filij imitentur parentes, quod *Eccles. c. 11.* dicit: *In filys suis cognoscitur vir;* Eccl. 11. num. 30.
B & ad idem prouerbium alludens *D. Basil. Epist. 146. ad Libanium in fin.* ait, Filium Anysium iam tibi adduxi, vt meum ipsius filium. Si verò meus est hic puer, patris quoque est filiolus, pauper ex paupere. Quod autem dico satis clarum est viro, & sapienti, & Sophistæ. Vsurpatum est idem prouerbium à Philostrato in Aristide, & eodem vtitur *Terent. in Adelphis,* & multa de eo habes apud *Aristot. 13. pol. cap. 8. & lib. 3. Rhetor. ad Theodect.*

C Vsurpauit autẽ Propheta Ezechiel prouerbium in matre, quia de filia loquebatur, iam verò filiæ diutius, & crebrius cum matre conuersantur, quàm cum patre, imò & in filiabus peculiaris ratio imitationis maternæ est, quia semper comitantur matres, non sic autem patres sicut notauit *Procop. apud Suidam.* Et ideo *D. Ambros. lib. 3. de virginitate:* ait: De filia Herodiadis. Quid potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris; *& Chrysost. homil. 10. ad Coloss. ad fin.* ait:
D Solent plerumque filiæ ad rationem educationis componi, & mores imitari maternos. Esto filiolæ tuæ castitatis, & modestiæ exemplar, &c. vnde apud Senecam cum Clytemnestra adultera diceret Electræ filiæ suæ. *Quis esse credat virginem?* respondit filia *natam tuam?* & Peleus in Andromacha Euripidis.

——— *Imitantur enim*

Materna probra. Et id videtur mihi à proci

Bona prognatas matre, vt ducatis filias.

E Et Iuuenal.

Scilicet expectas vt tradat mater honestos,

Atque alios mores, quam quos habet? vtile porro:

Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Quod si quando filij à parentibus degenerant, eorum etiam filij esse videntur desinere, vnde Scriptura cum meminit impij Caini nascentis, non dixit eum fuisse

fuisse genitum ad imaginem, & similitudinem patris, qui iam tunc erat eductus à delicto per pœnitentiam, & iustus per gratiam, námque dicitur. *Adam cognouit vxorem suam Euam, qua concepit, & peperit Caim.* At vero sequente c. 5. dicitur:
Gen. 4. num. 1. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem*
Gen. 5. num. 3. *suam, vocauitq́; nomen eius Seth.* Super quæ verba sic ait *Chrysost. homil. 21. Cùm de priore loqueretur filio (Caim dico) nihil tale assignauit, nimirum iam ante significans illius in malum procliuitatem, & merito nō enim seruat paternos characteres, & mores, sed protinus ad malitiam confugit, hic autem inquit secundum speciem, & secundum imaginem suam, hoc est eorundem morum, quibus ille, qui genuerat, & qui seruet paternos characteres, operibusq́; paternos mores exprimat, neque enim de corporalibus picturis, & characteribus Scriptura nobis disserens hoc ait, secundùm speciem suam, & secundùm imaginem suam, sed de statu animæ.* Sic ille, quibus habet similia *Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 45.* vbi ait: *Natura regula dicit, quia non potest fieri, vt de bonis parentibus mali nascantur, aut de malis boni, sed quales fuerunt parentes, tales erunt & nati: quia sicut arbor in fructu cognoscitur, & fructus per arborem demõstratur: sic parentes cognoscuntur in filijs, & filij per parentes; nonne hoc ante Christum Propheta prædixit?* quoniã Deus in generatio-
Psal. 13. ne iusta est *Psal. 13.* Item generatio recto-
Psal. 111. num. 2. rum benedicetur, *Psalm. 111. Ergo dent testimonia de filijs mores parẽtum. Quod si pater fuerit bonus, & mater mala: aut si mater fuerit bona, & pater malus; interdum filij patrem sequuntur, interdum matrem, interdum omnes filij patrem, interdum omnes matrem, tamen frequentius est, vt nati patrem sequantur. Si autẽ ambo fuerint æquales, aliquando fit, vt de bonis parẽtibus mali exeant filij, aut de malis boni, sed raro. Ecce enim regula est humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos, aliquando tamen, & manifestantur opera Dei, nascitur homo, aut sex digitos habens, aut oculos omnino non habens, sicut in Euangelio scriptum est. Sicut ergo extra regulam natura raro procedit, vt deformis nascatur: sic & homo extra regulã naturæ raro procedit, vt dissimilis nascatur filius parentibus suis. Tu itaq; iuuenis, quando vxorem ducere vis, si virgo, aut puella nuptui tradatur, noli quærere diuitem, sed bene morigeratam: quia mores boni, diuitias frequentior acquirunt, diuitiæ autẽ mores nunquam fecerũt. Cùm autem requiris, aut necessariũ habes maternos mores discere, considera, quales habet parentes, & sine labore cognosces de illa. Si ergo ambo fuerint boni, fiducialiter pone pedem tuum in domo illius: si autem ambo fuerint mali, fuge familiam illam, &c.* quæ prosequitur in hanc sententiam, quam comprobat verbis Christi *Matth. 23.* vbi ait: *Testimonium estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Homicidæ, inquit, illi Mat. 23. num. 31.
de homicidis per hoc ipsum, quod similes sunt parentibus suis iniquis, sibi ipsis testimonium perhibent, quia filij sunt eorum. Videndus hac de re *Basil. in Psal. 7.* ibi: *Ecce parturijt, concepit dolorem, & peperit iniquitatem,* quæ verba putat esse dicta à Dauide de Absalon, vt sensum habeant ipsum non Dauidis filium quem non imitabatur operibus, sed porius diaboli, cui obsequebatur. Ait ergo Basilius: *Videtur hæc dicere quodammodo erubescens pater iniqui filij appellari, Non meus, inquit, filius hic, sed eius est patris, cui se per peccatum iure adoptionis contradidit, eoq́; secundùm Ioannẽ: qui facit peccatum, ex diabolo natus est. Ergo ecce parturijt ipsum per iniustitiam diabolus, & concepit ipsum: hoc est in penitissimos recessus sub intestina suæ affectionis viscera pertraxit, ipsumq́; gestauit diabolus in vtero. Denique eundem peperit, ipsius iniquitate palam traducta, &c.* Psal. 7. num. 15.

Ex quibus intelliges, cur filij in Scriptura lucernæ dicantur, vt patet ex *Psal. 132. Paraui lucernam Christo meo,* id est Ps. 132. num. 17.
successorem, seu filium patris succedentem, sicut notauit *Oleast. in cap. 21. lib. Numer.* iuxta literam, patet insuper ex *2. Reg. 21. Non extingues lucernam in Israël:* vbi est sermo de filio: ratio autem 2. Reg. 21. n. 17.
huius rei est, *Quia filius* ait Oleast. *patrem repræsentat, & ostendit, quemadmodum lucerna id, quod ad eam accedit, aut prope ipsam est,* & qui patrem non refert in moribus, ac vita, lucerna illius minimè est, ipsiúsque filius proinde minimè censendus est, sicut Iudæi semen Chanaam dicuntur; & ex patre diabolo filij, quia impiè, & iniustè viuebant, quæ fuit ratio cur *D. Chrysost. hom. 1. ad pop. de Timotheo discipulo* Pauli dixerit, *Non fuisset tã beatus Timotheus si Pauli filius à natura fuisset, quã nunc est admirabilis, quoniam secundum carnem, nihil ad ipsum attinens, per cognationem, quæ est secundùm Religionem, in ipsius se adoptionem inducit cũ sedulitate disciplinæ illius characteres in omnibus seruans.* Etenim sic ille, qui discipulus

solummodo erat, sic Pauli mores imitatus est,& ad magistri doctrinam,& informationem, sic regulariter vixit, maiori cum ratione debent ij,qui naturæ sunt filij, paternos imitari mores,& ad ipsorum normam,& amussim viuere. Vnde *Daniel. c.13. Accepit vxorem* (scilicet Ioachim) *nomine Susannam filiam Helcia, pulchram nimis,& timentem Deum,parentes enim illius cùm essent iusti,erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi*.vbi *Orig*.apud *Hieron*. ait:*Hoc vtendum est testimonio ad exhortationem parentum, vti doceant iuxta leges Dei,non solum filios,sed & filias suas*, generosa enim in ortus semina exurgunt suos, sicut dixit Seneca in Troade.

Dan.13. num.2.

Et forte ideò Deus fecit hominem rectum ad imaginem, & similitudinem suam, vt homo conditus, Deum veluti parentem, & verum creatorem referret viuendo iustè, & sanctè, qua in re Deo similis profectò esse poterat, cum enim auitam Religionem, & virtutem primus homo habere non posset, saltem similitudinem Dei habere voluit Deus,vt sciret ipsam conseruare, & secundùm illam viuere, qua de re videndus *Nyssen.de opificio homini*, *& Cyrill.3. contra Iulian. & Greg.9. moral. c.17. & Chrysost. ad illa verba; Faciamus hominem ad imaginem, &c*.Et eleganter dixit Phil.lib.de nobilit. *Adam ille omnibus mortalibus preferèdus. quantum attinet ad nobilitatem, artificio summo formatus in statuam corpoream,animam verò adeptus, non beneficio alienius creatura,sed inspirante ipso numine, quantum natura humana capere poterat,an non nobilissimus, cui nec conferre quemquam alium, hac parte licet?Nam cæterorum decus descendit à maioribus, maiores autem eorum fuerunt homines amissuri felicitatem breui tempore, Adamo autem nemo parens, & auctor vita, nisi Deus fuit, cuius imaginem quodammodo referens orbis monarcha creatus est; vt cernens, & considerans nobilitatem suam, & magnã Dei opus esse perspiciens, opera sua dirigeret ad Dei cultum, & religionem*. Quæ etiam mihi videtur causa, cur *Lucas Euangelista c.3.* generationem Adami ad Deum retulerit cùm dixit, *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, vbi videtur tribuere Adamo Deum parentem;sicut ipsum dixerat esse patrem Seth, filij eiusdem Adami:sicut enim in cæteris hominibus maiorum communicata nobilitas posteros compellit ad imitandam auorum proauorúmque nobilitatem,sicut dixit *Boët.lib.3.de consolat.prosa 6, Si quid*

Luc.3. num.vlt.

A *est*, inquit, *in nobilitate bonum, ideò esse arbitror solum,vt imposita quadam necessitas nobilibus sit, vt non degenerent à virtute suorum maiorum*, quod significauit *Homerus test. Stob. serm.86.* cum de Thelemaco filio Vlyssis dixit: *Instillata patris virtus tibi*, & eundem Homerũ imitatus, Virg. octauo Æneidos de fatali clypeo, in quo Romanorum insculpta erant inclyta facta, quibus & partum est Romanum imperium, & conseruatum,dixit.

Talia per clypeum Vulcano dona parẽtis,
B *Miratur rerumq́, ignauus imagine gaudet,*
Attollitq́, humeris, famamq́, & facta nepotum.

Pendentia scilicet ab humeris Æneæ auctoris gentis Romanæ in exemplum suorum posterorum sequendum ad patriam iam partam defendendam, & conseruandam. Similis est alius locus apud eundem *6. Æneidos*, vbi loquitur de Marcello Octauiæ sororis Augusti filio, cuius dolet immaturam mortem,quia cum eo pariter C sublata sunt præclara virtutũ exempla,quæ posteri possent, ac deberent imitari, sicut ille etiam magnum Marcellum maiorem suum, qui ter consul creatus fuerat,& de Annibale triumphauerat,fuit imitatus, ait ergo Poëta:

Quis pater ille virum, qui sic comitatur euntem?
Filius,an ne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? quantum instar in ipso est.

D Videndus item *Plutarchus in quæstionibus Roman.quæst.37.* vbi reddit rationem cur hostium spolia, & trophæa victoriarum à Romanis comparata, & in templis apposita minimè reficerentur, si aliqua ex parte temporum iniuriis essent consumpta, ait igitur. Inter ea, quæ diis consecrantur,lege permissum est, vt sola spolia finantur tempore corrumpi, atque aboleri:neque ea licet reparare, aut instaurare, vt existimantes gloriam priorem simul cum spoliis intercidere, semper nouum E aliquod virtutis monumentũ parare operam dent. Mens itaque Reipub.Rom.rectè instituta erat proponere ob oculos filiis, & nepotibus strenuissimorum virorum, trophæa, & spolia in præclaris victoriis comparata, & ne fortè in maiorum imitanda virtute ignaui essent,ex eo quod appensa in templis haberent testimonia virtutis eorundem, tempore permittebant prædicta omnia conteri,& consumi.vt ex hoc

hoc incitarentur ad noua acquirenda trophæa, & insignia & imitandam maiorum celebratam virtutem, & præclara facinora, alioqui, & illa abolerentur, & ipsi nihil haberent, vnde denuo gloriari liceret, nisi forte memoriam maiorum suorum in supplicium degenerantium.

Videndus hac de re Nazianzenus oratione in nobilem male moratum vbi ita habet. *Quid est quod, te derelicto, patres tantummodo commemoras præstat in obscuritate generis, virtute, quam in maiorum claritate, vitijs cumulari, nam & rosa licet ex aspera planta nascatur flagrantissimum odorem efflat, tu contra, si è molli terra nihil aliud, quam spina existo ignem vtique promereris.* Et *Clemens Alexand.* 2. *strom.* *Ipsa*, inquit, *nobilitas ostenditur in eo quod quæ sunt pulcherrima, honestissimaque eligat, & exerceat*, quod prosequitur *Hieronym. Epistola.* 8. Cum ait: *Rhetorum disciplina est abauis, & atauis, & omni retro nobilitate ornare quem laudant, vt ramorum sterilitatem radix fœcunda compenset, & quod in fructu non teneas, mireris in trunco.* Sic ille, Cæterum ranti doctoris pace dixerim mirari quemlibet posse, si fructum in ramo non videat, cum generosum truncum habeat, & fœcundam radicem, quæ virtutem perpetuo communicare videtur ramis, vt in bonorum operum fructus exeant, & principiis suis respondeant, nam sicut dixit *Sallust. in bello Iugurth.* maiorum gloria, posteris quasi lumen est, neque bona, neque mala in occulto patitur, & proinde defectum in his ostendit, cum illorum virtus grande ad virtutem sit incitamentum, Et *D. Hilar. can.* 2. *in Matth.* *Dignitas*, inquit, *originis in operum consistit exemplis, & prosapiæ gloria, imitatione retinetur.*

Hæc proinde fuit ratio, cur Deus propriis efformauit manibus primum hominem orbis Monarcham, vt suam perpendẽs nobilitatem opera ederet, quæ factori, & veluti parenti suo correspondere nt, hoc enim nobilitas tanri factoris proclamare videbatur, sicut in nobis maiorum gloria, virtus, & religio in posteris etiam exigit, qua de re videndus *D. Thomas lib. de erudit. principum cap.* 3. *tom.* 17. vbi illa ait: *Vtilitas habitus nobilitatis est refrænatio à malis, adde, & imitatio in bonis, hoc enim vt testatur Hieron. est in nobilitate maxime appetendum, quod nobiles, quadam necessitate astringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent, ideoque Tobias, cap.* 2. *Ora oblo-*

Tob. 2. *num.* 18.

quentium iniqua cõpescuit. Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, & iterum cap. 8. *Filij Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes: quæ ignorant Deum.*

Tob. 8. *num.* 5.

Hinc est quod tres pueri illi nobiles de semine regio, quantumcumque viderint cæteros omnes homines statuam Nabuchodonosoris adorare, ipsi minime eandem adorarunt, quod *Theodoret. orat.* 3. *in Dan.* ad ingenitam ipsorum nobilitatem refert, sic enim ait: *Videbat omnes imperata facientes, qui & metu, & voluptate seruire consueuerant, soli autem beatissimi illi adolescentes patria nobilitate incorrupta, in ipsa etiam seruitute retenta, renuerunt adorare: vera enim nobilitas etiam in captiuitate captiuos detinet nobiles, ne à nobilitate in seruitute degenerent, & religione deficiant.*

Dan. 3. *num.* 18.

Vnde iusta est ea querela quam nobilitas generis proponit apud *Philonem lib. de nobilitate*, vbi illa sic loquitur ad posteros degeneres. *Gentilitas non solum sanguine æstimatur apud veritatem iudicem, sed factis, studijsque similibus, at vos in contrarium tenditis, quæ odi, amastis, quæ probo, improbatis, & aduersamini, apud me honor est pudori, veritati, moderationi, modestiæ, innocentiæ, apud vos in nullo pretio habetis, cum tamen domestica exempla habeatis ad virtutem: obscuri genere possunt excusari, quia nullum cum virtute fuit eis commercium, vos estis inexcusabiles, qui præclaris nati familijs, iactatis maiorum splẽdorem, atque gloriam, & cum abundetis exemplis domesticis, nulla vobis insunt maiorum decora propter vestram negligentiam*, &c. Sic ille.

Merito proinde Hieremias acerrimè inuehitur in Israëlitas, qui à maiorum suorum virtute deciderant, & in ignobilem prauitatem defecerant, sic enim habet cap. 16. *Hæc dicit Dominus Deus Herusalem radix tua, & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa, &c.* vbi *D. Hieron.* ait hoc exprobrasse illis Prophetam propter scelera sua, sicut etiam *Daniel* adhuc puer, ad presbyterum delinquentem, & adulterio iungentem homicidium ausus est dicere: *Semen Chanaam, & nõ Iuda.* Et *Isai.* ad principes, & ad populũ Iudæorum c. 1 *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, auribus percipite legẽ Dei nostri populus Gomorrhæ*, quę iure optimo possũt nostri

Ierem. 16. *num.* 3.

Dan. 13. *num.* 36.

Isai. 1. *num.* 10.

nostri temporis nobilibus viris dici non A
sine lachrymis, qui cum maiorum solum
habeant sanguinem, & corpora, mores
minorum, & vilium hominum protsus
habent, neque in fortitudine, neque in
liberalitate, neque in iustitia maiorum
exempla sequentes, & solam nobilitatem
plenis buccis conclamantes, cui corre-
spondere deberent potius opere, quam
opinione,& factis,quam verbis,qui etiam
meminisse debuerunt ignobilem virum,
qui ingenuos habet mores, nobiliorē vti-
que esse illo, qui nobilibus ortus paren- B
tibus ab ipsis operando degenerat, & vi-
lia committendo deuiat, qua in re admo-
nitos velim ignobiliores, vt curent ve-
ram morum nobilitatem acquirere,quam
non tātum apud homines sed etiam apud
Deum plurimum valere certo sciāt,quod
bene probat *D. Hieron.* cum ait. Nemo
debet apud Deum erubescere sanguinem,
Ioann. 1. nam filiorum Dei generatio, *Non est ex*
num. 3. *sanguinibus,neq; ex voluntate carnis, neq;*
ex volūtate viri,sed ex Deo. Et cum Apo-
stolus in ministerium de gentium cōuer- C
sione,concorporatione, & comparticipa-
tione promissionum, quæ Israeliticis à
Deo factæ fuerant scriberet, *Ephes.* 3.qui
ex gentibus crediderant, ne quod non
Ephes. 3. essent ex genere Iudæorum putarent in-
num. 14. uestigabiles illas Christi diuitias ad se
non pertinere. *Huius*, inquit, *rei gratia*
flecto genua mea ad Patrem Domini nostri
Iesu Christi,ex quo omnis paternitas in cæ-
lis,& in terra nominātur; quo in loco,pa-
ternitas, non significat relationem, sed
propriè significat cognationē,& familiam D
generis alicuius tribus, & contribules,
Psal. 95. quod *Psalm.* 95. nomine Græco retento,
num. 7. patria dicitur. Est ergo sensus Pauli:
quamuis non sitis ex Abraham patre ne-
que ex aliqua illarū duodecim illustrium
tribuum,non ideo minus nobiles censebi-
mini apud Deum, cum filij Dei sitis,nam
si quæ tribus, aut paternitas nominatur,
id est celebre,& illustre nomen habet non
tam ex sanguine habet, quam ex Deo ad
quem veluti primi generis auctorem; &
creatorem reducuntur nobiles, & igno- E
biles: Iudæi, & gentes:ne superbiant illi,
ne isti concidant animo,quod innuit Pau-
Ephes. 3. lus *Ephes.* 3. cum ait:*Mihi data est gratia*
num. 8. *hac in gentibus euangelizare, qua sit di-*
spensatio Sacramenti absconditi à sæculis
in Deo, qui omnia creauit. Quod etiam
Luc. docuit cum Christi generationem
retro conuerso ordine ac *Matth.* doceit,
referens, scilicet, vniuersos illos Patriar-

chas in Adamum primum parentem, de-
inde in Deum plasmatorem corporum, &
patrē spirituū.*Qui fuit*,inquit, *Adam, qui* *Luc.* 3.
fuit Dei. vt ex Deo omnis paternitas no- *num.* 38.
minetur, apud quem non est distinctio
Iudæi,& Græci: nam, diues est in omnes,
qui inuocant illum, & iure nobilitatis
gaudent, qui bonis moribus fidei,& reli-
gioni nomen dederunt,etenim in hac Dei
Rep. huiusmodi Rhaab, idest Ægyptij,
Babylonij alienigenæ, & Thyrus, & po-
pulos Ethyopum, ij fuerunt illic, quid
enim nocuit Iephte, quod filius esset me-
retricis, licet vt dixit *Iuuen saty.* 6. ode-
runt natos de pellice quominus adispice-
retur repromissiones, quid Raab meretri-
ci,quod cauponariam exerceret,& mere-
tricium, & quod alienigena esset; despi-
piunt planè filij Belial dum Saulem despi-
ciunt, eo quod sit filius Gemini de mini-
ma tribu Israël, & cognatio eius sit no-
uissima inter omnes familias de tribu
Beniamin. Cum insilierit in eum spiri-
tus Domini: & audiant:*Non dicant filij* *Isai.* 56.
aduena,qui adhærent Domino. Separatione *num.* 6.
diuidet me Dominus à populo suo;quia hæc
dicit Dominus,&c.filios aduena,qui adhæ-
rent Domino, vt colant eum, & diligant
nomen eius, vt sint ei in seruos. Adducam
eos in montem sanctum meum,& lætificabo
eos in domo orationis meæ. Et Paulus *Rom.* *Rom.* 2.
2.*Non qui in manifesto Iudæus est,* (id est, *num.* 28.
qui suum genus manifeste probare potest
ex Abraham patre circumcisionis) *neque*
quæ in manifesto, in carne est circumcisio,
sed qui in abscondito Iudæus est,& circum-
cisio in spiritu, cuius laus non ex homini-
bus,sed ex Deo est. Ideoque *Hieronym. tom.*
1.*Epist. ad Celantiam* in hanc sententiam
eleganter ait. Nulli te de generis nobili-
tate præponas,neque obscuriores te,infe-
riores putes, nescit Religio nostra perso-
nas accipere, neque conditiones homi-
num, sed animos inspicit singulorum ser-
uum, & nobilem de moribus pronunciat,
sola apud Deum libertas est: non seruire
peccatis, summa apud Deum nobilitas,
esse clarum virtutibus.Quid apud Deū in
viris nobilius Petro,qui piscator, & pau-
per fuit?Quid in fœminis beata Maria il-
lustrius, quæ sponsa fabri describitur?sed
illi piscatori, & pauperi cælestis regni à
Christo creduntur claues.Hæc sponsa fa-
bri meruit esse mater illius, à quo ipsæ
claues datæ sunt, elegit enim Deus igno-
bilia, & contemptibilia huius mundi,
vt potentes, ac nobiles ad humanitatem
facilius adduceret. Nam & alias frustræ
sibi

sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum vniuersi paris honoris, & eiusdem apud Deum pretij sint, qui vno Christi sanguine sunt redempti: neque interest, qua quis conditione natus sit, cum omnes in Christo æqualiter tenaseamur. Nam etsi obliuiscimur, quia ex vno omnes generati sumus: saltem id semper meminisse debemus, quia per vnum omnes regeneramur. Sic ille.

Negotium fortassis facesset cuiquam attente rem consideranti, si videar in rationali Summi Pontificis in prima gemma, id est, Sardio Scriptum fuisse Ruben, deinde in Topazio Simeonem, Iudam vero tertio loco in Smaragdo, neque enim audiendi sunt, qui Iudam in quarto lapide asserunt scriptum decepti ex eo, quod sicut Iudas fuit quartus filius Iacob, sic in quarto lapide debuit poni, & in tertio tertius filius, scilicet, Leui, vt constat ex

Gen. 29. *num.* 34. *Genes.* 9. Namque decipiuntur, vt diximus, etenim ab iis lapidibus duo filij Israël exeepti sunt, scilicet, Ioseph, & Leui, Ioseph quidem, qui cum esset vndecimus, loco eius positi sunt duo filij ipsius Ephraim, & Manasses, tanquam duarum tribuum auctores, vt testatur *Ioseph.* 3. *antiquit. c.* 11. ipsi namque adoptati fuerant à Iacob, vt essent sicut Ruben, & Simeon, quemadmodum legimus *Genes.* 48.

Gen. 48. *num.* 5. vbi etiam describitur quomodo ab eodem Iacob Ephraim præpositus fuit ipsi Manasse primogenito. Leui vero omissus fuit in rationali, sicut testatur *Ribera lib.* 3. *de temp. cap.* 11. *& August. Turniel. anno mundi* 2544. *num.* 84. quia non oportebat scribere nomen Leui, tum quia tribus eius segreganda erat ab aliis, tum etiam, quia sicuti Ioseph omissus est, eo quod in filiis repræsentabatur, sic etiam Leui repræsentabatur in persona ipsius Pontificis, qui semper de tribu eius esse debebat. Ex quibus perspicies Iudam in tertio, non in quarto lapide fuisse sculptum, quo etiam ordine nomen eius scriptum est in Onychino lapide, qui super latus Ephod, humerúmque dextrum Sacerdoris appositus erat, in eo enim sex natu maiores filij Israël erant descripti, in læuo autem alij sex minores. Cum ergo in his lapidibus pretiosis nomina filiorum Israël ordine originis essent posita, longe aliter in exercitu Israëlitico res se habebat; gradiente, enim exercitu per desertum, atque etiam congrediente cum ho-

Num. 2. *num.* 3. stibus, primus, ac præcipuus locus concessus erat Iudæ, vt patet ex lib. *Num. c.* 2.

A vbi dicitur. *Ad orientem Iudas figet tentoria per turmas exercitus sui, eritq́; princeps filiorum eius Naason filius Aminadab.* Descriptus itaque exercitus ibi, quatuor habebat acies, quas ductabant quatuor Atehiduces, & licet quælibet earum peculiare insigne haberet, tamen leonem sequebantur, qui vexillum erat tribus Iudæ, vt ex Hebræorum expositoribus obseruat *Burgens. Addit.* 2. *ad cap.* 2. *Numer.* qua de re videndus *Hieronym. Prado in comment. ad Ezechiel. cap.* 1. *sect.* 2. *Genebrard. lib.* 1.

B *chronolog. pag.* 109. *Rab. Abraham in Cabalistica historia*, & ideo ad orientem posita erat hæc tribus tanquam in præcipua totius aciei parte, quam cæteræ sequebantur, cuius rei ratio ea nobis in præsentiarum apta videtur, quia in rationali ordine generationis erant posita nomina filiorum Israël, quandoquidem ea ratione ponebantur ibi, vt essent in Dei memoria ad eorum reconciliationem de peccatis, proptereáque solus ordo natiuitatis seruatus tunc est, iuxta quem non

C alia merita repræsentabantur Deo, quam scelera eorum, quæ quo antiquiora erant, eo magis egebant diuina misericordia, & recordatione, eámque alliciebant, at vero in ordine agminis seruabatur dignitas, & gloria propriis meritis comparata, quæ longè superat sanguinis claritudinem; comparauerat autem eam tribus Iuda inter alias, eásque proinde præibat. Etenim Aminadab, cuius meminit sacer textus, cum loquitur de primatu huius tribus, qui filius fuit Aram, & princeps de tribu Iu-

D da, quando Deus ad transitum populi sui medias maris rubri aquas diuisit, primus post Moysen ingressus est absque vlla hæsitatione cum tribu sua, quo tempore cæteræ omnes mediam sicci maris viam ingredi formidabant, & exemplo illius ingredientem Aminadab secutæ sunt cæteræ tribus, quod notat *Genebrard. lib. cit. & Lyran. Exod.* 14. *& Num.* 2. *& Cantic.* 6. licet enim aliqui inter quos est *Abulens. in cap.* 1. *Matth.* velint mortuum fuisse Aminadab in Ægypto, probabilior tamen

E est superior opinio, quæ asserit ipsum primum ingressum fuisse viam diuinitus patefactam, & ratione huius singularis virtutis primatum inter cæteras tribus fuisse consecutum, quantumcumque illis ignobilior fuerit, & huc volunt plerique allusisse sponsam, cum loquitur de ea animæ perturbatione, qua commota est, quando primo audiuit tumultum, ac sonitum quadrigarum descendentis sponsi

fui in hortum, vt videret poma conuallium, & inspiceret si floruisset vinea, & si germinassent mala punica, ait enim: *Conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Vbi videtur reuocasse in memoriam nomen, & gloriam huius principis audacter ingredientis, viamque veluti aperientis cæteris tribubus prioribus origine, & natiuitate præcellentibus, & hanc gloriam, ac virtutem huius tribus significatam esse voluit Deus in Smaragdo viridi, cuius coloris aspectus iucundior est cæteris coloribus, oculorúmque aciem recreat, neque vnquam satiat. Sicut ait *Plin. lib. 37. cap. 5.* à quo eadem desumpsit *Isidor. lib. 16. Ethymol. cap. 7.* Et insuper immutabilem fortitudinem animíq; constantiam significat, ideóque diuinam naturam adumbrat, sicut prosequitur *Riber. in cap. 4. Apocal. num. 3.* deinde, & imagines reddit teste Plin. cit. vt videntibus videatur speculum lucidissimum pulcherrimúmque, quod optimè in virum Principem quadrare constat, qui suis speculum esse debet, & in quo suorum omnium imagines apparere oportuit. Quod si viridis color spei symbolum est. rectè etiam hic lapis adumbrat regias virtutes, namque Rex suis debet ingerere spem, & vt à malis liberentur, & vt cumulatissima bona accipiant.

Cant. 6. *num. 11.*

Primatum itaque inter cæteras tribus consecuta est tribus Iuda, quia id, proprio labore promeruit, etiamsi aliquibus natu inferior esset, est namque iusta lex, maximè apud Deum, veræ gloriæ, vt à virtute & labore incipiat, qua de re videndus *Augustin. 4. de ciuitate Dei cap. 9.* Imò, & apud exteros, cum quidam adolescens Antigonum rogasset, vt se ad honores paternos eueheret, fuerat enim ille filius clarissimi, & fortissimi Centurionis, sicut refert *Plutarch. lib. de vitiosa verecundia.* Rex Antigonus respondit. Apud me adolescens propriæ, non patriæ virtutis sunt præmia, & ideò *August. lib. de bon. coniug. cap. 6.* ait: *Vndecumque homines nascantur, si parentum vitia non sectantur* (loquitur enim de filiis iniquorum) *honesti, & salui erunt, semen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura est, & eo male vtentibus malum erit: non ipsum aliquando malum erit, sicut autē filius adulterorum nulla est defensio adulterij: sic mali filij coniugatorum, nullum est crimen nuptiarum.* Similia habet *lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 6. & 7. & lib. 2. de nuptijs & concupisc. cap. 10. & Chrysostom.*

A *homil. 3. in Matth.* ait: *Nunquam de vitijs parentum erubescamus, sed illud vnum quaramus, & semper amplectamur, virtutem videlicet, etiamsi alienigenam quis habeat matrem, etiamsi fornicatione pollutam, vel quolibet huiusmodi dedecore sordidatam, nihil tamen de eius, aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quod si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum, nequaquam prior vita commaculat, multo magis ex meretrice natus, & adultera, si propria virtute decoretur, parentum suo-*
B *rum non dedecoratur opprobrijs, etenim non est omnino, nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus.* Sic ille. Moribus itaque, & iustitia, ac sanctitate, à nobis acquirenda est apud Deum vera nobilitas, si fortè à maioribus nostris imitanda desit nobis communicata.

Imò non solum apud Deum magni vtique fiunt, qui suis operibus se nobiles, & præclaros probant, & propria virtute præclarum nomen, Deo benè iuuante,
C compararunt, sed insuper apud homines maximè commendantur ij, qui ignobilioribus exorti natalibus, claros se, & nobiles reddiderunt propriæ virtutis monumentis, vt probant apud *Plutarch. Laërt. & apud Athenæum lib. 13.* Hercules, Temistocles, Timntheus, Cononis filius Æschines, Homerus, Bion, Boristhemites: Sed in his ingenium, & doctrina potius, vísque animi aliqua, ac robur, quam virtus, veráque probitas videtur commendanda. Proinde vocemus iam magnum Constan-
D tinum præclarum Imperatorum exemplum, si ea, quæ de illo narrant *Sozomenus, & Niceph.* vera essent, eos tamen confutat egregiè *Card. Baron. tom. 3.* accedat proinde ad honorem defectuosæ natiuitatis *Carolus Martell.* & magnus ille dæmonum domitor Theodor. Siceonius, Archimandrita, de quo ex *Stephan. discipulo Surius in mense Aprili tom. 3.* & pro commendatione similium videatur in iure *Canonico dist. 56.* & certè pulchrior ex spinis nascitur rosa, & ex ignobilitate nobilitas, ex
E impietate, pietas, ex iniustitia virtus, vnde *Chrysost.* citatus ait; *Vt consideratius aliquid dicamus, aut expressius nescio quomodo ille magis resplendet, quia natus est ex parentibus à virtutibus prorsus alienis, quam ipse, qui fuerit Dei virtute mirabilis, enim vero ille aliunde petijt normam, quæsiuit exempla, hausit doctrinam, ebibit institutionem, quam iste domesticam, & ob oculis habuit, & perpetuo occursu monentem vidit,*

vidit, audiuit, accepit. ita Chrysost. Etenim, sicut contigit in nobilitate sanguinis, ac politia, sic & in nobilitate virtutis res sese habet, & ex illa veluti ex minori ad maius, & ex posteriori possumus deducere argumentum in commendationem eorum, qui ex iniquis parentibus, & prosanis maioribus, virtute præclari extiterunt, qua de re videndus est *Osorius lib. 2. de nobilit. ad fin.* vbi rem discutit: vtrum scilicet maius sit homine ex ignobilibus parentibus ortum, nobilem, ac illustrem vitam degere, an vero eum, qui illustribus B parentibus natus est, & tandem concludit multo maius, & laudabilius illud esse, namque præclaram indicat virtutem, & egregium testatur animum ille, qui nullis domesticis propositis exemplis iustitiam sequitur, & probatissimis moribus proficit, quod prosequitur optimè *Paterculus lib. 2. sua historia in elogio Ciceronis*, qui nullis à suis maioribus petitis exemplis virtute eminens, posteris imitanda proposuit opera. *M. T. Cicero*, inquit, *qui omnia incrementa sua sibi debet, vir nouitatis nobilissima, & vt virtute clarus, sic ingenio maximus.* Nec minus hic facit locus ad C monendos patres, vt filios suos erudiant, rectéque instituant, quo facilius à maioribus perceptam doctrinam ipsi valeant exequi, & conseruare, & adeò magna beneficia promereri.

Neque vero aliunde existimo vsurpatum in Scriptura, vt magistri patres dicantur, & discipuli filij, quam, vt patres meminerint se debere præceptorum munus exequi, & filios sic instituere in do- D ctrina morum, & in Dei cultu, ac si discipuli parentum essent. Vide si non se pa-

1. Cor. 4. trem dicit Paulus cum ait: *Si decem millia*
num. 15. *pædagogorum habeatis, sed non multos pa-*
Galat. 4. *tres, nam in Christo Iesu per Euangelium*
num. 19. *ego vos genui, & Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Dauid etiam se patrem dicit cum magistrum agit, & discipulos filiorum nomine con-
Psal. 33. gregat, sic enim ait: *Venite fily, audite me,*
num. 12. *timorem Domini docebo vos*, vbi Hieron. ait: *Mos Prophetiens, vt discipulos filios* E *nuncupet, sicut Paulus filioli mei, quos iterum parturio*, similia docet idem *Hieron. lib. 18. in Isai. cap. 65.* dum filios Prophetarum in veteri testamento celebratos asserit fuisse discipulos, imitatores, & asseclas Prophetarum, quod idem sensit Lyran. & Hebræi ad *cap. 4. lib. 4. Reg.* licet id neget *Abulens. quæst. 10. in eundem locum.* Vnde intelliges cur de Dauide dicatur

A *2. Reg. 23. Dauid sedens in Cathedra sapientissimus, princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus*, etenim iis in verbis magisterij munus indicari docuit *Hugo de sanct. Vict. annotat. in 3. Reg. tom. 1.* nam præterquam, quod appelletur ibi sapientissimus, quod magistrum videtur repræsentare, id etiam probat nomen Cathedræ, qua de re videndus *Hieronym.* cum explicat illud: *Super Cathedram Moysi sederunt Principes, & Pharisæi. Per Cathedram*, inquit ille, *doctrinam legis ostendit, ergo quod dicitur in Psalm. 1.* In Cathedra pestilentiæ non sedit, *& Matth. 21.* Cathedras vendentium columbas euertit, doctrinam debemus accipere. 2. Reg. 23. n. 8. Mat. 23. num. 2. Psalm. 1. num. 1. Matt. 21. num. 12.

Quod si quis nobis opponat in loco allato ex *2. Reg.* in Hebræo haberi verbum, quod magis solium, quam Cathedram significat, facilior erit solutio, si dicamus, tunc se magis regem reputare Dauidem, quando suos potius velut magister institueret, & doceret, quam cum velut Rex iura decerneret, & in illos imperium exerceret: rémque magis videtur aperire *Brixian.* cum explicat illa verba: *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus*, sic enim habet: *Quia fuit delicatus, & sincerus in studio legis*, quod quidem magistrum prædicat subtilem, & acutum, in eruendis, & proponendis sensibus sacræ legis, quo sensu etiam in hac materia locuti sunt boni Auctores iisdem verbis, etenim *Tullius in Pisonem*, dixit Versus delicatissimos, id est, solertissimos, & expressè probat hunc sensum *Rob. Salomo. apud Abulens.* vbi asserit Dauidem ideò dici tenerrimum vermiculum, quia sicut vermiculus nunc se in vestium abditarum volumina inserit, nunc in lignorum medullam se intromittit, ita Dauid legis recondita, secretæ meditationi incubans, in abditissima illius mysteria peruadebat, & quæ ibi consequebatur, suis velut magister proponebat.

Ecce igitur cum Dauid filios erudiendos conuocabat, vt pater, discipulos, scilicet, quos, vt magister erudiebat. Similis est etiam ille locus, vbi dicitur: *Misi ergo tibi virum prudentem, & scientificum Hiram patrem meum*, vbi glossa interlinealis ait. Patrem suum vocat, quia de terra Israël profectus docuit timorem Domini, & cognitionem veritatis, & *D. Hieron. in tradit. Hebr. ad lib. 2. ad Paralip.* ibi: *Athalia impyssima, & filij eius destruxerunt domum Domini.* Filios eius Sacerdotes 2. Paral. num. 18. 2. Paral. 24. n. 7.

idolorum dicit, plerumque enim in sacro eloquio filij non nascendo, sed imitando dicuntur. Videndus idem *Hieron. in cap.16. Ezech.* vbi ostendit in Scriptura magistros appellari parentes; notandúsque venit pro hoc argumento locus
Iudic.5. num.7. ille *Iudic.5.* vbi dicitur: *Cessauerunt fortes in Israël, & quieuerunt donec surgeret Debora, surgeret mater in Israël.* Solent inquirere Auctores, cur Debora mater appelletur, eáque potissima videtur ratio, quod populo toti salutem genuerit, imò & ipsum quodammodo Israëliticum populum ad libertatem, vitámque veluti nouam reduxerit, sicuti qui olim dicebantur Patres patriæ. Ita *Serar. quæst.8. in cap.4. lib.Iudic.* quod clarius glossa interlinealis ad prædictum versum exposuit, námque matris nomine Deboram ipsam intelligit, quæ prædicando, inquit, & exhortando doceret, & consiliando ab hostibus liberaret.

Comprobatum igitur habemus magistros patres appellari, & discipulos filios, & præcipuè illos, qui bonos mores docent, & in Religionis perfectione, & noritia instituunt, námque proprium munus est parentum filios edocere virtutes, bonis moribus instituere, & in Dei cultu, & Religione erudire, vt inde nomen patris deriuetur ad eos, qui quacumque ratione hæc docent, vnde ex opposito dicimus illos patrum nomine priuandos esse, qui hoc maximè paternum munus recusant, aut illius obliuiscuntur. Vnde *Chrysostom. lib.3. cont. vituperatores vitæ Monast.* ait Deum in institutione festorum adiecisse
Exo.13. num.8. illud: *Narrabis filijs tuis*, vt patet *Exod. in cap.13.* vt iam inde agnoscerent patres debere filios instruere in iis, quæ ad Dei cultum, & Religionem pertinebant, denique ait ille, cùm de pascha loqueretur, adiecit: *Et annuntiabis filio tuo in die illa dicens: iccirco fecit Deus mihi hoc cùm exirem de Ægypto*, quod itidem facit in iis legibus, quas de sacrificiis tulit, cùm enim de primogenitis præcepta dedisset, rursus adiecit: *Si post hæc interrogauerit te filius tuus dicens, quid hoc est? dices ad eum, quia in manu valida eduxit nos Dominus de Ægypto*, atque per omnia, vt illos ad Dei notitiam adducant monet, & iubet. Patriarcham cum ex virtutibus reliquis, tum ex hac in primis diligentia, & cura laudauit; atque honorauit Deus. Cùm enim dona illa plurima, & maxima prosequeretur, quæ se illi daturum pollicebatur, causam quoque adiecit, & dixit: Noui enim, inquit, quod constituet Abraham filiis suis, & domui suæ post eum, & obseruabunt dies Domini Dei, vt faciant iustitiam & iudicium; quocirca beatus Paulus iugiter admonet dicens *Ephes.6. Patres educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini.* Si enim nos ipsi *Ephes.6. num.4.*
quoque vigilare iubemur tanquam pro animabus illorum rationem reddituri, id profectò multo magis pater, qui genuit, qui educauit, qui cum illo domi semper conuersatur, & cum sanciret cuiusmodi esse deberent, qui ad illorũ magisterium, & regimen assumerentur, inter cætera, quæ illis inesse necessario debere restatus est, etiam filiorum curam, & diligentiam annumerat, quasi nulla iam sit reliqua veniæ spes, si peruersi illi fuerint, & nimium quidem conuenienter: nam si à natura ipsa homines vitia haurirent & acciperent, posset aliquis excusationis se velamine obtegere, quoniam verò sponte, atque ex proposito, & probi, & improbi efficimur, quam tandem ille probabilem excusationem poterat obtendere, qui, quem omnium maximè diligit, & charum habet, peruertit, nequissimum, ac perditissimum fieri permittit, dum liceat, & velit optimum, ac probatissimum facere. Itaque nulla alia ex ratione peruersi, vt fiant liberi contingit, nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda, æquo amplius incumbunt, & ferè dixerim, insaniunt. Hos ego patres, quod nemo tamen me commotius dicere, quam verius existit parricidis ipsis immaniores sceleratiotésque dixerim, illi enim corpus animâ disseparant, isti & animam, & corpus æternis ignibus tradunt, sic *Chrysost.* à quo nihil detrahendum, & cui nihil prorsus addendum, maximè cùm latissimè ibi hoc prosequatur argumentum, & totus sit in ostendendo quantum parentibus incumbat rectè instituere filios, & ipsorum mores componere, & in Dei cultu, & Religione nutrire, quantáque pœna digni sunt ij, qui ignaui, & desides in hac re sunt.

Videndus idem *Chrysost. homil.60. in cap.18. Matth.* cùm illud rectè deplorat, quod scilicet, nostri nullam curam habeamus, sed omnes prorsus, in res nostras impendamus. Non, inquit ille, nostri, sed rerum nostrarum curam habemus, de liberis non prouidemus, & quæ liberorum sunt amplificare, atque augere studemus, iis similes sumus, qui cum malè materiatam, ac ruinosam videant domum, ipsam quidem

quidem restituere negligunt, amplos autem ei hortos in circuitu præparant, nescis nihil te ita magnum posse filio tuo largiri, quam si à fornicationis immunditria integrum conserues? Sed certè cuncta peruertit, atque deiicit immensa diuitiarum cupiditas, & seu crudelissimus quidam tyrannus, arce occupata, libertate ciuitatem priuat: sic animis omnium deiectis verum Dei timorem turpiter expellit, his rationibus tam nostram, quam liberorum nostrorum salutem negligimus, ac vnum solummodo respicimus, vt magis locupletati magnum pecuniariū numerum aliis relinquamus: qui pariter aliis relinquant. Sic pecuniarum transmissores (vt ita dicam) ad posteros, non Domini sumus, nec sentimus hac vecordia, seruis nostris viliores non reddere. Nam seruos quidem etsi non sui causa, attamen nostra castigamus: liberis verò tantùm prouidentiæ nequaquam tribuimus, sed quasi viliores mancipiis prætermittimus. Cur mancipiis dixi, cum vel pecudibus ipsis minores fieri videmus? maiorem enim asinorum, ac equorum, quam filiorum curam habemus, &c. quæ prosequitur.

A B C

Videndus item *homil.67. in Matth. in fin.* vbi post multa, quæ pro largitione in pauperes affert, sic tandem concludit. *Sed cum filios aspiciam, inquies, non possum non retardari (ab eleemosyna, scilicet) nimirum ad hæc lucra tibi filij quoq; instituendi sunt. Nam si magno fœnore, argentum tibi esset collocatum in homine grato, neque impotenti: scio huius te male debiti literas liberis relinquere, vt ingentes inde capiant fructus, quam pecunias, neque cogerentur alios quærere, vbi tuto queant collocare. Da igitur filijs tuis has literas Deum sibi debitorem relinquere, agros quidem non vendis, sed liberis relinquis, vt eorum fructibus ditiores euadant. Hoc verò Chirographum, quod maiores omnibus prædijs fructus reddere solet relinquere filio recusas? Magna certè, id est, simplicitas, imo verò dementia: præsertim cum scias, quia quamuis hoc filijs relictum Chirographum sit, tamen & ipse abiens tecum portas, talia quippe spiritalia sunt, vt multis multiplicata satisfaciant. Non simus igitur ita pauperes, animo, neque inhumani, atque crudeles aduersus nos ipsos, sed quæstuosam hanc mercaturam suscipiamus, quæ simul, & nos abeuntes comitabitur, & filios nostros non derelinquet, & tam nos, quam illos ad futuram beatitudinem perducet.* Hæc ille.

D E

Et *homil.9. in 1. ad Timoth.* ait. Magnum habemus pretiosúmq; depositum in filios, ingenti illos seruemus cura, ne fur id nobis astutus auferat, vt fundus sit optimus cuncta molimur, cæterum, quod nobis charissimum omnium est omnino negligemus.

Non sic beatus *Iob* de quo dicitur in *cap.1.* cumque in orbem transiissent dies mittebat, & sanctificabat eos, vbi text. Hebræus ad verbum sonat, cumque circuiuissent dies conuiuij, id est, cum iam absolutus esset circulus, & ordo conuiuiorum exhibendorum, seu solemnitas septem dierum, sic enim intelligendum existimo id, quod habet vulgata, per singulos dies, vt significet non singulos dies vitæ ipsorum, sed per singulos dies alicuius septimanæ, quam ipsi eligebant ad celebranda huiusmodi conuiuia. Hac ergo celebritate peracta, mittebat Iob nuntios, id est, monebat eos, vt præpararent se ad debitum cultum exhibēdum, & rem diuinam faciendam, sicut rectè exponunt hunc locum Rabbini, præsertímque Rab. Abraham vnus ex glossatoribus sacræ Scripturæ, quam expositionem comprobat Origenes ibi cum ait: Mittebat, & sanctificabat, id est, mittebat aliquem, vel aliquos ex amicis, qui pietatem filios admonerent, qui iustitiam instruerent, qui Dei timorem docerent, qui etiam testificarentur Dei iudicium terribile, illúdque hoc in loco aduertendum censeo, quod talem gerebat curam etiam postquam filij proprias, & separatas domos habebant, & extra paternam habitabant, quemadmodum solent filij emancipati, & iure, ac more suo viuentes, quod elicio ex sacro text. vbi dicitur: *Per domos vnusquisq; in die suo*, vbi Origenes ait Iob distribuisse singulas domos, singulis filiis. Si ergo hanc curam pro sanctificandis, & educandis liberis gerebat Iob postquam illi, è domo sua separari debebant, & veluti iure suo viuebant, qualem debemus credere habuissent, cum eosdem domi educabat, & in minori ætate instituebat, & eum non per internuntios, & alios assumptos magistros eosdem alloquebatur? Neque verò per nuntios tantum significabat filios suos, sed ipsemet consurgebat summo diluculo, quando animus hominis solet magis vacare negotiis & curis, promptiórque est, & defæcatior ad perceptionem rerum diuinarum, nam, vt dixit *August. libr. 4. q. in Exod. quæst. 68.* Minus intentus humanis

Iob. 1.

Iob. 1. num. 4.

actionibus,tum animus Deo quodammodo vacuatur, vnde mos antiquus Ecclesiæ Catholicæ fuit, vt summo manè consurgerent fideles ad laudandum Deum,vt refert ex *Tertull.Nicephor.lib.3.Ecclesiastica histor.c.17.*idémque *Niceph. lib.14. cap.3.* scribit Theodosium Imper.(iuniorem inquam) manè consurgere solitum cum sororibus suis, & alternos canere hymnos Deo,& Christo Iesu,& Dauid Psal.5.dicit:
Psal.5. num.5. *Manè astabo tibi, & videbo, &c.* Quin & *Philo. lib.de vita contemplatiua*, narrat de moribus priscorum Essæorum quotidie solitos fuisse manè precari Deum, & *D. August.lib.9.Confess.c.12.*affert pios Versus, quibus ipse vtebatur summo manè, etiam lecto decumbens,quibus etiam ante eum vtebatur,author ipsorum *D.Ambros.* Optimum proinde eligebat tempus sanctus Iob, vt pro filiis supplicaret, quam maximè imitandum hac etiam in te hortatur *Origen.* vt ante omne opus hoc ipse assumeret, insupérque offerebat holocausta per singulos, vel potius pro singulis,id est, totidem holocausta, quot erant filij, vt sic magis, ac magis Deum placaret, & precaretur pro filiis,eosdémque expiaret, suámque declararet pietatem erga filios, quos amplius purificatos coram Deo esse volebat, id est, magis, sicut interpretatur
Psal.50. num.3. *D.Hieron.in c.6. Michea* illa verba: *Amplius laua me.*Neque adhuc comittendum est, id,quod sanctus Iob dum maximè solicitus pro filiis Deum precatur, eique
Iob.1. offerri, asserit. *Ne fortè peccauerint,& benedixerint Deo in cordibus suis*, vbi verbum benedicendi per antiphrasim in malam partem sumitur, sicut etiam 3.*Reg.*
3.Reg. 21.n.10. *cap.21.*vbi dicitur: *Benedixit Naboth Deo, & Regi*, id est maledixit, & conuitia dixit,& eodem *cap.1.Iob* dixit diabolus: *Nisi*
Iob.1. num. 11. *in faciem benedixerit tibi*, id est, nisi blasphemiam, conuiriúmque intulerit,*& c.2.* in eodem sensu pessimè consulendo dixit
Iob. 2. num.9. vxor Iob: *Benedic Deo,& morere*, etenim lingua sancta castissimis,& castigatissimis verbis, ac nomenclaturis rerum, nullatenus aures offendentibus vti solet, non solum quando res est de impudicitia, vt plerique ex recentioribus annotare solent, sed quando sermo est de Deo, vt patet ex adductis locis, quæ fuit ratio cur sancta appelletur, præterquam quod viri sancti, & Prophetæ eadem vsi sunt; quin etiam & Latini Auctores per antiphrasim sæpe loquuntur; sicut Poëta cum dixit: *Auri sacra fames*, id est, execrabilis, & bellum appellant, quia res minimè bella est, & lucum dicunt, quia minimè lucet, sic itaque accipiunt verbum benedicendi hoc in loco Origen. August. Gregor.Philippus, & cæteri grauiores interpretes.

Solicitus proinde erat sanctus Iob de filiorum peccatis, si fortè commisissent, idque non quocumque modo, sed in cordibus suis, quæ verba *D. Hieron.* Philippus, & alij ad peccata occulta referunt, nam teste *Rab. Moyse Ægyptio lib. aquiuocorum, cap.38.* frequenter sacra Scriptura vsurpat vocabulum cordis, siue pro intellectu, siue pro voluntate, siue pro vtroque quemadmodum etiam annotauit *D. Hieron. in cap.4. Hieremiæ*, & sic accepit vocabulum cordis. *Matth. 15.* cum ait: *De corde exeunt cogitationes malæ,homicidia, adulteria*, & cætera; quibus verbis *Mat. 15. num.18.* planè tetigit, & insinuauit originem, & radicem propriam peccati esse cor,id est, rationem & voluntatem. Cùm ergo filij Iob essent adolescentes meritò timebat pater propter lubricum illius ætatis, ne quid fortè deliquissent, saltem corde tenus,vnde Rex Propheta ita precatur:*Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me?* & de peccatis adolescentiæ suæ *Psal. 18. num. 13.* ait: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Quamuis igitur *Psal. 24. num.7.* Iob nihil persuasum haberet, aut certo sciret de peccatis filiorum, vt ostendit particula, *forte*; timebat tamen, & propterea, ad maiorem cautiónem pro illis quotidie hostias immolabat, quod expendens *Orig.* pro nostro instituto inuehitur in parentes improbos, ac negligentes circa institutionem, & doctrinam filiorum, & ait. Dic ô beate Iob quomodo permitteres, vt aliquid mali filiis tuis in verbis, & operibus manifestis excideret, qui pro occultis, & abditis, aut omnino forsitan, non existentibus, ita solicitus fueris? Solicitus enim, & metuens dixisti: *Ne fortè peccauerint filij mei*, &c.

Hinc factum esse existimo, quod Scriptura referens Iobi filios minimè curauit eorum mores recensere, nullatenus dubitans tales Iobi filios reputandos, qualis eorum pater extiterit, qui de eorum recta educatione tam solicitum se exhibebat, solent námque filij parentum, & acta, & mores, vt plurimum imitari, vnde *Aristot. lib.3. Polit.c.8.* ait. Ex melioribus meliores procreari probabile est, *& lib.1. cap.4.* vt ex homine hominem, ex belluis belluam, ita ex bonis bonum generari putant, quin etiam

Plato

Plato in Alcibiade ait. Consentaneum est meliores esse naturas nobili in genere, quam in ignobili, necesse est, vt benè nati si benè educentur, ita demum ad virtutem perueniant. Et *Quintilianus lib. 5. c. 10.* Similes parentibus, ac maioribus suis filij plerúmque creduntur, & nonnunquam ad honeste, turpiterque viuendum inde causæ fluunt. Hinc est quod Paul. *2. ad Timoth. 1.* laudans pietatem & Religionem Timothæi statim adiungit: *Qua* (scilicet, fides, pietas & Religio) *habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum, quod, & in te*, vbi Chrysost. & Theophylact. stabilis & firma creditur fides, quæ veluti hæreditaria est, & Theodoret. Nihil iuuat, vt exemplum domesticum. ideò de parentibus fidem confirmat in discipulo, similiter &
Genes. 5. num. 6. *Genes. 5.* congruenter nobis prodidit sacer textus ex Seth natum fuisse Enos, id est, ex pio parente genitum fuisse sanctum, pium, & iustum, sicut ibi notauit *Chrysost. hom. 21. in Genes.* Quia igitur munus, & officium parentis obierat Iob erudiendo filios in pietate, educandáque in Religione, propterea non dixit Scriptura quales tandem euaserint, supponens eos sanctè educatos, sanctitate præstantes extitisse.

Quam doctrinam vtinam perpenderent, & ante oculos circumferrent nostri temporis parentes, vt omnem curam, & diligentiam circa filiorum educationem adhiberent, & non potius illis laqueus, & ruina fierent, dum tam turpiter viuunt, vt filios potius detrahant ad gehennam. Etenim quoniam sicut dixit *Iuuenal. satyr. 14. Dociles imitandis turpibus, ac prauis omnes sumus.* Qui etiam addit: *Nil dictum fœdum visuque hæc limina tangat intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puellæ, &c.* Solent enim pueri facilè imitari, quæcumque in aliis viderint, hoc quidem maximè verum habet in filiis, qui parentum facta veluti ad exemplar, in se transcribere & imitari laborant, proindéque, ad parentes maximè spectat recta filiorum instructio, & educatio.

Hoc quidem melius innotescet, si aduertamus satis notam & vsitatam phrasim sacræ Scripturæ, secundum quam dicitur quis ædificare sibi domum, facere progeniem, & familiam, verbū enim Hebræum (Banh) significat ædificare, vnde ducitur nomen (Ben) significans filium, quod filius sit quasi quoddam ædificium patris, & quemadmodū post vnam domum, ædi-

A ficatur alia, & post hanc alia, & si plures aliæ coniunctæ ædificentur, fit vicus, vel ciuitas: consimili ratione generatur filius, & hic generat alium, & sic deinceps, & ita efficitur familia, progenies, & posteritas, atque inde vulgari sermone dicimus domum alicuius, id est, familiam, & progeniem illius, & Poëta etiam *1. Æneidos* vocauit domum Assaraci, id est, genus, & progeniem, de quo quidē Hebraismo videndus est *Hieron. in tradit. Hebr. in Genes. cap. 16.* vbi cum citasset illa verba: *Ingredere* Gen. 16. num. 2.
B *gredere ad ancillam meam, vt habeam filios ex ea.* subdit: diligenter nota, quod procreatio filiorum in Hebræo ædificatio scripta est, legitur enim hoc loco, & vide ne forte hoc sit, quod legitur: *Benedixit* Exod. 1. num. 21.
Deus obstetricibus, & ædificauerunt sibi domos. Neque vero hic modus loquendi fundamentum solummodo habere videtur in ea ratione ædificandarum domorū, quem proposuimus, sed insuper ex eo maximè videtur assumptus, quia sicut ligna, ac lapides ad construendam, & ædificandam
C domum perpoliti, & ad normam concisi, dispositi, ac dolati suis coaptantur locis per manus artificis, sic mores filiorum debent effotmari, disponi, & perpoliri ad normam rationis, ad amussim diuinæ legis, & ad regulam & mensuram virtutis, vt nihil asperum, nihil indecorum, curuum, contractum, aut lacunosum appareat; meminisse proinde debent parentes esse veluti artifices harum domorum construendarum, quibus maximè incumbit omnia disponere, dirigere, & ordina-
D re, vt nihil incompositum, curuum, aut subnotandum appareat. Et hunc loquendi modum vsurpauit *Chrysost. homil. 16. in Matth.* quando dixit: *Omni statuario excellentiorem hunc iudico, qui iuuenum animos fingere non ignoret.* Et *Chrysolog. serm. 1. de duobus filijs*, in hanc sententiam dixit, *Sepiat nos paterna reuerentia, matris componat affectio, cognatorum custodiamur affectibus. Inter propinquorum lumina non valent delicta versari: propinquorum, quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus*
E *matris, sol patris rutilat in vultu, vnde viuenti, inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt, sed mensa patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, delitijs honestatis, & gloria.*

Veniteque pro hoc argumento notanda illa expositio quam Honcala affert ad illa verba, vbi de Abraham, & Loth dicitur: *Tulit animas quas fecerat in Haran.* Gen. 12.
Illos, inquit, *innuit quos Propheta doctrina* num. 5.
sua

sua ad veri Dei cultum adduxit, vbi vides A fic loqui de doctrina, & institutione suorum, ac si loqueretur de ædificio, immò, & patrem dici, cum suos instituit, spiritualiter generare, quos corporaliter non genuerat. Qua de re plura videnda sunt apud *Plutar. in opuscul.* de hac re videndus itē *Syluius Antonianus*, postea Cardinalis, *Antonius Possevinus in* 1. *lib. bibliot. select. à cap. Clemens Alex. in suo pædagogo, & Hieron. in Epist. ad Lætā de institutione filiæ*, vbi ait. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei B pertinet, turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciua puerorum, ipsæ puellæ, & pedissequæ à sæcularibus consortiis arceantur, &c. quæ in hanc sententiam prosequitur.

Vnde iam intelliges cur Paulus incuriam, & negligentiam parentum sugillans adulterinos vocauerit filios eorum, qui in educatione liberorum nullam impen-

Hebr. 12. num. 1. dunt curam, etenim monens *Hebræos c.* 12. C vt patienter sustineant Dei Patris disciplinam, & correptionem, quam ille velut pater ad profectum, & perfectionem filiorum adhibet, ait: *Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit, quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filij estis.* Vbi *D. Chrysost. homil.* 12. post principium ita ait. *Attendis quoniam non potest filius esse, qui non castigatur; sicut enim domibus pa-* D *trum familias nothos filios negligūt patres, ac si nihil doceantur, ac si non fiant gloriosi, pro filijs autem proprijs valde verentur, nec eos malum opprimat negligentia. Si igitur, vt non quisque castigetur, nothorum est filiorum, oportet nos gaudere, cum castigamur: siquidem hoc filijs proprijs adhibetur, proinde propterea nobiscum, sicut cum filijs agit Deus*; sic ille. Ex hoc loco igitur sic explicato illud ad nostrā eruditionem planè elicitur, patres, qui non erudiunt, rectéque instituunt filios, neque soliciti E admodum sunt de recta ipsorum educatione in virtute & iustitia, eos veluti adulterinos, & nothos habere, neque plurimi facere, cum alias dicant summè diligere, hanc enim dilectionem deberent vtique instar Dei ostendere in ipsorum eruditione, & informatione, flagellat siquidem, & erudit Deus omnem filium, quem diligit.

Sæpè in memoriam adduco degeneres filios à parentum virtute, fortitudine, iustitia, & sanctitate, longè latéque aberrantes, quod toties euenire cernimus, vt iam dici consueuerit. Heroum filij noxæ, proindéque libet cum Spartiano in Seuero sic scribere. Reputanti mihi, neminem propè magnorum virorum optimum, & vtilem filium reliquisse satis claret. Denique, aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere, &, vt ordiamur a Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius, quod vtile esse posset Reip. quid Camillus; nam sui similes liberos non habuit, quid Scipio; quid Catones, qui magni fuerunt? iam verò quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, Terentio, & Plauto, cæterisque aliis loquar? quid de Cæsare? quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere? quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, cum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus? Falsus est etiam ipse Traianus in suo municipe, ac nepote diligendo. Sed vt omittamus adoptiuos, ne nobis Antonius pius, & Marcus numina Reipub. occurrant, veniamus ad genitos. Quid Marco fœlicius fuisset, si Commodum non reliquisset hæredem? Quid Seuero Septimio, si Bassianum non genuisset? Qui statim insimulatum fratrem, insidiarum cogitatorē parricidali etiam figmento interemit? Qui nouercam, matrem quinimo, in cuius sinu Getam filium eius occiderat, vxorem duxit? Qui Papinianum iuris asylum, & doctrinæ legalis thesaurum, quod parricidium excusare noluisset, occidit: sic ex illo. Quid ergo causæ extitit tantæ degenerationis tamque detestandi erroris, quem etiam quotidie intuemur apud exteros, apud nostros, apud omnes.

Primam scio humani arbitrij libertatem, & ad nequitiam pronitatem, quibus obsequuntur facilius ij, quibus heroica patrum virtus, opes, gloriam & plurimam licentiam peperit, his enim, quæ virtutis incitamenta, & instrumenta esse debebant, cum affluere soleant, corrumpuntur citius, emasculantur promptius, & deprauantur libentius. Scio insuper, & in magnorum clarorumque virorum filiis conspectiorem, notioremque esse næuum, & à maiorum vestigiis, quamlibet defexionem. Video apud Plat. in Sophista Progoram tradere naturalem cuiusque aptitudinem,

tudinem,& habilitatem filiorum à parentibus dissimilitudinis. Video in cæteris, cætetas quas omitto causas huius rei.

Cæterum existimo in huiusmodi filiorum à parentum virtute deflexione,& dissimilitudine voluisse Deum punire inordinatum parentum affectum,qui cum toti sint in comparandis diuitiis solliciti,& in relinquenda magna domo,suppellectili, & substantia occupati, & intenti, nihil prorsus de præcipua hæreditate,præclara, scilicet, doctrina, morúmque recta institutione curant,aut meminere. Illâ proinde vanâ, noxiâque diligentia Deum irritant, vt ablatos sibi videant filios, superstitésque maiori cum ratione lugeant, sicut rectè prosequitur *Chrysost.homil.*68. *ad populum*, qua de re etiam videndus *August.in illud Psalm.*38. *Thesaurizat,& ignorat,&c. & lib.*50. *homil. homilia.*44. *tom.*1.& multo magis prouocant diuinam iustitiam, quæ eos declinate, & aberrare degenerando permittit in parentum supplicium,ac dedecus, deplorandúmque iure censetur parentum, & negligentia pariter, & diligentia, cum enim vigilent ad diuitias conquirendas, desides omnino sunt ad doctrinam,& instructionem liberorum, cum ramen nullæ maiores opes, ptecíosiórve thesaurus possit filiis obuenire,quam tecta morum educatio,& perfecta viræ institutio,quod dixit *Nazianz. orat.* 20. loquens de patre suo Basilio. *Aliarum*, inquit, *familiarum, vel etiam sigillatim cuiuslibet hominis alia sunt insignia,& narrationes,vel maiores, vel minores, quæ instar paternæ cuiusdam hæreditatis, vel longinquius, vel propinquius excursa ad posteros deuoluuntur, huic autem vtriusq; generis decus, pietas fuit.*

Magnam curam gesserat Deus de Ezechia,ipsúmque mirabiliter liberauerat ab obsidione Regis Assyriorum,misso Angelo,qui percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, vitam etiam eidem ægrotanti distulerat, & in signum retro solem conuerterat, quibus auditis Rex Babyloniorum misit & legatos,& dona ad Ezechiam, & Iudæos,quos Babylonij solebant adducere in captiuitatem,honoranit tanquam præstantiores. Lætatus est igitur in aduentu eorum Ezechias,*Et ostendit eis domum aromatum,& aurum,& argentum,& omnia, quæ habere poterat in thesauris suis, non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in potestate sua.* Venit autem Esaias Propheta ad Regem, dixitque ei: *Ecce dies*

4. *Reg.* 20.*n.*35.

4. *Reg.* 20.*n.*11.

A *venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc in Babylonem, sed & filijs tuis erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.* Si quæras cur tam grauiter animaduersum sit in Ezechiam,& in eum tã acerbe diuina iustitia distrinxerit gladium. Respondet ibi *Theodoret. quæst.*31. quod eum oporteret Dei docere virtutem, & curam quam assecutus est, ostenderit diuitias, quæ nihil habent firmum, ac stabile; solet enim Deus desæuire in B eos, qui temporalium pulchritudinem ostendunt, rerúmque sublunarium decorem prædicant, non iam coram extraneis tantum, sed coram filiis, cum potius Dei legem, cultum, & Religionem eis deberent inculcare;vbi notandum venit, quod Plutarchus dixit opusc.de educandis liberis,si fieri posset se in altissimo orbis loco vociferaturum.Homines,quid rei faciendæ nimium impenditis studium, filiis instituendis, quibus vestras opes relinquitis, per exiguum? Quibus ego ad-C derem, tales patres proinde se habere, ac si quis de calceo sit solicitus, pedem vero nihil omnino curet, sed contra istos statim dicemus.

Neque vero solummodo Deus aufert è vita filios parentibus, qui nullam adhibent educationis curam, vel eos aberrare sinit in posterum, sed miserè eos interire permittit, vt Dei supplicium facilius agnoscant & nos cum postea filios degeneres viderimus parentum credamus fuisse demeritum & supplicium. Ascendente Eli-D seo per viam Bethel pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes? *Ascende calue, ascende calue, qui cum respexisset maledixit eis in nomine Domini, egressiq; sunt duo vrsi de saltu,& lacerauerunt ex eis quadraginta pueros*, qua de re loquens *Iust.martyr quæst.*80.gentium ad Christianos ait,idcirco hoc factum fuisse, vt in filiis patres quorum illa culpa erat propria, plecterentur, quoniam ea verba pueri à parentibus suis,qui semper in prophetas infesto erant animo didicissent, E idcirco Elisæus cæde liberorum parentes castigat;quod supplicium ex assumpto instrumento clatius innotescet, sic enim de vrso in nostram sententiam ait: *Pier.Valer.lib.*11.*titul.*de vrso: Hominem originis principio deformem, mox formosum effectum, siue cuius vita ineunte ætate dissolutior fuerit nulláque ratione moderata,cum ætate tamen modus,& disciplina sanctior accreuerit Ægyptij Sacerdo-

4. *Reg.*2. *num.*23.

tes intelligere cum vellent, vrsam fœtam pro Hieroglyphico ponere consueuerunt. Compertum siquidem est vrsam fœtum edere, sine oculis, sine pilis, cruribusque propemodum, & membris aliis indiscretum, informem denique carnem catto minorem, maiorem mure, de qua vngues tantum promineant, cætera sanguis concretus esse videatur: quam postea pectori femoribus apprimendo, fouet eodem incubitu, quo volucres oua, paulatimque ita conformat, & lingua subinde lambendo perfectum reddit. Vtitur hoc exemplo Ambros. ad nos cohortandos, ne prolem nostram, quantum ad animi rationem pertinet instar vrsini partus initio editam, ita informem coalescere patiamur, sed disciplinarũ linguis lambendo curemus, vt ad humanam, quippe rationis participem, effigiem conformetur. Nam de lingua, quæ significat eloquentiam, alio disseruimus commentario. Sic ille.

Ex quibus verbis clarè constat accommodatissimum instrumentum sibi Deum assumpsisse ad puniendos ignauos patres in educatione, & institutione liberorum, vrsos, scilicet, qui lingua deformes efformant, & perficiunt filios, vt & ipsi parentes intelligerent, & futuri etiam edocerentur à Deo acriter puniendos fore nisi omnem adhiberent curam, & applicarent diligentiam, vt perfectiores reddant docendo, & lingua instituendo filios. Puniuntur vero in filiis, quos maxime diligunt, vt atrocius sit supplicium: patrémque simul puniuit filius, qui trahebatur ad crucem teste *Boët. lib. de institut. scholast.* quique à patre non fuerat rectè institutus, & multa, ac varia scelera per patris indulgentiam perpetrarat; dum accersito patre, quasi pietatis officio veniam petiturus, dum osculum se ferre simulat, nasum ei dentibus amputauit. Et Diogenes teste *Plutarch. lib. de docenda virtute*, videns puerum intemperantius comedentem, pædagogo impegit colaphum, docens facto discipuli culpas, ac pœnas magistrum luiturum, idémque Diogenes teste *eodem Plutarcho lib. de educandis liberis* videns adolescentulum animo abalienatum, & mentis malè compotem dicit: adolescens pater te ebrius genuit.

Videndus hac de re *Theodor. quæst. 10. in primum librum Reg.* vbi quærit, quamobrem Heli luit pœnas pro filiis suis, idque cum eos monuisset, vt conueniebat,
1. Reg. 2. num. 22. nam sacer text. habet. *Heli erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui*

A *vniuerso Israëli, & dixit ei. Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* Ait ergo *Theodoret.* Filiorum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, sed acerrimis, & asperrimis. Oportebat ergo eum, si post primam, & secundam admonitionem perseuerassent in nequitia, eos à templi ambitu expellere, nam non ipsi soli legem transgrediebantur, sed etiam erant aliis exemplum, vt transgrederentur, quoniam autem pluris fecit naturam, quam creatorem, à Deo ei

B data gratia fuit priuatus: hoc enim significauit ei Dominus per Prophetam. *Quoniam,* inquit, *aspexisti ad suffitum meum, & sacrificium meum impudenti oculo, & super me glorificasti filios tuos, &c.* Et *statim quæst. 12.* quærit, cur Samueli cum esset admodum iuuenis vniuersorum Deus est locutus, & respondet. *Ad arguendum Pontificem qui senuerat, adolescentulus dignus est habitus, cui Deus appareret, erat enim adeo iuuenis, vt Dei doctrinam nondum posset suscipere, sed tamen eam ætatem an-*

C *tiqua pratulit Deus: & eum, qui octoginta, & sex annos vixerat, & quadraginta annos duplici magistratus honore dignus fuerat habitus; erat enim, & iudex & Pontifex, despiciens locutus est cum paruo puero, docens quantum canitie est melior iuuentus ornata virtute. Atque perspicuum est, quod Heli rectè factis esset ornatus, sed propter filiorum suorum prauitatem exitū acceperit sententiam, eis autem pietatem, verba quoque ostendunt, nam primum quidem non puduit eum rogare adolescentem, vt ei de-*

D *clararet, quæ à Deo fuerant annuntiata, quin etiam cum filiorum suorum cognouisset cædem non pusillo, & abiecto animo id tulit pater, & senex, cum autem accepisset arcam captam fuisse ab hostibus, è sella quidem ingenti animi marore confectus, finem accepit.* Sic Theodoret. nec omittendus *Hieron. lib. 1. contra Iouin.* vbi afferens illud Pauli, *Filios habentem subditos,* ait: 1. Tim. 3. num. 4.
Vide quanta pudicitia exigatur in Episcopo: vt si filij eius impudici fuerint ipse Episcopus esse non possit: & eodem vitio offen-

E *dat Deum, quo offendit Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios, sed quia non abiecerat delinquentes, retrorsum cecidit, & mortuus est lucerna Dei antequam extingueretur.* Sic Hieronymus.

Ex quibus possumus colligere quantum malum sit non habere diligentem curam de filiorum institutione, cum videamus tot bona, & auferri, & despici à Deo, vt puniat ob vnam incuriam in educatione, &

& doctrina filiorum, & præponderare vnicum istud malum tot bonis parentis, & cum ipse alias bonus, & rectus esset, vt probat Theodoret. velut malum puniri à Deo ob malitiam filiorum, quæ illi velut auctori imputatur, quod maxime notandum, ac timendum est.

Hæc est ratio cur Athenienses eos tantum filios ad curandam, & alendam senectutem parentum addictos voluerunt, qui vel disciplinis, vel honestis artibus fuissent à parentibus instituti: qui vero negligenter educati essent, nihil eos parentibus debere; & ne parentes fortè obiicerent ingenium vniuscuiusque in vtero matris attributum secundum naturales dispositiones. Lycurgus concione super liberorum institutione, rationéque legum ferendarum habita, hoc non tam obesse, etiam in animalibus ostendit, assumptis, scilicet, duobus catulis, quos ab eiusdem matris vberibus subductos, in syluis alterum, in culina alterum educandos curauerat, vbi cùm aliquantulum adoleuissent, in media concione immissos ad patinam in medio positam accurrisse vnum, ad leporem illum, qui in syluis educatus erat insequendum accurrisse, atque hoc illud est, quod *Horat.* dixit *Epist. 3. lib. 3. Venaticus ex quo tempore ceruinam pellem latrauit in aula. Militat in syluis catulus.* Nullámque proinde habent excusationem ij parentes, qui de filiorum educatione, & doctrina non sunt maxime soliciti, cùm disciplina morum naturam corrigat, deducat ac perficiat, quod si non curent certo sciant, vel in se, vel in ipsis, re vtique maxima sua, fore à Deo puniendos, vel inhabiles, & ineptos à Deo reddendos ne filios habeant, quorum veri Patres, ac Magistri nescirent esse, si haberent.

Illuserat Michol Dauid Regem subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexerat eum in corde suo, & domum deinde reuertenti dixit: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est*
2. Reg. 6. num. 20. *quasi si nudetur vnus de scurris.* 2. *Reg.* 6. additque sacer text. num. 23. *Igitur Michol filia Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ*; quod supplicium expendit. *Ambros. Epist.* 36. dicens. *Illa quæ saltationem eiusmodi reprehendit, sterilitatis damnata non dedit sobolem regiam, ne superbos crearet.* Ita *Ambrosius.* Fortassis etiā multis non dat Deus sobolem, quos sciuit nimium indulgentes filiis, & negligentes circa ipsorum institutionem esse futuros.

A Videndus etiam *D. Thomas in commentarys ad Genes.* ad illa verba Noë: *Maledictus Chanaam seruus seruorum erit fratribus suis.* Genes. 9. num. 25. Ait ergo *D. Thom.* tu, & generatio tua estis maledicti à Deo; fuit enim decens, quod sicut malum filium se fecerat, sic filios malos, & maledictos haberet, sic ille. Insupérque non poterat bonus pater esse, qui malus fuerat filius, & in supplicium propriæ nequitiæ contra pietatem parenti debitam nequissimos habet posteros, hanc namque pœnam sæpe Deus
B solet adhibere parentibus negligentibus curam, & institutionem filiorum. Enimvero si parentes supremum habent gaudium, & ingentem lætitiam si bene moratos, & institutos relinquant filios, vnde sicut refertur in libello de fraterna beneuolentia, qui inter opera Plutarchi habetur, Appolonis mater Regis Eunis triúmque filiorum aliorum se fœlicem, ac beatam iudicabat, & maximas gratias immortali Deo agebat, nō propter regnum, & regiam dignitatem, sed quod tres filij
C essent adeo recte instituti, vt natu maximum comitarentur, eiúsque latera armati stiparent, atque ipse inter illos tres, siue vlla proditionis suspicione versaretur, quod è contrario euenisse feruntur Xerxi Regi, is enim cum cognouisset Occum filium fratri insidias parasse, animi solicitudine interiit, solent enim ægre ferre parentes filiorum discordias, & iurgia, quod eleganter prosequitur *Chrysolog. serm. 4. de prodigo*, vbi ait: *Cor patris anxium varys arctabatur motibus filiorum,*
D *& inter diuersos pignorum casus genitoris pietas stupefacta discurrit, quod scilicet, discordes videret eos, quos natura concordes fecerat.* Cùm ergo singulare Dei beneficium sit filios compositos concordes, & egregie disciplinatos habere, quid dubij, si parentum supplicium, & pœna sit eosdem degeneres, & inimicos habere, ac pati?

Quod si incuria, & negligentia parentum maxime nocet filiis, & in causa est, quod impij euadant, & pessimos habeant
E mores, quid dicendum erit de iis, qui filiis præbent iniquitatis exempla, & ad patranda facinora suis prauis operibus excitant. Faciunt in generatione parentes filios damnatos, & morti obnoxios, quod *Bernard.* deplorat *lib. de anima. cap.* 1. vbi sic incipit. Secundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum, quam natum, peccatores peccatorem, miseri miserum

In hanc lucis miseriam induxerunt. Sufficiebat hæc magna miseria, & damnatio à parentibus accepta, nisi insuper alia accederet, dum ad cumulum vitiorum filios secum trahunt, ad multa maiora vitia, & ingentia mala, nam sicut dixit *Nazianz. orat.* 1. *apologet.* res quædam, ad imitandum prona, & expedita improbitas, neque quidquam tam facilè, quam malum fieri, etiam si nemo ducem se nobis ad vitium præbeat; quibus similia habet *Plut. lib. de audienda Poësi*, *& D. Hieron. Epist.* 3. *de instit. filiæ ad Latam* ait. Procliuis est malorum imitatio, & quotum virtutes assequi nequeas, cito imitaris, & vitia; vnde ponderat Alex. Regem non potuisse carere vitiis Leonidis pædagogi sui, quibus adhuc paruus est infectus, quod aduertit etiam *Plut. in quæstionibus Rom. quæst.* 33. vbi quærit, cur olim Romani extra domos suas cænaturi secum semper deferrent filios, & respondit. Hæc causa fuit, vt filiis præsentibus, ipsi patres verecundius, ac modestius se gererent, vbi enim, inquit *Plutarc.* inuerecunde agunt senes, ibi necesse est adolescentes fieri impudentissimos, & *Nazianz. orat.* 19. merito laudat patrem suum, qui se velut spirituale quandam statuam, ad optimæ cuiuscunque actionis pulchritudinem expolitã ac imitandam proponebat. Et *D. Hieron. Epist. ad Latam de instit. filiæ.* Græcorum eloquentiæ multũ ab infantia sermo matris contulisse scribitur. Hortensij oratio inter paternos sinus coaluit, si perfecta ætas, & sui iuris imputatur parentibus; quanto magis lactens, & fragilis? Si solicita prouides ne filia percutiatur à vipera: cur non eadem cura prouideas, ne feriatur à malleo vniuersæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis? Ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias regionis alienæ? Venena non dãtur nisi melle circunlita, & vitia non decipiunt nisi sub specie, vmbráque virtutum. Te habeat magistram, te rudis miretur infantia, nihil in te, & in patre suo videat, quod si fecerit peccet. Mementote vos parentes magis virginis eam exemplis doceri posse, quam voce; cito flores pereunt, cito violas & lilium, & croceum pestilés aura corrumpit. Sic ille.

Gen. 34. *num.* 1.

Est optimus pro hac sententia locus ille *Isaiæ* 43. maximè si intelligatur vt illum exponit Burgens. in scrutin. 1. p. d. 6. c. 2. *Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me, & contaminaui principes sanctos, dedi internecionem Iacob, & Israël in blasphemiam.* Quibus verbis vult diuinum oraculum inculcare, quam contagiosum fuerit malum Pharisæorum, & Seniorum, ac Principum exemplum, idque probat, & comparat peccato primi parentis, vel paterno exemplo iniquo, ab iis enim duobus polluta est gens sancta Hebræorum, euersum templum, & dispersus populus, ac infamis redditus. Neq; enim potuit quid amplius dici in detestationem praui exempli principum synagogæ, quam si diceretur tam perniciosum fuisse in Republ. ac solet esse paternum exemplum respectu filiorum, quorum mores corrumpit, & ad impietatem adducit.

Isaia 4. *num.* 57.

Et *D. Ambrof.* notauit Noë maledictum dixisse Chanaam antequam in Scriptura proponatur natus, etenim post hanc maledictionem, quæ habetur in *cap.* 9. Statim in *cap.* 10. dicitur. *Hæ sunt generationes Noë, Sem, Cham, & Iaphet, natiq; sunt ei filij post diluuium.* Dicet ergo aliquis cur maledicitur Chanaam nondum in lucem editus? respondet *Ambrof. lib. de Noë, & arca cap.* 30. *Non poterat fieri, vt bonum generaret filium, qui natura, & eruditionis degener extitisset.* Solent enim filij, impia parentum vitia imitari, & veluti è paterno pectore sugere, vt interius inficiantur.

Genes. 9. *num.* 25. *num.* 10. *num.* 11.

Cùm Sara vidisset Ismaëlem corruptis moribus imbutum, & filio suo Isaaco colludentem ait: *Eijce ancillam, & filium eius.* vbi mirum est Saram prius in matrem, quam in filium fuisse subiratam, priúsque exilium indixisse, & postulasse. Quid verò mater in Isaacum deliquerat, in quo offenderat, vt cum fonte filio relegaretur, de quo ipsa quærebatur, propter consortium, & collusionem? Videlicet, quia mores pessimos, quos in filio Isaaco cauere instituerat, & declinare curauerat, credebat Ismaëlem à matre traxisse.

Gen. 21. *num.* 10.

Numer. 26. seditiosos homines, & iniquos viros terra deuorat, ait verò sacer text. *Grande miraculum factum est, vt pereunte Chore, filij eius non perirent.* vbi *Caiet.* reducit miraculum, quod filij excepti fuerint à crimine, & ideò etiam à supplicio, sic enim habet. Manifestat filios Corach non fuisse complices patris sui, & propterea non fuisse mortuos cum patre, & familia eius. Et reuera exceptio à crimine exemit eos à morte, sicut, & reliquos, qui non fuerunt criminis participes. Et *Oleast.* eodem in loco ait: quemadmodum iustorum semen non recipit aliquid lucri,

Num. 26. *num.* 10.

lueri, ex iustitia suorum parentum, si non sit iustum, neque prodest iniquis filiis parentum suorum iustitia, ita non obest piis iniustitia maiorum. Pepercit igitur Dominus filiis seditiosorum hominum, quia iniqui non erant: & in hoc certè extitit miraculum grande, quod filij paterna vitia non fuerint imitati, sicut ferè commune, & certum est in posteris, quod si non accidat, id veluti miraculo fit attribuendum.

Vnde sicut paterna bona temporalia hæreditario iure filiis obueniunt, & inter eos distribuuntur, sic veluti hæreditario inordinato ordine dicuntur filiis contingere paterna vitia, quod probat locus il-
Isaia 5. le *Isai.* vbi diuinum oraculum sic ait: *Væ,*
num.18. *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Vbi trahere iniquitatem in funiculis, idem est, ac hæreditate à maioribus, nam apud Hebræos, vt notauit *Hieronym. Abulens. Lyran.* & alij funiculis hæreditates diuidebantur, quod innuitur, vbi dici-
Psal.75. tur. *Sorte diuisit eis terram in funiculo di-*
num.7. *stributionis.* Trahunt igitur filij iniquitatem in funiculis, quia eis obueniunt paterna mala, sicut, & temporalia bona: quæ in re ipsi maximè culpandi, & obiurgandi sunt, sed monendi multo magis parentes, vt caueant ne præbeant filiis ansam ad iniquitatem, & funiculos porrigant, quibus, & filij & parentes pariter ligati mittantur in tenebras exteriores.

Vnde iam intelligi potest, cur Rubeo primus filius Iacob, principium doloris patris sui dictus sit, vbi Abenezrah ait.
Gen.49. Principiū doloris est primogenitus, quia
num.3. ille incipit dolorem, & curam afferre, & Thargum Hierosol. vertit, *principium sollicitudinis*, quibus habet similia *Burgens.* ibi, vt sit sensus. Tu primogenitus meus es, cum quo pariter oriuntur curæ, & adolescunt. Debent enim parentes statim atque primum filium editum vident, de illius educatione maximè soliciti esse, & summa cura inuigilare, nec coram eis in aliquo delinquant, ansámque præbeant iniquæ imitationis, solent enim praua facta parentum cito ad filios transire, eisque immobiliter inhærere.

Cùm ergo tam certum sit filios parentum vitia imitari, illud vtique hac in re deplorandum venit, quod maximè soliciti esse soleant de solis bonis relinquendis filiis, & de diuitiis congregandis, quo sensu plerique intelligunt, illa verba, quæ
Gen.25. mox adduximus, *Tu principium doloris*
num.22. *mei*, vbi vox Hebræa, defatigationem

A sonat, & curas, & non solum dolorem, & Rebecca cum filios adhuc in vtero gestaret, iam ita collidebantur, eámque interius commouebant, vt ipsa diceret. *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* cui nos dicere possumus. Si antequam nati sint filij, ita parentem distorquent, & discruciant, quid facient nati? adde vero, quod Septuaginta ponunt verbum non significans collisionem sed collusionem, & ita interpretatur *Origen. homil.12. & Chrysost.hom.50. in Gen.* quod
B idem verbum, positum est *Luc.1.* vbi dicitur. *Exultauit in gaudio infans in vtero* Luc.1.
meo. Quid ergo molestiæ parentibus in- num.41.
ferent filij, si exultantes, & colludentes sic commouent? Quid si plorantes, & præ ouditate, ac fame, gemitus cum lacrymis edentes, & matrem interpellantes pro cibo, pro vestitu, & pro aliis ad vitam necessariis, quibus patres maximè incumbunt, & de quibus soliciti admodum esse solent pro filiis, ne quid eis desit, & in quibus totam curam, & diligentiam impendunt.

C Sed heu miseri parentes, qui dum filios maximè diligere videntur, eisdem maximum nocumentum inferunt, congregantes illis per summam iniustitiam, & imprudentiam terrena bona, qua in re eos deprædari vicinorum possessiones docent, & in auaritiam ab incunabulis introducunt, & dum neque pauperibus succurrunt vt filiis pecuniam reseruent, ad crudelitatem excitant, in causaque sunt, vt ipsi etiam crudeles filij eos post mortem veluti alienos non curent, imò eorum
D obliuiscantur, quod videtur dixisse Dauid, cum ait: *Relinquent alienis diuitias* Psal.48.
suas. Vbi Augustin. sic in rem præsentem num.11.
ait. *Ego discutio sensum istum, quia inclino in parabolam aurem meam, & video non frustra sic loqui Scripturam. Video enim multos iniquos mori quibus successores sunt filij, neque potuit sic loqui Scriptura, vt separaret eos à miseria, quorum vitam improbat. Et quid putatis intelligere fratres, nisi quia omnes tales alienis relinquunt diuitias suas? Quomodo alieni sunt filij? Ini-*
E *quorum filij, alieni sunt; si quis tuorum nihil tibi prodest, alienus est. Attendamus illos diuites, qui malè vixerunt, qui superbè egerunt, mortui sunt, & reliquerunt, non dico extraneis, sed filijs suis reliquerunt diuitias suas, & filij ipsorum vitam parentum sequuntur: sicut illi superbi, ita & isti, sicut illi rapaces, ita & isti, vt illi auari, & isti alieni ab illis sunt. Nam vt noueritis, quia illi alieni sunt,*

subuenirent illi diuiti, qui ardebat in flamma, successores ipsius diuitiarum. Sed fortè non habuit qui illi succederent, & alieni possederunt diuitias ipsius. Inuenimus in ipso Euangelio, quando habuit, ait enim, Habeo quinque fratres, ipsius fratres subuenire illi ardenti in flamma non potuerunt. Quid tibi diceret diues? Quid fratres? Illi mihi fratres subuenire non possunt, qui possident diuitias meas, alieni à me facti sunt. Videtis quia omnes, qui malè viuunt, alienis relinquunt diuitias suas; audite quid illis prastant, attendite quomodo irrideantur, simul imprudens, & insipiens peribunt, & relinquent alienis diuitias suas. Sic ille, qui rectè ostendit miseram conditionem eorum, qui indisciplinatis, imò iniquis filiis bona relinquunt, cùm potius illis deberent relinquere rectam doctrinam, & institutionem ad normam iustitiæ, & virtutis, quæ veræ diuitiæ sunt. Videndus *Chrysost. lib. 1. de prouidentia.* vbi ad Stagyrium ait. *Quoniam Christi gratia instructus ab infantia sacras literas didicisti, veráque & salutaria dogmata prius hæres ex maiorum tuorum successione suscepisti, &c.*

Luc. 16. num. 28.

Quod si velis rationem noscere, cur parentes virtutum omnino obliti sola temporalia bona relinquere filiis suis curent, eam quidem subtiliter attigit *Auctor operis imperfecti in Matth.* cum expendit qualiter mater filiorum Zebedæi spiritualia bona filiis suis procurauerit, quando potiora loca regni Christi illis postulauit. *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, &c.* Sic enim habet homilia 35. *Non sentit illa sicut cetera matres, qua corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt; desiderant enim illos valere in saculo isto, & non curant, quid passuri sunt in alio. Alij militias filijs suis prouident, alij honores, & nemo filijs suis prouidet Deum: perditionem illorum cum magno pretio comparant, & salutem illorum nec dono accipere volunt; si viderint illos pauperes tristantur, & suspirant: si autem viderint illos peccantes nemo tristatur, vt ostendant, quia corporum sunt parentes, non animarum:* sic ille, qui optimè carpit parentes sola corpora filiorum, corporeáque, & terrena bona eisdem curantes, quasi nihil melius in filiis sit: quam corpus, & cum nimis eis hac in re indulgentes sint, iniuriosi admodum in eos sunt, quorum omnino obliuiscuntur, & animarum, ratione quarum supremi boni potiundi ca-

Mat. 20. num. 21.

A paces sunt, si tamen bona virtutum amplectantur.

Videndus hac de re *Fulgent. Epistol. 1. cap. 10.* vbi sic ait. Neque de malis operibus non erit in illa terribili examinatione parentum negligentia iudicanda, cum & in hoc sæculo propterea Heli sacerdos à Domino reprobatus fuerit & abiectus, non quia filiis in iniquitate consensit, sed quia peccantes mansueto quamuis sermone monuerit, prohibere tamen competenti seueritate cessauit. Magis au- B tem parentes, qui verè diligunt filios bene operandi eis consulant, quam diuitias colligendo, ne dum filiis tenaciter substantia colligitur, opportunitas boni operis omittatur, &c.

Recolenda sunt, quæ habet *Saluianus libr. 1. ad Eccles. Cathol.* toto orbe diffusam statim in principio, sic enim ait contra auaros parentes. Primum in hac parte illi sunt, qui ad quærendas pecunias, & ampliandas latissimè opes, compelli se pignorum cura, & quasi violento C filiorum amore, causantur: quasi verò quicunque patres sunt, nisi diuites fuerint patres, omnino esse non possint, & amare filios, sine opum multiplicatione non valeant. Aut vero virtus ac medulla affectuum auaritia, & cupiditates sint: quia scilicet, (vt illi putant) sicut corpus sine medulla, sic amor sine cupiditate esse non possit. Quod si ita est, omnis absque dubio pietas mali causa est, neque in ea sensus sunt affectuum bonorum, sed incentiua vitiorum. Et vbi illud D sacrum diuinæ authoritatis oraculum. Pietas ad omnia vtilis, sed pene in omnibus insalubris, & hinc est, quod penè omnes parentibus suis filij non magis in patrimonia, quam in vitia succedunt: nec magis facultates paternas sumunt quam prauitates, ac sic transeuntes semper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam, quam substantiam possidere, & est ratio cur hoc fit: bona enim parentum non nisi mortuis eis possident, viuentibus autem adhuc, & valentibus mores, E ac sic priusquam in domino suo habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres, & antequam habeant illa, quę falso dicuntur bona habent illa, quæ vere probantur mala. Quid ergo? cum hæc ita sint interdicere forsan parẽtibus filiorum videor affectum? Miuimè. Quid enim tam ferum, tam legi æmulum, quam si non amandos dicamus filios, quid est ergo, aut quomodo amandos dicamus filios? quo,

quo, absque dubio, nisi quo Deus ipse constituit? neque enim est vllus melior filiorum amor, quam quem ille docuit, qui ipsos filio dedit: neque possunt pignora melius amari, quam si in eo ipso à quo data sunt amentur. Quomodo igitur Deus amari filios, iusserit, non dico ego, dicat sermo ipse diuinus, ad patres omnes generaliter ita loquitur, vt tradant mandata Dei filiis suis, *Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei sui, & mandata eius exquirant.* Alibi quoque ad vos, inquit, patres. *Nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educete illos in disciplina, & correptione Domini.* videtis, quas parari opes à parentibus filiis Deus iubeat: Non pecuniarios thesauros, nec graues metallo aureo saccos, haberetes quidem multum ponderis, sed plus tamen iniquitatis, non superbas, ac præminentes excelsis vrbibus domos, sic ille. Non ergo hæc Deus præcipit, neque in seruilia terrenæ procurationis officia, curam patriæ pietatis extendit. Pauca sunt, quæ mandat, sed salutaria: expedita, sed sancta: præcepto parua, sed fructu grandia: scripto breuia, sed beatitudine sempiterna. *Parentes,* inquit, *nolite ad indignationem prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini,* id est, edocti à vobis, & informati, vt ponant, scilicet, sicut Propheta dixit, in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. En quales diuitias Deus diligit, en quas pignotibus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidem, scilicet, ac timorem Dei, modestiam, sanctimoniam, disciplinam, non terrena, non vilia, non pereuntia, non caduca, & rectè ac mirabilitet, præclara vtique. Cùm enim Deus viuorum sit, non mortuorum, rectè illa parari filiis iussit, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternum morerentur. Nemo enim dubitat omnibus fermè malis, & infidelibus diuitias mundiales caussam mortis magis esse, quam vitæ, secundum illud, quod Deus dixit. Quam difficilè ij, qui pecunias habent, introibunt in regna cœlorum. Duo ergo thesaurorum genera monstrantur: vnum, scilicet, quo filiis thesaurizent patres, aliud, quo sibi. Filiis quomodo? vt erudiant illos officio, ac timore diuino. Sibi quomodo? vt thesaurizent sibi thesauros in cœlo, mirifica, vt, quia pecunia caduca res est, disciplina, immortalis, & omnes

Psal. 77. num. 7.

Ephes. 6. num. 4.

A fermè parentes plus ament filios, quam se ipsos, sibi conferant bona caduca, filiis sempiterna: ac si, & pietati suæ ætati consulant, & saluti, cum duplici, atque immortali bono, & per ea, quæ æterna sunt, æternos esse filios suos faciant, & ad conquirendam sibi beatitudinem, ea quæ naturaliter caduca sunt, bonis operibus in æterna conuertant. Quid ergo æstuas paterna pietas? Quid ad conquirenda, & peritura terrena distenderis? Nihil maius præstare filiis potes, quam si hoc bonum B per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo, vt filio tuo terrenos thesauros recondas: nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum filium tuum, thesaurum Dei feceris. Sic ille, qui totus hoc in loco transcribendus fuit, & in quo illud inter cætera occurrit notandum, quod cum parentes auari filios edoceant auaritiam, & quamdiu parentes viuunt, diuitias à parentibus conquisitas possidere nequeant, vt auari filij aliquid iam à parentibus accipiant, C prauos vtique mores sibi vsurpant, quia diuitias nequeunt: illud deinde notandum, parentes, scilicet, qui filiis mundialia bona tantummodo conquirunt, non parentum munere fungi, sed potius procuratores filiorum iure optimo debere dici.

Facit, & in hanc sententiam, quod si congregatæ diuitiæ, & acquisita bona filiis nocumento esse solent, cum pro recta institutione eis relinquuntur, multo profectò deteriora, eis erunt, cum per D fraudem, tyrannidem, & iniustitiam congregatæ sunt: Sanguinem Christi Domini petierunt Iudæi super se, & super liberos suos. Vbi *Hieronym.* admiratur qualem hæreditatem filiis suis voluerunt relinquere Iudæi. Sic enim habet, perseuerat vsque in præsentem diem hac imprecatio super Iudæos, & sanguis Domini non aufertur ab eis, vnde per Isai. loquitur: *Si leuaueritis ad me manus non exaudiam vos, manus enim vestra plena sunt sanguine*; optimam hæreditatem Iudæi E filiis suis reliquerunt, dicentes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Sic ille. Non absimiles his dixerim, licet dissimili modo eos, qui hæreditatem sanguinis filiis suis relinquunt, domus, scilicet, quas illis ædificarunt in sanguinibus, & annuos redditus pauperum sanguine comparatos, vnde & super eos vertit sãguis iustus pauperum, viduarum, ac pupillorũ, & hæreditas iniqua iustè ab eis

Matt. 27. num. 25.

Isai. 1. num. 15.

eis auferetur, vt ad alienos deueniat, quod nullatenus contingeret, si veram eis hæreditatem reliquissent, veras, scilicet virtutes, & inamissibiles opes, quibus, & filij ditarentur, & illi apud inferos non tam acerbè torquerentur, quibus possent, & plurima bona à Deo sperare, & nulla mala timere, imò in prosperis euentis cantare Domino, & dicere: *Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.*

Illud etiam hoc in loco, vt promissis satisfaciamus, aduertendum est cum Lyrano; propterea Moysem dixisse: *Deus patris mei, & exaltabo eum*, vt inculcaret parentum, ac maiorum pietatem, plurimum conducere ad impetranda diuina beneficia, & Dei liberalitatem promerendam posteris, eorúmque periculis occurrendum, vt sic tandem parentes ad pietatem, & Dei cultum amplectendum pro filiis moueantur. Est optimus pro hoc argumento locus apud *Theod. quæst. 8. in lib. 2. Reg.* vbi quærit, cur potius Dauid voluerit vngi in Regem in ciuitate Hebron, quam in alia quacúmque vrbe, dicítque Dauidem ideò hoc fecisse, vt ostenderet nullum proprium meritum in se habere ad regnum consequendum, sed à Deo fuisse electum in Regem ex virtute, & meritis illorum Sanctorum, qui ibi sepulti erant, & à quibus Dauid originem trahebat, siquidem solet Deus maiorum merita respicere, vt posteris eadem remunerans benefaciat. Qua de re videndus *Hieronym. Epist. 27.* vbi asserit ideò Deum ordinasse, vt qui primi Dei verbum incarnatum in terris viderunt, esse pastores, quibus Angelus dixit: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, &c.* Quia respexit merita eorum patrum antiquorum, scilicet, Abraham, & Iacob, qui ibi duxerant oues & boues, vel in his locis commorati fuerãt; solet enim diuina benignitas, cum in nobis non inueniat merita, quibus obligetur ad beneficia nobis conferenda, illa aliunde petere, & à maioribus nostris, si habuerunt, inquirere, eósque respicere, vt nobis dona largiatur, quod maximè commendat diuinam bonitatem, cernéque est in eo; quod venerit Christus Dominus ad puteũ Iacob quærere mulierem Samaritanam, namque non procul ab illo loco, vel puteo erat sepulcrum, quod ossa Ioseph humata leguntur, vt patet ex *lib. Iosue cap. vltim.* testarúrque *D. Hieron. de qu. Hebrais, & Ioseph. lib. 2. antiquitatum cap. 7. & 8.* aduertítque *D. Chrysost. hom. 30. in Ioan.* propterea Euangelistam tanta diligentia, & tam acuratè illum locũ descripsisse, quia occasio plurimorum bonorum, scilicet, conuersionis ipsius Samaritanæ, & aliorum multorum hominum illius gentis, quos Dominus vocauit, imò quæsiuit ratione meritorum Iacob, cuius illud prædium fuit, & puteus, & ratione etiam meritorum Ioseph, cuius sepulchrum ibi erat, is enim misericors Deus noster est, qui aliunde euocat merita, vt nostri misereatur, quando in nobis nihil inuenit, nisi vnde nascatur: qua in re, & diuinam bonitatem colere decet, & hominum iniquitatem destari, etenim moriens Ioseph, non sicut pater suus voluit asportari in terra Chanaam, sed sepultus est in Ægypto, adiurauítque fratres suos, vt quando Deus visitaret eos, inde secum asportarent ossa ipsius, *Genes. 50.* Fortè recolens, quam benemeritus de illa gente erat, vtpotè, qui eam liberauerat à fame septem annorum, & Regi totam terram acquisierat; notauit autem *Chrysost. hom. 67. in Genes. ad fin.* Iosephum talem existimationem habuisse de Ægyptiis, vt proinde transferri ossa sua voluerit, ne Ægyptij memores beneficiorum à Iosepho acceptorum eum de more suo pro Deo haberent, & corpus illius impietatis occasio illis foret. Sed vide quam cito memoria tanti beneficij aboleuit, statim enim dicitur: *Surrexit Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum. Ecce populus filiorum Israël multus, venite sapienter opprimamus eum.* At verò Deus voluit vt filij Israël secum asportarent Iosephi ossa, vt eos velut dux anteiret, itérque patefaceret, quæcumque etiam obuia, & difficilia Deus facili negocio ad præsentiam tanti Patriarchæ facilia, & peruia redderet, & fortè hoc significauit Paulus cum ait: *Fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit*; credidit enim benignum, & misericordem Dominum ducem assumpturum mortuum Ioseph in eductione illius populi ex Ægypto, quandoquidem ipse in causa fuerat, vt ad Ægyptum veniret, & sicut ex meritis Iosephi ex Ægypto eligenda concessit terram fratribus ad habitandum; sic Rex cœlestis merita defuncti Iosepi respiciens eos educeret. Neque verò mirum alicui videri debet, si Deus ob præterita merita maiorum larga manu conferat beneficia, cum ob

Marginalia: 2. Reg. 2. num. 4. — Luc. 2. num. 16. — Ioann. 4. — Iosue vlt. — Gen. 50. num. 24. — Exod. 1. num. 8. — Heb. 11.

ob futura etiam largiri soleat, qua de re videndus *D.Chrysost. homil.42. in Genes.* cum ponderat illa verba: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? Scio enim quod præcepturus sit filys suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, &c.* Ait ergo Chrysost. *Vide Domini bonitatem, non solum pro præterita virtute, sed pro futura remunerat, quoniam dicere vult prænoui iusti mentem, idcirco remunerationibus præuenio; manum porrigit, & ante labores remunerat*, quid mirum igitur si pro meritis præteritis conferat beneficia, qui futura præuidet, vt remuneret. Ideóque idem *Chrysost.* addit: *Multa ideoq; Domini bonitas est, sæpè quando non est inuentus in præsenti vita iustus, propter defunctorum virtutem viuentium miseretur, & curam habet vnde clamat dicens: Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum, quasi diceret, licet ipsi indigni sint, & nullam salutis habeant occasionem, verum quia solitus sum misericordiam agere, & ad miserendum promptus sum, propter me ipsum faciam, & propter puerum meum Dauid. Hic Auctor erit salutis hu, qui sua & se perdiderunt desideria.*

Gen. 18. num. 17.

2. Reg. 20. n. 6.

Est optimus ille locus in hanc sententiam, qui habetur *Sap.* 18. vbi Salomon agens de eo incendio, quando plurimi ex Hebræis deflagrarunt. *Numer.* 16. qua de re dixit, *Origen. homil.9. in Numeros. Populus Israël in castris per ordinem tribuum, & familiarum dispositus erat: Virtus vero à Deo missa non passim, sed ex prima parte cœpit, & per ordinem procedebat.* Et *Abulens. quæst.* 13. *Ignis comburebat, quos Deus comburi volebat, tamen continue, & sic erat vna pars populi tota combusta, alia nullo modo*; ait ergo sacer text. *Cum iam aceruatim cecidissent super alterutrũ mortui, interstitit* (scilicet Aaron) *& amputauit impetu.n, & diuisit illam, quæ ad viuos ducebat viam*, id est, Aaron stabat inter partes istas, vt ignis non transiret, qua in re sancti Patres dicunt fuisse typum Christi, qui sui met corporis obiectu, gehennæ à nobis incendium remouit inter mortuos liber. Videndus *August. serm.* 98. *de tempore*, vbi ponderat ex sacro textu rationem cur Aaron se opposuerit, & accensæ flammæ occurrerit. *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta*, quasi magnalia, seu res gestæ à maioribus extinxerit incendium; etenim sicut docue-

Sap. 18. num. 23. Num. 16. num. 35.

Sap. 18. num. 24.

A re Rabini, quos nuper secutus est *Hieron. de Prado in Ezech. Comment. de prima visione, Ezech. pag.* 2. *sect.* 2. in duodecim gemmis non erant scripta nomina, sed insignia potius, & stemmata nobilitatis cuiusque tribus, pro eo enim, quod vulgarus dixit, *magnalia*, apud L X X. legitur *gloria excellentiæ, & trophæa nobilitatis, & stemmata parentum*, erant enim Ægyptio more Hieroglyphicè insculpta in singulis lapidibus rationalis Summi Pontificis stemmata cuiúsque tribus, neque oppositum

B ostenditur ex illo loco, vbi legimus: *Et sculpes eos nominibus filiorum Israël.* Namque Hebr. habetur: *Sculptura annuli singulis iuxta nomen suum erunt, imò duodecim tribubus*, Chaldaicè vero habetur. *Sculpti sculptura distincta, sicut sculptura annuli*, in editione vero L X X. *Opus lapidariæ artis sculptura sigilli*, quæ omnia sonant ibi esse effingenda magnalia duodecim tribuum, sicut fieri solet in annulis signatoriis; ex quibus illud efficitur trophæa, & stemmata maiorum sculpta fuisse

Exod. 28. num. 11.

C in rationali summi Sacerdotis, eadémque cessare fecisse exortum incendium in castris, & populum ab igne seruasse. Quod si tantum valuit gloria maiorum, vel depicta, & sculpta, quid non potuerunt maiorum merita, & ipsa opera diuinæ beneuolentiæ proposita? Existimare proinde iure optimo possumus apertum fuisse mare, & diuisum, iterúmque coaluisse in perniciem Ægyptiorum dum omnipotens, & misericors Dominus maiorum merita respexit, postquam respexit super

D castra Ægyptiorum, & hoc indicare voluit Moyses, cum Deum appellat patris sui, hoc est parentum suorum, quorum meritis, precibúsque, & Israëlitas liberauit, & Ægyptios penitus extinxit. Quod si parentes hoc perpenderent, potius vellent posteris merita relinquere, quam pecuniam, hac enim illis perniciem parant, dum comparant, meritis vero thesaurum ad omnia, & bona assequenda, & mala declinanda relinquunt.

Illúdque ad calcem huius annotationis

E aduertendum est, nullatenus ita nos debere confidere in solis parentum, quantumuis iustorum, meritis, vt desides prorsus, & ignaui in iustitia, & sanctitate reperiamur, & illorum solis operibus innitamur, hæc enim confidentia nobis maximè obesse poterit, quod argumentum prosequitur *Chrysost. homil.44. in Genes.* vbi sic ait. *Non quod infirmi sint iusti, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos perdimus, &c.*

eis auferatur, vt ad alienos deueniat, quod nullatenus contingeret, si veram eis hæreditatem reliquissent, veras, scilicet virtutes, & inamissibiles opes, quibus, & filij ditarentur, & illi apud inferos non tam acerbè torquerentur, quibus possent, & plurima bona à Deo sperare, & nulla mala timere, imò in prosperis euentis cantare Domino, & dicere: *Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.*

Illud etiam hoc in loco, vt promissis satisfaciamus, aduertendum est cum Lyrano; propterea Moysem dixisse: *Deus patris mei, & exaltabo eum*, vt inculcaret parentum, ac maiorum pietatem, plurimum conducere ad impetranda diuina beneficia, & Dei liberalitatem promerendam posteris, eorúmque periculis occurrendum, vt sic tandem parentes ad pietatem, & Dei cultum amplectendum pro filiis monerentur. Est optimus pro hoc argumento locus apud *Theod. quæst. 8. in lib. 2.*
2. Reg. 2. num. 4. *Reg.* vbi quærit, cur potius Dauid voluerit vngi in Regem in ciuitate Hebron, quam in alia quacúmque vrbe, dicítque Dauidem ideò hoc fecisse, vt ostenderet nullum proprium meritum in se habere ad regnum consequendum, sed à Deo fuisse electum in Regem ex virtute, & meritis illorum Sanctorum, qui ibi sepulti erant, & à quibus Dauid originem trahebat, siquidem solet Deus maiorum merita respicere, vt posteris eadem remunerans benefaciat. Qua de re videndus *Hieronym. Epist. 27.* vbi asserit ideò Deum ordinasse, vt qui primi Dei verbum incarnatum in terris viderunt, esse pastores, qui-
Luc. 2. num. 16. bus Angelus dixit: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, &c.* Quia respexit merita eorum patrum antiquorum, scilicet, Abraham, & Iacob, qui ibi duxerant oues & boues, vel in his locis commorati fuerãt; solet enim diuina benignitas, cum in nobis non inueniat merita, quibus obligetur ad beneficia nobis conferenda, illa aliunde petere, & à maioribus nostris, si habuerunt, inquirere, eósque respicere, vt nobis dona largiatur, quod maximè com-
Ioann. 4. mendat diuinam bonitatem, cernerérque est in eo; quod venerit Christus Dominus ad puteũ Iacob quærere mulierem Samaritanam, namque non procul ab illo loco, vel puteo erat sepulcrum, quod ossa Ioseph humata leguntur, vt patet ex *lib.*
Iosue vlt. *Iosue cap. vltim.* testatúrque *D. Hieron. de qu. Hebrais, & Ioseph. lib. 2. antiquita-*

A *rum cap. 7. & 8.* aduertítque *D. Chrysost. hom. 30. in Ioan.* propterea Euangelistam tanta diligentia, & tam acuratè illum locũ descripsisse, quia occasio plurimorum bonorum, scilicet, conuersionis ipsius Samaritanæ, & aliorum multorum hominum illius gentis, quos Dominus vocauit, imò quæsiuit ratione meritorum Iacob, cuius illud prædium fuit, & puteus, & ratione etiam meritorum Ioseph, cuius sepulchrum ibi erat, is enim misericors Deus noster est, qui aliunde euocat meri-
B ta, vt nostri misereatur, quando in nobis nihil inuenit, nisi vnde nascatur: qua in re, & diuinam bonitatem colere decet, & hominum iniquitatem destari, etenim moriens Ioseph, non sicut pater suus voluit asportari in terra Chanaam, sed sepultus est in Ægypto, adiurauítque fratres suos, vt quando Deus visitaret eos, inde secum asportarent ossa ipsius, *Genes.* Gen. 50.
50. Fortè recolens, quam benemeritus de num. 24.
illa gente erat, vtpotè, qui eam liberauerat à fame septem annorum, & Regi
C totam terram acquisierat; notauit autem *Chrysost. hom. 67. in Genes. ad fin.* Iosephum talem existimationem habuisse de Ægyptiis, vt proinde transferri ossa sua voluerit, ne Ægyptij memores beneficiorum à Iosepho acceptorum eum de more suo pro Deo haberent, & corpus illius impietatis occasio illis foret. Sed vide quam cito memoria tanti beneficij aboleuit, statim enim dicitur: *Surrexit Rex* Exod. 1.
nouus super Ægyptum, qui ignorabat Io- num. 8.
seph, & ait ad populum suum. Ecce popu-
D *lus filiorum Israël multus, venite sapienter opprimamus eum.* At verò Deus voluit vt filij Israel secum asportarent Iosephi ossa, vt eos velut dux anteiret, itérque patefaceret, quæcumque etiam obuia, & difficilia Deus facili negocio ad præsentiam tanti Patriarchæ facilia, & peruia redderet, & fortè hoc significauit Paulus cum ait: *Fide Ioseph moriens de profectione* Heb. 11.
filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit; credidit enim benignum, & misericordem Dominum ducem as-
E sumpturum mortuum Ioseph in eductione illius populi ex Ægypto, quandoquidem ipse in causa fuerat, vt ad Ægyptum veniret, & sicut ex meritis Iosephi ex Ægypto eligenda concessit terram fratribus ad habitandum; sic Rex cœlestis merita defuncti Iosepi respiciens eos educeret. Neque verò mirum alicui videri debet, si Deus ob præterita merita maiorum larga manu conferat beneficia, cum

ob

ob futura etiam largiri soleat, qua de re
Gen. 18. videndus *D. Chryſoſt. homil. 42. in Geneſ.*
num. 17. cum ponderat illa verba: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum? Scio enim quod præcepturus ſit filys ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, &c.* Ait ergo Chryſoſt. *Vide Domini bonitatem, non ſolum pro præterita virtute, ſed pro futura remunerat, quoniam dicere vult prænoui iuſti mentem, idcirco remunerationibus præuenio; manum porrigit, & ante labores remunerat*, quid mirum igitur ſi pro meritis præteritis conferat beneficia, qui futura præuidet, vt remuneret. Ideóque idem *Chryſoſt.* addit: *Multa ideoq́; Domini bonitas eſt, ſæpè quando non eſt inuentus in præſenti vita iuſtus, propter defunctorum virtutem viuentium miſeretur,*
2. Reg. 20. n. 6. *& curam habet vnde clamat dicens: Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum, quaſi diceret, licet ipſi indigni ſint, & nullam ſalutis habeant occaſionem, verum quia ſolitus ſum miſericordiam agere, & ad miſerendum promptus ſum, propter me ipſum faciam, & propter puerum meum Dauid. Hic Auctor erit ſalutis his, qui ſua & ſe perdiderunt deſideria.*

Eſt optimus ille locus in hanc ſententiam, qui habetur
Sap. 18. num. 23. *Sap. 18.* vbi Salomon agens de eo incendio, quando plurimi ex
Num. 16. num. 35. Hebræis deflagrarunt. *Numer. 16.* qua de re dixit, *Origen. homil. 9. in Numeros. Populus Iſraël in caſtris per ordinem tribuum, & familiarum diſpoſitus erat: Virtus vero à Deo miſſa non paſſim, ſed ex prima parte cœpit, & per ordinem procedebat.* Et *Abulenſ. quæſt. 13. Ignis comburebat, quos Deus comburi volebat, tamen continue, & ſic erat vna pars populi tota combuſta, alia nullo modo*; ait ergo facer text. *Cum iam aceruatim cecidiſſent ſuper alterutrũ mortui, interſtitit* (ſcilicet Aaron) *& amputauit impetum, & diuiſit illam, quæ ad viuos ducebat viam*, id eſt, Aaron ſtabat inter partes iſtas, vt ignis non tranſiret, qua in re ſancti Patres dicunt fuiſſe typum Chriſti, qui ſuimet corporis obiectu, gehennæ à nobis incendium remouit inter mortuos liber. Videndus *Auguſt. ſerm. 98. de tempore*, vbi ponderat ex ſacro textu rationem cur Aaron ſe oppoſuerit, & ac-
Sap. 18. num. 24. cenſæ flammæ occurrerit. *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta*, quaſi magnalia, ſeu res geſtæ à maioribus extinxerit incendium; etenim ſicut docue-

A re Rabini, quos nuper ſecutus eſt *Hieron. de Prado in Ezech. Comment. de prima viſione, Ezech. pag. 2. ſect. 2.* in duodecim gemmis non erant ſcripta nomina, ſed inſignia potius, & ſtemmata nobilitatis cuiuſque tribus, pro eo enim, quod vulgatus dixit, *magnalia*, apud L X X. legitur *gloria excellentiæ, & trophæa nobilitatis, & ſtemmata parentum*; erant enim Ægyptio more Hieroglipicè inſculpta in ſingulis lapidibus rationalis Summi Pontificis ſtemmata cuiúſque tribus, neque oppoſi-
B tum oſtenditur ex illo loco, vbi legimus: *Et ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël.* Exod. 28. num. 11.
Namque Hebr. habetur: *Sculpturæ annuli ſingulis iuxta nomen ſuum erunt, imò duodecim tribubus*, Chaldaicè vero habetur. *Sculpti ſculptura diſtincta, ſicut ſculptura annuli*, in editione vero L X X. *Opus lapidariæ artis ſculptura ſigilli*, quæ omnia ſonant ibi eſſe effingenda magnalia duodecim tribuum, ſicut fieri ſolet in annulis ſignatoriis; ex quibus illud efficitur trophæa, & ſtemmata maiorum ſculpta fuiſſe
C in rationali ſummi Sacerdotis, eadémque ceſſare feciſſe exortum incendium in caſtris, & populum ab igne ſeruaſſe. Quod ſi tantum valuit gloria maiorum, vel depicta, & ſculpta, quid non potuerunt maiorum merita, & ipſa opera diuinæ beneuolentiæ propoſita? Exiſtimare proinde iure optimo poſſumus apertum fuiſſe mare, & diuiſum, iterúmque coaluiſſe in perniciem Ægyptiorum dum omnipotens, & miſericors Dominus maiorum merita reſpexit, poſtquam reſpexit ſuper
D caſtra Ægyptiorum, & hoc indicare voluit Moyſes, cum Deum appellat patris ſui, hoc eſt parentum ſuorum, quorum meritis, precibúſque, & Iſraëlitas liberauit, & Ægyptios penitus extinxit. Quod ſi parentes hoc perpenderent, potius vellent poſteris merita relinquere, quam pecuniam, hac enim illis perniciem parant, dum comparant, meritis vero theſaurum ad omnia, & bona aſſequenda, & mala declinanda relinquunt.

Illúdque ad calcem huius annotationis
E aduertendum eſt, nullatenus ita nos debere confidere in ſolis parentum, quantumuis iuſtorum, meritis, vt deſides prorſus, & ignaui in iuſtitia, & ſanctitate reperiamur, & illorum ſolis operibus innitamur, hæc enim confidentia nobis maximè obeſſe poterit, quod argumentum proſequitur *Chryſoſt. homil. 44. in Geneſ.* vbi ſic ait. *Non quod infirmi ſint iuſti, ſed quia propter noſtram deſidiam nos ipſos perdimus, &c.*

O Quan

Quanquam autem verum sit parentum virtutem,& sanctimoniam maximè conducere ad filiorum profectum, & sanctitatem, atque etiam ad diuina beneficia consequenda,& è contra parentum malitia posteris maximo nocumento esse soleat, tamen de diuina, potius misericordia, & beneficentia nobis confidendum est,quam ad illorum malitiam desperandum. Si nos, vt plerique Sancti viri parentes minimè imitantes, virtutem prosecuti fuerimus, ab iniquitate maximè deuiantes, quod prosequitur *Chrysost.homil. 8. in Matth.* in fin. vbi ait: *Obsecro autem, vt neque vel locum, vel educationem, vel maiorum nostrorum vitia pratexamus.Si enim nos ipsos diligentius voluerimus excolere, nihil horum nobis prorsus impediet. Siquidem, & sanctus Abraham habuit patrem impium, neque tamen illius hares impietatis effectus. Et Ezechias prophanissimi Achaz filius fuit, sed Dei amicus esse promeruit,& Ioseph in media seruiit Ægypto: sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam. In medio quoque Babylonia tres pueri, in medio quoque Chaldaorum domo,inter illos delitiarum varios apparatus in summa tamen arce Philosophia constiterunt, & Moyses in Ægypto,& Philosophus in toto orbe terrarum; neque tamen his omnibus quicquam horum impedimento fuit, quominus cursum virtutis implerent, & nos igitur cuncta hac exempla cernentes superfluas quidem curas & varias peccandi occasiones penitus amputemus,* eumque, quo virtus paratur, amplectamur laborem.

Luc. 3. num. 8. Videndus idem *Chrysost. homil. 9. in Matth.* cum ait: *Ioan. ad se venientibus inclamabat: ne velitis dicere,quia patrem habemus Abraham.* Et iterum Paulus ad Roman. 9. *Non omnes, qui ex Israël hi sunt Israëlita, neque qui filij carnis, hi filij Dei: quid enim filios Samuëlis necessitudo iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis hæredes? quid autem etiam Moysi liberis paterna proficit cura iustitia, cuius eis non successit imitatio? itaque neque ad illos patris imperium, quasi ex successione defertur,qui illum vocabulo tantum signabant parentem: sed ad eum migrat, qui illius erat filius, virtute, non generatione, è regione vero, qui Timoth. nocuisse creditur, quod fuit de patre Gentili? quid autem è diuerso Noë filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenio factus est famulus? Vidisti certè, quia non sufficerit ad suffragium liberis paterna nobilitas, vitia siquidem voluntatis vicerunt priuilegia natura: & peccantem non modo de nobilitate patris, verum de ipsa libertate etiam pepulerunt. Esaü quoque nonne sancti Isaac erat filius, magno etiam patris fauore munitus, qui, scilicet, studebat, atque cupiebat primatus ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris iussa faciebat? Sed tamen quia prauis moribus erat, nihil ex his omnibus adiutus prorsus est. Iudai quondam filiorum Dei honore gaudebant, sed decoloratos vitijs nihil iuuit tanta nobilitas; si igitur Dei quis filius factus, nisi huic nomini meritum virtutis addiderit, etiam maius subito profecto habebit supplicium: quid mihi iam auorum, atque proauorum memoras dignitates? &c.* quæ prosequitur. Ex quibus tam diffusè dictis nobis liquido constare poterit, quantum filiis conducat recta institutio, & doctrina à parentibus accepta: quantum insuper conducat ad parentum salutem filios probatis moribus, & secundum Dei religionem instituere,vt possint Deum confidenter inuocare dicendo: *ille Deus patris mei, &c.*

Rom. 9. num. 4. — 1. Reg. 8. — Act. 16. — Genes. 15.

TEX

TEXTVS.

Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Num. 3.

Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare, electi Principes eius submersi sunt in mari rubro. Num. 4.

Abyssi operuerunt eos: descenderunt in profundum, quasi lapis. Num. 5.

EXPOSITIO LITERALIS.



VM isti tres versus vnam, & eandem sententiam contineant, eos simul explanandos duximus, primi igitur versus sensus est. Peritissimus pugnandi est Deus, sed longè alia ratione, quam bello strenui milites, non enim galea, lorica, ense, aut lancea ad pugnam descendit, quippe cuius solum nomen inuocatum & exoratum fundit hostes, & victoriam tribuit, sicut dixit

Psal. 19. num. 8. Dauid: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri, &c.* Neque aliunde putetis id facere posse, nec alij tam magnifica opera tribuatis, Dominus nomen est illi, nec nomen alienum ab illius virtute, & potentia: respondent enim facta nomini, indicant opera virtutem, & nunc docuit nullum alium esse Deum, qui eiusmodi aliquid valeat efficere. Si-

Amos 5. milis est locus ille *Amos, cap. 5.* vbi cum opera commemorasset, quæ ille solus facit, ait: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ,* subiunxit illico: *Dominus nomen eius.*

Vel etiam, quid mirum si gnarus pugnandi existat, ac strenuus, cum sit omnipotens, & cœlestium exercituum imperator, & sic videtur sentire *D. Hieron.* dum hoc in loco non vertit Iehouah, quod est in Hebræo, sed Zebaoth.

Vel tertio iuxta id, quod initio superioris carminis annotauimus, ex eo, quod Pharao dixerat Moysi. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius?* Illi modo iam respondet Moyses: *Iste Deus meus, &*

A *glorificabo eum.* Sic etiam (neque parum accommodatum existimo) hoc in loco, quia irridens Pharao *Exod. 5.* nomen sibi illius à quo Moyses missus est, edici postulauerat, ideò non tam verbis, quam rei gestæ testimonio, vt agnoscat nunc clamat, quis ille sit dicens: *Omnipotens nomen eius,* idque cernere est ex eo, quod currus Pharaonis, & exercitum eius proiecerit in mare. Exod. 5. num. 2.

Vel tandem his verbis causam affert Moyses, efficacissimam, cur narrationi

B cætero qui incredibili, fidem abrogare nemo debeat, quia, scilicet, Deus bellatoris officio functus, tam mirabilem victoriam reportauit de Ægyptiis, suos Israëlitas saluos, & incolumes educens, quod incredibile non posset videri illi, qui Dei omnipotentiam attentè consideraret, & videret bellum hoc Dei solius esse. Estque mea sententia similis huic ille locus, *Iosuë* 10. vbi postquam facer text. enarrat quomodo Iosuë vicerit quinque Chananæorum Reges, quomodo vsque ad inter- Iosuë 10.

C necionem consumpserit eorum exercitum, solque steterit in medio cœli, quomodo expugnauerit Lebna, fecerit Regi Lebna quomodo fecerat Regi Ierico, quomodo deinde Lachis percusserit in ore gladij, deinde transiens in Eglon fecerit ei sicut fecerat Lachis, quod etiam fecit in Hebron, cuius Regem occidit, & vniuersas animas, quæ in ea fuerant commoratæ, quomodo inde reuersus in Dabir eam vastauerit, Regem eius interemerit, & omnia per circuitū oppida percusserit

in ore gladij, nec dimiserit in ea vllas reliquias, idque vno impetu, & absque vllo labore à Cades-barne vsque Gabaon, vniuersósque Reges, & regiones eorum, quæ omnia incredibilia penè videbãtur, ne vero quisquam de tam fœlicibus victoriis, nullo penitus Israelitarum effuso sanguine comparatis, dubitare posset, sicut benè ibi notauit Masius, additur statim, post
Iosuë 10. hanc enarrationem: *Dominus enim Deus*
num. 42. *Israël pugnauit pro eo.* Ait ergo Masius.
Porro istius versiculi clausula causam affert manifestariam, cur narrationi cætero qui incredibili fidem abrogare nemo debeat, vel res tantas militum virtuti arrogare; nam cum Israëlis Deus nominatur, rectè omnia, quibus ille adhuc, Israëlitarum gratia, rerum naturæ vim fecit, miracula in memoriam reuocantur: quæ quisque secum reputat, profectò haud ille istum expeditissimæ victoriæ successum, supra infinitam Dei potentiam fuisse existimauerit. Tantùm ille. Eadem etiam mente Moyses in præsenti, quia videtat se decantaturum rem omnem, penitus humanam fidem, sicut & naturam totam superantem, antequam, quę facta sunt memoret, cuius virtute facta fuerint asserit, Deúmque bellatorem præmittit, eiúsque omnipotentiam proponit, ne fides narrationi deesset, cum talis, tantáque victoria, tanto ac tali bellatori, non Moysi, aut Israëlitarum virtuti attribuatur.

Hoc autem in loco supplendum est verbum substantiuum; quod deest, & ex vsu omnium linguarum suppletur, vt sit
Psal. 1. sensus: *Dominus est quasi vir pugnator,*
num. 1. sicut etiam cum Dauid dixit: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, &c.* &
Psal. 88. Psal. 88. *Beatus populus, qui scit iubilatio-*
num. 16. *nem*, & Luc. 14. *Beatus qui manducabit*
Luc. 14. *panem in regno Dei*, quibus in locis deest
num. 15. verbum, est, sicut etiam in plurali deest
Psal. 118. idem verbum Psalm. 118. vbi dicitur: *Bea-*
num. 1. *ti immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et iterum: *Beati qui scrutan-*
Matt. 5. *tur testimonia eius*, & Matthæi 5. *Beati*
num. 3. *pauperes spiritu, beati mites, &c.* vbi sup-
Rom. 2. plendum est, sunt, sicut ad Rom. 2. *Tribu-*
num. 9. *latio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, & infra. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum,*
Luc. 2. vbi supplendum est, erit. Et Luc. 2. *Gloria*
num. 14. *in excelsis Deo, & in terra pax hominibus,* vbi suppleri debet, est, vel sit, & in communi doxologia. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto,* supplendum est, sit, si est precatio: vel si est assertio verbum, est, &

A 1. Timoth. *Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum*, & salutationes omnes Apostoli in principio *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* 1. *Corinth.* 1. & 2. *Corinth.* 1. & alibi sub intellectum habent prædictum verbum vel aliud, quod expressit beatus Petrus in vtraque sua Catholica, nempe adimpleatur vel multiplicetur, quodque magis est lingua Syriaca, quæ de Hebræa emanauit apud *Matth.* 26. verba consecrationis ha- *1. Tim.* 1. *num.* 17.
B bent. Anau pegri, & Anau deni: *Hoc Corpus meum, hic Sanguis meus*; & in vtroque supplendum verbum, est, & passim alibi, est enim verbum substantiuum, sicut & relatiuum, quod sæpè etiam in sacris literis non exprimitur, & propterea supplendum est, quod quandoque faciunt L X X. vel interpres noster, cum in Hebræo non habeatur, vt *Psal.* 7. *Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti*, vbi Hebræa habent: *Excita ad me iudicium mandasti*, & Psalm. 9. *Inimici defe-* *Mat.* 26. *num.* 26. *Psalm.* 7. *num.* 7. *Psalm.* 9. *num.* 7.
C *cerunt framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti*, vbi supplendum est, quis destruxisti, & infra, *Infixæ sunt gentes interitu fecerunt*, pro quem fecerunt, & statim sequitur, *In laqueo isto absconderunt*, pro quem absconderunt, & *Psal.* 117. *Lapidem reprobauerunt*, sic enim Hebr. habetur, vbi supplendum est, relatiuũ quem, vt L X X. suppleuerant, & infra. *Hac dies fecit Dominus*, pro quam fecit Dominus, quod maximè notandum est, in Paulo, Ioanne, & Iacobo, qui Hebræi erant, & propterea *Psalm.* 9. *num.* 6. *Psal.* 117. *num.* 22. *Sup. num.* 24.
D in eis desiderantur articuli Græci, quibus suppleri solent relatiua. Sicut igitur suppleri debent dicta relatiua, vt ostendimus, sic etiam & verbum substantiuum multoties suppleri debet, & maximè hoc loco, quod facit Paraphrasis Chaldæa.

Septuaginta habent, *Dominus confringens bella; Dominus nomen illi, &c. Electos ascensores, duces submersit in mari rubro,* Pagninus & Vatablus. *Dominus vir bellator, Dominus nomen eius: quadrigas Pharaonis, & copias eius deiecit in mare, &*
E *electi principes eius submersi sunt in mari Saph*, ait Pagninus, *Et electi triarij eius, demersi sunt in mari carectoso*, ait Vatablus. paraph. Chald. *Dominus est victor bellorum. Adonai est nomen eius.* Hebr. bis ponitur in hoc versu nomen Geouah, primum pro illo, Dominus, secundò pro illo, Omnipotens. Et pro illo, quasi vir pugnator, Hebr. est. *Vir belli*, qui est Hebraismus significans virum maximè bellicosum,

bellicosum, ideóque recentiores Hebr. & de nostris Hebraizantes habent. Geouah vir belli, Geouah nomen eius. Latinus interpres, ne gentes fortasse dudum ad fidem conuersæ admirarentur Deum vocari virum bellatorem, ne Martem fortassis cogitarent, appofuit particulam, quasi, vt similitudinem, non proprietatem indicaret.

Circa nomen Ieouah, quod nomen ob nimiam, quæ erat apud Hebræos venerationem, non pronuntiabatur, nisi tantummodo in sanctuario, in die ieiunij sanctificationis. boc est in die expiationis, vt tradit Rab. Moyses Ægyptius, idque à summo Sacerdote solo, cum populo benedicebat. Erat quippe Hebræis persuasum ineffabile esse nomen Iehouah, non quod iuxta vocem ipsam proferri nequeat, pronuntiabatur enim à summo Pontifice, & à nobis pronuntiati optimè potest, sed quia cum cætera Dei nomina ab effectis deriuata sint, & per respectum, vt aiunt Theologi cum *D. Thoma 1.p.quæst.13.* Deum significent, æquiuoce Deum videntur significare, at vero sacrosanctum Dei nomen Iehouah, cuius vera deriuatio nescitur, nulli alteri rei communicatur, sed vni tantum diuinæ essentiæ significandæ inuentum est, ita vt nulli creaturæ eius significatio possit communicari, quod dixit *Orig.hom.14. in Num.* circa principium, scilicet cum nomen Iehouah ponitur nullam esse dubitationem quod de Deo vero, & mundi Creatore dicatur.

Hanc tamen regulam vult Ribera restringere, tum *Osea 4.num.34.* tum *Malach.2.n.25.* propter locum *Iudic.17. Consecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile, atque conflatile*, vbi pro voce *Domino*, est in Hebræo Iehouah. Pace tamen tanti viri dixerim ego, neque hunc locum, neque alios similes, vt, *Hi sunt dy tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, & num. 5. *Cras solemnitas Domini est*; Hebraicè Iehouah, repugnare nostræ doctrinæ, non enim dicimus, neminem posse decipi, nec per errorem malitiámve falso, vel falsis diis nomen ineffabile tribuere, cum *Sap.14.* dicatur. *Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*, & passim videamus ab idolorum cultoribus, eisdem latriam, quæ soli vero Deo debetur, attribui. Sed dicimus ab ipsa Scriptura, vel ab Auctore eiusdem, vel ab scriptore sacro, qui Dei numine est afflatus, non attribui nomen Iehouah alicui creaturæ, sed soli Deo, & in hoc sensu videtur loqui *Orig.* à cuius sententia non discedam dum alius locus, qui magis vrgeat non afferatur. Imo, quod dicimus clarius innotescet, si aduertamus sacros interpretes, ex eo, quod Christus Dominus sæpe in Scriptura appelletur hoc nomine, Dominus, eius diuinitatem comprobare, vnde & *Tertull. in apolog. c.34.* Eleganter ait: *Augustus imperij formator, nec Dominum quidem, dici se volebat, quia nomen proprium est Dei*, addit deinde, *dicam quidem imperatorem Dominum, sed more communi.* Præmiserat autem c.33. *Non Deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia ipse se Deum volet dici, si homo sit. Satis habeat appellari imperator, grande & hoc nomen est, quod à Deo trahitur, negat illum imperatorem, qui Deum dicit: nisi homo sit, non est imperator. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublissimo curru admonetur: subgeritur enim ei à tergo: respice post te, hominem memento te.* Et Phil. Iud. valde laudat Tiberium Cæs. quia nolebat nominari hoc nomine Dei, vel Domini, & in hanc sententiam notauit *Suetonius in vita Augusti, c.53.* ipsum Augustum Cæs. quasi maledictũ, & opprobrium exhorruisse Domini appellationem, & Iudas Galilæus cuius meminit *Luc. Act. 5.* docebat discipulos suos neminem esse appellandum Dominum, ne Cæsarem quidem nisi solum Deum, & ob hanc doctrinam, magnam seditionem excitauit, & tumultum apud Iudæos; offendebat enim hoc dogma valdè magistratus Romanos, & præsertim Pontium Pilatum, vnde ob hanc causam ab eodem Pilato creditur interfectus Iudas Galil. Hoc etiam videre est apud *Iosephum, lib.7. de bello Iud. c.28. & 29. & lib.18. antiquit. c.1.* quibus in locis planè ostendit Iosephus, quantopere abominentur Iudæi eos, qui huiusmodi appellationem alicui homini tribuere ausi sunt, quod non aliunde factum est apud citatos Auctores, & homines, nisi quia diuina Scriptura hac appellatione solum Deum nominare consueuit.

In illis verbis, *quasi vir pugnator*, notanda est vox Hebræa, ix, cui aptè respondet Latina, vir, id est, homo, fortis & virtutis verè masculinæ, ideóque ponitur emphaticè, tum hoc in loco, vbi Deus describitur pugnator, tum Iob primo vbi dicitur: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & vir ille simplex, &c.* quia præponitur ibi

Marginalia: *Iud.17. num.3.* — *Exo.32. n.4. & 5.* — *Sap.14. num. 21.* — *Iob. num*

pugnaturus fortiter cum diabolo. Tum A etiam dicitur, *Hac vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* & Isaiæ 2. *Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerant digiti eorum, & incuruauit se homo, & humiliatus est vir.* Vbi etiam epithasim habet, id est, augmentum quasi dicatur non solum homo, sed etiam vir, qui non tam facilè flecti, & incuruari debebat; sic etiam 1. *Reg.* 4. dicitur. *Confortamini, & estote viri Philisthym: ne seruiatis Hebræis.* Vbi *estote viri*, idem est ac dicere, *estote fortes.* Et *Iob.* 38. *Accinge sicut vir lumbos tuos.* B vbi *Gregor.* 28. *moral. cap.* 4. Scriptura sacra viros vocare consueuit, qui nimirum vias Domini fortibus, & non dissolutis gressibus sequuntur, vnde per Psalmistam dicitur. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.* Et sapientia in prouerbiis dicit cap. 8. *O viri ad vos clamito*, ac si apertè diceret: ego non fœminis, sed viris loquor, quia hi, qui fluxa mente sunt, mea verba percipere nequaquam possunt. Sic ille.

(Genes. 2. num. 23. — Isaiæ 2. num. 8. — 1. Reg. 4. num. 9. — Iob. 38. num. 3.)

Et quoniam incidimus in hoc nomen, C Ix, ne aliquis fidem omnino habeat aliquibus recentioribus, qui hac in re falluntur, necessario hoc loco duxi aduertendum in sacra Scriptura non tria tantum nomina (vt voluit etiam *Pineda Iob.* 1. *num.* 1. *num.* 11.) reperiri, quæ hominem significent, sed quatuor, sic primum Adam, secundum Enos, tertium Ix, quartum Geber, quod plerique immerito omittunt. Primum est speciei, sicut & quartum. Secundum verò fragilitatem significat, tertium fortitudinem. Primum, licet non sit D proprium, per antonomasiã tamen tribuitur primo homini, sicut nomen commune Philosophus Aristoteli. Idem autem valet, atque ruber, siue argillosus ab argilla, seu rubeo limo, ex quo confictum est corpus eius, Adamaht námque Hebræis est terra, siue potius argilla à colore rufo, & Esau vocatur Edon, id est, rufus, quę omnia deriuantur à radice Adam. i. rubuit, vsitatum námque est Hebræis verba euentus aliquos significantia, hominibus natis imponere pro nominibus, E vt Isaac, id est, risir: & Iacob, id est, supplantauit secundum nomen Enos valet idem quod miser, desperatæque salutis, deducitur à radice Anas, id est, vehementer doluit, seu grauiter infirmatus est. Terrium nomen Ix, id est, vir, non solum à sexu, & virture, sed etiam à præstantia, & dominatione deducitur, vt peritiores volunt à verbo substantiuo Gex, quod significat existentiam, ita vt vir dicatur Ix, quasi ens, aut primo existens, videlicet ante fœminam. Quartum nomẽ, quod multi ignorant, Geber, reperitur multis in locis *Exod.* 10. *num.* 11. *Exod.* 12. *num.* 37. *Num.* 24. *n.* 3. *Deuter.* 22. *n.* 5. bis ponitur idem nomen. *Iob.* 3. *n.* 2. *Iob.* 14. *num.* 10.

(Gen. 25. num. 30. — Gen. 21. num. 3. — Gen. 25. num. 23.)

Aduertendum est autem duplicem Hebraïsmum, hęc verba continere Dominus, quasi vir pugnator. Primus est vir belli, vbi ponitur genitiuus substantiui pro nominatiuo adiectiuo, cùm enim Hebræi habeant pauca adiectiua coguntur ob inopiam adiectiuorum vti hac circuitione, quod noster interpres scite aduertens, Hebraïsmo relicto, dixit: *Vir pugnator.* Sicut *Psalm.* 2. *Constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Hebr. *Super Sion montem sanctitatis eius*, & *Psalm.* 1. *Beatus vir, qui non abijt.* Hebr. *Beatitudinis vir*, aliquando verò Hebr. hunc conseruat, vt *Psalm.* 77. *Montem sanctificationis suæ*, id est montem sanctum suum.

(Exod. 10. num. 11. — Exod. 12. num. 37. — Nu. 24. num. 3. — Deut. 22. num. 5. — Iob. 3. num. 2. — Iob. 14. num. 10. — Psal. 2. num. 6. — Psal. 1. num. 1. — Psal. 77. num. 54.)

Secundum Hebr. habes in nota illa similitudinis, *quasi vir pugnator*, quæ in Hebræo omittitur, sicut sæpe fieri consueuit, vt *Qui immolat bouem, qui interfecit virum, qui immolat pecus, &c.* vbi supplenda est bis particula similitudinis, tanquam, seu quasi, quod ibi fecit interpres, sicut etiam hoc in loco. Aliquando verò ponit modo dictam particulam, & statim omittit, vt *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteryt, & custodia in nocte*, id est, tanquam custodia, seu vigilia aliqua nocturna, quæ tres tantum horas durat, *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, id est, tanquam ea, quæ pro nihilo habentur. videndus hac de re *Tolet. in cap.* 7. *Ioann. titul. de Encænijs, & Ribera Oseæ* 7. *numer.* 6. *& Naum.* 3. *num.* 23.

(Isaiæ 66. num. 3. — Psal. 89. n. 4. & 5.)

Aduertit autem hoc in loco Oleaster ineffabile nomen Iehouah, non fuisse à Deo patribus indicatum, quoad vnam, quam præter alias habet, veram, & propriam significationem, significat quippe conterentem, ab honah, quod est contritio, etenim patres antiqui cognouerunt Deum beneficum, & sufficientem, non tamen virum belli, & pro suis prçliantem, isto námque munere primo functus est in transitu maris rubri, vnde & Ægyptij dicebant. *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Ideóque ex hoc loco infert Oleaster intelligentiam alterius loci, vbi dicitur, *Et nomen meum Adonai non indicaui eis*, quod Deus dixit,

(Exod. 14. num. 25. — Exod. 6. num. 3.)

A dixit, dum Moysi pollicetur per manum fortem, ac robustam liberaturum populum Israël, vt idem sit cognoscere Deum bellatorem, atque nomen Iehouah esse nomen eius. Non est tamen negandum prædictum nomen tam in Hebræa, quam Græca, & Latina translatione, & Dei maiestatem,& potentiam significare in Scriptura, nobisque eam significationem vocabulo Domini insinuari, sicut aduertit Antonius Afonseca in annotationibus ad ad Caietan.hoc in loco.

B Illud autem aduertendum est in nominibus diuinis, quæ in Scriptura reperiuntur, quod licet vna, & eadem res simplicissima illis omnibus significetur, tamen Scriptura semper vtitur illo, quod est ad rem de qua agit, accommodatius, vt præsens locus, ostendit. Aduertendum deinde est nomẽ in actu signato, siue hanc vocem, nomen, sæpe poni in sacra Scriptura ad significandam potentiam,& virtutem illius cuius est nomen, vt *Isai* 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, grauis furor eius, &c.* Et *Psalm.*43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu,& in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Et *Ioann.*17. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos: Cùm essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo*, id est, fortitudine, & potentia, quam mihi dedisti. Vnde hoc in loco, *Omnipotens nomen eius*, significat. Omnipotens ille est.

*Isai.*30. *num.*27.
Psal. 43. *num.*6.
Ioan. 17. *num.*1.

C Clarius hoc constabit si aduertas esse morem Scripturæ, & vsitatissimam phrasim Hebræam vsurpare nomen pro re significata tali nomine, obuiaque sunt huius rei exempla, hæc pro nunc sufficiant, *Act.*1. *Erat turba hominum simul ferè centum viginti*, Græcè vero habetur nominum, neque enim credendum est, quod aliqui dicunt interpretem vertisse prius nominum, alium verò audaculum reposuisse hominum, omnes enim codices Latini (paucis exceptis) & biblia iussu Xisti V. emendata, & Patres ita legunt. Et ita Latinus interpres aduertens Hebraismum multis esse ignotum, perspicuitatis causa, ad sensum potius, quam ad verba, vt solet, transtulit, Et *Deut.*18. dicitur. *Ipsum elegit Dominus Deus tuus, vt stet, & ministret nomini Domini*, id est, ipsi Deo, & *Psalm.*5. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*, id est, ipsum. Et *Iere.*44. *Ecce ego iuraui in nomine meo*, id est, per me ipsum, Et *Apoc.*3. *Habes pauca nomina in Sardis, qui nõ coinquinauerũt vestimẽta sua* Vbi aduerte propterea non seruati latinitatem dicendo, quæ, sed qui, quia nomina significant homines, qui non coinquinauerunt vestimenta, &c. Apoc.11. *Occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia*: quin etiam hanc loquendi phrasim vsurparunt etiam prophani Auctores Tibull. in eleg. *Nec fidum fœmina, nomen*, & Horatius, *Pater ô relictum filia nomen.* videndus hac de re *D. Chrysostom. homilia* 41. *in* 1. *ad Corinth.* vbi aduertit verbũ nominandi pro verbo essendi satis vsitatum esse in Scriptura, quo sensu dictum est *Ezech. cap.*8. *Vocaberis Hierusalem ciuitas veritatis*, id est, eris ciuitas veritatis, nusquam enim legimus, Hierusalem veritatis ciuitatem esse appellatã. Sic similiter *Isai.*7. & refertur à *Matth. cap.*1. vbi agitur de Christo Domino. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, idest: erit nobiscum Deus, nec enim vnquam Christus Dominus, Emmanuel, nominatus est: quem Hebraïsmum rectè ostendit *Ioan. Euang.* cum dixit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus*, vbi in text. Gręco non habetur simus, sed tantummodo, *vt filij Dei vocemur*, vt ibi annotarunt grauiores interpretes, vulgatus tamen voluit explicare Hebraïsmum, quo vsus est. *Ioan.* cum dixit: *Vt filij Dei nominemur*, addendo, *& simus*, neque enim *Ioan.* voluit nos solummodo vocandos esse filios Dei, sed potius verè esse filios Dei adoptiuos, dixit tamen vocemur, secundum vsitatum modum sacri text. iuxta quem idem est vocari, ac esse.

*Act.*1. *n.*1.15.
*Deut.*18. *num.*5.
*Psalm.*5. *num.* 12.
*Iere.*44. *num.* 26.
*Apoc.*3. *num.*4.
*Apoc.*11. *num.*3.
Ezech. *num.*3.
*Isai.*7. *num.* 1
Matth. *num.* 2
1. *Ioan.* *num.*1.

D Ex his igitur constat nomen vsurpari, pro re nominata, vt sit sensus horum verborum. *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius.* Dominus est pugnator, omnipotens vtique, & reuera talem se exhibuit, quandoquidem currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.

E Illud autem hoc in loco pro illius complemento censuimus annotandum, quod licet aliquando nomen aliquod videatur poni in actu exercito alicui rei, id fit non tam vt illo appelletur nomine, quam quia reuera conuenit ei, id, quod tali nomine significatur, vt, *Et vocabitur nomẽ eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, & princeps pacis.* Et c.8. *Voca nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari*; etenim Christus Dominus non habuit hæc omnia nomina, omnia tamẽ quæ illis significãtur habuit: vnde si quis eum aliquo istorũ nominum vellet

*Isai.*9. *num.*6
Isai. 8 *num.*3

vellet appellare, rectè posset id facere, A quare, & si in nostro tex. omnipotens nomen eius, vox, *nomen*, non sumatur pro persona, aut potentia, sed proptie, pro personæ nomine significabit huius nominis significatum nempe, omnipotens, conuenire Deo neque aberraturus à vero, quisquis eo nomine Deum appellauerit, quod quidem testimonium, vt deessent alia satis foret ad omnipotentiam diui-
Sap. 5. n. 22. nam ostendendam de fide, vnde *Sap. 5. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium extermin*abuntur *& ad certũ locum insilient, &* B *à petrosa ira plene mittentur grandines*; huius igitur bellatoris, scilicet Dei, arma sunt nubes, fragores, fulgura, procellæ, milites, Angeli, tonitrua, sonitu horribili, velut militari tympano, aut tuba insonante arma expedit, & milites vocat, medius ipse conspicitur quasi videatur pugnaror, seu vit prælij, ex altera parte suis amabilis, Ægypriis vero ex altera formidabilis,
Exod. 14. num. 20. ait enim facer text. *Exod. 14. Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israël, &* C *errat nubes tenebrosa, & illuminans.* Nam ab ea parte qua insequebantur Ægyptij Istaëlem, gloria Domini Pharaonis castra longo tenebrarum ductu, & horribili caligine circumfudit & occupauit, ita vt possemus dicere illud 2. Æneid. *Horror vbique animos, & plurima mortis imago*, cum igitur vniuersus exercitus Ægyptiorum insecutus Israëlitas mare introgressus esset, refunditur iterum mare, ait Ioseph. Ægyptios fluctibus inuoluit, ventis etiam idem impellentibus. accesserunt, & imbres D de cælo, & aspera tonitrua, fulgutibus simul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur, nullúmque omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus, ad perniciem emitti solent; sic *Ioseph. lib. 2. de antiquit. ad fin.* cui addendus *Philo lib. 3. de vita Moysis*, vbi post enarratam stragem, ait. Postremo tempestas procellosa, quæ in littus aduersum eiecit eiectorum cumulos, quo magis seruari Hebræi salutem suam agnoscerent, non solum euadendo pericula eorum spectando hostes E deletos, ope diuina, sine humanis viribus, en prælium, en victoria Dei bellatoris, vix alia humanis oculis conspecta; omnipotens proinde ob singulare factum declaratus, nisi enim vis diuina adsit, naturæ virtutem supergressa ad nutumque suum, & obsequium trahat elemẽta, nihil
Psal. 90. num. 1. simile fieri poterat, vnde merito Dauid *Psalm. 90. Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cæli commorabitur, dicet Domino: Susceptor meus es tu, &c.*

Currus Pharaonis, quia crebra curruum mentio fit, & vt sciamus quinam fuerint hi currus Pharaonis, quos Deus deiecit in mare, aduertendum est ex *Æliano lib. de militar. ca. 22.* duplices fuisse currus ad debellandum, quosdam simplices, de quibus sæpius in Homer. & quosdam falcatos, quorum apud *Curtium lib. 4. & apud Liuium lib. decad. 4.* reperies descriptionem, iique fere quadrigas fuisse significant, cum tamen essent, & bigæ vt apud *Iord. lib. de reb. Geticu p. 457.* vbi more vulgari essedas vocari narrat; hos ergo currus Pharaonis vtriusque generis fuisse putandum est, cum aliud non constet certo ex Scriptura.

Neque vero excipiunt hæc verba Pharaonem à suorum cæde, & communi omnium strage, vt Manethon apud *Iosephum lib. 1. contra Apionem* putat, dicendo: post expulsionem Hebræorum ex Ægypto Regem, qui eos expulit, regnasse annis 25. & mensibus 4. hoc tamen falsum esse probatur in primis *Exod. 14.* vbi de Pharaone Exod. 14. num. 5. dicitur. *Indurabo cor eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & omni exercitu eius* quæ verba aperte indicant Regem simul cum suis submersum periisse, & statim dicitur de Pharaone *Iunxit ergo currum, & omnem populum suum* Exod. 14. *assumpsit secum*: deinde eodem cap. n. 28. num. 28. *Aqua operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi sunt mare, neque vnus quidem superfuit ex* Exod. 15. *eis.* Et in hoc *Cant. 15. Ingressus est eques* num. 19. *Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris.* Cùm ergo Parao Israëlitas fuerit insecurus, ex dictis, & à Deo gestis aperte constat, cum cæteris periisse, quod etiam Ps. 135. ostendunt verba illa *Psalm. 135. Excussit* num. 15. *Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro.* Neque de iustitia diuina præsumi rectè potest, quod impunè reliquerit eum, qui Princeps & auctor fuerat præcedentium malorum populi Hebræi, & præsentis persecutionis eiusdem, & ideo *Euseb. in chronicis* asserit eum Regem, de quo Manethon fuisse Chenehren. Lysimachus vero eum Regem vocat Bocchorim, quo nomine etiam appellat Cornelius Tacit.

Proiecit in mare, &c. Iara enim, quod *D. Hieron.* vertit proiecit, significat proiicere, & iaculari, vnde aliqui scire transtulerunt, eiaculatus, quasi tanta facilitate

tate deiecerit in mare exercitum Pharaonis, quanta quis arcu sagittas emittit. Sic Vatabl.

Electi Principes eius. Secundum phrasim linguæ Hebrææ frequēter vsurpatam in Sacra scriptura, vocantur electa in qualibet re, quæ in eo genere pretiosa sunt, & præcipua, proindeque merito omnibus aliis eius generis præferenda, & hoc in loco dicuntur electi, sicut cum Moyses

Exod. 17. *num.* 9. dixit Iosue. *Elige viros, & egressus pugna contra Amalech.* Et Exod. 18. *Electis viris*

Exod. 18. *num.* 25. *strenuis de Israël constituit eos Principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos,* & in eodem sen-

Exod. 14. *num.* 7. su, de his de quibus in præsenti dicitur superiori cap. *Tulit sexcentos currus elec-*

Osea. 11. *num.* 6. *ctos,* & apud *Oseam cap.* 11. *Gladius consumet electos eius,* Hieronym. vertit. *Principes, siue robur exercitus,* quos Symmachus vocauit brachia.

Submersi sunt, &c. Quasi grauissimo pondere degrauati infixi sunt in mari rubro, nam quod *Hieronym* dixit, *submersi sunt*, si attentè expendatur vox Hebræa, est quodammodo defixum descendere, vt in lutum, in limum, in quo demersa corpora supernatare non possunt; vt dictum

Psal. 68. *num.* 3. est. *Infixus sum in limo profundi*, sic autem infixos in limo profundi, reuersæ, & coadunatæ aquæ operuerunt.

In mari rubro. Mare rubrum sinus est, Arabicus, siue Ægyptius, aut Oceanus inter Æthiopicum mare, & Indicum, quo Arabia fælix à meridiano latere includitur, sicut Persico sinu ab oriente. *Antonius à Fonseca in suis annotat. ad Caiet.* ait: Forsan dici rubrum, quod in sanguinem versum fuerit, cum inter cæteras plagas Ægypti aquæ colorem sanguinem imbiberunt. Ob rubentes arenas, sic appellatum placet *Plin. lib.* 32. *cap.* 2. vel vt mavult *Vrianus* scriptor Punicus apud Stephanum, aut propter aquam, quæ iuxta montes, & promonroria rubra per Solis reflexionem rubescit, quomodo mare Ægeum hodie à Turcis album nominatur, & Euxinum nigrum: vel tandem ab Erythra Persei filio ibi submerso, vt scribit *Strabo lib.* 16. *& Arrianus lib.* 8. *gest. Alexandri.* Et certè *Tertul. lib. cont. Iud. cap.* 3. appellat Erithræum pelagus, siue mare, necnon, & *Plin. lib.* 6. *c.* 23. Qui meminit de omnibus allatis vocabuli notionibus, aliosque credere talem ipsius aquæ naturam esse asserit. At vero *Curtius lib.* 8. affirmat hoc mare ne colore quidem abhorrere à cæteris, eique nomen indi-

A tum ab Erithro Rege, propter quod ignari rubere aquas credant. *Ioan. Brodæus.* 3. *Miscellanea. cap.* 3. testis est peritos marium testari, quod prodit Curtius, qua de re videnda est sententia *Dion. Alex.* patria Ægyptij apud *Niceph. lib.* 6. *hist. cap.* 19.

Pro maiori igitur claritudine dicamus, quomodo dicti maris aqua rubra videatur, mox causam aperiemus ex nostris Lusitanis, qui oras illas accuratè peruestigarunt, ac propriis oculis inspexerunt. Aduertendum proinde est non vbique ru-

B bram illam aquam apparere, sed quibusdam in locis, neque semper in eisdem, verum modo hic, modo illic magnas quasdam rubri coloris maculas conspici, alias quidem longiores, alias magis latas, ac diuersarum figurarum, tanquā si grandia quædam sanguinis vasa ibi sparsim fusa fuissent; vnde noster *Liuius Ioann. de Barros,* qui de Regum Lusitaniæ rebus in India gestis duas librorum decades scripsit *decad.* 2. *l.* 8. *c.* 1. refert de Alphonso d'Albuquerque primario Lusitani Regis clas-

C sium in India duce, & illarum regionum Gubernatore, quod cum ostia dicti maris ingressus esset, vidit in eo rubētem quandam maculam, non admodum latam, sed quantum ipsa oculorum acies pertingere poterat in longum protensam: & addit, quod cū eius naues intus valde progressæ essent, plurimæ eiusdem coloris maculæ latiores, multoque breniores sparsim, vndique videbantur: & nihilominus de dictis maculis aqua in vasis hausta, nequaquam rubra, sed limpidissima erat: quo experi-

D mento manifeste conuincitur error quorundā, qui dictas maculas ex balænarum sanguine in ipsarum partibus effuso fieri credebant, quamobrem nostri admirati, causamque rei diligenter perquirētes, postea tum ab illarum regionū incolis, tum etiam proprio experimento didicerunt, fundum illius maris naturaliter ferre magnam vim, cuiusdam plantæ, seu fruticis rubri, ramos proferentis solidos, ac graues instar coralij, ita vt etiam à solo euulsi, in aquis supernatare nequeant: qui

E maxima inundantiū aquarum vi, eradicari, seu à stipite abrūpi sæpe solent, ac præcipue prope ostia dicti maris, vbi fluxus, atque refluxus aquarum ingrediētium, & egredientium maiori fertur impetu, quo fit, vt eorundem virgultorum rubra stramenta, per quosdam aggeres in ipso maris fundo congerantur, qui deinde, vt latior sinus est à variis inundationibus dissipati, & huc atque illuc aceruatim tran-

P flati,

flati, ex coloris dictorum aceruorum reflexione reddunt mare illud vt variis dictum est, rubentibúsque maculis respersum, præsertim vbi vnda minus alta est. Et inde iste potissimum sinus, & illa item Oceani pars, quæ ab eiusdem sinus angustiis, ad sinum vsque Persicum extenditur, maris rubri nomen accepit.

Dicitur vero tum hoc loco, tum alibi hoc mare Hebraicè Suph, quod nomen ex tradit. Heb. quam probat *Masius Iosue* 7. *& Ribera Ioan.* 2. *n.* 11. significat iuncum marinum, cui expositioni non dissentit *D. Hieronym. Epist.* 127. *ad Fabiol.* vnde mare Suph idem est ac carectosum, vel iuncosum. Quod si nobis obiicias *Ion. in c.* 2. vbi in Hebræo est eadem vox, pro qua vulgatus transtulit pelagus. Possemus imprimis recurrere ad æquiuocationem illius vocis significantis etiam pelagus, & iuncum marinum, qua de re videndus *Pined. lib.* 4. *de reb. Salomon. c.* 13. Deinde dicimus mare rubrum dici carectosum peculiariter, quia magna copia carectorum ibi reperitur, quod fortassis in aliis locis non tam facile repetitur. Itaque propterea interpretes Latinus vbicúnque mare istud in Scriptura nominatur, appellat rubrum, eo quod ita, vel semper, vel vt plurimum, ab omnibus Latinis scriptoribus appellatū, vsurpatúmque fuerit, vt scilicet, Latina translatio Latinis auribus apertior, & probabilior appareret, vel forte quia planta illa rubra vnde denominatum diximus mare rubrum, dicebatur Suph, quo posito cessant quæcunque dubia, quæ hac in re ab scrupulosis passim oriuntur.

Ion. 2. *num.* 6.

Abyssi operuerunt eos. Abyssus diffinitur à *Basilio homil.* 2. *in exhameron.* copiosa aqua, ad cuius fundum non facile penetrari potest deorsum versus. *A Damasc. lib.* 2. *fidei c.* 4. diffinitur aqua plurima, cuius finis incomprehensibilis est hominibus. Ab *Aug. l.* 22. *cont. Faustum Manich. c.* 11. *tom.* 6. aquarum inæstimabilis profunditas, quam diffinitionem repetit in *Ps.* 148. *tom.* 8. & sæpe alibi. Omnes autem diffinitiones in idem fere recidunt: ponitúrq; in omnibus aqua, non tanquam aliquid essentiale, sed tanquam præcipuum connotatum diffiniti, vt in aliquibus etiā suis diffinitionibus facere solet Aristot. verbi gratia, in diffinitione nominis, verbi, & aliis, abyssus namque Græcum nomen de formali solum dicit voraginem aliquam ingentem, siue profunditatē fundo carentem: nam Græcè Bythos, non Byssos inter alia etiam significat fundum, ad-

A dita vero, A, particula priuatiua, valet absque fundo. Aliis placet, vt Byssus, siue abyssus absque compositione ista significet profunditatem, & cum hoc solū significet de formali, connotat quæcunque rem tali profunditate præditam, præsertim vero aquam, quia in ea est prædicta profunditas magis conspicua, & apparēs, cognituque facilior, id quod totum diserte docet *August. super Ps.* 41. sic scribens: *Abyssus est profunditas quædam impenetrabilis, & incomprehensibilis, & maximè solet*
B *dici in aquarum multitudine, vbi enim altitudo, ibi profunditas, qua penetrari vsque ad fundum non possit.* Hæc Augustinus, & propterea acceptio abyssi pro mari est frequentissima *Prouerb.* 8. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos.* id est maria, vt more suo Scriptura mox declarat subdens: *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne trāsirent fines suos:* cui similis est illa Dei locutio apud *Ierem.* 5. *Posui arenam terminum maris, præceptum sempiternum quod*
C *non præteribit,* neq; etiam est dissimilis illa apud *Iob.* 38. *Circumdedi mare terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi vsq; huc venies, & non procedes amplius.* Est autem ista lex siue dictum, & præceptum Dei siue maris, vectes, & ostia. Quia vero die creationis tertia in vnam terræ fossā tunc primum factam Deus cōpegit aquas sub firmamento existentes, quę etiam admodum sunt profundæ. Idcirco dicitur: *Congregans sicut in vtre* (id est sicut in
D *vase aliquo*) *aquas maris: ponens in thesauris abyssos:* quas antea dixerat aquas maris postea dicit abyssos, vt earum, scilicet, magnam profunditatem ostenderet, illam etiam terræ fossam, quā coercetur mare, quam prius appellarat vtrem, aut vtri similē, paulo post appellat thesauros, accepto thesauri nomine, vt interdum fit etiam apud profanos pro secretis cellulis, & occultis receptaculis, in quę abduntur opes, vnde thesauri hîc significare possunt non totum maris alueum, longè, latéque diffusum, & multiplici appella-
E tione diuisum: vel etiam specus subterraneos ab Auctore naturæ, & Deo tertia mūdi die, in interna terrę viscera excauatos, & dulcib. aquis oppletos: partim quidam fluentibus (& hi sunt fluuij sub terra labentes, alij in extimam terræ superficiē erumpentes) partim vero non fluentibus, & hi sunt lacus, ac paludes innumeræ, telluris visceribus reconditæ, vt latius tractat *Curs. Conim. in meth. Aristot. tract.* 9. *cap.*

Prouerb. 8. *n.* 27.

Ierem. 5. *num.* 22.

Iob 38. *num.* 10.

Psal 32. *num.* 7.

cap. 4. consentientibus ex parte, *Philone Iudæo in lib. de mundi opificio, & Plinio lib.* 2. *cap.* 65. atque hæ etiam aquæ terræ antris occultatæ, propter profunditatem sui, & loci, merito dici possunt abyssus:
Psal. 32. num. 7. tum in prędicto *Psalm.* 32. tum *in cap. Genes.* 8. ibi *Rupti sunt omnes fontes abyssi*
Genes. 7. num. 11. *magnæ*, hoc est abyssorum magnarum, quę terræ cauitatibus delitescunt, posito per synechdochem singulari numero pro plurali: alij sine hac synechdoche abyssum magnam exponunt, de mari, in quo cum aliquot fluuij, fontesque semper erũpant, B diluuij tempore, & plures, & vberius eru-
Ezec. 31. num. 4. perũt. Subobscurior est illo locus *Ezech.* 31. *Aqua multa nutrierunt illum, abyssus eleuauit eum.* Sed intelligitur iuxta *Hier.* commentarium super eum locum de Rege Assyriorum, quem ibi Vates describit ad literam sub metaphora celsæ cuiusdã cedri, quam non aquula aliqua, sed aquæ multæ, non riuus aliquis, sed abyssus profundus, & immensus aquarum gurges irrigauerit, aluerit, & ad celsitudinem eduxerit superbam, atque mirandam. Intelligit autem nomine aquarum multarum, & C abyssi, vim maximam diuitiarum, & affluentiam bonorum temporalium, quæ scilicet, possessores suos ad insolentiam, tumorem, & aliorum despicientiam plerunque efferunt, iuxta illud *August. serm.* 5. *de verb. Domini tom.* 10. *Nibil quod sic generent diuitia, quomodo superbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentũ, omne lignum habet vermem suum, & alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici, vermis diuitiarum superbia. Vnde &* D
1. Tim 6. num. 17. *Paulus* 1. *ad Timoth.* 6. *monet diuites huius sæculi non sublime sapere.* Idẽ repetit *Aug. eodem tom. lib.* 50. *homil. homilia* 14. his verbis. *Vermis diuitiarum superbia est, difficile est, vt nõ sit superbus, qui diues est*, hæc
Luc. 6. num. 24. ille. Merito igitur vel ob hoc ipsum diuites deflentur à Christo Domino. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Apud Ezech. etiam locum citatum diuitiæ dicuntur aquæ propter instabilitatem, & inconstantiam earum, quod vitium Paulus quoque in diuitiis subnotat E citato loco dicens: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum*, id est, in incertis diuitiis, quæ verba ponderans *Aug. serm.* 4. *de verb. Domini* ait: *Quam multi heri diuites, hodie pauperes! quam multi dormiunt diuites, & venientibus latronibus, & cuncta auferentibus euigilant pauperes.*

Aliquanto obscurior est locus ille *Eccl.*

A 24. *A mari abundauit cogitatio eius* (nempe sapientiæ diuinæ) *& consilium eius abyssus magna*; quem locũ tractans Ioan. Eccl. num. *Fernandez in suo thesauro* verbo, Abyssus, ait se omissis interim expositionibus mysticis, existimare locum intelligi de cogitatione Dei practica in primordio mundi, quando ad illius ornatum creaturas varias perducere disposuit: sæpè enim tunc à mari abysso magna, hoc est ab illa immensa aquarum mole, quam in vnum locum coëgit, vt germinaret terra herbas, & plantas tertia die, sexta vero die animalia, quinta die pisces, & aues: sic etiam in spirituali Ecclesiæ mundo cogitatio filij Dei cœpit ab aqua, id est, baptismo fecundum illud *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus* Ioan. 3. *fuerit ex aqua, & Spiritu sancto* (sicut num. 5. etiam initio mundi Spiritus Domini ferebatur super aquas) & *Matth. vlt. Docete* Mat. vlt. *omnes gentes baptizantes eos, &c.* Ex quo num. mari prodeunt Ecclesiam varij gradus fidelium, ornantes illam, Coniugatorum, Viduarum, Virginum, item Doctorum, Confessorum, Martyrum, quasi variæ olim creaturæ de aqua. hactenus ille. Vera, quidem doctrina, sed prædictum locum literaliter non exponens, vt ille Auctor putat primo, quia ea interpretatio minime respondet proposito loci, in quo nulla de re minus, quam de mundi opificio, aut ornatu agitur, quemadmodum facile patebit antecedentia, & consequentia legenti, vt manifeste indicant illa verba proximè præcedentia: *Infirmior non inuestigabit eam.* Secundo, quia prædicta interpretatio facit tex. eclypticum, siue defectuosum, absque necessitate vlla dum pro suo libito supplet verbum, cœpit, & ornatum mundi.

Perplacet igitur expositio Iansenij ibi, nec aliquid foris supplens, nec loquens nisi valde ad rem, & propositum antecedentium: postquam enim dictum est, *Infirmior non inuestigabit eam*, eius rei veluti causa subiungitur, altitudo, & profunditas diuinæ sapientiæ, tam magnam, vt vel ipsius maris, & abyssi profunditatem superet, ideo dicitur, *A mari abundauit cogitatio eius, & consilium eius ab abysso multa.* Hoc est abundauit præ mari, & præ abysso multa, id est, plusquam mare, & plusquam abyssus, intelligendo rursus, per abyssum mare per repetitionem, vel potius sine repetitione, aquam in terræ cauitatibus occultatam. Quamuis autem illa locutio, abundauit à mari, id est, præ mari vel plusquam mare, sit insolens Latinis, &

flati, ex coloris dictorum acerorum reflexione reddunt mare illud vt variis dictum est, rubentibúsque maculis resperſum, præſertim vbi vnda minus alta eſt. Et inde iſte potiſſimum ſinus, & illa item Oceani pars, quæ ab eiuſdem ſinus anguſtiis, ad ſinum vſque Perſicum extenditur, maris rubri nomen accepit.

Dicitur vero tum hoc loco, tum alibi hoc mare Hebraicè Suph, quod nomen ex tradit. Heb. quam probat *Maſius Ioſue 7. & Ribera Ioan. 2. n. 11.* ſignificat iuncum marinum, cui expoſitioni non diſſentit *D. Hieronym. Epiſt. 127. ad Fabiol.* vnde mare Suph idem eſt ac carectoſum, vel iuncoſum. Quod ſi nobis obiicias *Ion. in c. 2.* vbi in Hebræo eſt eadem vox, pro qua vulgatus tranſtulit pelagus. Poſſemus imprimis recurrere ad æquiuocationem illius vocis ſignificantis etiam pelagus, & iuncum marinum, qua de re videndus *Pined. lib. 4. de reb. Salomon. c. 13.* Deinde dicimus mare rubrum dici carectoſum peculiariter, quia magna copia carectorum ibi reperitur, quod fortaſſis in aliis locis non tam facile reperitur. Itaque propterea interpres Latinus vbicúque mare iſtud in Scriptura nominatur, appellat rubrum, eo quod ita, vel ſemper, vel vt plurimum, ab omnibus Latinis ſcriptoribus appellatũ, vſurpatúmque fuerit, vt ſcilicet, Latina tranſlatio Latinis auribus apertior, & probabilior appareret, vel forte quia planta illa rubra vnde denominatum diximus mare rubrum, dicebatur Suph, quo poſito ceſſant quæcunque dubia, quæ hac in re ab ſcrupuloſis paſſim otiuntur.

Ion. 2. num. 6.

Abyſſi operuerunt eos. Abyſſus diffinitur à *Baſilio homil. 2. in exhameron.* copioſa aqua, ad cuius fundum non facile penetrari poteſt deorſum verſus. *A Damaſc. lib. 2. fidei c. 4.* diffinitur aqua plurima, cuius finis incomprehenſibilis eſt hominibus. Ab *Aug. l. 22. cont. Fauſtum Manich. c. 11. tom. 6.* aquarum inæſtimabilis profunditas, quam diffinitionem repetit in *Pſ. 148. tom. 8.* & ſæpe alibi. Omnes autem diffinitiones in idem fere recidunt: poniturq; in omnibus aqua, non tanquam aliquid eſſentiale, ſed tanquam præcipuum connotatum diffiniti, vt in aliquibus etiã ſuis diffinitionibus facere ſolet Ariſtot. verbi gratia, in diffinitione nominis, verbi, & aliis, abyſſus namque Græcum nomen de formali ſolum dicit voraginem aliquam ingentem, ſiue profunditatẽ fundo carentem: nam Græcè Bythos, non Byſſos inter alia etiam ſignificat fundum, ad-

A dita vero, A, particula priuatiua, valet abſque fundo. Aliis placet, vt Byſſus, ſiue abyſſus abſque compoſitione iſta ſignificet profunditatem, & cum hoc ſolũ ſignificet de formali, connotat quamcunque rem tali profunditate præditam, præſertim vero aquam, quia in ea eſt prædicta profunditas magis conſpicua, & apparẽs, cognituque facilior, id quod totum diſertè docet *Auguſt. ſuper Pſ. 41.* ſic ſcribens: *Abyſſus eſt profunditas quædam impenetrabilis, & incomprehenſibilis, & maximè ſolet*
B *dici in aquarum multitudine, vbi enim altitudo, ibi profunditas, quã penetrari vſque ad fundum non poſſit.* Hæc Auguſtinus, & propterea acceptio abyſſi pro mari eſt frequentiſſima *Prouerb. 8. Quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos,* id eſt maria, vt more ſuo Scriptura mox declarat ſubden. : *Quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne trãſirent fines ſuos:* cui ſimilis eſt illa Dei locutio apud *Ierem. 5. Poſui arenam terminum maris, præceptum ſempiternum quod*
C *non præteribit,* neq; etiam eſt diſſimilis illa apud *Iob 38. Circumdedi mare terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi vſq; huc venies, & non procedes amplius.* Eſt autem iſta lex ſiue dictum, & præceptum Dei ſiue maris, vectes, & oſtia. Quia vero die creationis tertia in vnam terræ foſsã tunc primum factam Deus cõpegit aquas ſub firmamento exiſtentes, quę etiam admodum ſunt profundæ. Idcirco dicitur: *Congregans ſicut in vtre* (id eſt ſicut in vaſe aliquo) *aquas maris : ponens in the-*
D *ſauris abyſſos:* quas antea dixerat aquas maris poſtea dicit abyſſos, vt earum, ſcilicet, magnam profunditatem oſtenderet, illam etiam terræ foſſam, quã coërcetur mare, quam prius appellarat vtrem, aut vtri ſimilẽ, paulo poſt appellat theſauros, accepto theſauri nomine, vt interdum fit etiam apud profanos pro ſecretis cellulis, & occultis receptaculis, in quę abduntur opes, vnde theſauri hîc ſignificare poſſunt non totum maris alueum, longè, latéque diffuſum, & multiplici appella-
E tione diuiſum: vel etiam ſpecus ſubterraneos ab Auctore naturæ, & Deo tertia mũdi die, in interna terrę viſcera excauatos, & dulcib. aquis oppletos: partim quidam fluentibus (& hi ſunt fluuij ſub terra labentes, alij in extimam terræ ſuperficiẽ erumpentes) partim vero non fluentibus, & hi ſunt lacus, ac paludes innumeræ, telluris viſceribus reconditæ, vt latius tractat *Curſ. Conim. in meth. Ariſtot. tract. 9. cap.*

Prouerb. 8. n. 27.

Ierem. 5. num. 22. Iob 38. num. 10.

Pſal 32. num. 7.

cap. 4. consentientibus ex parte, *Philone Iudæo in lib. de mundi opificio, & Plinio lib. 2. cap.* 65. atque hæ etiam aquæ terræ antris occultatæ, propter profunditatem sui, & loci, merito dici possunt abyssus: tum in prædicto *Psalm.* 32. tum in *cap. Genes.* 8. ibi *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*, hoc est abyssorum magnarum, quæ terræ cauitatibus delitescunt, posito per synechdochem singulari numero pro plurali: alij sine hac synechdoche abyssum magnam exponunt, de mari, ex quo cum aliquot fluuij, fontesque semper erūpant, diluuij tempore, & plures, & vberius erupērūt. Subobscurior est illo locus *Ezech.* 31. *Aquæ multæ nutrierunt illum, abyssus eleuauit eum.* Sed intelligitur iuxta *Hier.* commentarium super eum locum de Rege Assyriorum, quem ibi Vates describit ad litetam sub metaphota celsæ cuiusdā cedri, quam non aquula aliqua, sed aquæ multæ, non riuus aliquis, sed abyssus profundus, & immensus aquarum gurges irrigauerit, aluetit, & ad celsitudinem eduxerit superbam, atque mirandam. Intelligit autem nomine aquarum multarum, & abyssi, vim maximam diuitiarum, & affluentiam bonorum temporalium, quæ scilicet, possessores suos ad insolentiam, tumorem, & aliorum despicientiam plerunque efferunt, iuxta illud *August. serm.* 5. *de verb. Domini tom.* 10. *Nihil quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentū, omne lignum habet vermem suum, & alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici, vermis diuitiarum superbia. Vnde &* *Paulus* 1. *ad Timoth.* 6. *monet diuites huius sæculi non sublime sapere.* Idē repetit *Aug. eodem tom. lib.* 50. *homil. homilia* 14. his verbis. *Vermis diuitiarum superbia est, difficile est, vt nō sit superbus, qui diues est*, hæc ille. Metito igitur vel ob hoc ipsum diuites deflentur à Christo Domino. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Apud Ezech. etiam locum citatum diuitiæ dicuntur aquæ propter instabilitatem, & inconstantiam earum, quod vitium Paulus quoque in diuitiis subnotat citato loco dicens: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum*, id est, in incertis diuitiis, quæ verba ponderans *Aug. serm.* 4. *de verb. Domini* ait: *Quam multi heri diuites, hodie pauperes! quam multi dormiunt diuites, & venientibus latronibus, & cuncta auferentibus euigilant pauperes.*

Psal. 32.
Genes. 7. num. 11.
Ezec. 31. num. 4.
1. Tim. 6. num. 17.
Luc. 6. num. 24.

Aliquanto obscurior est locus ille *Eccl.* 24. *A mari abundauit cogitatio eius* (nempe sapientiæ diuinæ) *& consilium eius abyssus magna*; quem locū tractans Ioan. *Fernandez in suo thesauro* verbo, Abyssus, ait se omissis interim expositionibus mysticis, existimare locum intelligi de cogitatione Dei practica in primordio mundi, quando ad illius ornatum creaturas varias perducere disposuit: sæpè enim tunc à mari abysso magna, hoc est ab illa immensa aquarum mole, quam in vnum locum coëgit, vt germinaret terra herbas, & plantas tertia die, sexta vero die animalia, quinta die pisces, & aues: sic etiam in spirituali Ecclesiæ mundo cogitatio filij Dei cœpit ab aqua, id est, baptismo secundum illud *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto* (sicut etiam initio mundi Spiritus Domini ferebatur super aquas) & *Matth. vlt. Docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Ex quo mari prodeunt Ecclesiam varij gradus fidelium, otnantes illam, Coniugatorum, Viduarum, Virginum, item Doctorum, Confessorum, Martyrum, quasi variç olim creaturæ de aqua. hactenus ille. Vera, quidem doctrina, sed prædictum locum literaliter non exponens, vt ille Auctor putat primo, quia ea interpretatio minime respondet proposito loci, in quo nulla de re minus, quam de mundi opificio, aut ornatu agitur, quemadmodum facile patebit antecedentia, & consequentia legenti, vt manifeste indicant illa verba proximè præcedentia: *Infirmior non inuestigabit eam.* Secundo, quia prædicta interpretatio facit tex. ecclypticum, siue defectuosum, absque necessitate vlla dum pro suo libito supplet verbum, cœpit, & ornatum mundi.

A, B, C, D (section letters)

Eccl. num.
Ioan. 3 num. 5
Mat. ... num.

Perplacet igitur expositio Iansenij ibi, nec aliquid foris supplens, nec loqnens nisi valde ad rem, & propositum antecedentium: postquam enim dictum est, *Infirmior non inuestigabit eam*, eius tei veluti causa subiungitur, altitudo, & profunditas diuinæ sapientiæ, tam magnam, vt vel ipsius maris, & abyssi profunditatem superet, ideo dicitur, *A mari abundauit cogitatio eius, & consilium eius ab abysso multa.* Hoc est abundauit præ mari, & præ abyssu multa, id est, plusquam mare, & plusquam abyssus, intelligendo rursus, per abyssum mare per repetitionem, vel potius sine repetitione, aquam in terræ cauitatibus occultatam. Quamuis autem illa locutio, abundauit à mari, id est, præ mari vel plusquam mare, sit insolens Latinis, &

E

P 2 Græ

Græcis Anthoribus,nota tamen, & familiaris est Hebræis, sacra siquidem lingua cum propter sui simplicitatem careat gradibus comparatiuis, præpositionum circumlocutione vtitur in comparando, & anteferendo rem quampiam alteri, vt
Luc.18. *Luc.18. Descendit hic in domum suam iu-*
num.14. *stificatus ab illo*,id est,præ illo, siue magis, quam ille,nempe Publicanus,magis quam
Ps.138. Pharisæus, & *Mirabilis facta est scientia*
num.5. *tua ex me*, siue à me, vt habent Hebræa, hoc est mirabilis facta est præ me, idest, mirabilior, & altior me, talis nempe, vt eam solo visu meo assequi non possim, quemadmodum Hebræi, & Hebraizantes omnes,& *Chrysost.* interpretantur: fauétque ipsamet Scriptura more suo se statim declarans: *Confortata est,& non potero ad*
Psal.72. *eam.* Et *quid enim mihi est in cælo? & à te*
num.24. *quid volui super terram?* idest, & plus te quid volui super terram? Quasi dicat,sane nihil imo te super omnia volui, ac dilexi, & cætera omnia, post te volui,post te habui, vt enim scitè hic obseruat Genebr. *Min.* Hebræa præpositio,quæ hoc loco legitur, vim habet comparatiuam, sicut & in locis aliis paulo ante citatis. Inductus est autem Dauid in illam Dei dilectionem super omnia, & temporalium rerum contemptum ex consideratione magnitudinis bonorum cælestium,de qua loquitur prior illa pars versus.*Quid enim mihi est in cælo?* iuxta *August.* sic eum in locum scribentem.*Comparauit volūtati suæ terrenæ præmium cæleste. quod accepturus est, viditq́ quid sibi seruaretur in cælo, & æstuans in cogitatione cuiusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,non dixit illud, aut illud mihi est in cælo,sed quid mihi est in cælo?quasi diceret,quid est illud,quod habeo in cælo? Quantum est? Quale est?Quid est?*

Et quia maris aqua,quæ in locis hactenus allegatis abyssus dicitur propter ingentem sui profunditatem sortitur id nominis. Rogabit fortasse curiosus quisquā quot altitudinis millia obtineat mare vbi in maximam altitudinem est depressum, & maximè abyssus maris dici potest. Respondeo inter omnia maria Ægæum in Mediterraneo, & Malucicum in Oceano haberi omniū altissima, & profundissima, itaque etiam vnumquodque eorum vulgo dicitur Archipelagus, quasi Princeps Pelagi: vt autem immissa bolide,id est,nautico perpendiculo marinæ altitudinis exploratorio,dicuntur experti nautæ,nullius profunditas excedit duo millia passuum,

A scilicet, duas leucæ tertias, vt plurimum autem non excedit dimidium milliarij. Ab hac tamen dimensione curs. *Conimbr. lib.3.de cælo cap.5.quæst.3.art.2.* in principio merito excipit paucissima quædam maris loca, quorum vada nondum reperta sunt, verbi gratia ad littora Sueuica, & in mari Pontifico, & quædam alia, quæ Lusitani, & Hispani nautæ commemorant, id verò aquæ, quod in terræ cauernis latet Oceani vastitatem vincere nullo modo credibile est.Longè maior est terræ
B profunditas siue diameter ab vna terræ superficie ad alteram oppositam per centrum commeans,continet nāmque iuxta probabiliorem Mathematicorum sententiam ex nostris leucis 2004. quo fit vt infernus damnatorum carcer, qui in huius diametri medio iacet distet à nobis leucas 1002. Vnde iure optimo dicitur abyssus.
Luc.8. Rogabant illum (Dæmones nempè Luc.8.
Christum)*ne imperaret illis, vt in abyssum* num.31.
irent. Et *Data est ei clauis putei abyssi.* Et Apoc.4.
Misit eum in abyssum, &c. Tum propter num.21.
C prædictam profunditatem loci, tū etiam, Apoc.20.
quia damnatos sibi commissos ita coërcet, num.1.
& absorbet, vt emergere inde ad commodiorem locum non possint, quod significant illa verba Abrahami in lymbo positi ad epulonem diuitem in impiorum carcere iacentem, *Inter nos, & vos chaos ma-* Luc.16.
gnum firmatum est. vt hi, qui volunt hinc num.26.
transire ad vos non possint. neque inde huc transmeare. Ad hanc verò significationem pertinet illud, *Et de abyssis terræ iterum* Psal.10.
reduxisti me. Vocat abyssus terræ loca in- num.20.
D ferna, voraginosa,& caliginosa, in quæ si quis detruditur de illius salute est actum: & tamen metaphoricè significat extrema mala, & incredibiles calamitates,de quibus paulo ante dixerat: *Quantas tribulationes ostendisti mihi multas, & malas,* id est, numero multas, & qualitate acerbas, vt *Dies peregrinationis meæ, &c. parui, &*
mali. Et *Sufficit diei malitia sua*, sicut Gen.47.
etiam metaphora abyssi aquæ significare num.9.
solet Dauid easdem calamitates,vt *Abys-* Matt.6.
sus abyssum inuocat in voce cataractarum num.34.
E *tuarum*; *omnia excelsa tua, & fluctus tui* Psal.41.
super me transierunt. vbi sanè videtur al- num.8.
ludere ad duas illas diluuij causas, quæ
memorantur, *Genes.4. Rupti sunt fontes* Genes.4.
abyssi magnæ, & caracta cæli apertæ sunt, num.11.
& per eam allusionem describere magnum quoddam tribulationum diluuium in se irruens; hoc sensu. Fundo vbi subsistant carent calamitates eæ,quæ sine intermissione vlla in me irruunt,ita vt finis

vnius principiũ sit alterius; perinde enim A
ac si rupti essent omnes fontes abyssi in-
undatio, & tempestas vna inundationem
& tempestatem aliam secum aduehit ad
laborum quandam quasi catenam texen-
dam. Neque verò solæ ex abysso proue-
nientes aquæ in perniciem meam coniu-
rant, sed accedit id in voce, id est cum
voce, cataractarum tuarum, hoc est, rum-
puntur pariter cataractæ cæli resonantes,
& perstrepentes: clare, & sine metaphora:
decidit è nubibus ingés pluuia, venti sibi-
lo tonat cælum, sonitum comitantur ful- B
gura, fulgura fulmina; denique omnia ex-
celsa tua, id est, omnia metheora, siue om-
nia, quæ in excelso aëre ad mortalium
perniciem gigni, & inde veluti Dei tela
solent emitti, super me transierunt, & in
meum caput immissa sunt.

Deinde quoniam in iudiciis Dei late-
brosa quædam profunditas inuenitur, nul-
lius ingenij creati naturali bolide per-
uestigabilis iuxta illud Pauli, *Rom.* 11.
Rom. 11. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius,*
num. 33. *& inuestigabiles*, id est, non vestigabi- C
les, *via eius*, idcirco dicitur etiam abys-
Psal. 35. sus de iudiciis Dei, vt *iudicia Dei abys-*
num. 7. *sus multa*, hoc est iudicia Dei sunt mi-
rum in modum profunda, & quæ per-
scrutari, ne dum assequi naturali ope ne-
mo possit, vnde *Hieron. super Ionam c.* 2.
vers. 6. *tom.* 6. Interdum; inquit, abyssus
accipitur pro secretis & profundissimis
sensibus, & iudiciis, iuxta illud *Psal.* 36.
Psal. 36. *Iudicia tua abyssus multa. D. August.* ex-
num. 7. tendit ad humani cordis latebras, siue
clarius humanæ mentis arcana, quæ so- D
lus Deus despicere potest, & agnoscere
Iere. 17. iuxta illud. *Prauum est cor hominis, & in-*
num. 9. *scrutabile, quis agnoscet illud?* Quasi dicat
nullus, præter Deum, qui de seipso dixit.
Psalm. 7. *Scrutans corda, & renes Deus.* Idem etiam
num. 10. testantur illa verba Pauli. *Quis enim homi-*
1. *Cor.* 2. *num scit quæ sunt hominis, nisi spiritus ho-*
num. 11. *minis, qui in ipso est?* Audiendus est *August.*
supra Psalm. 41. *vers.* 8. sic scribens. *Si pro-*
funditas abyssus est, putemus quod cor ho-
minis abyssus est, quid enim profundius hac
abysso? Loqui homines possunt, videri pos- E
sunt, per operationem membrorum audiri
etiam, sed cuius cogitatio penetrabitur, cu-
ius cor inspicietur, quod intus gerat, quid
intus possit, quid intus agat, quid intus dis-
ponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis
Psal. 63. *comprehendit? Non absurdè de hoc dictum*
num. 7. *est in Psal.* 63. Accedet homo ad cor al-
Psal. 147. tum. Hactenus *August.* qui eadem repetit
num. 6. in *Psal.* 147. in expositione mystica.

A Postremum non de mari solum, aut in-
ferno, aut cauernis terræ, aut iudiciis
Dei, aut humani cordis latebris, sed ge-
neratim, quasi per quandam hyperbolem,
de quacunque re, quæ magnitudine, aut
multitudine tanta est, vt non videatur
posse pertransiri, abyssus dicitur. Exempli
gratia. *Et ecce vocabat iudicium ad ignem* *Amos* 7.
Dominus Deus & deuorauit abyssum mul- *num.* 4.
tam, & comedit simul partem. Vbi agitur
de postremo aduentu Nabuchodonosoris
in vrbem Solymam iuxta *D. Hieronym.* ibi
B communiter ceptum, & est sensus. Ecce
Deus Regem Nabuchodonosorem, & pu-
nitionem per eum afferendam vocabit ex
Chaldæa, quemadmodum dicitur. *Et vo-* *Ps.* 104.
cauit famem super terram, & omne firma- *num.* 16.
mentum panis contriuit. Vocabat autem
prædictam punitionem ad ignem, id est,
vt vrbs, & templum igni Chaldæorum
deflagraret, & deuorauit abyssum mul-
tam, idest, hic autem ignis infinitatem
quandam rerum, v. g. domorum, opum,
& multimodæ supellectilis deuorabit, &
C comedet simul partem, idest, absumet
templum, quod erat præcipua pars, id-
est, hæreditas Domini, vt etiam dici-
tur *Dominus pars hæreditatis meæ*, id est, *Psal.* 15.
pars mea hæreditaria, siue hæreditas mea, *num.* 5.
& *Pars mea Deus in æternum*, id est, por- *Psal.* 72.
tio, & hæreditas mea mihi inuito nun- *num.* 26.
quam auferenda, est Deus. Sed prædi-
ctum Amos locum eleganti quadam alle-
goria de extremo die iudicij, quando
Deus in igne veniet, & inflammabit in
circuitu inimicos suos, sic explicat *Gre-*
D *gor. lib.* 33. *moral. c.* 9. Iudicium ad ignem
vocatur, cum iustitiæ sententia ad pœ-
nam iam æternæ concremationis osten-
ditur, & multam abyssum deuorat, quia
iniquas, atque incomprehensibiles homi-
num mentes concremat, qui nunc se ho-
minibus etiam sub signorum miraculis
ostentant: pars autem, id est, domus Do-
mini comeditur, quia illos quoque ge-
henna deuorat, qui nunc quasi in sanctis
actibus de electorum numero se esse glo-
riantur: & paulo superius, vt hanc hu-
E mani cordis abyssum magis declaret, ait.
Nonnulli mundum deserunt, & ima hu-
militatis appetentes humanæ conuersa-
tionis morem bene viuendo trãscendunt,
neque in tanta studiorum arce proficiunt,
vt signorum iam virtutes operentur: sed
quia semetipsos circunspiciendo tegere
negligunt, inanis gloriæ telo percussi pe-
ius de alto ruunt, & hinc est, quod æternus
Iudex, qui occulta cordis examinat, eiusdẽ

Matth.7. num.22. minæ casum prænuntians ait: *Multi dicent mihi in illa die. Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.* Sic Gregor. A

Denique nomen abyssus in bonam partem accipitur, & in malam, exemplum Psal.35. num.7. prioris habetur: *Iudicia tua abyssus multa*, de qua re videndus *Hieron. in c.3 Habacuc*, & in c.2. & Psal. 41. num.8. *Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum*; vbi *D. Ambrosius*, exponit Scriptura veteris testamenti, noui aduocat seriem ad consummationem sanctitatis, & plenitudinem gratiæ, sonitu quodam, atque profluuio redundantiæ spiritualis, & *Bernard. serm.4. de Assump.* exponit quod abyssus luminis, & misericordiæ inuocet abyssum Ioan.11. num.43. tenebrarum, vt quando Lazarum Christus euocauit foras, quia maior est misericordia Dei, quam iniquitas nostra, & *Cardinal. Hugo* ait, quod abyssus misericordiæ Christi per cataractas plagarum inuocat miseriam generis humani, clamátque multo melius quam sanguis Abel. Hebr.12. num.24. Arnobius vocat filium abyssum, qui de profundo terræ, & fluminis inuocaret abyssum patrem, & apertis cataractis cæli, descendenteque Spiritu sancto, Patrem appellaret Filium de altitudine cælorum, *Hieron. in c.3. Habac.* quod filius inuocat patrem alterum abyssum, in voce cataractarum suarum, vt det verbum euangelizantibus virtute multa. B C

In malam etiam partē accipitur abyssus, vt illud idem: Psal.67. num.12. *Abyssus abyssum inuocat*, si intelligamus cum Græcis, necnon, & cum plerisque de Latinis, qui abyssos accipiunt pro tribulationibus, vt iam superius annorauimus. In malam etiam partem accipitur. Psal.67. num.17. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbata sunt abyssi*, vbi per abyssos intelliguntur loca dæmoniorum, de qua etiam significatione huius nominis iam diximus, aliquando etiam accipitur indifferenter, vt Genes.1. num.2. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Et *Rupti sunt omnes fontes abyssi magna.* Et Genes.7. num.11. Ps.148. num.7. *Laudate eum dracones, & omnes abyssi.* Ex quibus omnibus iam intelliges, quidnam hoc in loco significet abyssus, scilicet, multas maris aquas quibus cooperti sunt Ægyptij, & extincti. D E

Descenderunt in profundum sicut lapis. Prouerbialis locutio est, sicut in suis adagiis sacris aduertit Delrio, similis prorsus illi alteri, quæ habetur infra, num.10. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Quid mirum autem, si velut lapides & Pharao, & sui descendant, qui cor indurauerunt, & animæ poros omnes diuinæ misericordiæ, ne posset eos ingredi, & eleuare, obturauerunt: Ideo nequiuerunt vndis vltionis diuinæ supernatare, vt indicaret autem sacer text. impetum, quo veluti iactati in profundum Ægyptij descenderunt, dicit fuisse quasi lapides, etenim lapis durus, ac grauis cum sit, sua sponte in imum tendit, proiectus maiori impetu deorsum fertur, nam sic Neemias repetit hunc locum cum ait? *Persecutores eorum proiecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.* 2. Esd.9.

Illud tamen hoc in loco explicandum restat, vtrum, scilicet maris rubri diuisio hæc miraculosa omnino fuerit, vt nulla similis prorsus assignari possit *Ioseph. enim lib.2. antiquit. c.14. in fin.* Videtur in controuersiam vocare an illa maris diuisio diuinitus facta sit, an verò sponte naturæ, quin etiam dicit simile quippiam accidisse Macedonibus ductu Alex. Magni in mari Pamphilico. Verba sunt Iosephi. Nemo mirari debet tanquam incredibile, si priscis hominibus, & ad militiam etiam tunc rudibus, de salute periclitantibus via per mare patuit, siue Dei voluntate, siue naturæ sponte. Etenim heri, aut nudiustertius Alexand. ductu Macedonibus Pamphilicum mare cessit, & aliam viam non habentibus, illac iter aperuit; id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt. Sic ille. Quod totum negat *Petrus Crinitus lib.17. de honesta disciplina, cap.13.* proindeque dicit à nullo veterum scriptorum id traditum.

Rem tamen aperuit, & exposuit *Strabo lib.14.* dicens: Est mons nomine Climax, Pamphilico mari adiacens: is transitum per angustum in littore relinquit: qui mari tranquillo aquis ita nudatur, vt iter facientibus sit peruius: pelago tamen affluente, vndis totus tegitur, transitus porro per montem tum arduus est, tum etiam prolixus, quare tranquillo mari, via, quæ in littore est capacitur ab omnibus Alex. vero in hyemem incidens, & maximam partem rerum suarum fortunæ permittens, priusquam fluctus redirent mouit. Sic ille. vnde Scriptores rerum Alexandri adulationi indulgentes, & rei euentū hyperbolicè exaggerantes, ipsum mare Alexandro viam dedisse, & illius quasi fortunæ

fortunæ cessisse, decantarunt, sicut etiam ipsum Iouis filium prædicabant.

Straboni addendus *Paulus Orosius discipulus D. August. lib. 1. suæ hist. cap. 10.* vbi asserit exstare etiam suis temporibus in mari rubro certissima antiqui monumenta miraculi: nam tractus curruum, inquit, rotarumque orbitæ non solum in littore, sed etiam quousque visus admittitur peruidentur, quod si forte ad tempus, vel casu, vel curiositate turbantur, continuo diuinitus in pristinam faciem, ventis, & fluctibus reparantur, vt quisquis non docetur timorem Dei propalatæ iam religionis studio, iræ eius transactæ vltionis terreatur exemplo. Et *Gregor. Turonens. hist. Franc. c. 10.* ait: De quo transitu multa narrantur, sed nos, quod à sapientibus, & certè illis hominibus, qui in eodem loco accesserunt verum cognouimus, ea studemus inserere paginæ. Aiunt enim sulcos, quos rotæ curruum fecerant, vsque hodie permanere, & quantum acies oculorum videre potest, in profundo cerni: quos si modicum commotio maris obtexerit, illo quiescente, rursum diuinitus renouantur, vt fuerant. Similia refert *Diodorus Tarsens.* præceptor D. Chrysostom. relatus à Lipomano in cathena.

Neque vero incredibile prorsus hoc erit ei, qui aduerterit *Bedam in lib. de locis sanctis. cap. 4.* affirmare ad sua vsque tempora perdurasse ficum illam, in qua Iudas proditor suspensus crepuit medius: qui insuper legerit apud *Cornel. Tacit. lib. 13. annalium in fin.* vsque ad tempora Neronis Imperatoris siccatam omnino, & subito fuisse arborem, sub cuius ramis enutriti fuerant Romulus, & Remus, perdurasseque illæsam octingentos & quadraginta annos. Magisque ad rem facit, vt pote memoria alterius supplicij à

Gen. 19. num. 26. Deo illati id, quod referunt *Ioseph. lib. 1. antiquit. cap. 11. D. Irenæus lib. 4. cap. 51. & Tertull.* in Sodom. ad sua vsque tempora integram perseuerasse statuam illam salis, in quam conuersa fuerat vxor Loth, dum Sodom. respexit contra Dei præceptum & sanguinem mēstruum, stato tempore, ab eadem effluxisse, & ne tandem inflictæ à Deo pœnæ exemplar interiret, si aliquis ex viatoribus partem aliquam absciderer membrumve mutilaret, diuinitus statim ablatam partem restitutam, & denuo repullulare.

Miraculosam igitur fuisse constat diuisionem illam maris, vbi via amplissima aperta est, qua vniuersus Hebręus populus transiret incolumis, refluxus enim maris nudat solum aquis littora, vel littoribus, propinqua loca medium vero maris, vel prope medium, ac altitudinem maris nudare aquis, nec refluxus, neque vlla potest causa naturalis.

Deinde aquas ex vtraque parte ad dexteram, & ad sinistram instar marmorei muri constitisse miraculosum fuit, sicut & quod statim post diuisionem exortus fuerit ventus tantæ virtutis, vt tantum, & tam amplum maris profundum, valde limosum, ac lutulentum, breuissimè, siccauerit, vt pedibus populi transeuntis; meabile redderetur.

Deinde miraculum ex eo maxime comprobatur; quia dum Hebræi intra mare fuerunt, mare vtrinque diuisum constitit, post egressum vero Hebræorum vnitæ aquæ Ægyptios omnes oppresserunt. Licet autem miraculosa omnino fuerit maris apertio, & diuisio, nobis tamen ea, Deo bene disponente, facilior est creditu, quam olim fuerit, postquam vidimus, & audiuimus Petrum, & Christum Dominum ambulantes super aquas, Christum quidem propria virtute, Petrum vero Christi iussu, cum enim diceret, *Si tu es, iube me venire ad te super aquas,* Dixit illi Dominus: *Veni, & ascendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* Longè maius autem videtur huiuscemodi corpus super aquas ambulare, quam ipsas aquas diuidere, licet vtrunque naturæ vires superet. Vnde olim Ægyptij Sacerdotes teste Pierio *Valeriano lib. 35.* titulo de pedibus, vt significarent aliquid impossibile factu, pedes in aquæ superficie inabulantes pro hieroglyphico faciebant, & ad hoc respexit *Cicero lib. 3. officiorum,* cum fluxas, labiles, & inconstantes Epicuri rationes esse dissereret, quippe quæ minus iam solido consisterent, eo quod aqua hærerent, & rem minime conficerent, quin potius impossibile sibi assumeret. Et quia in aqua pedes consistere nequeūt, cum alicuius conatum irritum vellent ostendere antiqui, ab aqua sub pedibus metaphoram assumebant, quo respexit *Cicero ad Quintū fratrem lib. 2. Epist. 2.* dicens quod idibus, & postridie fuerat dictum de agro campano, non est actū, in hac causa mihi aqua hæret, quibus assentire videtur Dauid, cum ait: *Mei autē pene moti sunt pedes,* vbi Gręca lectio habet: *vacillarunt,* siue potius, *fluctuarūt,* vt sit sensus, penè lapsus sum, vt crederē Deo nullam inesse prouidentiam, incertoque casu mortalia

Marc. 6. num. 49. & Ioan. 6. nu. 19. Matt. 14. num. 28.

Psal. 72. num. 2.

mortalia defluere. Hinc nititur probare
Christi Domini diuinitatem *D. Greg. lib.*
1. *in lib. Reg. cap.* 2. ad illa verba Annæ. 1.
1. Reg. num 2. *Reg.* 2. vbi ita habet. Moyses mare, Helias
flumen diuisit, Dominus noster Iesus
Exod. 14. Christus super mare ambulauit. Quid er-
2. Reg. 2. go est elegantius in sicco profundi alueo
viam transeunti populo exhibere, an
ipsam maris faciem viam facere? Illi quip-
pe, quia humanitatis deprimebantur pon-
dere in profundi solido viam, qua perge-
rent requirebant, sed qui infirma humanæ
naturæ in celsitudine diuinitatis assum-
psisse cognoscitur, super aquas virtute
propria ferebatur. Cum igitur id, quod
difficilius est viderimus à filio Dei in in-
firmitate carnis factum, quid mirum si
id, quod creditu facilius est, ab omnipo-
tente Deo legamus factum?

Probat insuper hanc diuisionem maris
fuisse miraculosam, id quod secundo loco
diximus explicandum, scilicet, cur Moy-
ses hoc in loco vsus fuerit battologia,
id est, multiplicatione inani, & superua-
cua verborum, versusque idem prorsus si-
gnificantes iterauerit, vt videre est *Exod.*
14. *& 15. à nu. 4. vsque ad nu.* 12. *& rursus*
num. 19. Dicimus enim id factum non
esse, vt insolentis miraculi magnitudini,
vel ipsa repetita narratione fidem indubi-
tatam conciliaret, non quasi vnicum Scri-
pturæ verbum ad id non sit sufficientissi-
mum, sed vt historia reddatur quam te-
statissima, dum sæpius, ac sæpius, id quod
narratur nobis inculcatum, & commen-
datum videmus, vt docet *D. Hieron. in*
Iob. 3. *illud Iob. Timor, quem timebam, euenit mi-*
num. 25. *hi: & quod verebar accidit.* Aliis verbis
repetit, quod superius dixerat. Pro confir-
matione dicti, solent in sacris Scripturis
talia iterari, id est, vt certius habeatur, &
firmius, quod dicitur.

Melius, & copiosius hoc dixit *August.*
in Psalm. 74. prope initium, estque opti-
mus locus ad confirmationem istius rei
Gen. 41. vbi Iacob dixit Pharaoni de se-
cundo somnio spicarum, post primum,
Gen. 41. vaccarum. *Quod autem vidisti secundo ad*
num. 32. *eandem rem pertinens somnium, firmitatis*
indicium est, vbi vides repetitionem eius-
dem rei, pertinere ad firmitatem, & cer-
titudinem talis rei, vnde additur? *Eo quod*
fiat sermo Dei, & velocius impleatur, ideo
Gen. 7. etiam *Genes.* 7. cum sermo est de diluuio,
vtitur Scriptura eadem pene repetitione
num. 11. 12. *&* 17. 19. 21. 22. *&* 23. Simili-
Iosue 10. ter *Iosue* 10. cum de statione Solis mira-
num. 13. culosa, (adeo vt aliqui ex Rabbinis, qua-

A lis fuit Rabb, Leui filius Gersonis, &
Moyses Maimonius Ægyptius in lib.
quem subscripsit Doctorem dubietatum,
eam negauerint) cum igitur de Solis sta-
tione est sermo, simili geminatione vti-
tur sacra Scriptura, ac vtitur hoc in loco
Moyses.

ANNOTAT. I.

Deus varias formas induit, vt
B *homines lucri faciat, eisque*
subueniat.

ILlud ad nostrã institutionem primo no-
tãdum occurrit, quomodo, scilicet Deus
noster, quo facilius homines sibi alliciat,
& deuinciat, varias induat formas, vt
eos ad se trahat, quos aliquando voce
sua fugarat. Infans vagit, quia vagientis
vox humana viscera pulsat; deinde, vt do-
ceat, varia petit loca; vt libentius audia-
tur, surdos facit audire, & mutos loqui, &
C à quacunque infirmitate detentos liberat;
vt à discipulis retineatur, fingit se lon-
gius ire; deinde, vt suos tueatur instar
muri eos circundat, & protegit, quod vi-
detur dixisse diabolus. *Nonne tu vallasti* *Iob.* 1.
eum, ac domum eius, vniuersamque sub- *num.* 10.
stantiam per circuitum; Quibus verbis vi-
detur diabolus confiteri se expertum fuis-
se diuinam custodiam, & potentiam, &
apud *Zachar.* idem Dominus ait: *Absque* *Zacha.* 2.
muro habitabitur Hierusalem pre multitu- *num.* 5.
dine hominũ, & iumentorũ, in medio eius, &
D *ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in cir-*
cuitu, quæ verba intelligenda sunt de Ec-
clesia, neque enim vnquam contigit Hie-
rusalem, vt sine muris habitaretur, imò
si aliquando interrupti fortè fuere ab ho-
stibus, diligenter reficiebantur, vt constat
ex 1. *Machab. cap.* 4. *& ex lib. Nehem. c.* 2.
3. *&* 4. *Ioseph. lib.* 6. *de bello Iud. cap.* 6. Tri-
no muro circundatam asserit. Quoniam
igitur sine muris vrbs nostra videretur
exposita hostium incursibus, ne quis ta-
lem futuram Ecclesiam putaret, affutu-
E rum se pro muro ei pollicetur Deus; ne-
que vero se murum lapideum, aut æneum
futurum promittit, sed murum igneum,
quem nemo audeat petere, nisi suo malo,
imo longè terreat, nec accedere vllo mo-
do sinat hostes. Vnde Theod. ibi ait. Ego
ero ei murus qui transiri, & transcẽdi non
possit; hunc enim vocat murum ignis:
nam quemadmodum pyra ingens transiri-
ri nequit, sic nec vinci poterit, qui gratia
Dei

Dei custoditur. Sic ille. Insuperque se mu-
rum igneum dicit, ex quo multas ad vi-
tam commoditates, lucis, & temperati,
proficuique caloris habitatores possent
Ps.141. petere. Et cum Dominus sit pro muro in
num.2. circuitu populi sui, non mirum si ipsum
reformidans non accedat leo ille, *qui cir-*
cuit quaerens quem deuoret: terretur si qui-
1.Pet.5. dem leo, teste *Plin.lib.8.c.16.* vel accenso
num.8. titione, cum maximè exhorreat ignem.

Neque solum est suis pro muro, sed
etiam pro scuto, sic enim aliqui legunt il-
Gen.15. lud, quod dixit Abrahamo. *Ego protector*
num.1. *tuus sum*, vbi Vatabl. *Ego clypeus tuus sum.*
Psal.90. Et Dauid Dei praesidium in hunc modum
num.4. expertus ait. *Scuto circumdabit te veritas*
eius, vndique, videlicet, se vertet, vt te
contegat instar scuti. Insuperque se nobis
galeę instar prębet, quid enim aliud signi-
Ps.138. ficant verba illa eiusdem Psaltis, *Obum-*
num.8. *brasti super caput meum in die belli.* Tan-
Ps.110. demque, magis rem explicans ait: *Domi-*
num.9. *nus custodit te, Dominus protectio tua super*
Ps.1.c.9. *manum dexteram tuam.* Et *Dominus à*
num.6. *dextris tuis confregit*, pro confringet, *in die*
ira sua reges.

Denique ipsemet Dauid, Deum inuocat
Psal. 34. dicens: *Apprehende arma, & scutum, &*
num.2. *exurge in adiutorium mihi*, vbi D.August.
ait: *Spectaculum est videre Deum arma-*
tum pro te; cum vero Deus armatus proce-
dat in salutem populi sui, quid mirum, si vt
eum ab Aegyptiorum manibus eripiat vi-
rum bellatorem, ac fortem agat? Itaque to-
tum te, & propter te homo Deus patitur,
quia te nimis diligit, nimis amat. Habitus
Exod.3. suscipit, ait *Chrysolog. serm. 170.* formas
num.2. variat, commutat officia, & nunc igneus
tibi resplendet in rubo, vt perfidia te fri-
gidum, fidei calore succendat: nunc eluces-
cit caelesti flammeus in columna *Exod.*
13. vt remotis ignorantiae tuae tenebris,
per solitudines mundi huius viam possis
scientiae percurrere salutaris; nunc idem
tibi nubis vertitur in columnam, vt ar-
dẽtes tuorum temperet aestus animorum:
nunc te vt aquila protegit pennis sapien-
tiae, vt caelestem prouocet ad volatum, di-
cente Moyse. Sicut aquila protegit nidum
Deut.32. suum, *Deut.32.* & super pullos suos consi-
num. 11. dit, extẽdens alas suas, accepit eos & sus-
cepit eos super scapulas suas: Dominus so-
lus ducebat eos, & non erat cum eis Deus
alienus. Nunc sicut gallina educit, ducit,
vocat, recipit, protegit, portat, fouet, am-
bit, amplectitur: & sui volatus oblita, suae
temporaliter immemor libertatis, tuis in
penetralibus, tuo versatur in puluere: vt

A te vernaculis, familiaribus domesticis
alat, erudiat, instituat nutrimentis. Nunc
vt pastor bonus errãtem solus requirit in
montibus *Luc.15.* Solus inuenit, solus suis *Luc 15.*
humeris imponit; sic habitus suscipit, for- *num.5.*
mas variat, & vt te mutet in melius, ipse
sua toties mutat, & commutat officia. Sic
ille. Quo nihil elegantius dici potest, in
quam sententiam accõmodat *D.Chrysost.*
hom.32.in Genes. ea verba apud *Oseam* 12. *Osea.12.*
Et locutus sum per Prophetas, quod postea *num. 10.*
dixit Paulus. *Multifariam multisque modis* *Hebr.1.*
B *loquens Deus Patribus in Prophetis, & in* *num.1.*
manu Prophetarum assimilatus sum, id est,
variis me rebus similem fecerunt Prophe-
tae, nunc patri, Regi, amico, pastori, leoni,
&c. quem Dei morem imitatus Paulus di-
cebat, 1.*Cor.9.* *Omnibus omnia factus sum,* *1. Cor.9.*
vt omnes facerem saluos Et in eadẽ Epist. *num. 22.*
cap.4. *Spectaculum facti sumus mundo*, quę *1. Cor.4.*
verba sic potius legit: *D. Hier. cõtra Iouin.* *num.9.*
lib.4. *Theatrum facti sumus mundo*, vbi vi-
detur fieri allusio ad publicum, ac scaeni-
cum theatrum, in quod cuiuscunque ordi-
C nis, & conditionis personae descendunt,
alius agit personam Regis, alius Iudicis,
alius matris, alius serui, &c. Omnium igi-
tur personas agere videbatur Paulus, vt
omnes lucrifaceret, & ad Dei agnitionẽ,
& obsequium adduceret, idque ex singu-
lari Dei beneficio, quandoquidem hac in-
re Dei imitabatur morem, & naturam, vn-
de se architectum dicit: *Secundum gratiã* *1. Cor.3.*
Dei, quae data est mihi, vt sapiens archite- *num. 10.*
ctus fundamentum posui. Ibidem etiam
num.6. se hortulanum praedicat, *ego plan-*
D *taui.* Deinde se charitate erga fratres fla- *Sup. n. 6.*
grantẽ ostendit *Philip.4.* *Fratres mei cha-* *Philip. 4.*
rissimi, & desideratissimi, modo sedulã nu- *num.1.*
tricem se depingit cum 1.*Thess.2.* ait; *Fa-cti* *1.Thes.2.*
sumus paruuli in medio vestrum, tanquam *num.7.*
si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes
vos cupide, volebamus tradere vobis non so-
lum Euangelium Dei, sed etiam animas no-
stras, quoniam charissimi nobis facti estis:
deinde infirmioribus sese accommodans, *1.Cor.3.*
& aptans ait: *Ego fratres non potui vobis* *num.1.*
loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnali-
E *bus, tanquam paruulis in Christo lac vobis*
potum dedi, non escam, nondum enim pote-
ratis, deinde quia sic oportere visum est,
ira excandescens in Galatas se iracũdum *Gal.3.*
ostendit cum ait: *O insensati Galatae, quis* *num. 1.*
vos fascinauit non obedire veritati, ante
quorum oculos Iesus Christus proscriptus
est, & in vobis crucifixus? Sic stulti estis, vt
cum spiritu coeperitis, nunc carne consũma-
mini? Si ergo Paulus, vt nos lucrifaceret

se omnia erga omnes faciebat, quid mirum si Deus præ summa benignitate, & clementia se agnum pro peccatis nostris offerendum exhibeat, patrem vt perditos filios recipiat, ducem, vt regat, & virum belli, vt ab hostibus tueatur?

ANNOTAT. II.

An Filius Dei in carne fuerit vir pugnator?

HAllucinati Iudæi putarunt Messiam venturum pugnatorem,& cum acerrimis hostibus prælia facturum,pręclarissimosque reportaturum triumphos,à Da-
Psal. 23. uide enim dicitur: *Dominus fortis, & po-*
*num.*8. *tens,Dominus potens in prælio.* Et *Psal.*44.
Psal. 44. rogat,vt aduersus hostes gladio accinga-
*num.*4. tur,sagittasque illius prædicat. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; sagitta tua acuta (populi sub te cadent) in*
*Ps.*109. *corda inimicorum Regis.* Et *Psalm.*109.iu-
*num.*5. gentem prosequitur inimicorum ruinam, & stragem. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit ca-*
*Ezec.*38. *pita in terra multorum.* Et *Ezech.*38.celeberrimum bellum vaticinatur à Messia conficiendum cum Gog,& Magog.

Attamen licet Christus Dominus formaliter fuerit vir, de quo multo ante ce-
Zach. 6. cinit *Zachar.* 6. Ecce vir oriens nomen
num. 12. eius. Et *Luc.vlt.* dicitur *vir propheta po-*
Luc. vlt. *tens in opere,& sermone coram Deo,& om-*
num. 19. *ni populo*, insuperque fuerit pugnator de quo allegoricè Moyses in præsenti, vide
*Cant.*1. *Bernard.serm.*39.*in Cãt.* Verba illa, *Equitatui meo in curribus Pharaonis*, sic de Christo exponit,Eam(scilicet Ecclesiam) assimulauit equitatui suo in curribus Pharaonis, liberando vtique à iugo peccati,mortificatis vniuersis operibus carnis, quemadmodũ ille populus liberatus est à seruitute Ægypti, subuersis, & submersis cunctis curribus Pharaonis, an non tibi multo fortius, lõgéque gloriosius esse videtur diabolum prosternere, quam Pharaonem, atque aëreas debellare potestates quam currus Pharaonis subuertere? Ibi pugnatum est aduersus carnem,& sangui-
*Ephe.*6. nem, *Hic aduersus principes,& potestates,*
num. 12. *aduersus mundi rectores tenebrarum harum,contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Ibi populus eductus de Ægypto, hîc homo de sæculo,ibi prosternitur Pharao, hîc diabolus,ibi subuertuntur currus Pharaonis, *Hic carnalia, & sæcularia deside-*

A *ria, quæ militant aduersus animam*, sub- 1. *Pet.*2.
ruuntur.Illi fluctibus,isti in flctibus. Ma- *num.* 11.
rini illi,amari isti.Puto, & nunc clamitare dæmonia, si forte contingat incidere talem animam: *Fugiamus Israëlem, quia*
Dominus pugnat pro eo: quibus in verbis *Exod.*14.
ostendit Bernard. Christum Dominum *num.* 25.
non tantum fuisse propugnatorem aduer-
sus carnem, & sanguinem, sed aduersus *Ephes.* 6.
principem huius mundi,& rectores tene- *num.* 12.
brarum harum, quomodo enim esset vir bellator, qui Rex pacificus futurus erat
B & mansuetissimus agnus, qui pacem secum attulit recenter natus, dum canunt
Angeli, *Gloria in excelsis Deo, & in terra* *Luc.* 2.
pax hominibus, & eam suis commendat *num.* 14.
veluti legatum quoddam,sicut dixit? *Na-*
*zianz.orat.*14.cum discessurus dixit: *Pa-* *Ioan.* 14.
cem relinquo vobis,pacem meam do vobis, *num.* 27.
& ad nos venturus prædicatur à *Zach. c.* 9. *Pauper ascendens super asinam*, quem locum sic legit *Matth. cap.* 21. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, quod etiam le-
gunt Septuaginta, vbi *Auctor operis im-* *Zach.* 9.
C *perfecti*, sic ait: *Vis cognoscere mansuetudi-* *num.* 9.
nem virtutis? Non sedet in curru aureo, *Mat.* 21.
preciosa purpura fulgens: neque ascendit *num.* 5.
super feruidum equum, discordiæ amatorem, & litis, qui gloria iactantia pectus habet repletum,qui de longe odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit
sanguineam pugnam dicit in corde suo, be- *Iob.* 39.
ne factum est, sed sedet super asinam tran- *num.* 28.
quillitatis, & pacis amicam,oneris patientissimam,ac laboris:non autem vides in circuitu eius splendentes gladios, aut cætera
D *ornamenta terribilium armorum,sed quid? Ramos frondentes, testimonia pietatis, Venit ergo mansuetus, non vt propter potentiam timeretur, sed vt propter mansuetudinem amaretur.* Hæc ille prosequitur præsens argumentum idem *Zach.* dicens: *Disperdam quadrigam ex Ephraim, &*
equum de Hierusalem, dissipabitur arcus *Zach.* 9.
belli, & loquetur pacem gentibus. Quod si *num.* 10.
quis roget quomodo è captiuitate liberaturus erat populum suum, si pacem sectaturus erat, & arma dissipaturus? Au-
E diat is eundem *Zachar. eodem c.* 9.*n.* 11.
cum alloquens Messiam dicit, *Tu quoque* *Supra*
in sanguine testamenti tui emisisti vinctos *num.* 11.
tuos de lacu, in quo non erat aqua, secutus est, tu qui sedes super asinam, & super pullum asinæ venisti Hierusalem iustus, & Saluator non solum, eos, qui tunc aderant, sed omnes etiam iustos, qui lymbi carcere tenebantur eduxisti in sanguine tuo, idest, virtute & sanguine tuo,
ita

ita enim sæpe capitur, *in*, vt idem valeat, A
Psal. 43. quod virtute alicuius, vt, *In te inimicos*
num. 6. *nostros ventilabimus cornu, & in nomine*
Ps. 17. *tuo spernemus insurgentes in nobis.* Et *Quo-*
num. 30. *niam in te eripiar à tentatione, & in Deo*
meo transgrediar murum, virtute sua, vir-
Rom. 3. tute Dei mei. Et *Quem proposuit Deus pro-*
num. 25. *pitiationem per fidē in sanguine ipsius*, vbi
Chrysost. quem proposuit Deus propitia-
torem ipsius sanguine, non alieno anima-
lium, sanguinem igitur testamenti vocat
Propheta sanguinem pacti, seu fœderis,
per quem fœdus cum Deo initum est, & B
humanum genus Auctori suo reconcilia-
tum: etenim in Sacra scriptura nomine te-
stamenti, fœdus venit intelligendū, vt pa-
Psal. 82. tet ex illo loco: *Quoniam cogitauerunt*
num. 6. *vnanimiter simul aduersum te, testamentū*
disposuerunt, id est, fœdus inierunt, qua de
Galat. 3. re videndus *Hier. in Epist. ad Galatas cap.*
num. 17. 3. Hoc autem dico testamentum confir-
matum à Deo. Videndus item in tradit.
Hebraic. in Genes. est itaque cōfirmatum
hoc pactum, ac fœdus, virtute sanguinis
Mat. 26. Christi, vnde ipse ait: *Hic est sanguis meus* C
num. 28. *noui testamenti*, etenim virtute sanguinis,
quem in morte sua effudit Auctor vitæ,
mors nostra destructa est, & libertas com-
parata.

Fatendum igitur est Regem Messiam
gessisse bellum spirituale cum fortissimis,
& spiritualibus hostibus diabolo, peccato,
ac morte, deque iis superatis mirabiliter
triumphasse. Vnde Flaui. de regno Christi,
cap. 4. ait: Venit Christus, vt regnet in no-
bis, nostro commodo, & honore, loco Sa-
tanæ, vt Deus, loco Pharaonis, regnabat D
super Israël post subuersionē eius in mari
Colos. 2. rubro. *Expolians igitur principatus, & po-*
num. 15. *testates traduxit confidenter palam trium-*
phans illos in semetipso. Confectum est au-
tem bellū armis spiritualibus, vnde Pau-
lus dixit *Arma militia nostra, non carnalia*
sunt, sed potētia Deo ad destructionem mu-
1. *Cor.* *nitionum*, vbi *D. Hieron.* ait. Arma malitiæ
10. *n.* 4. nostræ non sunt facta de ferro, nec manu
hominis fabricata, sed potentia Dei, qua
plus, vel verbo agas, quam alij homines
carnalibus armis, Humilitate itaque sua E
diaboli superbiā Christus superauit, cha-
ritate sua odium homicidæ ab initio, pa-
tientia, impatientiam, morte denique sua,
mortem, quam diabolus intulit mūdo, in
cruce enim abscōdita est fortitudo Chri-
sti, cū cornua in manibus eius, id est, cum
crucis cornua in manibus gestauit, & ini-
micum ita confregit, vnde, & statim Pro-
pheta ait fugatum diabolum, cum ipso

etiam mortem. *Ante faciē eius ibit mors.* *Habac.*
Superuenit enim fortior diabolo Christus, 3. *num.* 5.
eumque deuicit, & vniuersa arma abstu-
lit, in quibus confidebat. Etenim sicut dixit
Iulian. Epist. Tolet. in cap. 3. *Nahum.* Leo-
nem illum, scilicet, diabolum, ante aduen-
tum Christi non fuit qui exterreret, do-
nec superuenit fortior illo, & alligauit *Luc.* 11.
fortem. Quapropter merito Iacob leo- *num.* 22.
nem de tribu Iuda expectans & exoptans
dixit: *Salutare tuū expectabo Domine.* Li-
cet enim eo in loco esset sermo de Dan, *Gen.* 49.
de cuius tribu futurus erat Samson, quem *num.* 18.
colubro, & Cerastæ comparat, quia quem-
admodum isti serpentes astu, & morsu
perterrefaciunt homines, ita Sāson astu-
tia, & fortitudine sua hostes populi Israël,
videlicet Philisthęos, admodum turbauit,
plurimosque illorum interfecit: & sicut
Cerastes clam mordens equi vngulas, ca-
dere facit ascensorem eius, ita Samson,
Philistęis nihil minus cogitantibus, binas
domus columnas concutiens ipsos, seque
pariter sub ædificij ruina oppressit. Et
quoniam hæc fuit insignis figura Salua-
toris, qui morte sua Diaboli potentiam
strauit, ex ipsius recordatione, ac desiderio
hic obiter Iacob exclamauit dicens: *Sa-*
lutare tuū expectabo Domine. Solet enim *Exod.* 4.
sacer textus cum in huiusmodi Messiæ *num.* 13.
typos incidit, de ipso quoque aliquid sub-
iungere, siue eius aduentum præstolando,
siue aliqua de eodem prænuntiando: sic
enim Moyses quando eum Dominus mit-
tere volebat, ad liberandos Israëlitas à
seruitute Ægyptiaca, quod erat signum
liberationis generis humani à seruitu-
te peccati, statim Messiæ desiderio ac-
census āit. *Mitte Domine, quem missu-*
rus es. Vbi Lipomanus: Nobis videtur
magnus Propheta allusisse ad verum, &
vniuersalem omnium Redēptorem, igno-
rans, quod ipsum præcedere deberet ty-
picus, & figuratiuus Redemptor, nam
ipsum vniuersalem Redemptorem Moy-
ses diuino lumine illustratus venturum
prænouerat, nec tamen se in ipsius fi-
guram præcessurum sciebat, *Rupert.* ibi
ait. Quem Dominus missurus erat, cum
hæc diceret, nisi illum, qui nunc mis-
sus est, quem Iacob annuntiauerat ex-
pectationem fore gentium, & deside-
rium collium æternorum? Sic etiam *Isai.*
cap. 7. Postea quam præmonuit Regem
Achas, ne formidaret à consiliis duorum
Regum, Scyriæ scilicet & Israël, quę con-
tra ipsum inierant, quod forte tunc
Prophetæ in mentem venerit Christus,

Q 2 qui

qui dissipaturus erat consilia principum huius mundi, confestim hinc arrepta occasione, quædam ibi obiter tangit de eiusdem Christi ortu. *Isaia 7. num. 14.* *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Angelus item Gabriel, Danielem pro liberatione populi Iudaici de captiuitate Babylonica coram Deo interpellantem (quod ea esset figura liberationis hominum de captiuitate diabolica per Christum faciendæ) multa edocuit de his, quæ ipsius Christi temporibus pro eadem mundi redemptione patranda erat. Sic igitur licet in prædicto *Dan. 9. num. 24.* loco *Genes.* sermo esset de Dan, de cuius Tribu futurus erat Sanson, qui teste *Aug. serm. 107. & in Psalm. 80. & libr. 12. cont. Faust. cap. 32. Hieron. libr. 1. cont. Iouin. Paulin. Epist. 4. Gregor. homil. 21. in Euang. Abbate Ioac. Apoc. p. 1. pag. 43. Francisc. Georg. tom. 1. sect. 8. problem. 423. & seqq.* fuit figura, & typus Christi Domini, & in vita, & in morte, vt prædicti Auctores prosequuntur, qua de re videndus *Serar. Iudic. 16. à q. 41. vsque ad 51.* exoptauit tamen Iacobus salutare, ac Saluatorem Dei nostri dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*, vbi Thargum Hierosolymi ait: *Non expecto redemptionem Gedeonis, quia est salus temporalis, neque redemptionem Sansonis, quia est salus transitoria, sed expecto redemptionem Messiæ Filij Dauid, qui venturus est, vt educat sibi filios Israël de potestate scilicet Pharaonis spiritualis.*

Quia verò pugnator iste supremus voluit etiam, vt aduersus inimicos spirituales nostros pugnaremus ad illius imitationem, ad capessenda arma nos vocat, & ad pugnam hortatur per Apostolum, cum *2. Cor. 6. num. 7.* ait: *Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris*; vbi *D. Ambros.* ait: Arma iustitiæ perimunt iniquitatem, & Rom. 13. *Abyciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, vbi etiam *Ambros.* arma lucis sunt boni actus impugnantes tenebras, quæ sunt vitia carnis, & *D. Thom. ibi.* Virtutis opera arma lucis sunt, & qui in aliorum oculis rectè operatur, exemplo *Iob. 7.* suo quasi splendentibus armis contra vitia tenebricosa cunctos armat intuentes. Cum etiam militia sit vita hominis super terram, necessaria nobis sunt huiusmodi arma, vt pugnatorem nostrum, & expugnatorem imitati valeamus, de quibus armis integrum confecit librum sanctus Ephræm.

Licet enim Christus diabolum superauerit, & deuicerit, adhuc nobis illum re-

A liquit tentatorem, & hostem in nostram vtilitatem, & coronam. Vnde *Gregor. 17. moralium, c. 18.* ait: Nunc Sanctos omnes non tentando possidet, sed tentando persequitur, nam quia non in eis intrinsecus regnat, contra eos pugnat extrinsecus: & quia intus dominium perdidit, bella molitur foris, etenim sicut dixit *Ambr. l. de pœn. c. 3.* quod nocet corpori iuuat spiritum.

Illud autem semper nobis debet proponi, & inculcari, quod semel victor Deus B in carne voluit nos semper victores futuros dum in carne vixerimus, quia nulli satis est semel, aut iterum vincere, nisi semper vincat, quandiu in arena, & in castris versatur, nam sicut dixit *Tert. lib. de pœn. cap. 7. Peruicacissimus hostis, tunc maximè sæuit, cùm hominem planè sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur*, vnde & summa diligentia curare debemus, vt semper extinguatur, sopiatur, & superetur, & nunquam recedendum à congressu, sed in armis iugiter standum, C atque adeò semper in acie persistendum, neque enim manna absconditum promititur ei, qui vicit, sed vincenti *Apoc. 2.* quod etiam videtur adumbratum fuisse in tit. *Psal. 4.* Et aliorum, qui inscribuntur, *in finem*, pro quo in Hebræo est: *victori*, seu *ad victorem*, quam dictionem LXX. vbicunque repererunt *in finem*, seu *in perpetuum* transtulerunt, vt habet vulgatus interpretes; vt significaretur Psalmos sic insignitos traditos esse ad decantādum vincenti, hoc est victoriam, & palmam obti- D nenti inter cæteros cantores seu præfecto cantorum, nam vox Hebræa, *Lamnaseach*, pro qua vulgatus iuxta LXX. reddit *in finem*, æquiuoca est, & inter alia significat, si radicem eius spectemus, victoriam, siue vincentem. Vnde alij dicunt significare victorias, de quibus in talibus psalmis agitur, & earum præconia non conuenire, nisi in eum, qui perpetuo, & vsque ad finem vicerit. *Apoc. 2. num. 7.*

In cuius rei confirmationem Iosuë in oppugnanda, & expugnanda vrbe Hai *Iosuë 8. num. 6.* E non contraxit manum, quam in sublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai, quia nunquam deponendus est clypeus, & arma, donec omnes animi nostri hostes profligentur, quod non nisi extremo vitæ tempore, & halitu fieri potest. Vnde *D. Cypr. lib. de zelo, & liuore*, sic nos prædicare hortatur ad solicitam curam gerendam. Ne nos superet hostis hic acerrimus,

qui

qui tanquam hostis, inquit, clausos obsidens, muros explorat, & tentat, an sit pars aliqua murorum minus stabilis, & minus fida, offert oculis formas illicitas, & faciles voluptates, aures per canoram musicam tentat; honores terrenos promittit, vt cœlestem adimat; & cùm latenter non possit fallere, exertè, atque apertè minatur terrorem, in pace subdolus, in persecutione violentus, quamobrem debet animus esse tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper inimicus. Tantum *Cypr.* Qua de re etiam videndus *Chrysost. in imperfecto homil.*49. cum ait. Diabolus desiderium vniuscuiusque considerat, & secundum quod viderit hominem desiderantem aliquid, ex eo accipit occasionem tentandi: vnde, & Christum cum esurientem sensis-
*Mat.*4. set, tentauit in fame, & Adam, & Euam
num. 3. cùm vidisset diuinitatis amorem habentes, diuinitatis promissione seduxit, & Iu-
*Iud.*14. dam cùm inuenisset auarum pecuniæ cu-
Iob. 8. piditate, ad proditionem Saluatoris attraxit, Sansonem cùm inuenisset amatorem fœminarum, per mulierem præcipitauit, & cætera, quæ prosequitur in hanc sententiam, de qua videndus *Greg. lib.*14. *moralium, c.*7. vbi ait: Intuetur inimicus generi humani vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mente, vt blandis ac lætis moribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: asperis verò mentibus, iram, superbiã, vel crudelitatem. Ibi ergo decipulam ponit, vbi esse semitam mentis conspicit: quia illic periculum deceptionis inserit, vbi viam esse inuenerit propinquæ cogitationis, vbi *D. Gregor.* in hunc sensum expli-
*Iob.*18. cat verba illa Iob. 18. *Decipula illius super*
num. 10. *semitam*, cùm ergo paratissimum habeamus hostem, parati esse debemus, & armati, miniméque desperandum de victoria, quanquam semper formidandum, nam sicut dixit *D. Cypr. lib. de vnitate Ecclesiæ* in principio. *Facilior cautio est, vbi manifestior formido est*, minimè tamen desperandum, vt dixi: si respiciamus Deum pugnatorem, qui vires inimicorum fregit, & vt ipsos superare possimus arma subministrat, vires suppeditat, auxilium iugiter præstat, & paratum habet. Recolendúmque est hoc loco quod ait *Chrysost. lib.* 1. *de prouidentia*, Diabolus, inquit, sibi ipsi, non nobis est malus. Nos enim si velimus plura etiam commoda per illum, pérque illius nequitias consequimur, illo etiam

A innito, ac renuente: quod est profectò mirabile, & in hoc diuinæ bonitatis magnitudo conspicitur. Nam si eum meliores efficimur, mordet, id quidem ac per se solum angit, excruciátque diabolum, quando hoc ipsum per eum, atque illius causa nobis suppeditatur ferre ipsa sua detrimenta, aut seipsum capere præ doloris magnitudine non potest.

ANNOTAT. III.

B

Quid nos moneat Dei omnipotentia?

Breue quidem verbum est, *Omnipotens*, sed plenum mysteriis, & cum Dei omnipotentia sit quasi fundamentum, & firmamentum totius nostræ fidei, siquidem quæ videntur incredibilia, si humano modo pensentur, iis omnibus persuadendis vnica hæc ratio sufficiens est, Deum, cui ea, & facienti, & dicenti cre-
C dimus, esse omnipotentem, quod demonstratum esse in confesso est apud Theologos, & expressum apud *D. Thom.* 2. *contra gent. c.* 25. *& de potent. quæst.* 1. *art.* 7. *&* 1. *p. q.* 23. *art.* 3. *vbi Sumel. disput. vnic. conclus.* 3. *& Vasquez disp.* 104. *c.* 1. *& Molin. in explicat. art.* *. Reiicienda: ratióque desumitur ex perfectione, illimitatione, & continentia eminentiali, atque infinitate diuinæ potentiæ, quæ eo ipso, quod talis est, vendicat necessario, vt nihil possibile sit, quod ab ipso Deo fieri nequeat,
D in quo vera ratio omnipotentiæ reperitur, & hinc est, vt in sua potentia eminenter habeat omne ens creabile, & vt in productione rerũ dicatur attingere ipsum ens simpliciter, vt docet *D. Thom.* 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *in corpore, & Caiet. ibidem, & Petr.* 2. *cont. gent. c.* 21. *& Capr. in* 2. *dist.* 1. *q.* 3. qua de re latius dicere non est huius loci, sed illud tantum quod Apostoli ideo in principio symboli præposuerunt, *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem*, vt per fidem, & credulitatem diui-
E næ omnipotentiæ, ad cæteros articulos credendos nobis viam aperirent, vnde non abs re fore putauimus, si pro nostra eruditione in præsentiarum ostenderimus, quosnam affectus erga Deum, quem colimus excitet omnipotentia Dei, dum scilicet eum & omnipotentem cogitamus & credimus.

Primus igitur effectus est summæ reuerentiæ, ac venerationis erga Dei maiestatem,

iestatem,cùm enim potentissimus sit Rex,
cuius imperium in totum terrarum or-
bem protenditur, & si cum eo conferan-
tur cæteri Reges terræ, reguli, & minus
adhuc reperientur esse, vnde Dauid di-
Psal.94. xit: *Deus magnus Dominus, & Rex ma-*
num.3. *gnus super omnes Deos*, & iterum, *Qui au-*
Psal.75. *fert spiritum Principum, cuius regnum om-*
num. 13. *nibus dominatur*, Et alibi. *Regnum om-*
Ps.102. *nium sæculorum, & dominatio in omni ge-*
num. 12. *neratione, & generationem*, eiúsque glo-
Psal.144. ria videtur à Moyse, *Exod.19.& 20.& 24.*
num.13. præterea numerosissimum habet satelli-
Exod.19. tium, de quo Dauid ait: *Currus Dei de-*
num. 17. *cem millibus multiplex millia lætantium*
Cant.20. *Dominus in eis* (inequitans,vel illis stipa-
num.18. tus) *in Sinai in sancto.* Sicut in sanctuario
Cant.24. postea, & cum imperatoria carruca vehi
num.10. videretur, non erant aliæ quadrigæ, aut
& 17. rotæ,quam quatuor quadriformia anima-
Psal.67. lia gestantia insignia virtutum diuina-
num. 18. rum, de quibus videndus *Hieronym. Præd.*
commentario suo de prima Ezech. visione,
ea verò significare quatuor virtutes Car-
dinales, sapienter censuit *Ambr. lib.3. de*
virg. & licet singulas singulis respondere
aliter ipse tradat, tamen accommodatis-
simè videtur prudentia, siue sapientia,
siue prouidentia respondere aquilæ, quæ
2.Reg.1. est celsissimi volatus, vt patet ex *2.Reg.1.*
num.23. *Prou.23.Isaiæ 40. Apoc.12.* & perspicacis-
Prou.23. simi visus, vt constat *Iob.39.* & non so-
num.5. lum non sauciatur, verum vegetatur in
Isaiæ 40. conspectu solis,vt ait *August.lib.2.de mo-*
num.31. *ribus Manich. c.250.* Est item singulari
Apoc.12. docilitate prædita ex *Arist.9. de historia*
num.14. *animalium,cap.1.*
Iob.39. Iustitia verò, siue Religio, & sanctitas
num.30. respondet boui, aut vitulo, est enim ani-
mal sacrificiis aptissimum, vnde *Plinius*
lib.8. c.46. ait ex bobus victimæ optimæ;
& cautissima deorum placatio. Videndus
hac de re *Varro lib.2. de re rustica, cap.5.*
Columella in proœmio, lib.6. Alex. libr.2.
cap.14. atque adeò etiam in sacris literis
boum, vaccarum, aut taurorum,vel vitu-
lorum nomine, omnes sacrificij, & victi-
marum genus intelligitur, vt patet ex
Oseæ 12. *Oseæ cap.12. Psalm.68. ad Hebræos 9.*
num.11. Fortitudo verò, & inuictum robur leo-
Psal.68. ni respondit, quadrupedum fortissimo, &
num.32. cuius ex ossibus percussis, quasi ex silice
Hebr.9. ignis excutitur, auctore *Arist.2. de parti-*
num.13. *bus animalium,c.9.* vir præterea illi sum-
ma in pectore, vt ait *Plin.* & magnos ani-
mos fronte quadrata, & cauda indicari
ait *Solin.* Denique eius animi acrimonia,
generositas, & fortitudo commendatur,

A *Genes.49.Iudicum 14.& 2.Reg.1.Prou.28.* Genes.4.
& cap.30. num.9.
Denique temperantia cum qua coniun- Iudic.14.
cta est clementia, beneficentia, & huma- num.5.
nitas, hominis specie repræsentatur, ac 1. Reg.1.
nulla melior potest esse admonitio, quam num.23.
vt meminerit Rex se esse hominem; & Prou.28.
considerare seipsum, sicut ait Apostolus ad n. 1. &
Galatas 6. apud quem *Rom.6.* Humanum cap.30.
idem est ac lene, & temperatum, non su- num. 30.
pra vires hominis imbecilles; quod pro- Galat.6.
sequitur *Seneca lib.1.de ira cap.1.* his ver- num.1.
B bis. Homine, quid amantius? Quid mi- Rom.6.
tius, dum in recto animo habitu est?Ho- num. 19.
mo in adiutorium mutuum generatus est,
vt prosit, & aliorum commodis impende-
re separatus.
Regiæ itaque, & principes virtutes ex
ipsis prædictorum animalium notis con-
stant, quæ insuper regiam indicant ma-
iestatem, nam Aquila regina volucrum
est, leo quadrupedum, homo omnium vi-
uentium sub cælo princeps, & ad impe-
randum natus, quo iure ad imaginem &
C similitudinem Dei creatum, idest, vt do-
minaretur, & præesset, considerant Inter-
pretes *Genes.1.* Taurus insuper principis Genes.1.
imago est, imo & longè melior, quam num.26.
leo, vt Magnus Alex. ex Homer. narrat
parenti Philippo apud *Dionem orat.2. de*
regno; & *Genes.* 49. iuxta translationem Gen.49.
LXX. Princeps. Sichem velut speciosissi- num. 2.
mus, & fortissim.in paterna domo appel-
latur taurus, quem subneruauerunt. Si-
meon & Leui fratres, & Ioseph Princeps
in vniuersa terra Ægypti cum primoge-
D nito tauri comparatur in *Deut.* Ecce igi- Deut.33.
tur quanta maiestas Dei omnipotentiam num. 17.
comitetur, hoc enim totum redolet hæc
Dei quadriga. quæ proinde summam
Dei reuerentiam exigit, à quo velut ab
omnipotenti, & mala possumus timere,
& bona debemus sperare, sicut videtur
confessus Iob quando dixit: *Si bona susce-* Iob. 2.
pimus de manu Domini, mala quare non num. 12.
suscipiamus? Et iterum. *Dominus dedit,* Iob. 1.
Dominus abstulit. num.21.
Vnde merito Iacob moriens filium
E suum Ioseph laudat, quod diuinam om-
nipotentiam agnoscens nunquam fidu-
ciam amiserit in laboribus, quæ fuit ipsi
causa totius incrementi. *Quia sedit*, in- Gen.49.
quit,*in forti arcus eius*,id est,quia ipse Io- num.24.
seph in angustiis, & in omni vita sua, non
propria fidebat virtute, sed diuina omni-
potentia, cui nihil obsistere valet, tota
fiducia,quiescebat:& propterea, non hu-
manis fauoribus, sed manibus eiusdem
omnipo

omnipotentis Dei exaltatus est, & *è vinculis pastor egressus, lapis Israël*, solutis namque tandem vinculis, & de carcere eductus, factus est pastor, & lapis Israël. Pastor namque plurimarum nationum factus est, dum seruando frumenta pauit populos multos, toto septennio famis; insuperque lapis fuit valde firmus Israëli, super quem firmiter nitebatur tota domus patris sui Israël, quod totum ex eo consecutus est Ioseph, quia spem suam totam in Deo collocarat tanquam in omnipotente, qui velut talis, & ipsum à malis liberare, & bona insuper conferre posset, vnde de eodem Iosepho dicitur: *Custodiuit illum*, (scilicet diuina sapientia) *ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia: hac venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant.* Vbi sceptrum regni non debet intelligi, quasi Ioseph fuerit Rex, & sicut neque illud: *Et factus est Dominus Ægypti* non verum dominum significat, sed quasi fuisset Rex, & dominus, sic dominabatur in Ægypto, vt habetur *Genes.* 45. Dederat enim ei Pharao post se omnem potentiam, vt habetur *Genes.* 41. Ecce igitur, qui confidit in omnipotente, & à malis omnibus liberatur, & cumulatissima recipit bona.

Sap. 10. num. 12.

1. Mach. 2. nu. 54.

Gen. 45. num. 26.

Gen. 41. num. 40.

Vnde merito Iudas, postquam ipsius milites viderunt castra gentium valida, & loricatos, & equitatus in circuitu eorum dixit viris, qui secum erant. *Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis, mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo, & nunc clamemus in cælum, & miserebitur nostri Dominus, & scient omnes gẽtes, quia est, qui redimat, & liberet Israël.* Merito igitur Moyses in præsenti decantaturus libertatem populi sui ab exercitu Pharaonis, & felicissimam introductionem eiusdem populi in promissam terram, Deum omnipotentem præmittit, qui & bona omnia solus potest conferre, & quæcunque mala auferre.

1. Marc. 4. num. 8.

In quam sententiam notauit *Oleast. in cap.* 14. *Genes.* Dauidem dum malediceretur à Semei dixisse Abisai, qui maledico vito volebat amputare caput. *Dimitte eum, vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid:* nequaquam credens ab alio sibi posse illud malum prouenire, quam à Deo omnipotente, à quo & beneficia, & supplicia, procedunt, notauit insuper & Abrahamum dixisse Regi Sodomorum, qui illi dixerat. *Da mihi animas, cætera tolle tibi. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus: quæ tua sunt, ne dicas ego ditaui Abraham.* Audis, inquit, quanti animi sint serui Dei, vt à nullo alio bona imo neque mala suscipere velint, nisi à Deo omnipotente, & *D. Chrysost. hom.* 35. *in Genes.* ad eadem verba ait: *Habeo Deum, qui innumera mihi suppeditet bona superna gratia innitor, non indigeo humanis facultatibus, scio illius largitatem, & nunc maiorum diuitiarum negotiatio mihi est.* Sic ille.

2. Reg. 16. num. 10.

Gen. 14. num. 21.

Hinc est quod promissionem Abrahæ factam de seminis multiplicatione, & de tradenda terra Chanaam à fluuio Ægypti ad Euphratem, quæ si haberetur ratio ad ætatem Abrahæ iam ingrauescentem & ad Saræ sterilitatem vix posse credi à quoquam posse viderentur, ipse magis attendens summam promittentis potentiam, quam rerum promissarum magnitudinem & difficultatem, non modo statim sine vlla hæsitatione credidit, verum ob id erga Deum mirifice gratum, deuotumque animum habere studuit, vt non immerito fides eius tam sincera, tam firma, tanta charitate informata, & debita animi gratitudine, aliisque innumeris concomitata virtutibus, eidem reputata sit ad iustitiam, vt habetur *Gen.* 15. *Rom.* 4. *Gal.* 3. *Iacob.* 2.

Gen. 15. num. 6.
Rom. 4. num. 3.
Galat. 3. num. 6.
Iacob. 2. num. 23.

Neque vero in Abrahamo eximiæ huius fidei laudem minuit, quod Domino pollicenti terram Chanaam ait. *Vnde scire possum, quod possessurus sim eam?* Nam si crediderat de se prodituram penè innumerabilem posteritatem, qui senex erat, & adhuc nullos susceperat liberos, & vxorem habebat sterilem; quomodo poterat dubitare de possidenda terra, in qua iam cœperat habitare; vtique & hoc credidit Abraham, sed quia ex illa tam numerosa seminis multiplicatione sibi promissa multo longiora tempora, quam quæ ætati suæ iam admodum grandeuæ superesse possent, requirere videbatur; probè iam intellexerat promissionem quoque illius terræ (saltem quantum attinet ad realem, quam vocant, eius possessionẽ) nõ ad se, sed ad posteros suos, postea

postea multiplicandos pertinere : signum A quæsiuit non sibi, sed posteris, atque ipsorum, quodammodo personam induens, dixit, *Domine Deus, vnde scire possum, quod possessurus sim eam?* Quanquam illud (Gen. 15. num. 8.) etiam negari non potest, quod Abraham, qui notauerat hanc sibi factam promissionem verbis generalibus, sine vlla modi, aut temporis circunstantia factam fuisse promissionem, scire insuper cupiebat, quomodo, & quando foret implenda. Quare quemadmodum (vt ait *August. 16. de ciuit. cap. 24.*) Beatissima Virgo, non B (Luc. 1. num. 34.) ideo minus credidit, quia dixit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Sed quod faciendū certo crediderat, quomodo fieret exquirebat, ita, & Abraham, qui prænotatis verbis videtur quodammodo dicere voluisse: non possum profecto non credere iis, quæ à te Domine dicuntur, quippe qui non ignorem te esse omnipotentem, da tamen, si placet, signum, quo mea posteritas secura reddatur, & corroboretur; & ideo tanquam credenti omnipotentiam diuinam Dominus respondit. C *Sume animalia per medium diuidenda, &c.*

Facit in hanc sententiam *Theodoret. quæst. 5. primum Reg.* vbi prosequitur fidem Annæ matris Samuelis, quæ oratione, & lachrymis mutilatam curauit matricem, & clausam aperuit, probro appetita, quod esset ebria leniter tulit, & cum tanta fide audiuit benedictionem Pontificalem, scilicet, *Vade in pace, Dominus Deus Israël det tibi omnem petitionem tuam, quam ab ipso petijsti.* vt omnem (1. Reg. 1. num. 17.) abiecerit tristitiam, & cum fiducia ad virum D accesserit & conceperit, deinde docuit non fidendum diuitiis, non sapientiæ, sed ei soli, qui potest & vitam suppeditare, & mortem inferre, & mutare res bene gestas, in malè gestas, & res aduersas in secundas, sic Theod.

Sed illud hoc in loco notandum occurrit, quod cum Deus omnipotētiam suam, & in conferendis bonis, & in infligendis malis possit ostentare, volit tamen præ summa in homines benignitate manifestare omnipotentiam suam parcendo maxime, & miserando, sicut cauit Ecclesia E Dominica 10. post Penth. & bona conferendo, quæ fuit causa cur Deus se cognoscendum præbuerit Israelitico populo dicendo, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis*, vbi eleganter Lipomanus ait : Malo (Exod. 3. num. 14.) hoc epythetum vsurpare, quam dici Deus, qui est immensæ, & inscrutabilis maiestatis, vt assuefaciat nos cognoscere ipsum, ex operibus suis, sicut apud Patriarchas, qui præcesserunt Abraham, dictus est Deus, qui creauit cælum, & terram, *Gen. 1.* Sic apud posteros Patriarcharum dictus (Gen. 14. 28. 32.) est Deus, qui apparuit Patribus: postea autem quam Israëlitæ ex Ægypto liberati sunt, dictus est Deus, qui eduxit Israël de Ægypto, sic postquam misit Deus filium suum Christum, & liberauit nos in morte per Christum, dicitur Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui redemit nos ab omnibus malis. Ex quibus constat Deum velle nobis innotescere ex bonis potius, quæ confert, quam ex malis, quæ infligit, cum tamen vtraque ab eius omnipotentia emanent, quod vtinam porentes sæculi imitarentur, & non potius vellent agnosci ex malis, quæ inferunt, ideoque nulla bona conferunt.

Illud deinde aduertendum Dei omnipotentiam nostros deiectos animos erigere, & ingentem fiduciam euehere. Retulit olim Deus Dauidi quæ contulerat bona, & quæ abstulerat mala : *Ego te tuli,* inquit, *de pascuis, vt esses dux super populum meum Israël, & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua, fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra*, & non solum retulit bona (2. Reg. 7. num. 8.) hæc, mala, sed in posterum etiam promisit : *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum, &c.* Præmiserat autem hæc dicturus per Nathan, *Vade, & loquere ad seruum meum Dauid.* Vbi *Theodoret. q. 22.* ait. Primum quidem eum deliniuit appellatione seruitutis, dic Dauid seruo meo, est autem summus honor nominari seruum Dei, deinde docuit suam naturam nulla laborare indigentia. Præmisit itaque suam omnipotentiam, vt cor Dauidis erigeret, & in fiduciam excitaret, vt promissa bona speraret, & de oblatis malis non timeret, aut tristaretur, cumque vniuersa hæc audisset Dauid, dixit : *Quis sum ego Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est, nisi loquereris de domo serui tui in lōginquum*, vbi Theodoret. legit: *Parua sunt hæc coram te Domine mi? Admiratus sum.* inquit Theodoret. *summam promissorum magnitudinem ad me respiciens, parua autem sunt, si conferantur cum tua potestate:* etenim qui diuinam nouit omnipotentiam, quæcumque promissa facile credit, & ingenti fiducia facile sperat, quæcunque

cunque promissa sint à diuina liberalitate, & diuino protegente auxilio, nullis omnino cedit malis, cum facile omnipotenti Deo, quæcunque illa irruant, spiritu oris sui, flantéque vento suo propulsare, & demergere, quod ipse vult maximè ab ipso sperandum, namque diuina omnipotentia hominibus in via iter facientibus non arundineum baculum, cui innitamur tribuit, ne forte perforentur manus nostræ, & in lutum cadamus, sed robustissimum, fidem scilicet, quæ omnipotentiæ diuinæ innititur, proindéque minime corruere potest, imo potius, & corruẽtes erigere: solet enim firma fiducia, & spes cadentes erigere animos, & in maiora dirigere quod videtur notasse *Philosophus in problemat. quæst. 20. sect. 21.* vbi quærit, cur cæteros intuendo colores conspectus noster fatiscat, ac deterior reddatur, cum autem virides arbores, & herbescentes agros conspicimus, exerceatur, & vegetetur: cuius responsio est; quod viridis color spei symbolum sit, ex eo quod plus pollicentur ex se segetes. cum adhuc in herba sunt, & arbores quamdiu florescũt, quam pręstent, cum ad multam maturitatem peruenerint, vnde *Plutarc.* dixit, necessariam esse spem ad Rempub. augendam, & conseruandam, hoc est enim eius quasi oraculum, qui virtuti honorem detrahit, adolescentiæ adimit, sublata namque spe, nec adolescentia in moribus adolescit, nec virtus ornata suo præmio conquiescit, in deteriúsque ruunt omnia: similisque est ille alius locus apud eundem *Plutarc. orat. 2. de forte Alex.* Etenim cum Alexander diuisisset redditus annuos suos atque totam rem familiarem, nihil interim sibi reseruando, interrogatus ab amico suo Perdica. Tibi vero quid reliquum facis: Isque vbi respondit, spes. Nos ergo, inquit, Perdica, in earum sanctitate acquiescimus. Rectũ enim est Darij potius nos expectare opes, quam tuas accipere, existimauit autem vterque plus posse ad victoriam consequendam spem futuri pręmij quam diuitias omnes alterius Imperatoris.

Videndus *Philo lib. de Abraham*, cum ait. Principium parandorum bonorum spes est, & hanc tanquam publicam viam ostendit, & aperit animę veri boni studiosa, quæ primum amicum spei nominat hominem, vocabulum totius generis tribuens ei per excellentiam, nam Chaldæi hominem Enos vocant, ac si solus homo verè sit, qui res bonas expectat, vnde ma-

A nifestum est quod hominem spe carentem, non hominem existimant, sed bestiam humana forma præditam, cui desit spes ornamẽntum humanæ animæ proprium.

Vnde Scriptura cum vellet laudare hunc bene sperãtem, postquam dixit. *Hic sperauit in Patrem, & factorem omnium,* subiecit. *Hic est liber generationis hominũ:* quæ eadem repetit *Philo* eisdem fermè verbis, *lib. quod determin. potiori insid. soleat,* alluditque ad cap. 4. *Genes. in fin.* vbi *Genes. 4. n. vlt.* B Moyses dixit. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen Domini,* continuóque addit Moyses *c. 5. Genes.* quod incipit dicendo. *Hic est liber generationis Adam,* *Genes. 5. num. 1.* volens, vt eum interpretatur Philo, inde principiũ habuisse homines vnde spes in Deum cœpit, & in tantum res humanas rectè dirigi, hominémque finem suum supernaturalem tandiu respicere, quandiu spem habeat dirigentem, & animum erigentem se à terrenis miseriis, vt per ferrum, per flammas C Deum petat, à quo bona sperat, & præstolatur auxilium, sola námque spes, quæ in Deo collocatur, illique innititur secura, ac tuta est, sicut ait Aug. *lib. 2. cõtra Epist. Parmen. c. 4.* Notandúsque est in hanc sẽtentiam locus *D. Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 4.* vbi aduertit in spe duplicem respectum reperiri, alterum ad bonum, quod obtinẽdum speramus, alterum ad auxilium per quod illud bonum obtinetur, bonum igitur obtinendum habet rationem finis, medium autem causalitatem causæ effi- D cientis, sicut igitur bonum diuiditur in medium, atque vltimum, ita pariter auxilium vel est, à prima causa, vel à secunda: quemadmodum autem spes firma non est nisi in Deo, qui vltimus finis est, & vltimum bonum est, sic non licet sperare illud bonum nisi per medium, quod fit ab ipso Deo, vnde spei obiectum Deus est. & medium ad id obtinendum à Deo etiam esse debet, vt totum quod in spe reperitur Deum respiciat, alióqui vera non erit spes sed præsumptuosa confidentia, quę proinde E quam facillimè frustrabitur.

Vnde *Isai. c. 36.* in hunc sensum dixit. *Ecce confidis super baculum arundineum confractum, cui si innixus fuerit homo intrabit in manum eius, & perforabit eam.* *Isai. 36. num. 6.* Et *Hierem. cap. 2.* monens ne frustra quærerent remedium ab alio, quam à Deo, neque in alio spem suam collocarent ait: *Hier. 2. num. 25.* *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti*, quod etiam dixit

Ps. 145. num. 2. Dauid: *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.* Vbi vides ex hominibus eos commemorare, qui cæteris, & opibus, & potentia præstant, quales sunt Reges, ac Principes; quod si ij, qui tales sunt, & cæteros libenter iuuant, nam ij benefici vocantur, vt vox Hebræa hoc in loco significat, fidem non merentur, quanto minus aliis fidendum nobis est. Rationem autem subiungit, quia in iis non est salus, quam salutem, quidam intelligunt actiue, vt sit sensus, saluum facere, & eripere de malis quenquam nequeunt: sed maiorem vim habet locus, si salus in ipsos redeat, & significet, qui se ipsos eripere de malis, & sibi salutem præstare nequeunt, vnde Chrysost. ibi: *Nec suam, inquit, ipsi salutem in potestate habent, quantum minus alienam? Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam,* vbi subaudiendum est totum compositum de ipso namque dictum est. *Genes. 3. Donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Nam, quæ de vna parte compositi dicuntur, ea de toto composito dici nulla religio est; vnde de Christo Domino dicimus illum crucifixum, mortuum, &c. minorem Patre, cum id non nisi ex parte assumptæ carnis, illi conueniat. *Beatus ergo cuius Deus Iacob adiutor est: spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, &c.* Vbi vigilanter, & satis acute Deum Iacob appellat, vbi sermo est de spe, verum quidem non videtur ad populi Israëlitici parentem recurrere solum, sed potissime, vt in eo accommodatissimum exemplum spei, & confidentiæ in Deum proponeret, & filios, ac posteritatem eius, ac cæteros fideles admoneret, quanta in illo homine spes in Deum fuerit, qui minis fratris de patria fugatus, omnísque subsidij egens, ac pe-
Gen. 28. num. 20. ne nudus *Genes. 28.* Dei auxilio sit innixus: *Si Deus*, inquit, *fuerit mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo, & dederit mihi panem, &c.* Vel etiam sicut aduertit D. *Augustinus.* Et *Cassiod. in comment. huius Psalmi.* Meminit Iacob, quia ipse aliquando Deum complexus Israel factus est, id est fortis cum ipso Deo, sic enim fortem reddere solet hominem ea spes, quæ adhæret Deo, illique innititur. Vbi notanda est obiter etymologia nominis Israel, ne quis decipiatur cum *Philone lib. de Abraham. Orig. homil. 2. in Numer. & prologo in Canticis Cant. Eusebio lib. nominum Hebraicorum,* & quod magis, *est D. Hier. in c. 12. Oseæ, & lib. 7. in Isaiam, & in lib. nominum Hebr.* vbi non suam, sed aliorum sequitur sententiam, sicut plerúmque solet, qui omnes volunt Israëlem significare videntem Deum, quæ tamen non est vera etymologia huius vocis, sicut notauit *Joseph. lib. 1. antiquit. c. 18.* Imo & LXX. interpretes cum quibus expressa, & propria est sententia *D. Hieron. in tradit. Hebraicis ad Genes.* vbi ita ait: *Quamuis grandis authoritatis sint, & eloquentiæ, & ipsorum vmbra nos opprimat, qui Israel virum siue mentem videntem Deum transtulerunt, nos magis Scriptura, & Angeli, siue Dei, qui ipsum Israel vocauit authoritate ducimur, quam cuiuslibet eloquentiæ sæcularis, namque apud Oseam 12. diuinum oraculum dixit in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Osea. 12. num. 13. Beatus proinde vir, qui velut alter Iacob Deo firmiter, fortitérque adhæret benedictionem, & liberationem ab eo expectans, & dicit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi,* Gen. 32. num. 26. qui solus potest benedicere, & à quo solo ego benedictionem expecto, & huic expositioni accinit *Philo lib. de Abraham*, vbi ostendit cur Deus Iacob voluerit dici, vt nos scilicet, in maiorem, ac certiorem spem erigeret, sic enim habet. Deus non habet opus nomine, attamen humano generi suum nomen largitus est, vt habentes refugium ad preces, ab spe bona non excluderentur, propterea dictus est Deus Abraham, & Deus Isac, & Deus Iacob: nam cui non sufficerent ea bona, quæ Abrahamo contulit, neque cura, quam de Isac habuit, sufficere debebat memoria Iacob, qui fortis cum Deo fuit, neque Angelum dimittere voluit, donec ab eo benediceretur.

Vnde & Paulus ait: *Omnis qui sperat in eo non confundetur,* Rom. 10. num. 11. consueto Hebraismo, solent namque Hebræi eos confusos, siue pudefactos appellare, qui non cōsequuntur id, quod maxime sperabant, vnde Dauid. *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.* Psal. 52. num. 6. Et *Isai. cap. 30.* de Iudæis, qui plus in auxilio Ægyptiorum, quam in Deo confidebant, ait: *Erit ibi fortitudo in confusionem,* Isai. 30. num. 3. & *Hierem. Ab Ægypto confunderis*, Hier. 2. num. 26. idest, non te poterit adiuuare contra Babylonios & Ægyptios, sicut sperabas, vt exponunt Hieronym. Lyran. Vatabl. eodem etiam Hebraismo vsus est Paulus, cum dixit. *Spes autem non confundit*, Rom. 5. num. 5. idest, non potest quempiam fallere, quod ex eo maxime prouenit,

quia

Psal. 21. quia medium (ſicut loquitur D.Thom.)
num. 6. ipſe eſt Deus, qui veritatem, & omnipo-
tentiam habens neminem fallere poteſt,
Pſal. 24. vnde Dauid dixit. *In te ſperauerunt patres*
num. 3. *noſtri, ſperauerunt, & non ſunt confuſi,* &
alibi, *qui ſuſtinent te non confundentur,* &
propterea mulier illa Sunamitis, de qua
4. Reg. 4. 4. *Reg. cap.* 4. nullum aliud auxilium vo-
luit in morte filij niſi ſolius Dei, quę fuit
cauſa, cur *Bernard. ſerm.* 2. *in Cant.* exiſti-
mauerit eam fuiſſe figuram naturę huma-
næ peccantis in Adamo, & omnia ſuper-
naturalia bona amittentis, quando enim
puer Prophetæ Eliſæi miſſus eſt ad exci-
tandum filium viduæ, tuliſque baculum,
nondum vox néque vita reſtituta eſt puero,
quia baculus arundineus erat, & qui
miſſus fuerat puer erat, & non Dominus,
propterea confuſa eſt vidua, quia puer
excitatus non eſt. Non ſurgo, inquir,
non ſuſcitor, non excutior de puluere,
non reſpiro in ſpeciem, ſi non Prophe-
ta deſcendat & oſculetur me oſculo oris
ſui, ſolum enim remedium efficax, & per-
fectum ab eo ſperare potuit, qui omnipo-
tens eſt, & miſericors: miſericors, vt ve-
lit ſubuenire, omnipotens vero, vt poſſit
mederi.

Videndus *Chryſoſt. homil.* 20. *in Geneſ.*
vbi ea docet, quæ videtur accepiſſe à Phi-
lone in duobus libris citatis, videndus
item *Theodoſ. quæſt.* 47. *in Geneſ.* cum quæ-
rit cur filij Seth vocati fuerint filij Dei,
eam autem rationem fuiſſe docet, quia
ſpes reddit homines opus Dei, ſiue fi-
lios Dei; Tenetur enim Deus veluti fi-
liis ſuccurrere, & liberare de irruenti-
bus malis eos, qui in ipſo velut patre
nouerunt ſperare; & ideo recte Philo
vocauit ſpem genitricem omnium virtu-
tum, ad cæteras enim virtutes nequit
homo accedere, niſi prius ſpem habeat,
prima enim ſpes occurrit pœnitenti ho-
mini, cúmque manu ducit, & introducit
ad cæterarum virtutum conſortium, &
cœtum. Et in hanc ſententiam *Clemens*
Alex. 1. *pedagog. cap.* 6. appellauit ſpem
ſanguinem fidei, cum enim ſpes expira-
uerit, ac ſi ſanguis effluxerit, vitalis fidei
facultas diſſoluitur.

Optimúſque eſt in hanc ſententiam lo-
cus ille apud *Bernard. ſerm.* 6. *de Aſcenſio-*
ne Domini, vbi ponderat quod Eliſæo pe-
tenti, vt in eo fieret duplex ſpiritus Eliæ,
reſpondit Elias: *Si videris me, quãdo tollar*
à te fiet, quod petiſti, duplicauit enim ſpiri-
tum viſio abeuntis Eliæ; cum enim eui-
denter raperetur in cœlum vniuerſa deſi-
A deria Eliſei ſecum pariter tuliſſe viſus eſt,
ipſúmque expectantem reddidit in Deo:
nam cum oculos ipſe Eliſæus ad cœlum
eleuauit in aſcenſu magiſtri ſui Eliæ hoc
ipſo teſtatus eſt ſe in ſolo Deo ſpem om-
nem collocaſſe, néque aliunde aliquid ſibi
velle, qui animum ſimul cum oculis ad
Deum immiſerat, vt ab ipſo præſtolare-
tur auxilium. Hoc enim videtur ſignifi-
caſſe Dauid: cum ait, *Ad te leuaui oculos* Pſ. 122.
meos, qui habitas in cœlis, vt ſit ſenſus, quẽ num. 1.
affert Angellius, quia non aliunde mihi
B affore auxilium ſpero, ideo ad te leuaui
oculos meos, ad ſpem meam erigo, non
quod loco finitus ſis, cœlóque continearis,
ſed quia ibi maximam tuæ potentiæ, ac
virtutis ſignificationem præbes, in qua
ego totam meam fiduciam collocaui. Vn-
de & addit: *Ecce ſicut oculi ſeruorum in*
manibus dominorum ſuorum, ita oculi no-
ſtri ad Dominum Deum noſtrum. Vbi
Chryſoſt. & Theod. ſicut ſerui reſpiciunt
manus Domini, vt victum ab illis, cum
indigent, accipiant: ſic oculi noſtri ad ma-
C nus illas liberaliſſimas Domini reſpi-
ciunt, donec miſereatur noſtri, & id, quo
indigemus, largiatur, ac donet.

Alij vero, & magis ad rem noſtram, ex-
plicant: ſicut ſerui, & ancillæ cum ab aliis
violantur, & læduntur; quia ab eorum in-
iuria ſe tueri non poſſunt, nihil illis reli-
quum eſt, niſi vt ad Dominos, dominâſ-
que conuertant oculos, & ab illis ſe vlciſ-
ci, & ab iniuria defendi flagitant: non ſe-
cus nobis faciendum eſt, vt cum à poten-
tioribus premimur ad Domini Dei noſtri
D opem, ac præſidium confugiamus reme-
dium ab ipſo, & ſolatium ſperantes.

Eſt itáque eleuatio oculorum ad cœ-
lum habitus, & figura hominis ſperantis
in Deo, quo maximè Deum promeretur,
vnde, & duplicatum ſpiritum meruit Eli-
ſæus, quia in aſcenſu magiſtri omnem
ſpem, & deſiderium ad cęlum pariter cum
eo, & cum oculis eleuauit. Et in hoc ſenſu
videtur dixiſſe Chriſtus Dominus: *Sicut* Ioan. 3.
Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic num. 14.
exaltari oportet Filium hominis, vt om- Num. 21.
E *nis, qui credit in eo non pereat.* Et alibi: Ioan. 12.
Et ego ſi exaltatus fuero à terra omnia num. 32.
traham ad me ipſum. Tunc enim omnia
ſaluanda, & redimenda eſſe promiſit, cum
omnes homines ad ipſum oculos ele-
uarent ſuſpenſum in patibulo, in ipſó-
que ſpem omnem, & deſiderium pariter
collocarent, & in nulla alia re penitus
confiderent.

Et nunc melius iuxta traditam doctri-

nam intelligetur illud Scripturæ, cum de
Gen.49. Messia seruatore dicitur. *Ipse erit expecta-*
num. 10. *tio gentium*, quomodo enim fieri pote-
rat, vt is, quem mundus, ac gentes igno-
rabant, esse desiderium, & spes ipsarum,
cum cognitio, ac fides præcedat spem, &
desiderium, tunc autem de Messia nulla
penitus esset fides, vel cognitio? Facilis,
& satis accommodata est solutio, si
dicamus ea nos maximè desiderare ipso
naturæ pondere, quibus maximè indige-
mus, & quæ nobis subuenire possent, ac
remedium præstare verum, & quale no-
bis opus est. Vnde *Arist.8.ethic.cap.1.* do-
cet. Terram amare imbrem, cum sicca
est, & hiante præ ariditate ore, ac pa-
rentibus scissuris pluuias expectat, & cæ-
lum plenum imbribus mare, & cadere in
sinus terræ.

Meliúsque id habemus apud *Oseam,*
Osea 2. *c.2.* vbi diuinum oraculum ait: *Exaudiam*
num. 21. *cælos, & illi exaudient terram, & terra ex-*
audiet triticum. Non quod cælum, aut tel-
lus, triticúmve vociferentur, aut clament
ad Deum sed quoniam ipso pondere na-
turæ videntur desiderare, cælum quidem
pluuiis irrigare, ac fœcundare terram,
terram vero, ac frumenta terræ iacta desi-
derare, vt cælum illis subueniat, sic pariter
Filius Dei in carne dicitur expectatio, seu
spes totius vniuersi quatenus nihil aliud
potest hominibus miseris subuenire, ve-
rúmque remedium afferre, & præstare, nisi
ille, qui solus potest, & in quo fixa, &
optimè fundata reperiuntur nostra deside-
ria. Voluit autem Deus, vt quandiu pleni-
tudo temporis non aderat, qua constitue-
rat Deus Pater mittere Filium suum in
remedium vniuersæ carnis, illud interim
habere posset in sola spe futuræ incarna-
tionis Filij Dei, quod eleganter prose-
quitur *D. Leo serm.3. de Natiuit.* vbi de
aduentu Verbi Dei in carne ita ait: *Hoc*
magnæ pietatis sacramentum potens etiam
in suis significationibus fuit, vt non minus
adepti sint, qui illud credidere promissum,
quam qui suscepere donatum. Voluit enim
diuina prouidentia, vt quandiu realis di-
spensatio Verbi non fiebat, remedium ha-
beremus in spe, quo melius disceremus
sperare in Deo, & in ipso solo totam fidu-
ciam nostram collocare.

Ex quibus iam patet ratio, cur Deus
populo suo, regíque eorum futuro præce-
perit ne multiplicaret sibi equos, & cur-
Deut.17. rus, sic enim lex habet. *Non multiplicabit*
num.16. *sibi equos, nec reducet populum in Ægy-*
ptum, equitatus numero subleuatus. Vbi

A pro equis plerique intelligunt equites.
Oleast. verò existimat vanitatem voluisse
Deum auferre à suis. Clarius id exposuit
Theodor. quæst.24. in 1.Reg. vbi ait: *Lex*
diuina iussit Regem non vti multis equis, vt
non in eis, sed in virtute diuina confideret;
non enim saluatur Rex per multam virtu-
tem, & gigas non saluabitur in multitudi-
ne roboris sui, fallax equus ad salutem, ne-
que in multitudine virtutis suæ seruabitur.
Hieron. verò legit. *Non saluatur Rex in* Psal. 32.
multitudine exercitus. num.6.

B Vide quid senserit Iudith in suo canti-
co, quando ait: *Venit Assur ex montibus*
ab Aquilone in multitudine fortitudinis
suæ: cuius multitudo obturauit torrentes,
& equi eorum cooperuerunt valles. Dixit se Iud.16.
incensurum fines meos, & iuuenes meos occi- num.5.
surum gladio, infantes meos dare in præ-
dam, & virgines in captiuitatem: Domi-
nus autem nocuit eum, & tradidit eum in
manus fœminæ. Et cùm Gedeon haberet
ingentes copias. *Multus* (ei dixit Deus) Iud.7.
tecum est populus, nec tradetur Madian in num.2.
C *manus eius, ne glorietur contra me Israël,*
& dicat meis viribus liberatus sum. Vbi
Saluian. *lib.7.de prouident.* ait. Euidenter
Deus intelligi voluit magna opera sæpe
patrari per paucos, ita per infirmos res
acta est, ne opus cælestis dexteræ, virtuti
assignetur humanæ, sed diuinæ: si quidem
& dux Sisara, quẽ Hebræus timebat exer-
citus, à muliere prostratus est. Et Abime-
lech ciuitatum expugnatorem fœminea
manus perculit, & ferratæ Assyriorum
acies, viduata opitulante, ceciderunt, & ne
D de fœminis tantum loquar. Benadab Re-
gem Syriæ, cui præter innumera populi
sui millia, & triginta duos Reges, exerci-
tus eiusdem numeri seruiebant, nonne
ideo à paucis Principum pedisequis Do-
minus vinci voluit, vt qui esset Auctor
talis victoriæ nosceretur? Contra Madia-
nitas quoque qui, vt liber Iudicum re-
fert, instar locustarum cuncta compleue-
rant, Gedeon iubetur pugnare cum pau-
cis, non quia plures in exercitu non habe-
ret, sed vetatur multos ad bellum ducere,
E ne multitudo sibi possit aliquid de victo-
ria vsurpare. Vnde cum triginta millia ar-
matorum congregasset, sic ad eum Domi-
nus locutus est. Multus est tecum popu-
lus, nec tradetur Madian in manus eius. Et
quid postea? Homini aduersus innumera
Hebræorum millia pugnaturo, trecentos
tantum viros reliquit, ac in eam quippe
exiguitatem redigi agmen militum iussit,
vt sibi de patrato diuinitus belli opere
paucitas

paucitas vſurpare nihil poſſet: denique A
cur hoc Dominus faceret, ita ipſe euidentiſſime declarauit, dicens: *Ne glorietur contra me Iſraël, & dicat, viribus meis liberatus ſum.* Audiant, inquam, hoc omnes improbi, audiant omnes præſumptuoſi, audiant præpotentes, audiant cuncti quid Deus dicat. *Ne glorietur*, inquit, *contra me Iſraël, & dicat viribus meis liberatus ſum.* Audiant, inquam, omnes contraria, & blaſphemias iactantes, audiant hæc ſpem ſuam in Domino ponentes, loqui vniuerſos aduerſus ſe Deus dicit, qui liberari ſe B
viribus ſuis poſſe præſumunt. Sic ille.

Quod etiam videre eſt in 2. *Mach.* vbi dicitur, quod *conſiderans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem beſtiarum, extendens manus in cælum prodigia facien-*
2. *Mach.* *tem, Dominum inuocauit, qui non ſecundum*
15. *n.* 21. *armorum potentiam, ſed prout ipſi placet dat dignis victoriam:* dixit autẽ inuocans hoc modo. *Tu Domine, qui miſiſti Angelum*
4. *Reg.* *tuum ſub Ezech. Rege Iuda, & interfeciſti*
19. *n.* 75. *de caſtris Sennacherib centũ octoginta quinque millia, nunc dominans cælorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui.* Et
2. *Paral.* homo Dei ad Amaſam dixit: *Si putas in*
28. *n.* 8. *robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus: Dei quippe eſt, & adiuuare, & in fugam conuertere.* Et Moy-
Deu. 20. ſes. *Si exieris ad belliũ contra hoſtes tuos, &*
num. 1. *videris equitatus, & currus, & maiorẽ quã tu habes exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum eſt,* quod alibi etiam teſtatur Scriptura, dum D ait. *Non in multitudine eſt virtus tua Domine, neq; in equorum virib. voluntas tua*
Iud. 9. eſt, quod eleganter dixit Dauid. *In nomine*
num. 16. *Dei noſtri magnificabimur*, vbi Pagninus,
Pſal. 19. *Vatab. Brixian. Caietan. Eugub. Genebr. &*
num. 6. *Arias Mont.* legunt, *Vexilla aut ſigna erigemus, ſeu eleuabimus, aut vexillo inſigniemur, ac triũphabimus, aut vexilla explicabimus.* Vt ſolẽt victores, & glorioſi duces.

Aduertit autem *Arias Montanus* illud, *in nomine Dei noſtri.* denotare in vexillis E inſcribendum nomen Dei, vt ſicut Conſtant. labaris inſcriptos habebat. *In hoc ſigne vinces*, cum cruce, & nomine Chriſti: ſic in vexillis deſcriptum nomen prædicere videtur victoriam, quandoquidem bellum aggrediebantur, non viribus, exercitúſque numeroſitate confiſi, ſed in nomine, & potentia Dei totam fiduciam ſuam ponentes. Fruſtra námque collocatur ſpes in alio, vel vt conſequantur bona, vel vt

effugiantur mala, non enim alienæ vires, non robur proprij corporis, ac ſtrenuitas ad vincendum, vel etiam reſiſtendum, non equi pernicitas ad fugiendum ſine Deo aliquid valet, teſtis Goliat gigas, triſtis Saül copiis militantibus inſtructus, teſtis Achab Rex Iſraël ſagitta transfoſſus, cum 1. *Reg.*
velociter currum fugeret, proindéque in 17. *n.* 4.
omnipotente Deo maximè confidendum, & *ſeqq.*
vt & bona poſſimus conſequi, & mala eius 1. *Reg.*
defendente manu, effugere. Vnde Dauid 31.
dicebat: *Oculi mei ſemper ad Dominum,* 3. *Reg.*
quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos, 22. *n.* 14.
reſpice in me, & miſerere mei, vbi *Auguſt.* *Pſal.* 24.
ait: *Nec timeam periculoſa, & terrena,* *num.* 15.
dum terram non intueor, quoniam ille, quem intueor, euellet de laqueo pedes meos. quibus ſimilia habet *enarrat.* 2. *in Pſalm.* 26. ad illa verba: *Confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Suſtinendo*, inquit, *Dominum habebis eum, habebis quem ſuſtinebis: aliud deſidera ſi maius, ſi melius, ſi ſuauius inueneris,* Et in *Pſal.* 30. *conc.* 1. ad il- *Pſal.* 30.
la verba: *Odiſti obſeruantes vanitatem:* C Oſtendit quam vanum ſit in alio præter Deum ſpem propriam collocare. *Ego*, inquit, *non obſeruo vanitatem, in Domino ſperaui, ſperas in pecunia, obſeruas vanitatem: ſperas in honore, & ſublimitate aliqua poteſtatis humanæ; obſeruas vanitatem: ſperas in aliquo amico potente? obſeruas vanitatem. In his omnibus cùm ſperas, aut tu exſpiras, & ea hic dimittis, aut cum viuis omnia pereunt, & in ſpe tua deficis. Ego autem non quomodo illi, qui ſperant in vanitatibus, & qui obſeruant vanitates: ſed in Domino ſperaui, qui non eſt vanitas.* Et in Pſalm. 97. ibi. *Fallax equus ad ſalutem*, ait: *Mentitur ibi equus quando promittit ſalutem, equum autem accipe etiam figuratè, qualibet amplitudinem huius ſæculi, quemlibet honorem, in quem ſuperbus aſcendis, quo altius ingrederis, te non tantum celſiorem, ſed etiam tutiorem, falſo putas: quomodo enim te deijciat neſcis, tanto eliſum grauius, quanto ſublimius ferebaris, mendax enim equus ad ſalutem.*

Hæc eſt ratio cur hac de re conquera- tur Deus apud Iſaiam, cum incipit. *Væ* *Iſaia* 30.
filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non *num.* 1.
ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, qui ambulatis, vt deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habẽtes fiduciam in vmbra Ægypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia in vmbra Ægypti in ignominiam, vbi carpit Hebræos,

quando expugnata vrbe, ij, qui in Iudæa remanserant, Babyloniorũ metu in Ægyptum contra Hieremiæ sententiam confugerunt, quem tamen Deum consulere, quid in ea re agendum esset, postularant: verum cùm respondisset manentibus in Iudæa fore Deum perfacilem, qui autem ad Ægyptios confugerent omnes penitus esse deleturum, falsa prophetam referre, & Baruchi mentem, quem se odisse malè opinabantur, non Dei oraculum exponere dicebant. Eum itaque cum Barucho in Ægyptum omnes profecti, vi secum pertrahere non dubitarunt, quod futurum annis ferè centum, & quinquaginta ante Hieremiam prædicit hoc in loco Isaiæ. Luget vero eorum vicem, qui Hieremiæ non crediderint, & qui antea filiorum ordini adscribebantur, præuaricatores appellat, eo quod spem suam in alio præter Deum collocauerint.

Quoniam vero ea, quæ maximè dolent, non tam facilè è memoria excidunt, etiamsi sermo de aliis incidat, cùm Deus tam ægrè tulerit spem, & fiduciam suam, Israëlitas in alio præter ipsum collocasse, statim *sequenti cap.*31. Illuc iterum redit, & illorum stultitiam traducere conatur, propriúmque dolorem aperit, dum de

Isaia 31. iis conqueritur, sic enim incipit: *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt: & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non requisierunt*; Vbi vt vides, illud, & dolentis pariter, & lugentis est, lugentis quidem mala eorum, qui in alio præter Deum spem suam collocarant; dolentis vero offensam sibi hac in re illatam, quam proinde in seipsis merito experti sunt, vnde per exprobrationem illis dicitur; *Fortitudo Pharaonis erit vobis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam.* Longè aliter Moyses, qui hoc in loco Deum prædicat omnipotentem in ipso sperabat, quando populum monebat, ne desponderent animis, ad illa, quæ audie-

Nu.14. num.9. rant de Chananæis, sic enim ait: *Non timeatis populum terræ huius: quia sicut panè, ita eos possumus deuorare. Recessit ab eis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite metuere*, quæ verba sic legit *August. q.*23.*in Num. Recessit tempus ab eis, & Dominus nobiscum est*; vbi vides ea omnia, in quibus hostes confidebant, & vnde præsidium quærere poterant, temporis nomine appellasse, vt aduerterent omnia præsi-

A dia humana, instar temporis caduca, & instabilia prorsus esse, & per sua momenta perpetuo extrahi, nec verò dicit, tempus suum ab eis recessit, nostrum vero aduenit, sed tempori ipsorum in quo confidebant, opponit Deum, qui semper est, & cuius anni non deficiunt, & supra omne tempus omnipotens est. Vnde vt Deus Ps.101. num.28. ostenderet se supra tempus, & supra omnem naturæ vim, & cursum esse, cum Abrahæ quinto iam apparuit, vt ipsum melius disponeret ad credendum his, quæ

B dicturus erat, præsertim de filio ei iam adeò seni, ex Sara non solum naturaliter sterili, sed etiam prope nonagenaria suscipiendo, quod naturaliter fieri videbatur nullo modo posse; præmisit *Ego sum* Gen.17. num.1. *Deus omnipotens*: hoc siquidem posito nulla restate poterat ex parte promittentis difficultas, neque ex parte Abrahæ dubitatio. Quod si post promissionem à Deo factam ipse risit in corde suo, id quidem non fuit præ diffidentia, aut incredulitate, alioqui ipsum redarguisset Dominus,

C quemadmodum Saram dum dixit; *Quare risit Sara? nunquid Deo, quicquam est* Gen.18. num.24. *difficile, iuxta condictum reuertar ad te, hoc eodem tempore; vita comite, & habebit Sara filium*, quod optimè tractat *August. q.*36.*in Genes.* sed præ nimio stupore, tanquam quodammodo in se capere non valens tanti beneficij magnitudinem, quæ omnem eius expectationem veluti in immensum superabat, vnde *August. loco citato*, reddens rationem, cur risum Saræ Dominus redargueri non sic risum Abra-

D hæ: *Nimirum*, inquit, *quia risus Abrahæ fuit admirationis, id verò discerni, & diiudicari ab eo potuit, qui solus nouit corda hominum*, Confidentissimo itaque animo credidit Abraham Deo omnipotenti in bonis quidem conferendis, sicut etiam confidit, quando pene filium dilectissimum immolaturus stetit, nihil conquestus, nihil sciscitatus, nihil hæsitans, sed potius confidens, sicut aduertit *Paulus*, Hebr.11. num.16. quia & à mortuis suscitare posset immolatum filium, & in cineres redactum pa-

E tri rediuiuum restituere: quo etiam respicit Dauid quando dixit: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal.22. num.4. Quæ verba ponderans *Chrysost. hom.*7.*in Psal.*22. *&* 116. ait. Apostolus quando inter fratres ambulabat, in medio vmbra mortis incedebat, maledicebatur, benedicebat, iniuriam patiebatur, & non comminabatur, 1. Cor.4. num.12. quando ista patiebatur in medio vmbræ mortis.

mortis ambulabat. Sed non timemus quia Deus pro nobis est, & fortior nobiscum magis, quam cum illis, & potior est ille ad protegendum, quam illi ad expugnandum, &c.

Nunc melius intelligetur, quid voluerint Iudæi quando clamante Christo voce magna. *Eli, Eli lamma sabacthani: dixerunt Etiam vocat iste*: cum enim Iudæorum malitia nihil aliud magis curauerit quam infamiæ notam Christi rebus, dictis scilicet & factis inurere, propterea dixerunt Christū in extremo periculo constitutum, Eliæ opem, & auxilium clamando postulare, vt omnino traducerent, & talem probarent, qui non in Deo, sed in Elia spem suam, & confidentiam collocaret, sic enim exponit hunc locum *D. Hier. Non omnes*, inquit, *sed quidam stantes dicebant. Eliam vocat iste: quos arbitror milites fuisse Romanos non intelligentes sermonis Hebraici proprietatem, sed ex eo quod dixit. Eli, Eli, putantes Eliam ab eo inuocatum. Sin autem Iudæos, qui hoc dixerint, intelligere voluerimus, & hoc more sibi solito faciunt, vt Dominū infament, qui Eliæ auxilium deprecetur.* Sic ille, ostendit quomodo cesserit in detrimentum honoris Christi, si ab alio quam à Deo auxilium, & opem in extremo discrimine imploraret, & postularet, vnde rectè Iudith inuehitur in Oziam, qui veluti desperans de diuino auxilio in obsidione suæ ciuitatis, terminum quinque dierum assignauerat. *Expectemus*, inquit, *humiles consolationem Dei, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes gentes, quacunque insurgunt contra nos, & faciet illas sine honore.*

Matt. 27.

Iud. 8. num. 20.

Hæc etiam est ratio cur Asa Rex Iuda reprehendatur, eo quod quando *ægrotauit dolore pedum vehementissimo in infirmitate sua non requisierit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus sit.* Vbi *Theodor. quæst. 46. in 3. Reg.* ait. *Ego duorum alterum existimo, aut eos, qui incantationibus vsi sunt, ac veneficijs vocatos esse medicos, vel quod solū crediderit medicis, in Deum spem non habens: nam qui vera pietate sunt præditi vtuntur medicis tanquam Dei ministris, scientes quod etiam medicinam ipse dederit hominibus, sicut & alias artes, & herbas ipse iusserit germinare, è terra: sciunt tamen, quod nihil potest ars medicorum, Deo nolente, sed tantum potest quantum ipse vult*, hæc Theodoret.

2. Paral. 16. n. 12.

Iure etiam reprehenditur impius Ieroboam, qui dixit in corde suo *Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus ad Dominum suum Roboam Regem Iuda, interficientq; me, & reuertentur ad eum, & excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis. Nolite vltra ascendere in Hierusalem, Ecce dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Huius igitur dementiam, dum in alio, quam in Deo spem conseruandi regnum collocauit, sic videt ibi *Abul. q. 22.* Quomodo poterat conseruari regnum Ieroboam? credere debebat, quod Deus, qui dederat ei regnum, cum non esset de progenie Regum, conseruaret ei illud, dum coleret ipsum, omnipotens siquidem nomen eius, & ad bona conferenda, & ad eadem conseruanda.

3. Reg. 14. n. 26.

Quod optime agnouit Dauid in *Psal. 7.* cui titulum apposuit: *Psalmus Dauid pro verbis Chusi*, vbi ex sententia sanctorum Patrum Græcorum sermo est, de Chusi, quidquid alij refragentur, etenim cum Dauid ambitiosum filium fugeret, dixit ad Chusi. *Si veneris mecum, eris mihi oneri, si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalon Seruus tuus sum Rex, patere me viuere, sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus, dissipabis consilium Achitophel.* Nequis vero suspicaretur Dauidem spem suam in Chusi collocasse, quo tandem liberaretur ab inimicis suis, & præcipue à consilio Achitophelis, dum pro sermone Chusi gratias Deo agit, qui dissipauerat consilium Achitophelis, de persequendo, & extinguendo Dauide, ostendit totam suam spem, & fiduciam in Deo collocasse, qui eum in regno conseruare poterat, & ab aduersariis quantumuis potentissimis, omnipotens liberare, ideoque incipit dicendo: *Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.*

Psalm. 7.

2. Reg. 13. num. 11.

2. Reg. 17. num. 7.

Psalm. 7. num. 1.

Similis est apud eundem totus *Psalm. 3.* vbi postquam multos dicit habere persecutores, *n. 4.* ait, *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum*: vbi notandum est quod vox Hebræa, Maguel, pro qua vulgatus Latinus ait, *Susceptor meus*, propriè significat scutum, siue clypeum, quo totum corpus protegitur, metaphoricè autem significat hoc loco susceptorem, siue protectorē, vnde *D. Hieron.* iuxta Hebraïcam veritatem sic vertit. *Tu autem Domine clypeus meus circa me*, similiter, & paraphrasis Cald. metaphoram reliquit vertens. *Tu autem Domine scutum supra me*, vt

vt ostendat Dauid nihil sibi timendum eum in Deo speret, quem protectorem habet, etenim sicut dixit *Philo lib. de somnijs*, quomodo post hac timere possumus, cum habeamus te pro clypeo depellente omnes metus, & affectus alios, &c. & eandem fiduciam magis explicans Dauid, sicut solet, ait: *Gloria mea, & exaltans caput meum*, & *paraphrasis Chald.* habet: *Honor meus*, id est, auctor, & materia omnis gloriæ meæ, & in quo solo gloriari soleo, & debeo, vel etiam vt exponit Rabbi Dauid, defensor gloriæ meæ, qui si velis facile potes pristinam dignitatem, & gloriam, & regnum mihi restituere. Et quoniam, qui tristes sunt caput &
Genes. 4. vultum demittere solent, iuxta illud Ge-
num.6. nesis, *Cur concidit facies tua?* Contra vero qui læti incedunt, caput vultumque erigere solent, ideo exaltare caput alicuius vsurpat sacra Scriptura metaphoricè, pro lætitia afficere, & consolari eum, qui tristis est, & præ dolore deiectus, proinde *Dauid* ait. Tu es, qui potes, & soles me tristem consolari, mæstum remittere, & hilarem reddere, est enim fons, & origo omnium bonorum Dei assistentia, quod etiam à Poëtis subvendicatum est, quando Vlyssi Mineruam, Æneæ Venerem, Heroibus aliis Deos alios comites, & quasi laterones adiungunt.

Videndus hac de re *Aristid. in panegyrica orat. & aduersus otij obtrectatores.* Vnde etiam, & adagium reperitur. Deo præeunte nullus officit obex, sicut
Psal. 17. etiam Dauid ait: *Diligam te Domine*
*num.*1. *fortitudo mea*, &c. quem locum quidam Neotericus sic carmine vertit: Sancte parens, mea vis, mea sola potentia tu eris, &c. *Et Dominus illuminatio mea. quem*
Psal. 26. *timebo?* Et *Apostol.* Si Deus pro nobis,
num. 1. quis contra nos? Et *Aug tract.*41.*in epist.*
*Rom.*8. *Ioan.* Solus diabolus aduersus nos pugnat,
num. 31. nos cum Deo sumus, & diabolum vincemus, &c. Et *Arist.lib.*2. *Rhet. cap.*5. recte ait illam opinionem, qua existimatur Deus opem ferre afflictis, fiduciam valde ingerere.

Est in hanc sententiam optimus locus
*Psalm.*4. apud Prophetam regium cum ait: *Signa-*
*num.*7. *tum est super nos lumen vultus tui Domine*, vbi verbum Hebræum Nasas pro quo vulgata editio vertit, signatum est, imperatiui modi est, & proprie significat ostendere, declarare, seu eleuare, vt sit sensu, sostēde nobis Domine vultum tuum placidum: ostendit enim ibi Propheta ea bona, quæ optabant, ij qui dicebant: *Quis*

A *ostendet nobis bona?* Non esse magnopere considerranda neque desperandum nobis esse in rebus aduersis, sed tunc maxime ad Deum confugiendum, qui dixit: *Heb.*13.
Non te deseram, neque derelinquam, & *num.* 15.
*Deut.*31. vt benigno vultu nos respiciat. *Deut.*31.
Et sic interpretatur hunc locum Rabbi *num.*9.
Dauid, Rabbi Abraham, Rabbi Salomon, & ante eos paraphr. Chald. & D. Hieron. in psalterio suo iuxta Hebraïcam veritatem, qui omnes vertunt hoc modo per imperatiuum. *Eleua Domine lumen vul-*
B *tus tui.* Et certe verbum Hebræum significat eleuare, seu extollere signum, siue vexillum, vt milites vexillum intuentes ducem sequantur, locum, ordinemque seruent, sicut legimus Moysem fecisse serpentem æneum, & posuisse, seu eleuasse eum pro signo, vt omnes illum intuentes percussi sanarentur. Hoc tamen loco si- *Num.*21.
gnificat per translationem ostendere, ac *num.*9.
declarare, nam quæ volumus esse omnibus ostensa, & manifesta, eleuamus ac erigimus. Deum itaque precatur hoc in loco
C Propheta, vt se suosque benigne respiciat, idque vt significet eleganter vsus est hoc verbo ostendendi, siue manifestandi metaphoricè: & lumen vultus tui, vsurpat pro fauore, & beneuolentia Dei erga suos, sicut & nos vulgari sermone vsurpamus atque etiam vsurpauit Poëta, cum dixit de suo Ioue.

Vultu, quo cælum, tempestatesq́; serenat.

Ipse enim omnipotens Deus, qui solus exaltare potest, est etiam cuius vultus super nos eleuatus potest quæcunque mala
D depellere, & bona omnia conferre. Quo sensu dixit idem Propheta, Nec enim in *Psal.* 43.
gladio suo possederunt terram, sed dexte- *num.*4.
ra tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Et Iob etiam pristinam suam *Iob.*29.
fælicitatem commemorans ait: Quando *num.*3.
splēdebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris, vbi Vatabl. Ad lumen eius ambulabam per tenebras, hoc est, vincebam fauore illius summas tribulationes, tenebras rerum difficultates, dum per gratiam eius
E nihil mihi erat difficile, & sæpe alibi occurrit, hæc phrasis in sacra Scriptura, deductaq; forte est à forma Pōtificali benedicendi, *Num.*6. vbi habetur: Locutus est *Num.*6.
Dominus ad Moysen dicens: *Loquere Aa-* *num.* 29.
ron, & filijs eius. sic benedicetis filijs Israël, & dicetis eis. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.

facem. Cum ergo Dauid grauem necessitatem pateretur, & penuriam quādo eum filius suus persequebatur, vt colligitur ex 2. *Reg. c.*16.17.*&* 19. quo fortasse etiam alludit cum statim ait: *A fructu frumenti vini,& olei sui multiplicati sunt*,precatur vt Deus illuminet vultum suū super eum, vt omnia abscedant mala, sicut tenebræ lumen fugiunt, & accedant omnia bona, quæ vultus Dei præsentiam comitari solent. Vnde obiter etiam constabit Dauidem hoc in loco, neque loqui de diuina prouidentia, vt aliqui putant,secuti *Basilium, & Chrysost.* neque etiam loqui de synderesi, id est, de illa vi, facultate, siue habitu, & lumine naturali, quo assentimur omnibus iis, quæ sunt rationi æternæ, siue legi diuinæ consentanea, qua de re *D. Thom.* 1. *par. quæst.* 79. *art.* 12. *&* 13. Et alibi, cui expositioni suffragatur *August.* ibi, *& Euseb. Cæsariens. lib.* 11. *de præparatione, cap.* 8. *Lyran.* & qui eos sequuntur.

Precatur itaque Dauid hoc in loco diuinam omnipotentiam,in qua sola confidit,& de qua sola sperat,& ideo dicit: *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam,* vbi Rabbi Dauid ita exponit, vt sit sēsus. *Tu Domine solus potes facere, vt etiam in medio malorum securus sim, & nemo mihi aliquam molestiam inferat, sed tranquillo animo cubem, & dormiam.* & certè, qui fontem Hebræum inspexerit procul dubio inueniet hunc esse verum, & germanum sensum horum verborum,quæ nobis clare ostendunt, & probant eos, qui sese diuinæ omnipotentię tradunt,& committunt, nihil timere posse,ac debere,alioqui
Prou. 12. non diceret Salomon.*Non contristabit iu-*
num. 21. *stum quidquid ei acciderit*, neque etiam
Rom. 8. Paulus similiter diceret: *Scimus quoniam*
num. 28. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*,quæ verba intelligit *August. epist.* 156. *ad Probam* non solum de operibus, quæ appetuntur, vt suauia, sed etiam de illis,quæ vt molesta vitantur, *& lib. solil. c.*28.*&* 29. affirmat prædictis electis, & amicis Dei ipsa etiam peccata cooperari, & cedere in bonum, videndúsque est *serm.* 127. *de tempore* in medio vbi ait: *Speremus semper in Domino,& nihil sine eius voluntate,& adiutorio præsumamus: nosti enim, quid temerè B. Petrus promiserit Christo. Et*
Mat. 26. *si omnes scandalizati fuerint in te, ego*
num. 33. *nunquam scandalizabor, Dominus,qui nouerat fragilitatem humanam, & sciebat non esse in promissione, sed in consummatione virtutem: Amen,inquit,dico tibi,quod*

A *in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Dicit ei B. Petrus: Etiamsi me oportuerit mori tecum,non te negabo. Videte fratres responsionem discipuli, & intelligite dilectionis esse,quod dicit,sed quia per solum sui amoris studium,non addito etiam adiutorio Domini voluit esse, promissum stare nō potuit per hominem, quod sua diuinitate pendebat*,ita Aug.similia habet in *Psal.*9.
cum explicat illa verba:*Sperent in te, qui* Psal. 9.
cognoscunt nomen tuum. Cum destiterint, num. 11.
B ait,sperare in diuitiis,& in aliis huius sæculi blandimentis, quærente quippe anima, vbi figat spem, cum ab hoc mundo auellitur, opportunè explicat, & excipit cognitionem nominis Dei. Dominus di-
xit ad Moysem,*Ego sum,qui sum.*Sperent Exod. 3.
ergo in te, qui cognoscunt nomen tuum, num. 14.
non sperent in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi, erit, & fuit, quoniam quod in illis futurum est, cum venerit fit statim præteritum, & expectatur cum cupiditate, emittitur cum dolore; in Dei autem na-
C tura non erit aliquid quasi nondum sit, aut fuit quasi iam non sit, sed est tantum id,quod est.Sic ille. Quod si *Aug.*ex Dauide probat, ideo sperandum esse in Domino,quia est,efficacius quidem probatur in eo omnino confidendum, quia est omnipotens.

Videndus pro hac re *Theodor.q.*31.*in* 1. *Reg.* vbi expendit Ionatham dixisse ad
adolescentem armigerum suum,*Veni trā-* 1. Reg.
seamus ad stationem incircuncisorum ho- 14. n. 1.
rum,si forte faciat Dominus pro nobis,quia
D *nō est Domino difficile saluare,vel in multis,vel in paucis.* Sic ergo ait Theod. *Hæc verba sunt animæ,quæ in Deo confidit. Cum autem sic confidisset non fuit spe frustratus: nam cum primum irruisset, & iaculum emisisset, & lapides esset iaculatus, fudit castra hostium, namque Deus non deserit, imo maximè opitulatur ijs,qui confidunt in diuina omnipotentia, Deúmque pugnatorem insuperabilem agnoscunt vt cōtra aduersarios ab ipso præstolentur auxilium*,sic ille.Videndus idem *Theod. q.*19.*in* 2.*Reg.*
E *& Hier.lib.*4.*in Ezech.c.*14. vbi ait quod si in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus, maledictus enim omnis homo, qui spem habet in homine, quamuis
Sancti sint, quamuis Prophetæ,& cætera, Hierem.
quæ prosequitur,*& c.*16. ait. Grande cri- 17.
men non in Dei clementia, sed in suo decore confidere, quanto quis sublimior fuerit,debet timere ne corruat,& fornicetur in nomine suo. Non ergo confidamus

in propria pulchritudine, &c. Nec Dei liberalitatem nostram putemus esse virtutem: sed potius audiamus, *Ne glorieris in crastinum, nescis enim quid superuentura pariat dies.*

Prouerb. 27.

Non minimam ingerit difficultatem, quod Deus filijs Israel ingredientibus terram promissionis captas ciuitates cõburi iusserit, sic Ierico, cum omnibus, quæ in ea inuenta sunt combusta est: sic & Hai incensa est, & funditus deleri iussa, cur enim præcepit Deus euertere ciuitates, quas ad habitandum promiserat populo suo, vbi dicitur: *Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, & possederis eam, habitaueris que in vrbibus eius, & in ædibus, &c.* Deinde quia apud Xenophontem extat prudentissima deliberatio summi Imperatoris Cyri *lib.6. instit.* qua ostenditur, & docetur ad bellum in aliena ditione gerendum esse consultissimum, & vtilissimum non solum hostibus quantum fieri potest plurima castella eripere: verum sibi, suisque possidenda plurima comparare: quippe qui hoc non faciũt, eos nihil differre ab illis, qui per vastũ pelagus nauigant, nam nauigant illi quidem perpetuo cursu, sed quam maris partem nauigatione semel percurrerunt, eam non magis tenent, aut possident, quam adhuc intactam & nauigandam, neque enim in ea parte quam transierunt, aliquos socios, nauésque reliquerunt, ratione quarum possent se possessores aliquo modo appellare. Verum ea ratio placet *Masio Ios. cap.8. num.8.* quod scilicet voluerit Deus populum suum humanis fidere rationibus, sed sua vnius ope, & gratia niti, suos obseruare nutus, in se solo fiduciam omnem habere collocatam, suam vnius buneuolentiam, vt tutissimum receptaculum intueri. Volebat quidem vt paulatim profligatis veteribus colonis, habitationes sibi in Chananæa compararent: vrbésque ab illis relictas colerent. Verum nondum vsque eo repressus erat hostis, vt consultum esset locos vllos munitos manere, qui illi possent rursus esse receptui, & alioqui præsidiis tenere castella, atque oppida, priusquam magna belli pars confecta esset, nihil fuisset aliud, quam sui fiduciam augere, & Dei minuere, cum tamẽ deberent nihil omnino in se confidere, & res suas omnes diuinæ omnipotentiæ committere, quæ in se confidentibus nullatenus deesse solet.

Ios. 7. num. 44.

Ios. 8.

Deut. 19. num. 1.

Cuius rei singulare extat exemplum

A in matre Moysis; quæ diuinæ omnipotentiæ commisit filium, dum eum exponit in carecto ripæ fluminis: Is vero cuius nomen omnipotens, quique currus Pharaonis deiecit in mare, de flumine eripit, qui eum deiiciat, idque vt discamus maximam fiduciam habere in omnipotente Deo, sicut ibi notauit *Lypoman.* cum ait. Crudelitati patris obstitit filiæ clementia, Discamus vbique confidere in Domino, qui mirabiliter eximit suos, & consolatur in se sperantes, vt B quem exposuerunt prouidentiæ Dei, ipsum reciperent cum pace Regis, deque ipsius alimonia, non propriis impendiis alendum, vt matris quóque vberibus restitueretur lactandus: quod quid erat mirabilius? sed sic Dominus agit cum suis fidelibus, sic igitur parabatur à Rege, contra Regem. Tantum ille.

Exod. 1. num. 3.

Cui accedit *Bernard.* quatenus in hanc sententiam notauit *serm. 3. de Epiph.* Magos, vbi primum Hierosolymam ingressi sunt, quasi viam & auxilium ab homini- C bus postulantes, qui à Deo fuerant vocati, statim stellam ducem cælitus missam, eis fuisse absconditam donec iterum egrederentur è ciuitate, homines veluti relinquentes, Deúmque solummodo quærentes, & eidem appropinquantes. Ait ergo *Bernardus* cum recessissent Magi, & reliquissent Iudæos. *Ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos.* Hinc manifeste datur intelligi quoniam humanum flagitantes consilium, diuinum amiserunt ducatum, & conuersos ad terre- D num documentum, signum celeste defecit, vnde, & relicto Herode cõtinuò *gauisi sunt gaudio magno valde.* Stella enim antecedebat eos: quo facto voluit illis Deus ostendere non aliunde bonum aliquod sperandum esse, nisi à Deo, qui solus potest, & solet sperantibus in se adesse, quod imprimis illius omnipotentia nos adinonet.

Semper tamen illud prę oculis maximè habendum est, vt & in beneficiis postulandis & in malis à nobis auertendis non to- E tum negotium diuinæ prouidentiæ, & omnipotentiæ ita committamus, nihil prorsus operantes, & de nostro facientes, vnde ea, quæ à Deo speramus promereri possimus, id enim potius vana pręsumptio est, & superba confidentia, quam recta spes in Deo, quod dixit *Bernard. serm. in Cœna Domini*, cum ait. Sine meritis aliquid sperare, nõ spes, sed præsumptio debet dici, quæ fuit ratio, cur *Clemens Alex.*

Alex. 2. stromat. dixerit. Est autem spes bene sperans expectatio bonorum, vbi notanda sunt verba, bene sperans, is enim, qui bona sperat, cum male viuat, male vtique sperat, solus enim qui bene operatur, bene etiam sperare dicitur.

Pro qua re videndus est *Theod. q. 13. in lib. 1. Reg.* vbi quærit, cur Deus permiserit
1. Reg. 4. vt arca caperetur ab hostibus, sicut habetur *c. 4. lib. 1. Reg.* & respondet: Quod factum est duplicem produxit vtilitatem, nam Hebræos quidem docuit, vt legitimè viuentes in Dei confiderent prouidentia: legem autem transgredientes, neque ipsa, neque in arca non tangenda confiderent.

Cur enim legem transgredientes, arcam ad auxilium traherent, quæ legem intus habebat sitam, & eorum vitam redarguebat, vt pote, qui eiusdem legis essent præuaricatores, quasi soli ij in Deo confidere deberent, qui eum diligerent, & mandata eius obseruarent: aliter enim, quæ supplicia possint sperare docentur, dum Deus suam ipsius arcam, quam tanta obseruatione coli voluit ad hostium manus deuenire permittit. Illius itaque omnipotentiæ, cui omnis spes nostra inniti debet, cum hoc maximè nos edoceat, insimul ostendit, vt nihil contra Dei voluntatem committamus, si illius auxilium opportunum nobis adesse velimus.

Tertius tandem motus, quem in nobis causare debet Dei omnipotentia, est timor ipsius, quis enim non timebit omnipotentem Dominum, qui & punire potest, & mittere in gehennam, & in nihi-
Ionas 1. num. 4. lum redigere nos? Vnde *Ionas* dicebat, Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam, quæ verba continent periphrasim diuinæ omnipotentiæ, quam iustè comitatur hominum timor, vnde
Malac. 1. per *Malachiam* ait. Si ego Dominus, vbi est timor meus? Et *Greg. 5. moralium c. 21.* Humana mens, inquit, quo altius eleuata, quæ sunt æterna considerat, eò de factis temporalibus grauius tremefacta formidat, &c. in quam sententiam eleganter dixit *Nazianz.* nostrum timorem esse tributum, seu vectigal, quod soluimus diuinæ omnipotentiæ & à nobis exigit, sic enim habet *orat. 24. Cæsari*, vt par erat, quæ sunt Cæsaris contulistis, Deo etiam, quæ Dei sunt tribuistis illi nempe vectigal, huic timorem. Et hoc sanè solue-
Apoc. 15. num. 4. bant, qui in *Apoc.* dicebant. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?

A Hoc etiam exigebat qui apud *Isai.* dicit *Isai. 8. num. 13.* Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester, ipse terror vester, &c. Qui quidem timor necessarius quidem est ad hoc, vt anima sperare in Deo possit, ipsumque diligere, vt videre est apud *Isai.* *Isai. 25. num. 18.* Præsertim si consulamus LXX. interpretes, cum ita habent: A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis, quod vulgatus interpres, dixit: A facie tua concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis, idest, propter te,
B seu timore tui cœpimus de nostra salute cogitare, fructúsque virtutum inde originem traxere, quod etiam probat *D. Thom. 3. p. q. 85.* duobus extremis articulis, probat etiam, & tritum illud exemplum de seta, quod affert *Aug. tract. 9. in Epistol. Ioan.* qui locus habetur in *cap. sicut seta de pœnitent. distinct. 2.* per se tam enim introducitur linum, quando aliquid suitur, sed non fueretur nec succederet linum nisi exiret illa, videndus etiam hac de re idem *Aug. lib. de Catech. rudib. c. 5.*
C Et *Tertull. lib. de cult. fœminar.* vbi ait: Timor fundamentum salutis est. Et Salomon in *Prouerb.* in hoc sensu videtur dixisse. *Prou. 14. num. 27.* Timor Domini fons vitæ, idem notasse videntur Patres Concilij Tridentini *sess. 8. canon. 8.* vbi dixerunt per metum gehennæ homines confugere ad diuinam misericordiam. Hoc etiam notauit *D. Hieronym.* ad illa verba *Psal.* Timete Dominum omnes Sancti eius: timere, inquit, *Psal. 32. num. 10.* incipientium est; videndus *Cassian. lib. 4. de instit. renunt. cap. 39.* cum ait: Prin-
D cipium nostræ salutis, eiusdémque custodia, sicut dixi timor Domini est, per hunc enim, & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia, his, qui imbuuntur ad perfectionem, acquiritur. Est enim natura timoris, vt fugiat mala, quæ timet, & remedia non deserat, quibus illa effugere possit; cùm autem omnis anima gehennam maximè timeat, consequens est, vt virtutem sedulo conseruet, ne in illam incidat. Similia habet *Clemens Alex. orat. ad gentes* non longè
E à principio, vbi latè agit de mediis, quibus curare solet Deus hominũ ægritudines, idest, peccata, & eosdem in salute, & gratia conseruare. Multiplices, inquit, habet seruator voces ad salutem, multiplices modos, & igne terret homines, ex columna flammam accedens, quod est simul gratiæ, & timoris indicium, si obedieris lucem, si non obedieris ignem. Etenim sicut dixit idem *Clemens 2. stromatum.*

Multoties, quos non expugnat ratio, eos mansuefacit timor. Et *cap.4. eiusdem lib.* appellat timorem pædagogum legis, qui scilicet, eam manu ducit, & intromittit in animam, vt ad cæteras virtutes eam disponat, quæ viam facilem inueniunt, vbi iam timor diuinæ omnipotentiæ adest, similia habet *Chrysost. homil.7.* ad populum, vbi inter alia ait: Non ita bonorum promissio ad virtutem multos euocat vt malorum intentatio timore compellit, & ad animæ curam excitat.

B Quod si velis rationem agnoscere, cur principium cæterorum bonorum in nobis sit timor potius, quam amor, eam acutè sanè reddidit *Arist. 3. ethicor. cap.9.* cùm dixit: Nemo nostrum est, qui non magis dolorem fugiat, quam voluptatem quærat. quod accuratissimè prosequitur *August. tom.4. lib.83. quæstionum, q.36.* Et clarius *tract.9. in Epist. Ioan.* Quæ fortè fuit ratio, cur Spiritus sanctus, siue ipse amor productus diffusus fuerit in homines per ignem, præmisso turbine, ad commonefaciendum, scilicet, iudicium, vt notauit *Chrysostom. homil. 1. in Acta Apostolor.* Iudicium, scilicet districtum de iis hominibus, qui potius ducerentur minis, & terrore suppliciorum, & ignis intentatæ gehennæ, quam amore, imo potius de iis, quibus nec timor pædagogus esset ad introducendam charitatem, cuius præcessorem ipse amor productus adduxit præfiguratum in turbine, & terræmotu, solet enim Deus animam timore affectam, diuino lumine charitatis illustrare, & accendere. Videndus etiam *Gregor. homil.34. in Euang.* vbi ait: Praua mens si non per timorem auertitur ab assuetis vitiis, non emendatur. Facit & *Iustinus martyr orat. pro defens. fidei*, vbi ait. Metum deos etiam falsos fecisse, Mercurios enim, & Ioues, atque alios, non bona quæ fecerint, sed metus deos reddidit, quod aduertit *Procopius* dicens, apud veteres duorum deorum genera fuisse, vnum bonorum, aliud malorum, malis autem perpetuo sacrificabant, ne eis nocerent, Clarius hoc dixit *Statius*, cum ait: Primos in orbe deos timorem fecisse, videndus *Plut. in vita Cleomenis*, vbi docet Lacedæmonios solitos fuisse timorē diuinis honoribus colere, quia homines illo ducti ad Deum confugiunt, imo aliqui existimarunt, nomen Deus, deriuari à voce, Theos, significante metum, eo quod Deus ab omnibus timendus sit, & Dei timor homines in officio contineat, &

Actor.2. n.2. & 3.

C D E

A inde incipiant Deum diligere.

Hoc ipsum videre est apud *Ion. in c.1.* vbi ante omnia alia opera à Religione professa, introducitur timor apud nautas; sic enim habet sacer text. *Timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum*, deinde. *Deum cæli ego timeo*, & iterum statim. *Timuerunt viri timore magno*, tandemque dicitur. *Timuerunt viri timore magno, Dominum; & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.* Et in *Deut. cap.5.* habetur. *Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore?* Vbi vides cæteris operibus præponi timorem, & certè Pauli conuersio à timore, & tremore incepit, & perditus filius à timore exorditur regressum ad patrem, & conuersionem ad eundem, dum ait: *Iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarys tuis.* Etenim dum se seruum profitetur, indicat timorem, quo ductus, & adactus patrem adibat, & se timore trementem ipsum reuereri, amorem si quidem perdiderat filij, & proinde seruus vult saltem fieri timendo, etenim quandiu homo à charitate manumissus non est seruus tantum est, quemadmodum dixit *Bernar. serm.83. in Cant.* qui omnino videndus est *serm. de primordys, &c.* vbi ait. O homo si pudorem perdideras ad nobilem creaturam pertinentem, si dolorem non sentiebas afflictionis, quod est etiam carnalium, vel timorem non omittas. Time ergo ô homo quod in morte separandus es à bonis omnibus humani corporis. Time quod in die iudicij, &c. quæ in hanc sententiam prosequitur. Videndus item *Chrysost. homil.23. in 1. ad Corinth.* vbi à maiori ad minus circa timorem argumentatur, expendit enim illum timorem Apostol. vbi dicebat. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alys prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Ait ergo *Chrysost.* quod si Paulus hoc timuit, cùm talis esset præceptor, & post prædicationem, & orbis terrarum susceptum patrocinium formidauit, quidnam nos dicemus? Nolite enim putare solam fidem ad salutem vestram satis esse, &c. quibus similia habet *August. lib. de natura, & gratia, cap.23.*

Ion. 1. num.5. & seqq.

Deut.5. num.29.

Actor.9. num.6. Luc.15. num.19.

1. Cor.9. num.27.

Hic ergo timor (concludit Bernard. proximè citatus) *initium sapientiæ dicitur, non pudor, non dolor, quia neuter eorum sic initiat ad sapientiam, neuter tantam habet efficaciam; validior enim est, & vehemētior*

spiritu

spiritus timoris ad resistĕdum peccato, quam pudor, & dolor, quia pudor de multitudine, & dolor de qualicunque huius mundi consolatione capit solatium, timor verò non inuenit vnde consoletur. Sic ille. Cui addendus *Nazianz. orat.* 12. vbi pro Dei timore sic ait; *Nec quicquam perinde metuendum, quam ne quid magis, quam Deum metuamus.* Desperandum etenim est de illius salute, qui aliud magis timet, quam Deum, quem etiam dæmones contremiscunt, qua de re videndus *Guarric. serm.* 4. & *Augustin. de temp. barbarico, cap.* 1. Videndus item *D. Chrysost. homil.* 2. *in Epist. ad Rom.* vbi asserit, quod etiam si ob nullam aliam causam, certè ob hanc vnam gehenna digni sumus, quod scilicet, plus gehennam quam Deum timemus. Videndus item *homil.* 5. *ad populum*, vbi asserit nos puerilem timorem habere, dum quæcunque terrena sunt timemus, etiamsi mors sit, quæ timetur. Rem denique præsentem claudat *Tertull. libr. de pœnit. c.* 2. cum ait: Vbi metus nullus, emendatio proinde nulla, &c.

Iacob. 1. *num.* 19.

Conducit etiam maximè timor omnipotentiæ diuinæ ad conseruandam animam in iustitia, quod expressè significatum videmus in illa quinta apparitione Dei ad Abraham, cum ei dixit: *Ego sum Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Ac si dixisset, propterea satage placere mihi, esto paratus, ac promptus ad perficiendum quæcunque mandauero tibi; æquum enim est, vt quem omnipotentem audis, & ex auditu credis, eundem velis beneuolum, & familiarem diu conseruare, & quamcunque ipsius offensionē perhorrescere, & effugere. Nam sicut dixit *D. Thom.* 1. 2. *q. art.* 4. *ad* 2. Primus actus timoris etiam filialis est timere separationem à Deo; filius enim timet separari à patre, secundum quem actum neque in Angelis, neque in beatis timor filialis reperitur.

Gen. 19. *num.* 1.

Perfectus itaque timor diuinæ amicitiæ dissolutionem maximè timet, nam sicut dixit *Beda tom.* 5. *cap.* 2. *in Luc. Iustus quanto ardentius Deum suum diligit, tanto solertius offendere cauet.* Et *Gregor.* 19. *moralium, cap.* 7. *Ille veraciter vim diuini timoris intelligit, qui se à cunctis prauis operibus custodit.* Vnde *Bernard. serm. de triplici cohærent. vinc.* Timorem appellat vincula, & clauos, quibus Deo adhæremus. *Est*, inquit, *qui clauis configitur Domino maiestatu, quem timor Dei ligat, qui non expauescit ad vultus hominis, &c.* Quibus habet similia *August. in Psalm.* 149. eum timorem ferrea vincula appellat. Sic enim habet ad ea verba *Psal. eiusdem num.* 8. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Ferrea,* inquit ille, *vincula sunt quandiu timent, ament, & aurea erunt.* Et *Philo libr. de profugis. Timor cohibebit subditum, si parentis amor parum valet apud filium.* Similia habet *Basilius in c.* 1. *Prouerb.* vbi timorem appellat clauos, qui nos fixos in officio retinent. Et *Chrysost. homil.* 1. *de verb. Isaia.* Vidi Dominum, ait: Præceptorum diuinorum impletio gaudium gignere solet in animo virtutem exercentis, sed cum tremore, ne si deposito metu, lætitia gestiamus, & dissoluamur simul, & laborum iactantiam faciamus, & Deum in nos prouocemus.

Ps. 149. *num.* 8.

Hinc in sacra Scriptura per synecdochen frequenter vsurpatur timere, pro colere, seu adorare, timor pro Religione, siue cultu soli Deo debito. Primum patet ex *Deut. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, quem locum dignatus est Christus Dominus interpretari de Religioso cultu, cùm dixit: *Vade satana, scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et in eodem *cap.* 6. *Deut.* postquam sacer tex. tradit Dei Religionem, addit. *Præcepit nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, &c.* Et *Ion.* 1. quando interrogatus Propheta à nautis cuius Religionis esset, respondit: *Hebræus ego sum, & Deum cæli timeo.*

Deut. 6. *num.* 13.
Matt. 14. *num.* 10.
Ion. 1. *num.* 9.

Secundum vero probatur ex illo: *Initium sapientiæ timor Domini.* id est, vera & diuina Religio. Et *Gen.* 31. *Iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac*, id est per Religionem, & cultum quo Isaac pater suus coluerat Deum. Vnde *Theod. q.* 90. *in Genes. Quid est,* ait, *quod iurauit Iacob per timorem patris sui?* Et respondet, *Timorem Isaac vocauit pietatem ipsius.* Et *Isaia* 8. Dominum exercituum ipsum sanctificate, id est, vt explicat *Forer.* vt sanctum colite, non polluentes nomen eius, hoc enim est sanctificare Deum. Et statim explicans quomodo id fieri deberet, addit: *Ipse pauor, & terror vester sit.* Quemadmodum annotauit etiam *D. Hieron. in illud Ion.* 1. citatum, & ante Hieron. *Tertull. libr.* 2. *cont. Marc.* Videndáque sunt illa, quæ scribit *Chrysost.* citatus, quo loco rectè docet, quid sit seruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore, & quemadmodum vtrumque præstare, ac perficere possimus.

Prou. 9. *n.* 10. & *Ps.* 110. *num.* 10.
Isaia 8. *num.* 13.

Similiáque ſcribit *homil.8. in Epiſtol. ad Philip.cap.2.* ad illa verba Apoſtoli. *Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini*: vbi hortatur *Chryſoſtom.* vt ſemper Deum timeamus, ſi volumus ſalui eſſe. Videndus item *D.Leo Papa ſerm.7.de Epiphan.* cum dicta verba Apoſtoli affert, & ait ſic: Hæc cauſa ſanctis eſt tremendi, & timendi ne in ipſis operibus pietatis, elati, ope gratiæ deſerantur, & remaneant in infirmitate naturæ. Quæ verba ſatis inſtiturum noſtrum roborant, dum Dei timorem in omnipotentia Dei fundamus, vt nemo ſibi fidat, ſed maximè Deum omnipotentem colat timendo illum, & timendo vereatur, ne fortè ipſius ope deſtitutus in nihilum abeat. Vnde etiam *D. Auguſt.lib.de verb. Apoſt.ſerm.2.* aſſerens, & tractans eundem locum Apoſtoli. Per timorem, & tremorem interpretatur humilitatem, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli. *Noli altum ſapere.*

Philip.2. num. 12.

Rom. 11. num. 20.

Sed vt ad Dei cultum per timorem ſignificatum reuertamur, illum non ſolum in ſacris litteris, ſed inſuper apud profanos Auctores inculcatum reperiemus, vt videre eſt apud *Plut. lib. de ſuperſtitione*, vbi quærit, cur Religio timoris nomine appelletur: Et reſpondet quia timor à Græcis vinculum appellatur, & vinculum ſignificat. Eſt igitur Religio timor, ſiue vinculum, quia, qui Deum colit ab agendo malè, quaſi quibuſdam vinculis ligatus eſt. Pro qua re videndus eſt *Philetius in commentario ad primam Epiſtol. Ciceronis*, vbi ita habet: Religio, & metus connexa ſunt, nam à timore orta eſt Religio, iuxta id, quod *Statius* dixit, Primus in orbe deos fecit timor. Et in hunc ſenſum ex Patribus videri etiam poteſt *D. Gregorius lib.6. moralium, c.7.* vbi anchoram noſtri cordis appellat Dei timorem. Hoc enim maximè adhæremus illi, & in portu ſalutis requieſcimus ne miſerum peccati naufragium patiamur. Similia habet *D.Hieron.Epiſt.122.ad Fabiolam, manſ.23.* vbi timorem appellat cuſtodem omnium virtutum, & ſicut canis latratus editus latrones effugat, & cohibet ne aſcendant, & domum diripiant, ſic timor internum excitat clamorem, ne leo, qui circuit, aſcendat, & ſpiritualem domum virtutibus ornatam deprædetur, in quam ſententiam etiam *Chryſoſt. homil. 15. ad populum* appellauit timorem militem armatum excubantem ad fores conſcientiæ. Vnde Salomon ait. *Sapiens timet, & declinat à malo*, quem locum non ſolum de cuſtodia virtutum, ſed etiam de victoria, à vitiis reportata, intelligit *D. Cypr.in lib. de ſingularitate Clericorũ* non longè à principio, vbi ait: Magnum ſapientiæ diuinæ conſilium inuentum eſt, vt timoris auxilio liberemur, magna compendia prouidentiæ, vt aliquando fiat virtus, & victoria per timorem: magna remedia Deus contulit ad ſalutem, vt habeat timidus laudem.

Prou. 14. num. 16.

Adumbrata vero nobis videtur hæc victoria timoris in ea, quam Gedeon de Madian reportauit. Mira ſanè fuere arma illa, quibus Gedeon milites inſtruxit ſuos, exercitúmque vicit Madian. Venit in primis ad fontem Harad, ſiue Charad, qui teſte *Serario ibi quaſt.1. & 22.* fons timoris appellatur. Poſtea diuiſit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenáſque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. Nouum vtique armorum genus, inuſitatus ordo præliandi, ait *Gregorius lib. 30.moralium, cap.16.* His tamen armis Madian, hoc eſt dæmonum, & vitiorum exercitus ſuperatur, ſcilicet, tubis ſonantibus, lagenis fractis, atque igne. Scio ego apud *Bernard.homil.de Virginibus*, victoriam partam eſſe ad oſtenſionem luminum, viſa, ſcilicet, luce bonorum operum, quia ſtare ante lucem tenebræ non poſſunt. Video *Isaiam Abbatem orat.17.* dixiſſe: Niſi Gedeon hydrias confregiſſet, non aſpexiſſet lampadum ſplendorem: Itidem homo niſi corpus contempſerit, diuinitatis lumen non intuebitur. Lego Sidonium, Apollinarem in Paneg yrico ſuo dixiſſe.

Iud. 7.

Firmaſti Gedeona tubis incertè canoris,
Spiritus & ſolo venit victoria cantu.

Inuenio apud *Gregorium 30. moralium, cap.17.* deſignari in tubis clamorem prædicantium, in lampadibus claritatem miraculorum, in lagenis fragilitatem corporum: tales quippe ſecum dux noſter ad prædicationis prælium duxit, qui deſpecta ſalute corporum, hoſtes ſuos moriendo proſternerent, eorúmque gladios, non armis, non gladiis, ſed patientia ſuperarent, qui ſonuerunt tubis, dum prædicant, confregerunt lagenas, dum ſoluenda in paſſione ſua corpora hoſtilibus gladiis ſupponunt, reſplenduerunt lampadibus, dum poſt ſolutionem corporum miraculis coruſcarunt: móxque hoſtes in fugam conuerſi ſunt. Sic ille.

Cæterum nobis in præſentiarum occurrit tuba illa, quæ extremo iudicij die mortales ad immortalitatem vocabit, quando

quando hædi separabuntur ab agnis. Eximium sane hoc telum timoris, si animo nostro frequens insonet iste clangor. Fortissimus insuper clypeus est lagena fracta, id est, fictile corpus nostrum fractum, dispersisque ossibus sepulchro conditum, si ante oculos mentis semper proponatur. Quod si post solutionem corporis, menti nostræ obiiciatur ignis, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, & post communem omnium turbationem illorum dierum, nobis resplendeat lux illa inaccessibilis, quam Deus inhabitat, timuerimusque & illius ignis torturam, & istius lucis priuationem, quodnam tormentum bellicum horribilius poterit vnquam reperiri ad hostes nostros fugandos, & superandos. Ea igitur victoria timoris, ea laus, & triũphus meticulosi animi, quem merito admiratur *Cyprian.* Gladius tamen Domini est, domum scilicet timoris, quo & mala, dum metuimus, cauemus, & bona dum expectamus, cum timore, & tremore nostram operamur salutem. Vnde *Greg. Magnus ad illa verba Iob. cap.*4. Vbi est timor tuus? ait. In via sæculi audacia fortitudinem, in via Dei audacia debilitatem parit, & sicut in via sæculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit, & mens nostra dum recto metu conditori omnium iungitur, potestate quadam super omnia subleua-
*Prou.*28. *num.* 14. tur: In quam sententiam dixit etiam Sapiens. Beatus homo, qui semper est timoratus, sicut aduertit Rabbi Moyses explicans illa verba *Genes.*32. Timuit Iacob
*Isai.*11. *num.*3. valde, & signanter dixit *Isai.* alia dona requiescere super iustum, sed dono timoris repleri, & veluti vndequaque muniri,
*Phil.*2. *num.* 12. quod etiam dixit *Paulus* cum Philippenses monet, vt cum metu, ac tremore operarentur propriam salutem, videndus *Hieron. ad c.*1.*Ion.* ibi. Et Deum cœli timeo, vbi ait. Quia poterat quis dicere, Quomodo timet Deum, qui eius præceptum fugiebat? respondet *Hieronym.* Timorem poni pro cultu, quo sensu vnus ex antiquis sapientib. dixit optimum Dei cultum esse timorem, neque enim fieri potest, si communiter loquendum sit, vt Deum non colat, qui verè timet, &c.

*Act.*10. *num.*2. Videndus item *Bernard. ser. de donis Spiritus sancti,* vbi expendit illud *Act.* 10. Religiosus, ac timens Deum: Connexa, inquit, sunt timor, & Religio, nec manere potest alterum sine altero, qua de re plura, qui velit, legat *Basil. in Psalm.*33. ibi. Timete Dominum, quoniam non est ino-

A pia timentibus eum, & *hom. in princ. Prou.* *& in regulis fusius disp. respons. ad.*4.*interrogat. Aug. ser.*214. *de tempore tom.* 10. *& ibi. d. ser. &* 15. 18. *de verbis Apost. & in Ps.* 110.*ser.* 12. *& ser.*25.*tom.*8. *& epi.*144. *ad Anast. tom.*1.*ser.*1.*de mart. tom.*4. *&* 14.*de ciuit. cap.*9.*tom.*5.*Amb. Psalm.*118. *litera* 21.*vers.*2. *& de bono mortis, & l. de Iacob, & vita beata, & l. de Isaac, & anima cap. vlt. Cyrill. Alex. orat. de exitu animæ. Ephrem multis in locis, tract. de timore, D. Hier. in Isai.*26. ibi: Domine in angustia
B requisiuimus te. *Chrysost. hom.*5.*in epist. ad Rom. Greg. lib.*8. *moralium cap.*13. *&* 28. *moralium c.*6. *Bern. epist.*108. *& ser.*6. *&* 16. *&* 37. *in Cantic.* Videndus denique *Guarric. serm.*3. *de purificat.* vbi inter alia sic eleganter pro præsenti argumento ait. Timor sanctior est cum iustitiam sequitur, quam cum præcedit, quia, qui præcedens ad iustitiam, initiat, sequens eandem consummat, & conseruat, dum scilicet de iustitia præsumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit,
C vt post iudicium sui adhuc de subtiliori iudicio suspectus sit, dicatque sibi: qui iudicat me Dominus est, & ideo Euangelium de Simeone non ait: timoratus, & iustus, ne timorem, qui est initium iustitiæ intelligeremus, sed ait, iustus & timoratus, vt timorem, qui iustitiæ per omnes gradus comes indiuiduus est, ipsamque promouet, & tuetur, ipsius exemplo disceremus. *Luc.* 2.

Facit & in confirmationem, quod Deus timentibus se magnifice sui communica-
D tionem impertitur, sicut testatur Dauid, cum ait. Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius, vt manifestetur illis, in Græco autem habetur: Secretum Domini timentibus eum, & pactum suum ostendit eis. Quasi non aliis, sed solis timentibus Deum, sua ipse secreta aperire, & reuelare soleat, & dignetur: expendens vero *Theod.* prædicta verba *Psal.* affert illud: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, quod sic transfert, & legit, Mysteria mea mihi, &
E meis, tunc vero addit, Hæc non temere omnibus verum timentibus aperit, quibus verbis ostendit *Theod.* quam familiariter Deus timentibus se, arcana sua aperiat, non iam quasi timentibus, sed potius diligentibus quibus interiora cordis, quibus gestantur, patefiunt. Vnde quasi nullum discrimen interponat, inter se, & suos ait. Mysteria mihi, & meis. Quod insuper possumus comprobare ex illo *Psal.* 24. *num.* 14. *Isai.*24. *num.* 16.

illo Christi Domini dicto; Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre
Ioan. 15. meo, nota feci vobis. *Ioan.* 15. quæ verba
num. 15. expendens *D. Greg.* 27. *mor. c.* 8. in principio ait. Amicus animæ custos dicitur, & si velimus hinc excellentiam Dei timoris expendere, inueniemus de illa Christum
Matt. 11. Dominum æterno Patri gratulatum, cum
num. 25. ait: Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis, in quibus, scilicet certissimus est Dei timor, ac tremor.

Sed quoniam hoc in loco, & confidentiam, ac spem in Dei omnipotentia sumus prosecuti, & deinde timorem deduximus ex eadem omnipotentia nobis proposita, illud velut corollarium ad nostram eruditionem inde colligere debemus necessarium, scilicet, nobis esse, vt & spem in Deo collocatam habeamus, insuper eundem timentes pariter nobis ad patriam inter vtrunque iter aperiamus, neque ad timorem iusto plus declinantes in desperationem, dum solam diuinam omnipotentiam timendam nobis proponimus, incurramus, neque etiam diuinæ omnipotentiæ omnino fidentes in perniciosam securitatem naufragium faciamus. Media proinde via tutissima solet procedere veritas Catholica, & sana doctrina, vt patet etiam in materia de gratia apud Theologos dum neque totum diuinæ gratiæ sic tribuit, vt nobis adimat libertatem cum Luthero, neque libero arbitrio sic indulget, vt diuinæ gratiæ præuentionem & concomitantiam excludat. Ab eo proinde sperandum est auxilium, à quo timetur supplicium, sicut
Ps. 146. ait *August. super Psalm.* 146. ad ea verba.
num. 11. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius, vbi videtur Dauid laudare eam animam, quæ timet Domini omnipotentiam, & in eadem confidit, & sperat: Non sic timetur Deus, ait *August.* sicut latro, timuit eum Iudas proditor, sed non sperauit in eius misericordia, peccaui, ait:
Mat. 27. tradens sanguinem iustum, *Matth.* 27. Be-
num. 4. ne quidem timuisti, sed si sperares in misericordia eius, quem timuisti. Vis fugere ab illo? Ad ipsum fuge, vt scilicet, speres misericordiam eius, cuius iram times; obtutus enim est timore Iudas, ita vt nihil de misericordia sperare posset, cum tamen vtrunque deberet amplecti, &

A timorem scilicet, vt doleret, & pœnitentiam ageret, & spem in omnipotentia, ac misericordia illius quæ quæcunque peccata posset vincere, ac delere; eius enim est potentiæ, & virtutis Christi sanguis effusus pro hominibus, quem eisdem vili precio vendidit Iudas, vt eum posset viuificare, qui ipsum tradidit, siquidem illo potuit viuificari, & ille qui fudit. Sic enim habet *Cyprian. lib. de patient.* Viuificatur Christi sanguine, etiam qui fudit sanguinem Christi, talis est Christus, & tanta
B patientia, quod nisi talis, ac tanta existeret, Paulum Apostolum Ecclesia Dei non haberet. Et *Amb. lib.* 2. *de pœnit. cap.* 5. Arbitror, quod etiam Iudas potuisset tanta Dei miseratione non excludi à venia, si pœnitentiam non apud Iudæos, sed apud Christum egisset, peccaui tradens sanguinem iustum. Et *Hieron. in Psal.* 108. ait. Pro clementia Domini hoc dico, quia magis ex hoc offendit Deum (scilicet Iudas) quando se suspendit, quam quod Dominum prodidit; oportebat enim oratio-
C nem ipsius esse in pœnitentiam, & conuersa est in peccatum. Sic ille, qui videtur in eo maxime collocare errorem Iudæ, quod pecuniam in templum retulit, cum se ipsum potius ad Deum deberet referre. Et *Chrysost. hom. de Iuda proditore*, Christum comparat consecrantem suum sanguinem, & propinantem cum eodem Iuda de eodem cum Iudæis paciscente. O Christi misericordia! inquit, ille. O Iudæ dementia! ille eum triginta denariis paciscebatur, vt venderet, & Christus ei san-
D guinem, quem vendidit offerebat, vt haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset, nam affuit Iudas, & illius communicationem meruit. Et pedes eius, quando aliorum discipulorum lauit, vt excusationem suæ malitiæ non haberet, sed ille detestandus suę mentis insidias cogitabat, sed ille, qui verum Deum vendidit propter falsum, pecuniam, scilicet, quam adorabat, dum verecundiam posuit, vt magistrum traderet; & spem etiam posuit, vt se suspenderet, &
E abiret in locum suum, vbi scilicet, torquentur desperati omnes, & qui timuit, vt pecuniam referret, & ad Iudæos rediret, trepidauit, vt laqueum peteret, non veniam; sicut Caim, qui perpetuo tremebat, & perpetuo fugiebat, neque vnquam reuersus est ad Deum, à quo fugerat, sic pariter tremuit vniuersa terra ad conspectum Dei in carne crucifixi, timuit, & stetit, & quando tremebat suis visceribus comple

complexabatur ipsum infernum damnatorum, nec tamen dum tota ad conspectum Dei patientis motibus quatitur, è corde suo damnatos spiritus euomuit.

Potest insuper huius perniciosi timoris symbolum,& figura esse octauus orbis,siue octaua sphæra cælestis, quia perpetuo super arietem, & libram agitatur, vt aduertunt Astronomi, sed nondum ab orbe condito conuersionem integram effecit: nam in medio cursu identidem reuocatur, vnde vocatur tantum motus trepidationis,sic ergo ea anima quæ timore solummodo ducitur, & obruitur, omnem penitus spei aditum intercludens,dum aduertit ad diuinam iustitiam, & sua scelera grauissima librat,tremefacta contabescit, expauescit, & contremiscit, perpetuóque pauet,néque vnquam reuoluitur,vt ad diuinam misericordiam recurrat, eámque deprecetur.Quare iusta videtur hac in re illa Dauidis imprecatio, quemadmodum
Hierem. eum locum exponit *Hieronym.*Deus meus
82.n.14. pone illos vt rotā.Vide inquit,*Hieronym.* quod Propheta non precatur contra eos, sed pro eis; Pone illos vt rotam, vt, qui quasi fundamentum habent in malitia, in ea non maneant,sed ab ea moueantur, sicut rota, quæ facilè reuoluitur eò, vnde venerat, sic isti, vt rota ad Deum, à quo per peccatum auersi fuerant regrediantur.Et dum timore perculsi trepidant, integram, & perfectam peragant, & conficiant conuersionem.

Hierem. Pro qua re facit locus ille *Hierem.* 31.
31.n.21. cum diuinum oraculū de reditu Hebræorum à Chaldæa ita loquitur idest,de conuersione animæ à mundo, & peccato ad Deum.Statue tibi speculam, inquit, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti, reuertere virgo Israël,reuertere ad ciuitates tuas istas:quem locum ita vertunt alij.Constitue tibi signa, ponito aceruos lapidum, aduerte cor tuum ad semitam eius viæ per quam ambulasti;eadem enim via,qua in Chaldæam ibas, in patriam reuerteris. Obserua, ait *Maldonat.* ibi, quid tibi aduersi, quo loco accidat, vt viam facilius agnoscas.Solemus enim ea loca,in quibus aliquid aduersum nobis accidit, facillimè agnoscere; quod significant verba illa, animaduerte,& dirige cor tuum,vt postea possis redire, & conuerti ad Dominum Deum tuum, & non trepidationis tantum motu cieri, sed non reuerti,qua de re videndus *Chrysostom. homil.de sanct. Philogonio tom.*3. vbi aduertit, qua via reuersa

A fuerit Magdalena, & peruenerit ad tantam sanctitatem, & facilem remissionem offensarum. Quoniam, inquit, feruente animo,flagrante corde,ardente fide accessit,& sanctos illos pedes ac sacros attigit, solutis capillis,fontibus lachrymarum ex oculis emissis, vnguento profuso; etenim per quæ deceperat homines, per eadem parauit remedia pœnitentiæ,per quę aucupauerat oculos intemperantium per hæc emisit lachrymas, per capillos arte compositos, & calamistratos illexerat ad
B peccatum,per eosdem abstersit pedes Domini, vnguento multos inescauerat, per hoc pedes illius vnxit,per oculos,per crines, per vnguentum, per quæ recesserat à Deo, per eadem omnino illi adhæret, & puduit dum retro accessit, & timuit dum se victam ad pedes Domini prosternit,sed sperat,dum diligit:etenim amor diffidentiæ damna non sentit, neque expectatur ratio vbi affectio trahit, sicut dixit *Bernard. Epistol.* 12. vnde *Augustin.in Psal.* 70.ait: Non est quo fugiatur ab illo, nisi
C ad illum, si vis euadere iratum fuge ad placatum, quibus habet similia in *Psalmum* 74.

Vnde iam illud habemus peccatorem à Deo auersum, neque timore omnino obruendum, ne desperet: neque etiam præsumptuosè nimisque confidendnm,ne impudenter accedat quoniam, sicut dixit *Euseb.Emiss.homil.de latrone*,Perniciosissima,inquit,est securitas ad salutem, desperatio vero omnino euertit salutis remedium,quibus similia habet *Bernard.de*
D *gradibus humilitatis*, vbi ita habet. An oculus tuus nequam est, quia ille bonus? *Psal.* 26.
de cuius bonitate dum fiduciam nefariam sumis factus & contra scientiam impudens, & contra omnipotentiam audax.Fallis te miser,fallis te,non Deum,& mentitur iniquitas tibi, non Deo, & quia de magno eius bono in te, tu magnnm in eum cogitas malum, merito iniquitas *Psal.* 35.
tua inuenitur ad odium; quæ maior namque iniquitas, quam cum de potentia Dei non dubitas,quin te destruere possit, qui
E condere potuit, confisus tantum de multa eius dulcedine, qua speras eum nolle vendicare, cum possit, mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas. Absit ab eius perfectione, vt quia dulcis est, iustus non sit, qnasi simul dulcis, & iustus esse non possit, cum melior sit iusta dulcedo sine iustitia, quia igitur gratuitæ bonitati Dei, qua gratis factus es, ingratus existis;iustitiam verò quam expertus non

es, non metuis, ideóque audacter committis culpam, de qua falso tibi promittis impunitatem, iam esse iustum senties, quem bonum nosti, &c. quæ prosequitur in hanc sententiam, pro qua etiam videndus *serm. 12. in Psal.* Qui habitat, cum ait. Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, ita ad singulos, ita ad omnes communiter venit, in misericordia, scilicet & veritate, vbi enim multa iam fuerit de miseratione præsumptio, sed obliuio veritatis, non continuo ibi Deus, sed neque vbi terror multus ex recordatione veritatis, nulla autem de memoria misericordiæ, consolatio. Nam neque veritatem tenet, qui misericordiam (vbi vere est) non agnoscit, nec vera esse sine veritate misericordia potest. Itáque vbi misericordia & veritas obiauerunt sibi, sese etiam iustitia, & pax osculantur. Misericordia tua, & veritas tua
Psal. 39. susceperunt me, ait Propheta *Psal.* 39. &
num. 12. alio loco. Misericordia tua, inquit, ante
Psal. 25. oculos meos est, & complacui in veritate
num. 3. tua, sed & Dominus ipse de eo. Veritas
Psal. 88. mea, & misericordia mea cum ipso, vt
num. 25. scilicet nos in misericordia nutriat, & per fiduciam eleuet, & veritas id est, iustitia Dei in nobis timorem generet, quibus rectè, velut pedibus proceditur ad æternam vitam.

Hoc etiam prosequitur *Chrysost. homil. de Iuda proditore* in muliere peccatrice, de qua paulo superius, quæ tunc venit ad vnctionem magistri, quando discipulus abiit ad proditionem ipsius, vt in vno discamus timere, cum ex discipulatu Christi damnatur, in altero discamus confidere, cum peccatrix commendatur. Sic ergo habet *Chrysost.* paulo post initium. Quid igitur est, tunc abiit vnus de duodecim, cur tempus diligenter ostendis? Quid me docere disponis? Ante proditionis tempus, ante traditionis horam accessit meretrix vas alabastrum manibus portans, & vnguentum Domini supra caput effudit. Grandē fidem, multam reuerentiam, mirandam correptionem ostendit. Paulo ante meretrix, subito pudica processit, & profundis obruta peccatis, portum serenitatis agnouit, & quando prostituta lupanar exiuit, tunc discipulus gehennam intrauit, & quando illa mercedem sui corporis abdicabat, tunc iste Domini labia osculabatur, vt proderet, non ergo videndo meretricem, de tua liberatione desperes, sed & Iudam cogitando, non debes esse securus. Vtrúmque enim periculosum est, & confidentia, & desperatio, nam confidentia stantem euertit, & iterum desperatio post lapsum, non admittit exurgere. Et ideò *Paulus* exhortatur dicens: Qui se putat stare videat ne cadat, *1. Corint. 10. n. 12.*
habes exemplum vtriusque personæ: Discipulus cum se stare putaret, cecidit: meretrix, cum se cecidisse arbitraretur, exurrexit. Mens humana facile labitur, & omnibus mutabilis sensus est, & ideò nos tutare properemus.

Ex qua doctrina tunc tutissimum iter carpimus, cum per confidentiam accedimus ad pedes Domini, quando non audemus accedere ad caput vngendum, per timorem vero, quando (vt cernimus) vnus de duodecim, & non de septuaginta tantum, de choro, & conuersatione Christi, cui quæcunque in congregatione Christi erant commiserat, quem sæpè admonuerat, vt resipisceret, miserè prolabitur, nequiter, & desperate pœnitet, & pro venia laqueum petiit, & medius crepuit, & diffusa sunt viscera eius, quia verè nesciuit scindere cor per pœnitentiam, & ad Dominum regredi, à quo abiit, dum peccatrix accessit. Videndus idem *Chrysost. hom. 10. de pœnitent.* ad medium, vbi ponderat illud Pauli, *Filioli mei quos iterum parturio*, aitque. Id dixit, & fidere, & timere volens, cum enim ostendit non formatum in ipsis Christum, timorem incussit & agoniam: cum sibi demonstrat posse formari, iterum fidem voluit. Hæc igitur scientes, néque ipsi à spe cadamus, sed néque omnino pigritemus, vtráque enim hęc perniciosa. Desperatio quidem exurgere non finit, & stantem cadere facit, & neglectus quidem ex ipsis detrudi cœlis: desperatio in ipsum malitiæ deducit abyssum, sicut fidentia deductum inde velociter trahit. Iudas Apostolus erat, sed pigritans factus est proditor. Latro item post tantum malitiæ, vbi de spe non lapsus est, ante omnes paradisum ingreditur. Pharisæus confidens, quasi sua elatus virtute, ab altitudine cecidit in profundum: Publicanus non diffidens sic erectus est, vt illum præueniret &c. quæ in hanc sententiam habet. *Galat. 4. num. 18.*

Videndus item *Bernard. ser. 1. in Psal.* Qui habitat, vbi inter alia ita habet. Sunt alij, qui sperant quidem in Domino, sed frustra, quia sic de misericordia eius sibi ipsis blandiuntur, vt à peccatis suis non emendentur, vana est omnino spes ista, & hæc confundit; contra hos Propheta. Maledictus, inquit, qui peccat in spe; & alius, *Psal. 18. num. 32.*

Bene

Beneplacitum est Domino super timentes eum,& in eis,qui sperant super misericordia eius.Dicturus,qui sperāt,signanter præmisit,super timentes eum ; frustra siquidem sperat , in contemptu suo gratiam à se repellit , & spem suam prorsus euacuat,nullus horum habitat in adiutorio altissimi.Periculosa habitatio eorum, qui in meritis suis sperant , periculosa, quia ruinosa,eorum vero, qui considerationc propriæ infirmitatis desperatione deiiciuntur, habitatio est anxia, & eos in tormentis , diximus habitare. Quamdiu B enim,& pœnas sustinent in quibus nocte, & die conteruntur , & eis quóque quas nondum sentiunt, amplius cruciantur, vt non sufficiat diei malitia sua , sed opprimuntur his , quóque , quæ fortasse nunquam experiuntur. Quæ tormenta, quis infernus intolerabilior potest excogitari? Hi sunt,qui in adiutorio altissimi nō habitant, quia desperant. Soli in adiutorio altissimi habitant,qui solum obtinere desiderant,id solum amittere trepidant, sedula circa illud , & sollicita cogitatione C versantes. Sic ille cuius postrema verba mediam viam inter timorem amittendi, & solicitam spem, ac cogitationem consequendi apertissimè docent.

Vnde *Philo lib.de tumulentia* eleganter in nostrum argumentum dixit. Difficilis timiditas,& furens audacia,vtráque bonæ mentis expers:sicut lyra deficit vnico sono discrepante,concinna vero est,quando ad eundem pulsum, eandem reddit musicam.Eodem modo animæ instrumentum discrepat quidem,quando aut audacia nimis animose sonat , aut timiditas supra modum remissa in grauiorem sonum laxatur ; Sic ille.Quod adumbratum videmus in columna illa , quæ ducebat populum Dei ad promissam terram , de qua, sic philosophatur mysticè *Clemens Alex. orat. ad gentes* , non longè à principio vbi agens de mediis , quibus Deus curare solet hominum ægritudines,siue morbos id est peccata, & eosdem homines in salute , ac gratia conseruare ait : *Multiplices habet seruator voces ad salutem, E multiplices modos , & igne terret homines, ex columna flammam accendens , quod est simul gratia,& timoris indicium,si obedieris lucem, si non obedieris ignem.* Vtrúmque enim pollicetur vna , & eadem columna,& supplicium,& remedium,remedium accensa,supplicium ardens. Sic itáque iter nobis videtur monstrare cæleste, & lucens nobis manifestat diuinæ omni-

A potentiæ maiestatem,& pulchritudinem, vt ab illa speremus , & in ea confidamus, & insuper ardens,flammam inferni minatur,vt timeamus.Itáque qui à Deo auersus est per peccatum , & timore percitus ab ipso fugit,ad ipsum etiam debet confugere per spem, & confidentiam. Et qui etiam in ipso confidit,& sperat in misericordia ipsius , debet timere iudicium , & supplicium.

Vnde Salomon in *Prouerb.* ait : *Iustus quasi leo confidens.* Quod si leonis naturam *Prou.* 18. aduertamus , inueniemus ipsum maxima *num.* 1. febri cruciari,illique obnoxium esse teste *Pierio lib.* 1.& vt aliqui annotarunt febricitans ita est,vt febrem antecedat tremor frigoris, sicut in tertianis contingere solet, vel ipsam comitetur, eo quod leonis inferior pars terræ frigiditatem participet, vnde & Deorum matri, Terræ, sunt dedicati leones, quippe, quod à nobis est reliquum,terram præ se ferat,vt testis est idem Auctor : quo fortè respicit id quod *Lucret.* dixit. Triste leonum semineum; vnde fit,vt leonis vis, robur, maiestas, & confidentia , perpetuo membrorum tremori sit addicta. Qua in re denotat iusti confidentiam,qui ita in Dei misericordia confidit, vt pariter timeat, & contremiscat dum Dei iustitiam contemplatur,proindéque versatur inter timorem,& spem, ac confidentiam.

Vel etiam confidit instus instar leonis, qui diuinitatem maximè timet , & Dei maiestatem formidat ; etenim gallum is identidem , teste Plinio , & præcipuè al- D bum, vt ait *Ambr.* à quo etiam Pithagoras,abstinendum iubet,quod mensis sacer, & horarum nuntius sit , maximè perhorrescit , hoc autem pro symbolo colendæ diuinitatis accipi quidam prodidere. Siquidem gallus,de quo Lucret.

Quem nequeunt rapidi , contra constare leones,

Hinc tueri, ita continuo meminere fugati.

Diuinum quiddam præ se fert , vt latiùs probat *Pierius lib. de illa aue.* Est igitur symbolum reuerentiæ , ac timoris Dei, dum gallum diuinitatis symbolum reformidat, ac reueretur. Vide igitur qualiter cōfidere debeat,& soleat iustus, ad instar scilicet leonis , vt diuinam iustitiam reformidet, ac reueteatur. Et sicut naturæ auctor leonis fortitudini,robori,maiestati, ac generositati , de qua eleganter *Plinius lib.* 8. *cap.* 16. generositas maximè in periculis deprehéditur,non in illo tantummodo , quod spernens tela diu se,

terrore solo, tuetur, ac velut cogi testatur: A Cogitúrque non tanquam periculo coactus, sed tanquam amentia iratus, illa nobilior animi significatio, qualibet magna canum, & venantium vrgente vi contemptim, restitánsque cedit. Cæterùm dolis carent, & suspicione. Huic igitur generositati auctor naturæ adiunxit galli timorem, & pauorem: iusto itidem de diuina gratia, & misericordia confidenti, & speranti, diuinæ iustitiæ addit timorem Auctor supernaturalis, vnde dicitur cõfidere sicut leo, vt pariter sicut ille timeat, & re- B uereatur diuinitatem.

Vnde eleganter *Philo libr. de Abraham*, ait. Nullæ res tam infestæ sunt adinuicem quam timor, & spes, tamen hæ duæ conuenire debent inter se in eodem homine, vt satis remedium habere possit. Et *Senec. Epist.* 5. *l.* 1. loquens de timore, & spe ait: Desines timere, si spectare desieris, dices: quomodo ista tam diuersa pariter sunt? Ita est mi Lucille. Cùm videantur dissidere, coniuncta sunt, quemadmodum eadem catena, & custodem, & militem co- C pulat, sic ista, quæ tam dissimilia sunt pariter incedunt, spem metus sequitur. Nec miror ista sic ire: vtrumque pendentis animi est, vtrumque futuri expectatione soliciti. Maxima autem vtriusque causa est, quod non ad præsentia aptamur, sed cogitationes in longinqua præmittimus nos, & venturo torquemur & præterito. Multa bona nostra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum præsentibus miser est. Sic ille. Qui rectè timo- D ris, & spei connexionem prosequitur, vt timere pariter, & sperare possit, qui recto itinere ad cœlestem patriam graditur, ne vel desperet, dum solum timorem amplectitur, neque superbè sapiat, & nequiter præsumat de propria iustitia. Contra quos videndus est *August. lib. de gratia, & lib. arbitrio c.* 10. *&* 13. *& lib.* 2. *cont. duas Epist. Pelag. cap.* 2. *&* 3. *& lib. de spiritu & littera, c.* 9. 28. *&* 29. vel de Dei misericordia eum ipsam omni prorsus iustitia desertam contemplatur, falso præsumat, E vt liberius, & libentius per omnia scelerum genera vagetur, vnde idem *August. in Psalm.* 60. ait. Qui vultum sibi pollicetur de misericordia Dei, subrepsit in animum ipsius, vt faciat iniustum Deum, & putet, quia si permanserit peccator, & noluerit recedere ab iniquitatibus suis, veniat ille, & eum ibi positurus sit vbi positurus est illos, qui recesserunt à peccatis cum tamen pensare debeat, Quam horrendum sit incidere in manus Dei: Quantùmque debeamus timere Deum ne peccemus, sicut plerique Hebræorum exponunt illud *Psalm.* 4. Irascimini, & nolite peccare, vbi dicunt, expauescite, & contremiscite, & nolite peccare, verbum enim, Rig-zu, pro quo LXX. vertunt, irascimini apud Hebr. significat etiam timere, & ad hunc sensum exponit Rabbi Dauid, & ante eum Paraphrasis Chaldæa, quæ habet, contremiscite ab illo, & non peccetis. Vnde rectè ponderat *D. Bernard. serm.* 1. *in Psalm.* Qui habitat, illud, quod dictum est à Propheta: Maledictus homo, qui peccat in spe, cum tamen beneplacitum sit Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.

Hebr. 10. *num.* 31.

Ps. 146. *num.* 11.

Rectè proinde Iacob eum, quem antea, vt Deum timebat solum; voluit insuper vt Deum habere, cùm dixit. Erit mihi Dominus in Deum, nam sicut notauit *Philo libr. de somnijs*, Deus nomen est beneficæ potentiæ, Dominus verò Regiæ, & vtrunque nomen ex dominio temperatur, & gratia, vt & ametur, & timeatur, ac colatur: nolebat itaque Iacob cum dixit: Erit mihi Dominus in Deum, non solum quasi seruum timere vt Dominum, & Principem, sed amanter honorare, vt benefieum, & benemeritum, & proinde in eo confidere, & sperare quasi filium. Nam sicut notauit *Hieron. in cap.* 1. *Ion.* Deum coluisse filiorum est, timnisse seruorum, iuxta id. Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Et quandiu homo à charitate manumissus non est, seruus tantum est: quemadmodum dixit *Bernard. serm.* 83. *in Cant.* Seruilis, inquit, est timor quandiu à charitate non manumittitur. Quod insuper videntur notasse LXX. & Patres Græci, cùm illud, vbi nos habemus, Dominum cæli ego timeo, legunt, seruus Domini ego sum, quasi aliud nomen habere non posset, nisi serui, qui solo timore ducebatur, non amore, aut spe.

Gen. 28. *num.* 21.

Malac. 1. *num.* 6.

Ion. 1. *num.* 9.

Illud autem pro vitando timore seruili aduertendum est, quod sicut constat ex *lib. Exod.* Perterriti, ac pauore concussi filij Israël steterunt procul dicentes Moysi. Loquere tu nobis, & audiemus, num loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, vbi optimè *Lipoman. in catena*, ait. Vide quid, quantumque faciat seruilis timor, auersatur id, quod summum est bonorum

Exo. 20. *num.* 18.

norum

norum omnium, scilicet Deum audire & alloqui familiariter, & ipsius colloquio frui; at qui in libertatem filiorum Dei vindicatus est, ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et loquere Domine, quia audit seruus tuus. Vbi Samuel ab Heli edoctus illud à Deo postulat, quod Istaëlitæ renuunt, ideóque ipsorum seruilem timorem corrigens Moyses statim ait: Nolite timere, scilicet seruiliter, nam filialem timorem admittit.

1. Reg. 3. num. 9.

A

Ex his igitur omnibus illud ad nostram eruditionem circa Dei omnipotentiam, & ea, quæ de illa attulimus debemus colligere, scilicet ita in illa debere confidere, & spem nostram collocare, vt pariter eius, & maiestatem colendo timeamus: insuper timorem de Dei omnipotentia conceptum, spe, & fiducia de diuina bonitate, & misericordia, ita condiendum esse, vt nec timor obruat, & in desperationem deducat, neque spes erigat in præsumptionem, superbiam, ac securitatem, sed Deum omnipotentem timeamus, dum spem omnem nostram in ipso ponimus, & nullis malis obruamur succumbentes, dū ipsum omnipotentem, & ad mala culpæ, ac pœnæ dimittenda, & bona, quæcunque conferenda contemplamur. Docuit hoc *Paulus* cùm nos sic alloquitur: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. ad *Hebraos* 4. vbi eleganter Ribera sic ait: Quoniam dixit, adeamus eum fiducia, ne fortè illa fiducia reuerentiam minuat, additum est ad thronum gratiæ, dixit autem thronum gratiæ, ac si diceret: etiam in illa maiestate, qua sedet ad dexteram Patris, paratus est ad miserendum nobis, & ad præstandum omnia, quæ petierimus, proinde, & confidentia accedamus, & pariter thronū maiestatis paueamus. Quod si inter timorem, & fiduciam adierimus, auxiliū procuIdubio inueniemus in tempore oportuno, & omnipotentem experiemur, tum in malis depellendis, tum in bonis conferendis, vt possimus dicere. Omnipotens nomen eius.

B

C

Hebr. 4. num. 16.

D

E

ANNOTAT. IV.

De sacratissimo nomine Iesus.

ÆQuum vtique erat, vt in liberatione populi, per apertum, & exsiccatum mare sanctissimum Dei nomen appareret, quod semper in præcipuis Dei operibus solet affigi, vt præclaris effectis, præelata nomina correspondeant, nam sicut aduertit Plato in Cratillo, siue de nominum impositione, & Theage, siue in *lib. de sapientia*, oportet pulchrum nomen habeat id quod pulchrum est, quod obseruatum fuit apud veteres, sicut aduertit *Tacit. lib. 4. histor. num. 76.* Obseruauit autem *Philo lib. de Cherubim.* vulgus hominum nomina imponere diuersa ab ipsis rebus, vt aliud ipsæ sint, aliud sonent earum vocabula, apud Moysem verò nominum impositiones manifestissimè res ipsas indicare, vt res necessario in nomen habeat, quod repetit idem *Philo lib. de agricult.* adducens illud *Genes.* Omne enim quod vocat Adam, ipsum est nomen eius, idest, aptum & proprium nomen, sicut aduertit idem *Philo lib. de opificio mundi*, & *Euseb. Cæsar. lib. 11. de praparat. Euang.* vbi refert Platonem in Cratillo dicentem non cuiusuis hominis esse pulchra nomina rebus imponere, sed apud barbaros illud factum esse optimè; appellat autem barbaros Hebræos, vnde fortasse dicunt pleríque probabile esse Platonē *lib.* Moysis percurrisse, vt etiam meminit *Phicinus in comment. Platonis ad citat. lib.* Cum ergo sese ita res habeat, præclarè hoc in loco Moyses sanctissimum Dei nomen apponit, vt inaudita res, & opus, solius Dei omnipotentiæ, insignitum prodeat Diuino, & supremo nomine.

Genes. 2. num. 19.

Et hæc fuit ratio cur perfecto totius mundi opificio, summi artificis nomen eximio operi ab eo condito affixum fuerit quod notauit *Guilelmus Hamerus in comment. ad 2. cap. Genes.* ad illa verba. Istæ sunt generationes cæli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Deus cælum & terram, tunc enim sacrosanctum Dei nomen appositum primò est, & auditum quando ipsa Dei maiestas opus condidit, & perfecit, neque enim decebat, vt perfectissimum artificis nomen ante absolutum, & perfectum creationis opus proponeretur, & licet, quando opus redēptionis Ægyptiacæ inchoatum est, ipsum nomen suum Deus euulgauerit hominibus, sicut aduertit *Lyran. in cap. 3. Exodi*, quem postea secutus est *Burg. ibidem*, id ea de causa factum esse existimo, vt audito omnipotentis Dei nomine in maiorem erigerentur spē Hebræi, & certo certius crederent absoluendum vtique fore liberationis opus, cui statim in limine tale, ac tantum præfigebatur insigne.

Genes. 2. num. 4.

Sed dum Moyses in transitu maris ru-
bri omnipotentis Dei nomen celebrat,
illud sese offert expendendum, quanta
cum ratione debeamus celebrare sacra-
tissimum nomen Iesus, quod ad primam
rubri sanguinis effusionem immaculati
agni, quod nobis patefecit iter, viámque
ad promissam beatitudinem aperuit, de
cælo allatum impositum est, vt iam ex
ipsa nominis impositione, & sanguinis
effusione nobis possemus polliceri ingres-
sum promissæ terræ viuentium, in cuius
rei typum, & figuram multi præcesserant
2. *Esd.* 9. liberatores, sicut dicitur 2. *Esdra* 9. vbi
num. 27. habetur: Secundum miserationes tuas
multos dedisti eis saluatores, qui salua-
rent eos de manu hostium suorum, imo,
& plures, qui nomen Iesus habuerint,
quidquid in oppositum velit *Galat. lib.* 3.
de arcanis cap. 20. vt omnis inuidiæ, &
nouitatis tumultus extingueretur, quan-
do postea audirent homines hoc nomen,
nam sicut dixit *Chrysost. homil.* 7. *in* 1. *ad
Corinth.* Nihil adeò conturbat animum,
etiam si fiat ob aliquid vtile, sicut inno-
nare, & maximè quando hoc fit circa
cultum Dei, propterea ergo plures fue-
re olim homines, qui hoc nomine sunt
vocati, ne nouitas rei admirabilis pertur-
bationem pareret tunc primò audienti-
bus hoc nomen, ait verò *Bernard. serm.* 15.
in Cantica. Habuit & Iudæa quosdam Ie-
sus, quorum vacuis gloriatur vocabulis, vt
scilicet, hunc nostrum protenderent, ideo
ille, qui populum Dei ductauit, & intro-
duxit in promissam terram Iesus nomen
accepit, sicut aduertit *Cypr. in expositione
symboli Apostolorum*, ibi, Et in Christum
Iesum vnicum, &c. cum ait. Legimus in
libro Moysis, quod Iesus Naue filius cùm
electus esset ex populo, commutato nomi-
ne Ause, Iesus cognominatus sit, quo sci-
licet, ostenderetur hoc esse nomen, quod
principibus, & ducibus conueniret, qui sa-
lutem sequentibus se populis darent. Ita-
que & ille Iesus appellatus est, quia edu-
ctum de terra Ægypti populum, & de er-
roribus eremi liberatum, in terram re-
promissionis induxit, & hic Iesus dicitur,
qui populum de ignorantiæ tenebris edu-
ctum, & de mundi erroribus euocatum,
introduxit ad regnum cælorum. Similia
habet *Iustinus Philosophus, & Martyr dia-
logo cum Triphone*, prope finem, sic dicens.
Cur autem nomen Ause à parentibus in-
ditum Naue filio totum mutatum sit in
Iesu non perquiris? Respondétque. Ideò
Moysem cum mitteret Ausem, vel Oseam
A nomen illi mutasse in Iesum, quoniam
solus Auses ex omnibus, qui adulti ex
Ægypto demigrarunt, reliquias populi in
terram sanctam introducturus erat, vt
sicut in officio, ita & in nomine typum
Christi gereret.

Videndus item pro hoc argumento
Euseb. Cæsar. lib. 4. *demonstrat. Euangelist.
cap.* 29. vbi ostendit Iesum Sacerdotem
magnum filium Iosedech, de quo *Za-
char. cap.* 3. (quanquam *Origen. homil.* 9.
in Leuiticum, & homil. 14. *in Lucam, Ter-*
B *tull. lib. cont. Iudæos cap. vlt. ad fin. Ambr.* 3.
de fide cap. 4. *& serm.* 5. *in Psal.* 118. *Chry-
sost. homil.* 3. *ex varys in Matth. Gregor.* 20.
moralium, cap. 20. *copiosius Lactant. libr.* 4.
cap. 14. *Hieronym. in Psalm.* 108. *&* 109.
intelligant locum de Christo.) Illum,
inquam, summum Sacerdotem ostendit
Euseb. apertissimam imaginem fuisse, &
re, & nomine Christi nostri Iesu. Illius
enim decoratur nomine, & populi de Ba-
bylone redeuntis, vbi captiuus fuerat du-
ctor extitit.

C Cæterùm vt bene notauit *Bernardus
serm.* 15. *in Cantica.* illi quidem præmissi
sunt, tanquam baculus ad mortuum, Pro-
phetam præuenientes, & sua interpreta-
ri nomina nequiuerunt, vacua quippe
erant. Superpositus mortuo baculus est, 4. *Reg.* 4.
& non erat vox, neque sensus, quia ba-
culus erat, descendit, qui baculum mi-
sit, & mox saluum fecit populum suum
à peccatis eorum, probans se esse quod
dicebatur. *Quis est hic, qui etiam peccata
dimittit?* Nimirum, qui dicit: *Salus po-* *Marc.* 2.
D *puli ego sum.* Iam vox, iam sensus est, & *num.* 7.
patet eum suaue portare nomen, instar
priorum, sentitur infusa salus, & benefi-
cium non tacetur. Quid mirum, si cessit
mors, vbi vita descendit? *Iam corde cre-* *Rom.* 10.
ditur ad iustitiam, & ore confessio fit ad *num.* 10.
salutem, iam oscitat puer; & oscitat se- 4. *Reg.* 4.
pties, & dicit, *septies in die laudem dixi* *num.* 35.
tibi. Vnde merito *Petrus Damian. serm.* *Ps.* 118.
de Natiuitate, ostendit omnipotentiæ no- *n.* 164.
men Dei proprium conuersum, & diffu-
sum fuisse in nomen misericordiæ Iesu.
E Nullum, inquit ille, reperietis nomen,
quod non sonet; aut maiestatis poten-
tiam, aut gratiam pietatis, quod Pro-
pheta dixit: Duo hæc audiui, quia pote- *Psal.* 61.
stas tibi est, & tibi Domine misericor- *num.* 12.
dia. Duplex, inquit, est nomen diui-
num, alterum maiestatis, alterum pieta-
tis. Cui suffragatur sententia Christi Do-
mini *Ioan.* 13. Vos vocatis me magister, & *Ioan.* 13.
Domine & bene dicitis, sum etenim. Nam *num.* 13.

Dominus

Dominus nomen maiestatis, magister nomen est pietatis, si enim pium est præbere escam corpori, multo misericordius est escam animæ impertiri. Videamus igitur, quod nomen horum infundatur, vtrum nomen potentiæ, & nomen gloriæ, ac pietatis in maiestatis vocabulum; absit, vt misericordia in potentia includatur, certum igitur est quod potestas Dei in maiorem pietatem effusa sit, non habuit enim dulciorem modum ad redimendum nos abyssus illa consiliorum Dei, quia quidquid pietatis in diuinitatis thesauro inuentum est, totum in vtero virginis est aggestum,& genitus filius, Iesus appellatus est. Sic ille.

Quibus in verbis *Petrus Damian.* vel potius *Bernard.* (ipse enim *Petrus Damian.* fatetur totum hunc locum ex D. Bernard.transcripsisse,habetur enim *serm.* 15.*in Cant.*) voluit ostendere Deum cogitasse de nomine filij Dei in carne, vtrum, scilicet futurum esset nomen potentiæ, & maiestatis siquidem in redemptione plebis suæ ex Ægypto omnipotens dicitur nomen eius: an vero illi esset imponendum nomen pietatis,& misericordiæ, visumque fuisse dignum, vt vtrumque diceret nomen Filij Dei hominis, & sicut in opere futorio euenire solet pluta in vnum coalescunt,sic & sacratissimum Iesu nomen misericordiam quidem diceret,sed omnipotentem significaret, quod nobis miseris pernecessarium maxime erat,qua de re videndus *Bernard. serm.* 15.*in Cant.* cum ait.Quod ergo horum effunditur? Profectò maiestatis, & potentiæ nomen, in id, quod est pietatis, quodammodo transfunditur, ipsumque effunditur abunde,per Iesum Christum Saluatorem nostrum.

Vide igitur omnipotentiā istius nominis cum *Greg. Nazian. orat.apologetica*, cum ait. Et Dæmones inuocato contremiscunt, nec ob hominum improbitatem huis nominis vis diminuta est. Et ad Nemesium. Ipse quoque qui Christo nomen dedit. Augustum illud nomen vix plerunque pronuntiaui cum statim Dæmon,non sine stridore, grauissimóque dolore longissime se proripit, Dei immortalis vim, ac potentiā clamans.Et *Orig.hom.*1.*in Iof.* existimat hoc nomen esse illud, de quo Paulus ait. *Dedit illi nomen, quod est super*
Phil.2. num.9. *omne nomen.* Et quia est super omne nomen inquit, istud nomen; idcirco *in nomine Iesu omne genu flectitur, cælestium*

A *terrestrium, & infernorum.* Similia habet D.Ber.super *Ecce nos reliquimus, &c. & Haymo, Amb. Cathar. ad prædicta verba Pauli D.Bernardinus tom.*1. *serm.*1. Ecce igitur huius nominis maiestas, in cuius figuram in fronte, & supra cætera omnia ornamenta. Sacerdotalia olim Summus Pontifex Dei nomen deferabat.

Notandum deinde est,quod licet multa sint nomina Dei hominis, de quibus *D.Cypr.* & alij Patres,& ex recentioribus *Cantapretensf.in suo hypotepos. & Ludouic.*
B *Legion. in peculiari libro de nominibus Christi*, ex quibus *Isai.* præcipua enumerat in cap.9. cum ait: *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, &c. Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, &c.* Hæc tamen nomina, in nomine Iesu continentur quod docuit *D. Thom.*3.*part. quæst.*34. *art.*2. *ad* 2. *& in corpor.* & prosequitur *Bernard. serm.*2. *de circumcis.* vbi ita ait. Magna quidem nomina, sed vbi est vnum, quod est super omne nomen, nomen Iesum, in quo omne genu flectitur, fortè in his omnibus vnum illud inuenies, sed expressum quodammodo, & effusum nempe ipsum est, de quo sponsa dixit in Canticis amoris. *Oleum effusum nomen tuum.* Habes ergo vnum, ex his omnibus appellationibus Iesum. Neque omnino, aut vocari posset, aut dici Saluator, si horum aliquid fortè defuisset,nunquid non vere admirabilem eum sumus experti in mutatione nostrarum voluntatum, hoc namque saluationis nostræ principium, cum incipimus respuere, quod diligebamus; dolere vnde lætabamur; amplecti, quod timebamus;sequi quod fugiebamus,optare,quod contemnebamus.Admirabilis sane,qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilominus, & consiliarium sese exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ,& vitæ ordinatione, ne fortè sit nobis absque scientia zelus, & voluntati bonæ prudentia desit, sane opus est, vt Deum quoque probemus in remissione priorum deliciorum, quia nec sine hac salus nobis constare potest, & nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus; verum nec id quidem sufficit ad salutem, nisi quoque fortem experiamur in expugnando impugnantes nos, nec ab eisdem rursus concupiscentiis superemur, & fiant nouissima nostra deteriora prioribus, adhuc autem, & illud deest quod maximum est in salnte,nisi enim Christus Pater esset futuri sæculi, vt per eum in immortalitatem resurge

Isai. 9. *num.*6.

*Cant.*1. *num.*3.

C D E

resurgeremus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem, salui esse non possemus, neque hoc satis, si non etiam ipse princeps pacis, patri nos reconciliaret cui traditurus est regnum, ne forte sicut filij perditionis, & non salutis resurrecturi videremur ad pœnam. Abunde effusum est sacratissimum nomen in tot nomina Christi, & propterea *Isai.* eius non meminit (scilicet Iesus) quia effusum sciebat in tot præclara, & diuina nomina, ideoque ipse *Bernard. ser. 15. in Cant.* ait: Nec mirum si cum venit plenitudo temporis facta est effusio nominis, Deo quippe, quod per *Ioelem* promiserat *c. 2.* adimplente, & effundente de spiritu suo super omnem carnem, quale erat quod sciscitanti Moysi primo responsum est. *Ego sum, & qui est misit me ad vos.* Nescio an vel ipse Moyses caperet sic, si non videlicet effunderetur, sed fusum est, & captum est, nec modo fusum, sed effusum, nam infusum iam erat, iam cœli habebant illud: iam Angelis innotuerat, est autem foris missum, & quod Angelis erat infusum, vt esset, & priuatum, & effusum in homines est, ita vt iam tunc merito clamaretur de terra, oleum effusum nomen tuum. O nomen benedictum. O oleum vsquequaque effusum. Quousque? De cœlo & in Iudæam, & in omnem terram exeuntit, & de toto orbe clamat Ecclesia. *Oleum effusum nomen tuum.* Effusum plane quod non solum cælos, terrasque perfudit, sed aspersit, & inferos, adeò vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur. Oleum effusum nomen tuum.

Joel. 2. num. 28.

Exod. 3. num. 14.

Ex quibus iam innotescet cur pastores, quos claritas Dei circunfulsit, & quibus gaudium magnum euangelizauit Angelus. *Videntes Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & hominibus ostendit in terra*, non dicitur ab aliquo Euangelista, quod adorauerint Verbum in carne, sed quod venerint festinantes, & inuenerint Mariam, & Ioseph: & infante positum in præsepio, & quod videntes cognouerint de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc; at postea venientes Magi ab Oriente, *procidentes* quidem *adorauerunt eum, & apertis thesauris obtulerunt munera*, nempe inuenerunt pastores puerum in præsepio, non regio adhuc, ac diuino diademate coronatum, sacratissimo S. nomine Iesu, quod illi fuit impositum octauo die circuncisionis in quo omne genu pia reuerentia flectitur, & ideo tunc tem-

Luc. 2. num. 9.

Matth. 2. num. 1.

A potis non legitur à pastoribus adoratus, at Reges id ipsum insignitum regia corona, & perfusum hoc pretioso vnguento, vocatumque hoc nomine, quod est super omne nomen inuenerant, & ideo procidentes adorauerunt eum, cuius audito nomine apud inferos curuantur etiam genua, vnde *Bernard. serm. 1. de circuncis.* Agnosce, inquit, mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipso natiuitatis suæ exordio, diuinis humana sociat, ima summis, absconditur in præsepio, sed proditur fa-
B diante stella de cælo, sic & circuncisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen, quod est super omne nomen: gloriam indicat maiestatis, iudicauit profecto gloriam maiestatis Verbi Dei in carne sacratissimum nomen, vt qui, indicante stella eum quæsierant, illustrante iustitiæ sole recenter natum inuenerant, ipso acclamente nomine, procidentes adorauerant oblatis tandem muneribus venerarentur vt Deum, & Regem simul agnoscerent, ex nomine, & corona; & ideo
C post impositum hoc nomen, & effusum hoc oleum ad adorationem summi Regis Legati mittuntur è cœlis, nuntij expediuntur ad Orientem, vt nouo modo ab Oriente ad Orientem veniant nouum simul, & antiquum Regem Reges terræ adoraturi, vnde *Bernard. dicto sermo. 15. in Cant.* exclamat. Currite gentes, ad manum est salus, effusum est nomen, quod quicunque inuocauerit, saluus erit, nonne in huius nominis luce, Deus nos vocauit in admirabile nomen suum, quibus illu-
D minatis, & in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, hoc denique nomen coram Regibus, & gentibus, & filiis Israël portare visus est idem Apostolus, huius nominis salutem extremo suspirabat spiritu Patriacha Iacob, cum dicebat. *Salutare tuum expectabo Domine*, reliquæ enim saluationes defecere, vt ibi notauit Chaldæus, at vero ista permanet in æternum iuxta illud Prophe-
E tæ. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum, abscindetur de ouili pecus, & non erit germen in vineis, ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*, cætera enim quæcumque nobis, quando maximè necessaria sunt, deficiunt nec proficiunt, at nomen hoc proficit ad transmittendum vastissimum miseriarum pelagus, & ad transmittendos nos in æterna tabernacula.

Ephes. 5. num. 6.

Gen. 49. num. 18.

Habacuc 3. nu. 17.

Vnde

Vnde ſicut Iſraëlitæ poſtquam Pharaonis exercitum fluctibus demerſum conſpexere, ſéque ereptos è poteſtate inimici, & perſequentis, & minitantis per medium mare rubrum ſalutem tantummodo temporalem conſecutos, merito, ſicut meminit Salomon, *decantauere Domine ſanctum nomen tuum*, nos profectò maiori cum ratione, ſicut longè è miſerabiliori captiuitate erepti, ſubmerſis innifibilibus, terribilibúſque hoſtibus in ſanguine agni immaculati, ſalutare nomen Ieſu decantare debemus, quod Verbo Dei in carne impoſitum eſt, quando infiniti valoris ſanguinem cœpit effundere, vt myſterium nobis notius eſſet, & manifeſtius, proindéque ſi illi dixerunt, Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius, nos dicere debemus: Dominus non quaſi vir, ſed verè homo pugnator ſpiritualis eſt, omnipotens nomen eius. Ieſus, quod & virum dicit, & omnipotentem Deum prædicat, etenim ſicut dixit *D.Thom.3.p.q.16.art.5.* nomen Ieſus formaliter quidem humanam naturam ſignificat, ſed diuinum ſuppoſitum, cui eadem natura hypoſtaticè vnita eſt, etiam indicat, & per conſequens etiam, & diuinam naturam, ac proinde omnipotens nomen eſt.

Sapient. 10.n.20.

B

C

Quod ſi velis magis maieſtatem, & omnipotentiam huius nominis, cui maxima reuerentia debetur audire, proponamus tibi Paulum, de quo *D. Hieronym. in comment. Epiſt.* eiuſdem, & præcipuè ad illa verba *Epheſ.1. in quo, & vos, &c.* ait maximo affectum fuiſſe amore, deuotione, & reuerentia erga hoc nomen, quod in corde gerebat, & ideò in ore etiam ex abundantia cordis, & in manu dum ſcribebat, vnde *ſuperfluè*, inquit ille, *& extraordinariè illud nominabat*, dixit verò ſuperfluè, & extraordinariè, quia vt author eſt *Genebr. Chronic. lib.3. fol.364. in Epiſt.* ſuis nomen Ieſus, quingenties vſurpat, vſque adeo ei erat, & ſuaue, & amabile hoc nomen quod non aliunde factum exiſtimo, niſi ex reuerentia omnipotentis huius nominis: cum enim probe nouerit Apoſtolus, audito hoc nomine maximam ei reuerentiam à fidelibus exhibendam, procul dubio ideo toties illud ſcriptis ſuis prodidit, vt quoties legeretur, & audiretur, vel genua illi flecterentur, vel caput humiliaretur, vel corde coleretur, quod totum omnipotentiæ, & omnipotenti nomini debitum eſt, nec aliò rem diuertit *Chryſoſt.* cum ait id factum eſſe

D

E

A propter affectum, & amorem huius nominis, ſic enim habet ad *c.1. Epiſt.1. ad Cor.* Conſidera quo pacto Paulus Chriſti nonem auditorum cordibus frequenter affigat, & ſemper eum quem deſiderat, nominet, ſed forte ideo affigebat fidelium cordibus, vt debita reuerentia, & adoratione ab eiſdem coleretur.

Nec omittenda hoc loco affectio, & conſolatio, quam etiam ante conuerſionem ſuam in hoc nomine experiebatur, *Auguſt.* hoc enim etiam ab eius omnipotentia prouenire cenſendum eſt, quæ durum adhuc cor emolliebat, & oleo huius nominis ad illud diuino igne accendendum inungebat, ſic enim habet *Auguſt.* Delectabar in illa exhortatione (ſcilicet Hortenſij Cironiani, qui liber modo deeſt, continebat autem exhortationem ad ſtudium ſapientiæ) & exercebar, & accendebar, vt diligerem, & quærerem, & aſſequerer ipſam, quæ præponebatur, ſapientiam, ſed hoc ſolum me in tanta flagrantia refringebat, quod nomen Chriſti non erat ibi, quoniam hoc nomen ſecundum miſericordiam tuam Domine, in lacte materno tantum cor meum ebiberat, & altè retinebat, & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, non me totum rapiebat. Quis ergo totum ſic raperet hominem, niſi omnipotentis Dei nomen, qui fecit, & refecit hominem.

Et ne aliquis ſcrupulus remancat ex eo, quod *Auguſtin.* videatur loqui de nomine Chriſti, & non potius de nomine Ieſus, aduertendum eſt, ſanctiſſimum nomen Ieſus, ſolum & propriè eſſe nomen Chriſti, ſicut proſequitur idem *Auguſtin. tract.5. in Ioan. & tract.3. in 1. Epiſt. eiuſdem Ioan.* vbi ait: *Ieſus eſt proprium nomen, Chriſtus autem nomen eſt ſacramenti, ſiue officij*, quod dixerat *Tertull. lib. contra Praxeam.* non longe à fine, *& lib. 3. contra Marcion. & lib. de baptiſ. Lactantius lib.4. diuinarum inſtit. cap.3. Cyrillus Hieroſol. cathe. 3. & 10. Procop. in Iſai. cap.4.* ibi. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo.* Et *Bernard. ſerm. 2. de Circunciſ.* Proinde cum *Auguſt.* confitetur ſe tam affectum erga Chriſti nomen id, proculdubio intelligendum eſt de ſacratiſſimo nomine Ieſus. Videndus item *Theod.* ad illa verba *Cant.1.* Oleum effuſum nomen tuum, vbi poſt multa ait. Multiplices, ac varij fontes, qui totum orbem terrarum odoris ſuauitate repleuerunt, vnicam habent venam, & originem, vnguentum tuum, in eo habitauit omnis pulchritudo diuinitatis.

Iſai.45. num.1.

Cant.1. num.3.

Et *Bernard. ferm.* 15. *in Cantica*: quid ita, ait, exercitatos repatat fenfus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honeftos, caftas fouet affectiones? Aridus mihi eft omnis animæ cibus, fi non oleo ifto infunditur, infipidus eft, fi non hoc fale conditur, fi fcribas, non fapit mihi, nifi legero ibi Iefum, fi difputes, aut conferas, non fapit mihi nifi fonuerit ibi Iefus? Iefus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus, fed & eft medicina. Triftatur aliquis noftrum? Veniat in cor Iefus, & inde faliat in os, cui aliquando ftetit ante faciem falutaris nominis duritia cordis, ignauia, torpor, rancor, animæ langor, acedia? Cui fons fortè ficcus lachrymarum, inuocato Iefu, non continuus erupit vberior, fluxit fuauior, &c. Nimirum morbi, & languores animæ ifti funt, illud medicina. Nihil ita iræ impetum cohibet, fuperbiæ tumorem fedat, fanat liuoris vulnus, reftringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ftim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem: fiquidem cum nomino Iefum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, qui fuomet & exemplo fanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia mihi fonant cum infonuerit Iefus, fumo itáque mihi exempla de homine, & auxilium à potente, ille tanquam mihi pigmentarias fpecies, hoc tanquam vnde acuam eas, & facio confectionem, cui fimilem medicinam nemo facere poteft. Semper tibi in finu fit, femper in manu, quo tui omnes in Iefum, & fenfus dirigantur, & actus. Sic *Bernard.*

Ex quibus omnibus illud tandem elicimus omnipotentis Dei nomen antiquum, iam in aliud, & omnipotentiæ fimul, & mifericordiæ pleniffimum coaluiffe, quod femper decantare debemus, femper laudare, & cum Dauid dicere: *Sit*
Pfal. 71. *nomen eius benedictum in fæcula, ante fo-*
num. 19. *lem permanet nomen eius.*

ANNOTAT. V.

Nomina debent cohærere cum veritate earum rerum, quas fignificant.

QVoniam ficut in litera annotauimus, mos eft facræ Scripturę, & Hebraifmus vfitatiffimus, vt nomen accipiatur pro re, & nominari pro effe, inde nobis vifum eft circa mores hanc doctrinam
A profequi, quandoquidem in noftro fæculo videmus nomina non cohærere cum rebus, quas denominant, vnde & fideles plerúmque dicuntur, qui fidem minimè feruant, & bona, quæ folis malis inferuiunt, & magni dicuntur, qui minima folummodo quærunt, quod iam olim videtur obferuaffe *Philo lib. de Cherubim*, vbi hunc errorem ad deceptionem vulgi, non ad prudentum impofitionem reducit, ait enim: vulgus hominum nomina imponere rebus diuerfa ab ipfis rebus, vt aliud ip-
B fæ fint, aliud fonent: apud Moyfem vero nominū impofitiones manifeftiffimè res ipfas indicare, quæ fuit ratio, cur Moyfes ftatim nominauerit Caim antequam eum natum dixerit, ita enim habet facra Scriptura *Genef.* 4. Quæ concepit, & peperit Caim, idem primum apud Moyfem eft nomen, & res ipfa, vt nullum inter vtrúmque difcrimen videatur. Debent proinde nomina ita rebus conuenire, vt ea quæ recta funt optimas etiam res denominent quod profequitur *Orig. homil.* 25. *in*
C *Num. & hom.* 23. *in Iof. Hieron. in Pfal.* 82. *Chryfoft. hom.* 4. *in Matth. Et Plato in Cratillo* fiue de fapientia.

Genef. 4. *num.* 1.

Vnde rectè aduertit *Orig. homil.* 27. *in Iof.* folos eos Angelos nobis notos effe per nomina, à quibus aliquod beneficium accepimus, nec plures nomina habere apud nos, quam tres Gabrielem, Raphaëlem, & Michaëlem, cuius nomina ab operibus, & effectis deducta funt, vt non inania, vel falfa nomina cenfeantur, & *D. Bernard. ferm. de Circuncif.* aduertit,
D tunc Chrifto Domino impofito fuiffe Saluatoris nomen, cum opus noftræ redemptionis per effufionem fui fanguinis incepit operari, quamquam ipfius meritum in conceptione initium habuerit. Merito, inquit, fanè cum circumciditur puer, qui natus eft nobis, Saluator vocatur, quod videlicet, ex hoc iam cœperit falutem noftram operari, immaculatum illum pro nobis effundens fanguinem, in hac die nomen imponitur, & nomen falutis, vfque in hunc diem dicere poffunt
E Angeli qui norunt fecreta cæleftia: fed ego nunc primum fiducialiter nomen falutis impono, &c.

Videndus hac de re *Plutarchus in vita Coriolani*, vbi obferuat apud veteres Græcos nomina non effe impofita nifi à virtute, vel à rebus geftis; eft enim valdè periculofum, fi nomina non cum rebus cohæreant ne fortè errore vocabuli in eos incurramus, quos cum fapientes, licèt iu-

ftos

ftos exiſtimamus, eo quod nomina ipſa iuſtitiam, ſanctimoniam, & ſapientiam præ ſe ferant, eoſdem tamen prauos, & ſtultos inueniamus, atque hac falſa nominis appellatione plerúmque nocent eis, quibus de veritate non conſtat. Quod proſequitur *D. Auguſt. tract. 4. ſuper Epiſt. 1. Ioan.* & non aliter euenire docet, quam ſi quis incidat in eum, qui medicus cum non ſit, ſibi tamen nomen medici falſum aſſumpſit; is enim dum nomine tenus remedium pollicetur, vitam perdit eorum, qui falſo medici nomine ducti, dum ſalutem quærunt, mortem inueniunt; quod cedit in magnum Reipub. detrimentum. Quod proſequitur *Maximus Tyrius Platonicus ſerm.* 38. dum ita habet. Cum deſiderium nos habeat diuinæ naturæ intelligendæ, ita eſt humanæ mentis imbecillitas, vt quæcúnque hominibus pulchra videantur, ab ipſius Dei natura diuina nuncupemus, ſequentes amantium illum affectum, quibus eorum, quos amant ſimulachrum, præbere iucundiſſimum ſolet ſpectaculum; iucunde enim inſpicitur lyra, iaculum, vel quidquid poteſt amati memoriam ſuſcitare, vnde euenit, vt nomina virtutum vitiis imponant, quod plures euertit Reſpubl. vt tradit *Plut. lib. de diſcrimine adulatoris & amici*, vbi ita habet. Qui laudando penetrant ad ipſos mores, & his corrumpendis adulantur, perinde faciunt ac famuli, qui non de aceruo, ſed de ſemine furantur, nam dum virtutis vocabula vitiis tribuunt, inficiunt affectum, actionum ſeminarium, & habitum animæ, vnde ſeu à fonte omnia vitæ officia proficiſcuntur.

Videndus item *Hieron. in Epiſt. ad Pammachium de obitu Paulinæ vxoris*, vbi affert locum ex Cicerone, qui vehementer dolet, & deplorat euerſam eſſe Rempub. Romanorum, quia vniuerſa virtus in opinione falſa poſita erat. Cæſar enim, inquit, cum quoſdam ornare voluit, non eos honeſtauit, ſed potius virtutis ornamenta deturpauit. Ideóque *Philo lib. de legat. ad Caium*, merito conqueritur de ipſo Caio, qui cum iniquiſſimus eſſet, Deus tamen haberi à ſuis maximè contendebat, dicitque. *Dic Cai ob has ne cædes, ac peſtes per te illatas Deus fieri poſtulas? ſcilicet vt immortalis ipſe has calamitates non in paucos dies, ſed in tempus infinitum proferas? Ego diuerſum cenſeo, etiamſi Deus credereris, omnino te tranſiturum in ordinem mortalium, ob tam peruerſa tua ſtudia: nam ſi virtutes, diuinitatem, vtiq; mortalitatem*

A *afferunt vitia*; Quia vero Caius diuinitatis, & virtutis inſignia ſibi falſo aſſumpſit, addit Philo: *Inuſitata ſpecie terror incutiebatur populo miranti, quod honores ſibi vſurparet eorum, quorum virtutes aſpernaretur, contentus ſolus inſignijs.* Quæ fuit cauſa inter alias cur *Plato lib. 2. de Rep.* noluerit in ſua Republica Poëtas, quia, ſcilicet, bella, rapinas, ſeditiones, adulteria, furta, & ſimilia, ac ſi virtutes fuiſſent, verſibus decantatis conſecrauerint, ex quo loco *Lucian.* deſumpſit verba, quibus Menip-
B pum ſic loquentem introducit. Ego igitur cum puer adhuc eſſem, audirémque Homerum, & Heſiodum ſeditiones, ac bella canentes non ſemideorum modo, ſed ipſorum etiam Deorum, adulteria quóque, violentias, rapinas, ſupplicia, patrum expulſiones, & fratrum, ac ſororum nuptias, hæc mehercle omnia bona, pulchráque putabam, & ſtudioſè erga ea afficiebar. Qua de re ſic optimè *Aug. 2. de ciuit. c. 7.* quanto ſatius erat ad erudiendam ad iuſtitiam iuuentutem, publice recitari leges
C Deorum, quam laudari inaniter leges, atque inſtituta malorum. Omnes enim cultores talium Deorum mox, vt eos libido perpulerit, feruenti (vt ait *Perſius ſatyra* 3.) tincta veneno, magis intuentur, quid Iupiter fecerit, quam quid docuerit Plato, vel cenſuerit Cato. Hinc apud *Terent.* (ſcilicet in Eunucho) flagitioſus adoleſcens ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hęc. Quo pacto Iouem Danaë miſiſſe, aiunt in gremium quondam imbrem aureum, at quem Deū,
D inquit, qui templa cœli ſummo ſonitu concutit, ego homuncio id non facerem? Ego vero illud feci, ac lubens, ſic *Aug.* Ex quibus colligimus quam pernicioſum ſit nomina pręclara iniquis rebus adaptare, & illis hominibus apponere virtutum encomia, in quibus turpitudines conſecrantur, & ex earum conſecratione omnis remedij ſpes colligitur.

Merito proinde *Diogenes* apud Laërtium conſpicatus imbellem puerum pelle leonis indutum, & Herculea claua inſi-
E gnitum, illi dixit. Deſine virtutis ornamēta pudefacere. Et *Sertorius apud Plutarch. in vita ipſius* cum alterum in prælio amiſiſſet oculum, dixit eleganter, ſe gloriari, quod alij non ſemper virtutis ſuæ teſtimonium deferrent, ſed torques, & haſtas, atque coronas domi relinquerent, ſibi vero bellicæ laudis inſignia perpetuo adeſſent, eoſdemque haberet fortunæ, & virtutis ſuæ inſpectores, qui non audito

V 2 ſolum

solum nomine, quod multoties fallere A consueuit. sed visu, & oculis in orbato oculo perspicere possent teste suæ virtutis, ad quod facit, id, quod de *Aristot.* dicitur. Nempe ridere consueuisse illorum pictorum imperitiam, qui ita leonem depingebant, vt non nisi apposito leonis nomine, agnosci posset, & vt leo reputari.

Quia ergo homines multoties falluntur, ac fallunt in nominum impositione, non idem apud ipsos est nomen ac res, imò nomina, quæ rebus debent conuenire, multoties ipsis opponuntur, vnde *Cyprian. Epist. 2. ad Donatum* cõqueritur hac B de re, dicens: *O nominum quanta diuersitas, bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas vsus est.* Solent siquidem homines dicere alium bona habere, cum ipse solummodo mala operetur, & nunquam in eo bona cernantur.

Attigit autem optimè huius falsæ impositionis nominum rationem *Nazianz. orat. ad* 150. *Episcop.* cùm ait: *Odium, & amicitiam nomina consequuntur*, statim námque ac homines aliquem oderunt, ini- C quum denominant, & pessimam induunt nomenclaturam, quem vero diligunt & probum, & sapientem, & strenuum vocitant, neque aliunde proueniunt apud homines nomina, nisi ex odio vel amicitia, sic enim exposuit locum *Nazianz. Nicetas* dicens. Simul enim ac vobis hæreticus nominatur, ac rursus, vt primùm vestram amicitiam collegit, statim pius, & orthodoxus.

In quam sententiam facit id quod *Tertull.* dixit *in Apolog.* vbi rationem reddit, D cur olim torquerentur Christiani à Gentilibus, asseritque id factum esse ob confessionem nominis Christiani, quod odiosum illis erat, & non ob crimina, quæ supplicia mererentur. Solum, inquit, id expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis. O sententiam necessitate confusam, &c. Vbi ostendit homines non obseruare vtrum nomina virtutibus conueniant, neque inde impositionis originem ducere, sed ex odio, & amicitia; quod E etiam cernere est apud Moabitas, qui ex animo sanguinis auido, aquas nomine sanguinis proclamarunt, dixerunt enim

4. Reg. 3. 4. *Reg.* 3. Sanguis gladij est: pugnauerint
num. 23. Reges contra se, & cæsi sunt mutuo. Si verò quæris, vnde aquis nomenclatura sanguinis contigerit? Non aliunde, quam ex odio, & desiderio sanguinis effundendi ortum esse comperies.

Hæc est ratio cur sancti Patres maximè laborent in admonendis hominibus, ne falso rerum nomine decipiantur, huc enim venit admonitio illa *Bernard. 4. de consideratione*, vbi ait: Transitoria ista, fac vt à te transeant, non per te, si potest torrens in agros excurrere, sine læsione satorum, & tu ista sine vulnere mentis, &c. Similis est exhortatio illa *Chrysost. homil. 2. in Ioann.* pro vitanda vana, seu inani gloria, vbi ait. Non gloria, sed inanis gloria opus appellatur. Inanem gloriam hanc, maiores nostri omnes merito dixerunt. Inanis namque est, nihil in se habens, neque clarum, neque gloriosum, tanquam personæ, quæ pulchræ quidem visu, & decore, intus autem inanes reperiuntur, quare cum aspectu ipso elegantiores appareant, neminem tamen vnquam ad se amandum allexerunt (mentis scilicet compotem) vnde igitur tam temerarius, tam insanus, absque vlla voluptate affectus? Non aliunde sanè, quam à vili, & abiecto animo: neque enim fieri potest, vt qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid, & egregium sapiat, sed ignominia illico ipsum notari necesse est, & animi abiecti, infamis, atque exigui existimari, si autem dixeris multos etiam constantes viros hac esse sententia, idcirco longe maximè contemnendos dicimus: nam si sponte sua contemptibiles sunt, cùm multi fuerint, maiorem in modum digni sunt, qui contemnantur, singulorum enim amentia collecta, multitudine ipsa fit auctior: quamobrem si quis eos sigillatim castigaret, facilè, quod vellet, assequeretur, sin cunctos simul, nullus esset correptioni locus, cum numero ipso stultitia crescat, & pecudum more ducantur, quocunque inuicem sæcularem gloriam, atque opinionem secuti, sic *Chrysostom.* quibus in verbis attigit rationem, quare homines falsis decipiantur nominibus, quia scilicet aliorum impositionem, & prauam opinionem sequuntur, sequentes, ac pergentes non qua eundum est, sed qua itur, vt pecudibus contingere solet, cum tamen deberent expendere vtrum æstimatio, & nomenclatura rebus conueniant, necne.

Solum igitur apud Deum verum censorem, & æstimatorem rerum, vera nomina reperiuntur, vnde, & in Scriptura nomina idem sunt, ac res, quia inspirati à Deo scriptores sacri non nisi vera de rebus dicere possunt, & nomina pro rebus assumunt sicut in præsenti cum Moyses ait.

Omnipo

Omnipotens nomen eius, idem est ac Deus omnipotens ipse est.

Neque vero me omnino latet falsa aliquando nomina apud homines maximè fuisse vtilia, id tamen ea ratione factum est vt ij, quibus imponebantur, pro viribus niterentur nominibus correspondere. Non verò ideò assumpta vt ipsorum virtutem prædicarent, eosque deos crederent, dixit hoc *D. August. lib. 3. de ciuit. cap. 4. ex Varron.* vbi Varro non fuisse veros deorum filios asserit, qui apud Gentiles nominabantur, sed vtile esse ciuitatibus dicit, vt se viri fortes etiamsi falsum sit, diis genitos esse credant, vt eo modo animus humanus velut diuinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius & ob hoc impleat ipsa securitate felicius, & apud *Lucian.* habetur, & apud *Plut. in vita Alexandri*, quod quoties Alexander ipse se diis genitum esse putauit, toties in barbaros multo fortius, & insolentius pugnauit. Qua de re videndus *Arrian. Philosophus in Epistol. cap. 3. & 9.* falsa itaque deorum nomina, fortitudinem in hominibus incitabant, viresque excitebant, sed verum omnipotentis nomen Dei, eius præclaram fortitudinem nobis laudandam proponit, & credendam obiicit, & exponit.

ANNOTAT. VI.

Electi principes currus Pharaonis, tria capitalia vitia sunt, quorum primum luxuria proponitur.

Vulgare admodum est per Pharaonem intelligi diabolum, sicut videre est apud *Tertull. lib. de Baptismo: Orig. hom. 11. & 16. in Gen. & homil. 2. in Cant. Hieron. Isaia 19. n. 30. & Ezech. 29. Bernard. ser. 39. in Cant. Greg. Nyssen.* Quocirca quilibet homo currui prorsus fit similis, quia ab affectis suis trahitur, quocunque velit, quod dixit *Plat.* quem refert *Eugub. in Psal. 44.* his verbis: Homo non dissimilis est currui duorum equorum, à duobus enim equis vehitur, furore scilicet & cupiditate, desuper necesse est regat habenas ipsa ratio; si quando autem cogatur aliquis aliquem ascedere affectum, det operam, vt quamprimum vel desiliat, vel descendat; tales enim lapsus inclitam victoriam afferunt.

A Possemus proinde hoc in loco per currus iniquos intelligere homines, qui propriis affectibus, ac vitiis tracti omnia deuastantes conculcant, & pertransseunt. Tunc electi principes Pharaonis merito dici possunt tria illa vitia capitalia, luxuria, auaritia, ac superbia, ad quæ *Ioan.* reducit omnia mala, quibus mundus implicatur, cum ait. *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Quæ vitia comparat *Bernard. serm. 1. in 8. Pasch.* — 1. *Ioan.* 2. *num.* 16.

B cum triplici turma Chaldæorum, quæ, & pecora, & pueros Iob inuaserunt. Vnicuique autem ex his Ægypti, id est, mundi principibus idoneos currus adhibuit suus Rex Pharao, quos sic depingit *Bernard. serm. 39. in Cantica.* vt omnes floridas, atque venustas Poëtarũ descriptiones longè superet, primúmque currum luxuriæ sic describit. *Luxuria currus voluitur quadriga vitiorum: ingluuie ventris, mollitie vestium, otij soporisq. resolutione, libidine turpitudinis.* Sicut autem electi, ac falea- — *Iob.* 1. *num.* 17.

C ti currus aduersus Israëlitas, vt eos penitus extinguerent, assumpti fuerant à Pharaone, sic & prædicti vitiorum currus ab impio, & spirituali Pharaone assumuntur, vt quæcunque recta, & bona sunt in euiusuis anima, & in omnibus electis deuastare, & perdere possint.

Secundum mentem verò *D. Gregor.* sic describit *Iob in cap. 31.* primum currum. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*, quæ verba sic explicat *lib. 21. moralium, cap. 9.* Nonnul- — *Iob.* 31. *num.* 12.

D la peccata, inquit, animam polluunt, quam crimina extinguunt, vnde beatus Iob crimen luxuriæ definiens ait. Ignis est vsque ad perditionem deuorans: quia nimirum reatus huius facinoris, non solum vsque ad inquinationem maculat, sed vsque ad perditionem vorat, & quia quamlibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur, secutus adiunxit, & omnia eradicans genimina; genimina quippe sunt animæ operationes bo-

E næ, cui tamen si peruerso ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos iustitiæ, pietatisque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda; quid enim prodest si piè quisquam necessitati compatitur proximi, quando impiè in semetipso distribuit habitationem Dei? Si ergo per cordis munditiam, libidinis flamma

non extinguitur, in cassum quælibet vir-
tutes oriuntur, sic per Moysem dicitur.
Deuter. 32.n.22. Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit vsque
ad inferos deorsum, comedet terram, &
nascentia eius. Ignis quippe terram, atque
eius nascentia comedit, cum libido car-
nem, atque per hæc omnia bene acta con-
sumit. Sic ille. Qui rectè ostendit igneum
hunc luxuriæ currum perniciosissimum
esse, & infestissimum animabus nostris,
eiúsque rectis operibus: vtinam non in-
grederetur selectissima quæque loca, &
munitissima præsidia non incenderet. O si
non combureret.

Meritóque primus hic currus proponi-
tur hoc in loco, qui primas malitiæ, &
prostigationis partes pro diabolo in eo
maximè decertante, ac confidente agit,
quæ fuit ratio cur *D. Bernard. serm. 52. in
Cant.* dixerit illum solum immunem, &
liberum ab hoc malo se beatum dicere
posse cum Dauide, si tamen cum eodem
Psal. 54. num. 8. dicat. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in
solitudine.* Neque enim sufficit separatio,
nisi insuper adsit elongatio per fugam,
quam longissimam assumptam, cum enim
igneus sit, quæcunque proxima adsunt,
facilè comburit si non quam certissimè
elongata effugiant. Separasti te, inquit
Bernard. sed nondum elongasti, nisi ir-
ruentia vndique phantasmata corporea-
rum similitudinum peruolare mentis pu-
ritate præualeas, beatus qui dicere po-
Ibidem. test, cum Dauide. *Ecce elongaui fugiens,
& mansi in solitudine.* Non fuit conten-
tus exire, nisi & longè se faceret, vt pos-
set quiescere.

Quod igitur attinet ad primam ro-
tam, qua nititur, & voluitur luxuriæ cur-
Ezec. 16. rus, inuenimus eam apud *Ezech.* vbi ait:
num. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ,
saturitas panis, & abundantia.* Quod be-
ne prosequitur *Tertull. lib. cont. Psychicos,*
ex ipsa dispositione membrorum in cor-
pore humano, deindéque ex Paulo, sic
enim ait. *Pro dispositione membrorum, ordo
vitiorum, prior venter, & statim cætera
sagina substructa. Lascivia est, per edacita-
Rom. 13. tem salacitas transit*, & cap. vlt. *Appendi-
num. 13. ces gula lascivia, atque luxuria est, quam
societatem & Apostolus sciens, cum præmi-
sisset, non in comessationibus, adiunxit, nec
in cubilibus, & libidinibus.* Et *D. Hieron.
2. Reg. ad Oceanum, tom. 3. Venter mero æstuans
11. n. 2. cito despumat in libidines.* Quod etiam
probat *Theod.* in Dauide surgente de stra-
tu suo post meridiem, sic enim ait, *q. 25.
Vere magnum, & vehemens est bellum, re-*
A *missio, & delitiæ, & regnum, & potestas, &
forma corporis, & post cibi satietatem in-
sultus, quo tempore etiam iis, qui se exer-
cent ad castitatem accenditur scintilla, vt
quæ irrigationem habeat nutrimentum.* Vbi
similitudine assumpta, ab herbis, & arbo-
ribus, quæ irrigatæ augentur, & crescunt,
exponit quale fomentum, & incitamen-
tum præbeant luxuriæ cibi, & potus.

Deinde verò explicans, cur Dauid vo-
luerit occultare adulterium, quod vtero
Bethsabeæ intumescente, facilè poterat
B innotescere, & ideo miserit ad Ioab di-
cens: *Mitte ad me Vriam, Hethæum, qui* *2. Reg.*
cùm venisset, quæsiuit quomodo administra- *11. n. 6.*
*retur bellum, deinde dixit ad Vriam. Vade
in domum tuam, & laua pedes tuos, &
egressum Vriam de domo Regis, secutus ci-
bus regius:* Voluit enim Rex, vt vir con-
grederetur cum vxore, quo de illo postea
grauida reputaretur, & sic adulterium ce-
lari posset, & ideo ad concubitum, cibis
ad eum missis, inuitauit, & cum resciuis-
set Vriam dormisse ante portam domus
C Regis, vocauit eum, vt comederet coram
se, & biberet, & inebriauit eum. Ait ergo
Theod. Rex cum eum rursus iussisset ma-
nere, conuiuio excepit, frequentíque, ac
liberali inuitatione, vltra modum coëgit
bibere, vt irrigata cupiditate, ad coniun-
ctionem citius, & alacrius incitaretur.
Existimauit enim nullum aptius ad coi-
tum cum vxore futurum incitamentum,
quam cibum, ac potum, quæ luxuriæ
ignem veluti combustibilia fouent.

Similia sunt, quæ habet *Philo lib. 2. le-*
D *gis allegoriarum* ante medium, cum de vo-
luptate carnis exponit illa verba *Genes. 3.* *Genes. 3.*
Super pectus tuum, & ventrem gradieris, *num. 14.*
circa has enim partes, ait ille, stabulatur
affectus hic, pectus ventrémque, quando
præsto est copia materiáque voluptatis
circa ventrem, & quæ sub ventre sita
sunt, quando autem his caret circa pe-
ctus vbi sedes iræ est, amatores enim vo-
luptatum si his destituentur irascuntur, &
exacerbantur. Inspiciamus rem diligen-
tius, tripartitam esse animam nostrã, ha-
E bereque partes vnam ratione præditam,
alteram ad iram natam, tertiam ad con-
cupiscentiam, has partes nonnulli Philo-
sophi potentiis tantummodo differre exi-
stimant, quidam locis etiam: hi ratio-
nali parti caput sedem attribuunt, red-
dentes causam, quod ibi sit Rex, vbi satel-
litium, satellites autem mentis, sensus
collocatos in capite, proinde Rex habita-
re ibi tanquam in arce probabiliter credi-
tur,

tur, iidem iram locant in pectore, aiuntq; hac de causa à natura munitam hanc partem, densis, ac validis ossibus, non secus, ac strenuum militem instructum thorace, ac clypeo, ad repellendos aduersarios. Postremus locus assignatur concupiscentiæ, circa iecur, & ventrem, hic enim vis hæc habitat, appetitus ratione carens. Quando igitur quæris ò anima, quam regionem voluptas sortita sit, ne spectes capitis locum, qui rationis est, non inuenies enim, se sistit enim huic affectui ratio, nec potest vna cohabitare, dum voluptas B vincit, exulat ratio, proinde illam quære in pectore, ventréque, vbi partes brutæ domicilium habent, ventri itaque subiicitur, & subiectatur voluptas, quia cibus potúsque materiam subministrant huic vitio, & ideo in ventre sedem habere dicuntur.

Similia sunt quæ habet idem *Philo eodem in libro*, cum explicat illa verba *Genes.* Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Vbi obseruandum docet non dixisse inimicitias ponam tibi, & mulieri, sed inter te, & mulierem. Cur? Quoniam in medio, & tanquam in confinio voluptatis, sensúsque hoc bellum nascitur. Id amborum medium, cibus, & potus est, aptum ad quæcunque sensibilia huius modi, facultatem voluptatis inducendæ habentia. His quoties se voluptas ingurgitat præsentaneam sensui noxam afferunt.

Genes. 3. num. 15.

Videndus *Chrysost. homil. 58. in cap. 17. Matth.* vbi ait. Nemo magis diabolo amicus est, quam qui delitiis, & ebrietate D maculatur: hic enim fons hæc mater atque origo vitiorum statim omnium est: hac via olim Hæbræos in cultum diabolus idolorum iniecit, hac iniquos amores Sodomitarum inflammauit: hæc enim, ait, iniquitas est Sodomæ in copia, & plenitudine panis luxuriabantur, quid enim deliciarum hęc fœditas mali non inducit? sues ex hominibus facit, imo vero etiam multo maiores, &c.

Exod. 32.

Similia habet *Homil. 71. & hom. 56.* vbi laudat morem illorum monachorum, qui E in eremo habitabant, eo quod post prandium, imo vero post cœnam; prandium enim penitus ignorabant, quosdam gratiarum actionis hymnos dicebant, quos ipse affert. Nam inquit ille, quoniam mensa, & cibus diffundere solet, atque grauare quasi frænum aliquod, hæc euangelica verba, tempore lætitiæ animo imponunt, vt diligenter illius iudicij re-

A cordentur, ideo etiam Moyses scripsit *Deut. Cum manducaueris, atque biberis, & impleueris te, memento Domini Dei tui:* post mensam enim iniquissime agere ausi fuerant. Caue igitur etiam tu, ne tale quid patiaris, caue ne animam tuam, ne saluationem tuam fornicationi, aut huiuscemodi passionibus sacrifices, hac enim de causa etiam monachi hæc præcipitia, & percepta metuentes, cum mensa, imo vero ieiunio vsi fuerint, ieiunium quippe mensa eorum est, in illius se diei, & terribilis iudicij memoriam reducunt, si autem illi, qui ieiunando, humi dormiendo, vigilando, cilicio induêdo, milléque aliis se ipsos castigant, hac etiam admonitione indigent: quando nos moderate, ac probè viuemus, quibus mensæ mille naufragiis refertæ proponuntur: qui nec in principio manducandi, nec in fine ad orationem nos conuertimus? Sic ille, qui tam periculosum censet ad lapsum carnis, mensam, cibúmque & potum, vt refrænatum proponat etiam in medio ieiu-C nio, oratione, quo magis nos admoneat idem remedium, & exponat necessitatem vtendi illo apud eos, qui indulgentiori cibo, & crebriori vtuntur potu.

Deut. 6. num. 11.

Rem hanc eleganter mihi videtur attigisse *D. August. 3. de doctrina Christiana cap. 18.* vbi ciborum sumptioni comparat castitatem veterum Patriarcharum, vt nobis innotesceret conuenientia inter cibum, & potum, ac castitatem, & continentiam; sic enim habet, inferioris gradus ad Deum sunt, quibus secundum veniam concedit *Apostolus 1. Cor. 7.* carnalem cum singulis coniugibus consuetudinem propter intemperantiam eorum: quam illi, qui plures singuli cum haberent, sicut sapiens in cibo, & potu non nisi salutem corporis, sic in concubitu non nisi procreationem filiorum intuebantur. Itaque si eos in hac vita inuenisset Domini aduentus, cum iam non mittendi, sed colligendi lapides tempus esset, statim se ipsos castrarent propter regnum cælorum. Non enim est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. Sic ille. Qua de re videndus idem *August. lib. de bono coniugali. cap. 10. & lib. de sancta virginitate cap. 9. & lib. de bono viduitatis cap. 8. Chrysost. lib. de virgin. c. 17. Bernard. serm. 59. in Cant. Niceph. lib. 8. Eccles. historia. cap. 14.*

1. Cor. 7. num. 7.

Rem denique claudat *Philo.* sicut aperuit *Tertullian.* ille enim sic habet *lib. de agricult.* cum è multis condimentis, potúque

potúque meraciore cōtracta crapula grauantur homines, non sunt amplius sui compotes, sed properantes ad amatorios concubitus comessabundi oberrant ianuis, donec deferuente, despumatoque affectu possint quiescere. Cui rei prospiciens natura videtur ventri subiecisse instrumenta coitus, qui saturitatem solét sequi, & tum demum agere suum negotium. Ecce igitur prima rota luxuriosi currus, quā Bernard. asseruit esse ingluuiem ventris.

Quod vero attinet ad secundam rotam illa est mollities vestium, vnde *meretrix sedens super bestiam*, sic describitur B
Apoc. 17. num. 4. in *Apoc. Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritu, & immunditia fornicationis.* Et per *Isai.* Deus supplicia mi-
Isai. 3. num. 17. natur muliebri ornatui, & Paulus. *Mulie-*
1. Tim. 2. num. 9. *res in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinib. aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes*
1. Petr. 3. *pietatem.* Et Petrus. *Mulieres quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio* C *auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Ideoque *Tertull. lib. de cultu muliebri* loquens de superfluo ornatu honestarum mulierum. Quid minus, inquit, habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ: Et *lib. de cultu fœminarum.* Vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo, quia propriè vsus, & fructus pulchritudinis corporis, luxuria. Illæ sibi formositatem, & datam extendant, & non datam conquirant, quæ quod ab illis flagitatur, sibi quoque præstare se putant, cum alteri D præstant; quibus verbis eleganter per circumlocutionem inhonestam mulierem describit, quæ sui corporis prostitutione voluptatem aucupatur, & pecuniam. Et *lib. de corona militis.* Quid est, capiti fœminæ corona, quam formæ læna, quam summæ lasciuiæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ. Et *Clemens Alex. lib. 2. pædagogi. c. 10.* laudo & admiror veterem Lacedæmoniorum ciuitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aureum mundum gestare permisit, E à probis mulieribus mundi studium auferens, quod solis meretricibus concederet se ornare. Meretricis est, corpus ornare: castæ, probæque fœminæ, atque viri ornare mentem, pulchritudinéque veram quærere, non simulachrum pulchritudinis. Sic ille.

Refert etiam *Athenæus lib. 12. c. 6.* Syracusanos publica etiā lege statuisse, vt pro meretrice, & impudica haberetur ea mulier, quæ veste florida, purpura aut simili ornamento vteretur; & Lysandri filiabus tyrannus Siculus vestes, mundúmque muliebrem preciosum cum mitteret Lysander capere noluit, teste *Plutarch. in lib. de Præceptis connubialibus*, sic fatus. Hoc ornamentum dehonestabit potius filias meas, quam ornabit, ornamentum, ait ibi *Plutarc.* vt inquit Crates, est, quod ornet, ornat autem, quod honestiorem mulierem facit: talem vero præstat, non aurum, non smaragdus, non coccineus color, sed quæcunque grauitatis, moderationis, & pudoris specimen adhibent, & cætera, quæ prosequitur in hanc sententiam, pro qua etiam videndus *D. Cyprian. lib. de disciplina, & habitu viginum*, vbi inter alia ita habet. Continentia, & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus, & ornatus honore pariter ac pudore; redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas, & virgines Christi, quæ sic viuis, vt possis adamari: ornamentum, ac vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruunt; sericum, & purpuram indutæ, Christum induere non possunt. Hæc *Cyprian. & Nazian. orat. aduersus mulieres ambiciose se ornantes.* Cauete, inquit, mulieres ne caput vestrum adulterinis crinibus, tanquam turribus quibusdam muniatis, è quibus scilicet amoris, imo mortis, iacula impius Pharao expediat ad configendos impurorum oculos, & animos, & *D. Chrysost. hom. 8. in primam ad Cor.* grauiter inuehitur in eos, qui nimio ornatu, & auro compositi ad Ecclesiam pergunt, videndusque est *Ouid. 1. de arte amandi*, vbi ita ait.

Et nihil emineant, & sint sine sordibus vngues,
Inq; caua nullus stet tibi nare pilus.
Cætera lasciuæ faciant concede puellæ,
Et si quis male vir quærit habere virum.

Hinc est quod sancti Patres multi sunt in excusando ornatu Iudith, quem facer textus excepit, cum ait: Omnis ista com- Iudit. 10. positio non ex libidine, sed ex virtute pen- num. 4. debat, & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnibus appareret: licet vero *Clemens Alex. 3 pedag. c. 2.* dixerit solam Hester inuenimus ornatam; intelligendus est de iis tantum mulieribus, quæ quotidiano huiusce modi cultu assiduè vtebantur, at vero cultus sanctæ Iudith explicatur in cap. 8.

cap.8.vbi dicitur. Fecit sibi secretum cubiculum in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ,quam præclarum vero locum dederit
Iudith 8. *num.* 5. Iudith inter sanctas mulieres,idem *Clem. Alex.* ne tibi aliquis scrupulus subrepat ex loco superius allato,constare potest ex *lib.4.stromat.c.6.* vbi eam vocat consummatam inter fœminas.Sed vt ad nostrum argumentum reuertamur, necessario fatendum est mollitiem in vestibus,& muliebrem ornatum ad lasciuiam prouitare, B & in impudicis fœminis ferè semper reperiri,vnde *D. Hieron.* à contrario sensu dixit *Epistol.* 72. vestium sordes candidæ mentis indicium sunt,qua de re,& contra ornatum mulierum plura habet *Cyprian. Nazian.& Tertull.loc.citat.Clem.Alex.2. pedag.c.12.& lib.3.c.2.& tt.Basi.homil. 7.cont. ditescentes,Chrysostom.homil.28.in Epist. ad Hebr.* multa quæ habentur apud *Tiraq.lib.3.connub.num.27.*

Vtramque denique rotam currus luxuriæ, quas hucusque sumus prosequuti videre licet in luxuriosa, & adultera synagoga,cui Dominus, & ornatum concessit, & cibum,ipsa vero statim se totam luxutiæ dedit effræois, sic enim habet sacer
*Ezec.*16. *num.* 10. tex.apud *Ezech.c.16. Vestiui te discoloribus. & calceaui te hyacintho:& cinxi te bysso, & indui te subtilib.& ornaui te ornamento,& dedi armillas in manibus tuis,& torquem circa collum tuum, & dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* En vestium elegantia, mollities, ac ornatus, cur iam accedit tibi abundantia: *Similam & mel, & oleum comedisti*:quid deinde sit consequens audiamus.*Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti,vt fieres,&c.*

Tertia iam adest otij tota.Sed quomodo graditur, inquies, otiosorum rota?qui perpetuo resoluuntur otio,& quiete: Di-
*Prou.*26. *num.* 14. xit hoc Salomon *Prou.* 26. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lecto suo, otiatur enim corpore, mente tamen omnia prata pertransit,vnde *Hieron.Epist. ad rusticum* de forma benè viuendi ait:in desideriis est omnis otiosus.Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, sic ille. Quibus habet familia *Epist. ad Demetriadem, & Epistol.ad Paulin.* vbi ait,semper aliquid operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum; non enim facilè capitur à Dia-

A bolo, qui bono vacat exercitio, quapropter aduertit rectè *D.Bonauent.in 2. dist. 8.2.p.dist.q.4.*in vniuersum eos qui otiosi sunt tentationibus esse expositos,quas nō tam facilè experiuntur,qui circa honesta occupantur. Forteque adumbratum fuit, quam necessarium esset opus aliquod nobis omnibus qui in Ægypto commoramur ne otio defluamus, & luxuriæ inquinamento denigremur, in eo quod Ioseph emerit totam terram Ægypti ab habitatoribus,sic enim habet sacer tex.Emit
B Ioseph omnem terram Ægypti; vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni, *Gen.* 47. *num.* 20. & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti vsque ad extremos fines eius,præter terram Sacerdotum,dixit ergo Ioseph ad populos. En vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet:accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis.Expendens igitur *D.Ambros.lib.1.de off.c.16.*Rem hanc, ausus est asserere reuera misertum fuisse Iosephum
C populi illius, cum enim feracissima esset ea terra,& paruo adhibito labore,magnos prouentus,& fructus afferret,quod fuit in causa cur Ægyptij agriculturam vilē admodum reputauerint, qui isto ferè anni tempore,otio vacabant:postquam ad soluēdum annuum tributum Regi fuere adstricti, tenebantur iam è lectis solito citius,& de otio surgere, manúsque labori adhibere, & iniquis cogitationibus, quas otium parere solet, non tam pressos esse, etenim sicut dixit *Chrys.hom.5.de Anna.*
D Paupertate sublata totius vitę constitutio tolleretur,& omnis viuendi ratio perturbaretur,nam neque nauta erit,neque gubernator,non agricola,non cæmentarius, non textor,nec alius vllus opifex, quibus si nobis carendum sit,omnia pessū ibunt, nunc enim quasi magistra quædam optima necessitas paupertatis singulos ad opera,vel inuitos perurget,quod si omnes essent diuites,omnes etiam in otio viuerēt. Hac igitur in re,quæ ad salutē illius populi maximè conducebat,misertus dicitur
E Ioseph illius populi,quem deinceps laborare fecit, ne maiori peccati labore ex otio facilè comparato laboraret. Etenim sicut dixit *Chrys.ho.16. in Epist.ad Ephes.* Mihi nihil facere, hoc ipsum est malum facere:facilè enim malum committit,qui omne opus omittit.Vnde *Eccles. cap.* 33. Mitte seruum in operationem ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas. Et *Plato in Timæo* dixit exercitationes

X corpo

corporis non solum corpori vtiles esse, A
sed etiam animæ.

Est optimus pro hac sententia locus
apud *D. Hieron.* Amos *in cap.* 9. vbi expli-
Cant. 1. cat ea verba Cantici. Nigra sum, sed spe-
num. 5. ciosa, quia decolorauit me Sol. Corpora,
inquit ille, vmbris, & otio marcescentia
æstus sæculi ferre non possunt, quæ autem
ad certamen præparantur sole curata su-
perant mundi iniurias, & benedictionem
Ps. 120. consequuntur Spiritus sancti dicentis: per
num. 6. diem Sol non vret te. Ex quibus verbis
elicitur, animas otio torpentes minimè B
posse ferre luxuriæ æstus, & tentationum
incendia quin succumbant, superasse au-
tem eos veluti in Domino gloriatur spō-
sa dum se denigratam solis calore, idest,
solis iustitiæ amore prædicat, vel se mi-
nimè otiosam dicit, quę instar, Iacob die,
Gen. 31. noctúque æstu vrebatur, & gelu, & pręla-
num. 40. bore fugiebat somnus ab eius oculis, quò
melius, longiúsque fugerent luxuriæ co-
gitationes vel potius fugarentur, ad con-
spectum laborantis animæ, & minimè
otiantis, in quam sententiam notauit *Eu-* C
seb. Emiss. id, quod Christus Dominus di-
xit paralitico homini, quem sanauerat.
Ioan. 11. Surge, tolle grabatum tuum & ambula.
num. 12. Non sis, inquit, otiosus, otiositas enim
animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, &
virtutes necat. Qua de re plura habet *D.*
Prosper. in lib. respons. sent. quæst. 15. *Ba-*
sil. in Psalm. 24. *Augustin. lib. de opera Mo-*
nach. Et lib. de agon. Christ. cap. 8. *& lib.* 2.
retract. cap. 21. *& Theophyl. in cap.* 12. *Luc.*
vbi aduertit diligenter Christum Domi-
num non dixisse: nolite laborare, sed po- D
Luc 12. tius nolite soliciti esse, neque enim pote-
num. 11. rat laborem interdicere, qui nec etiam in
Genes. 3. paradiso hominem otiosum passus est, sta-
num. 18. tim enim ac otio torpescit hęc nostra ca-
ro, spinas, & tribulos germinare solet ini-
quarum cogitationum, quibus facilè ad-
hæret, & accenditur luxuriæ ignis, vnde
Bernard. de vita solitaria. ait: Hæc male-
dictio est Adæ, vt in terra laboris nostri,
& in agro cordis, vel corporis nostri no-
xia, vel inutilia gratuito passim, & vbique
proueniant: qua in re possumus in præ- E
sentem sententiam aptare illud Poëtæ 5.
de tristibus.

Fertilis assiduo, si non renouetur aratro
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Gen. 27. Vomere igitur iugis laboris, & exercitij
num. 27. scindenda est hæc terra nostra, ne spinas
vltro proferat, sed fiat plenus ager, cui
Dominus dignetur benedicere, etenim la-
bor noster, non est inanis Domino, sicut
testatur Paulus 1. *Corinth.* 15. sed glorio- 1. Corint.
sus fructus nostrorum laborum, sicut di- 15. n. 58.
xit Salomon. Sap. 3.

Luxuriæ vero maxime inseruit omnis num. 8.
otiositas, sicut videre est in Dauide, dum
otiosus remansit in Hierusalem, quod ip-
se postea deplorauit per singulas noctes, 2. Reg. 11.
sed cecinit *Ouidius* 1. *de remed. amoris*
cum ait.

Quam platanus riuis gaudet, quam popu-
lus vnda
Et quam limosa cana palustris humo:
Tam Venus otia amat, &c.
Quæritur Ægystus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.
Otia si tollas periere cupidinis arcus.

Quarta denique rota, quam *Bernard.*
assignat, scilicet turpitudinis libido re-
currit cum ipsa luxuria, de qua nos multa
iam diximus apud Iacobum. Quod si aliā
luxuriæ pompam currúmve velis videre
legendus *Tertull. lib. de pudicitia, c.* 5. cum
ait. Suggestum, & pompam aspicio Mæ-
chiæ, hinc ducatum idololatriæ antece-
dentis, illinc comitatum homicidij inse-
quentis. Néque vero mirandum est, si ido-
lolatria primum agmen agat cum *D. Hie-*
ronym. fateatur c. 1. *Ioëlis* difficilè esse in-
uenire hominem hæreticum, castum, &
certè voluptates carnales, & viuendi li-
centia hæresum suscitandarum causæ
sunt, & errorum origo, vt nostris tempo-
ribus cernere licet, & priscis etiam sæcu-
lis hoc primæ hæreticorum sectæ ansam
præbuit, quæ fuit Nicolaitarum, cuius au-
ctor Nicolaus Diaconus extitit, vt plerí-
que Patres attestantur, qua de re viden-
dus *Irenæus lib.* 1. *aduersus hæreses* cap. 27.
Tertull. lib. de præscriptionib. aduersus hære-
ticos D. Hilar. cant. 25. *in Matth. Epiph.*
hæresi. 25. *Hieron. Epist.* 1. *&* 48. etenim si-
cut ait *Epiph. citat.* Nicolaus ordinatus
iam diaconus cum ab vxore, quam pul-
chram habebat se se continuisset, postea
tamen à concupiscentia superatus, ad eā
iterum velut canis ad vomitum rediit,
eúmque ea de causa ab Apostolis repre-
henderetur, turpem hæresim excogitauit,
necessarium asserens ad salutem libidini
operam dare, asserés vtique necessarium,
quod ipsi voluptuosum, & deliciosum es-
set: sic enim hoc vitium impudicas men-
tes obcæcare consueuit, vt nihil nisi de
luxuria cogitare, & curare sinat, & nul-
lum prorsus Dei timorem, aut cultus me-
moriam relinquat.

Magni vtique faciunt sancti Patres
Hieron. Basil. Chrys. & alij ferme omnes
ea

ea verba, quibus facer text. ingressū Noë in arcam describit, ait enim: *Ingressus est Noë, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij*; cur enim vir, & vxor non simul coniunguntur in ingressu, & in enarratione, & cur si eos Deus coniunxit, eos separat sacra Scriptura? Deinde notatu dignū censeri debet, cur patentes, filiis non præferantur, sed filij Noë matrem præcedāt, dicitur enim Noë, & filij eius, deinde vxor illius: rem aperit *Amb. lib. de Noë, & arca c. 21.* dicens: *Aperte & velut ordine ipso ingressionis vocem quandā iustus emittit tempus illud non esse delitiarum, quo omnibus imminet interitus, quam enim indecorum, vt quo tempore viuentes morerentur, eo morituri generarentur?* Huic tamen admonitioni minimè cessit impius Chā, námque vt *D. Chrys.* asserit Cham generationi in arca operam dedit, quod insinuare videtur Scriptura cum ait. *Erāt ergo filij Noë qui egressi sunt de arca, Sem Cham, & Iaphet, porro Cham ipse est pater Chanaam*, vbi *D. Chrysostom. homil. 28.* ait. Dignum hic fuerit, vt inquiramus quare diuina Scriptura hos tres filios commemorando subdit, Cham autem erat pater Chanaam? Ne putetis, obsecro hoc sine causa fuisse adiectum, voluit autem per hoc nobis illius intemperantiæ nimietatem insinuare, & quod néque calamitatis magnitudo illum coërcere potuit, néque tanta in arca angustia irrefrenatam illius concupiscentiam sedauit, sed quamuis senior nondum filios procreauerat, hìc incontinentiæ deditus in tempore tantæ indignationis, & generalis interitus, quo orbis comprehensus est, rei venereę deditus fuit, iam statim ab initio, mentis suæ malitiam monstrans. Itáque non multo post propter contumeliam in parentem maledictionē suscepturus erat eius filius Chanaam. Ideo Scriptura diuina nomen eius prius assignat, pariter, & filij nomen docens, & patris intemperantiam: vt cum eum postea videris magna ingratitudine erga patrem vti, scire possis, quod iā olim talis fuerit, vt pote néque à tanta calamitate humiliatus: sufficere enim debebat ad extinguendam libidinem tantus luctus: & nihil flammam, & insaniam hanc ita comprimere potest; vt tristitiæ vehementia, & calamitatis excellentia. Sic ille ostendit huius vitij cæcitatem, quæ cum oculos etiam diuinis suppliciis claudat. Quid mirum, si diuinis honoribus etiam manus alliget, & solis deliciosis idolis colendis locum aperiat, proindéque idololatriam hoc vitium sequatur; quæ velut dux luxuriæ curtus alligatur à *Tertull.*

Genes. 7. num. 7. *Genes. 9. num. 18.*

A B C D

Vidimus iam huiusce currus rotas, & apparatum, audiamus deinceps, quid *Bernard. addat.* Trahitur, inquit, hic currus equis duobus, prosperitate viræ, & abundantia rerum, quibus præsident aurigæ duo, torpor ignauiæ, & insida securitas, nam rerum abundantia in ignauiam soluit, & vitæ prosperitas securitatem induit iuxta verba illius diuitis, qui dicebat. Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare, vbi *August. homil. 48.* O cæcitas auari vna nox ei superabat, & de multorum annorum vita cogitabat, nox ei vitam fugabat, & de crastino cogitabat, contra quos Iacobus ait. Ecce qui dicitis, hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastino: quæ est enim vita vestra? Et *Paulus.* Cum dixerint pax, & securitas tunc repentinus eis superueniet interitus, quod contigit diuiti longam sibi vitam promittenti, quandoquidem illi dictum est: Stulte hac nocte animam tuā repetent à te. Aurigæ itáque luxuriæ, quia sunt partim ignaui, partim securi, neque calcaria habent, neque flagella, vel quid aliquid huiusmodi, sed pro his vtuntur patuulo papilione ad faciēdam vmbram, & flabello ad excitandum ventum: proprium namque est mollis, & delicatæ animæ, etiam necessarias dissimulare curas, flabellum vero effusio est, ventum adulationis asportans; largi sunt enim luxuriosi ementes auro ventum de ore adulatorum.

Luc. 12. num. 19. *Iacob. 4. num. 13.* *1. Thess. 5. n. 3.*

ANNOTAT. VII.

Proponitur, & describitur secundus auaritiæ currus.

E Sequitur auaritiæ currus, quem ita depingit *Bernard. loco supra cit. & serm. de verb. sapient. auaritia rotis, & ipsa vehitur quatuor vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio.* Sic *Bernard.*

Expēdamus igitur conuenientiam istarum rotarum, imprimis cum Salomone in *Eccles.* cum ait. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum nō capiet ex eis, quid prodest possessori, *Eccles. 5. num. 9.*

nisi quod cernit diuitias oculis suis? Saturitas diuitiis non finit eum dormire, vt cernere est in diuite, cuius animus ex abundantia angustior redditus est, sicut prosequitur *Ambros. serm.* 81. cum ponderat ipsum dixisse. *Luc.* 12. *num.* 17. Quid faciam, quia non habeo quo congregē fructus meos? Quis non talem misereatur, ait *Ambr.* quis non infelicitatem eius doleat: Angustatur ex abundantia, constringitur, & coarctatur ex opulentia: infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris, & vt video ager ei non tam redditus largiores, quam genitus attulit grauiores. Terra ei non fructuum copiam, sed curarum molestiam germinauit, ita vt curis, ac mœroribus stimulatus egentibus, & esurientibus similes proferat cruciatus. Denique egeni vox ista est, quid faciam: Et *lib. de Nabut. Iezraëlit. c.* 2. pōderat illa verba Regis Achab cum locutus est ad Naboth dicens: Da mihi vineam tuam. *3. Reg.* *21. n. 2.* Quis tibi paupet videtur, inquit *Ambr.* Da mihi vineam tuam, quæ alia vox egentis est: Da mihi, quia ego egeo, da mihi, quia scriptum est. Date eleemosynam, & cum cęteri Reges soleant suis ampla conferre beneficia, & regia concedere munera, vbi auaritia aggressa est Achab, ipsum pauperem reddidit, regiúmque animum in miserum conuertit, & egentem, auidúmque vineæ, quam pauper Achab possederat, quod etiam eleganter prosequitur *Chrysost. homil.* 13. *in* 1. *ad Cor. c.* 4. Addit verò idem *Ambros. cap.* 4. prosequendo pusillanimitatem auarorum: pauperes ieiunant cum non habent. Vos cum habetis, & cætera, quæ prosequitur in hanc sententiam; describit enim infœlicem auarorum conditionem, & duplex bene perspectum exemplum proponit, alterius scilicet qui proficiscens in agrum, panes grauiores vrbe delatos numerare soleret, vt pro numero æstimaretur, quot dies in agrum futurus esset, nolens aperire horreum, ne quid de condito minueretur; & alterius etiam auari cui si quando ouum apponeretur, quærebatur quod pullus esset occisus, videndus item *August. in Psalm.* 122. vbi inter alia sic habet: Aurum, qui nouit vti auro, ille habet, qui autem non nouit, habetur, non habet, possidetur non possidet, &c. quibus habet similia *concione* 2. *in Psalm.* 29.

Et *D. Chrysost. hom.* 64. *in Ioan.* in hoc sensu interpretatur Paulum ad *Coloss.* 3. *Coloss.* 3. *num.* 5. cum auaritiam appellat idololatriam, sed cur ita appellauit? Ait *Chrysostom. Habent nonnulli pecunias, & his vti non audent, sed nepotibus reseruant, & intactas ad alios transmittunt, tunc, & tanquam dona Deo dedicata tangere minime audent: quod si quando coguntur tanquam ad nefas aliquod timide veniunt pro templo arcam præparantes, & argenteis vasis recondentes:* nonne ita aurum adoras, vt ille idolum? Ille, & oculos, & animam traderet potius quam idolum, non aliter affecti sunt auri amatores, &c. Et in hanc sententiam expendit *Ambrosius lib. citato c.* 14. dixisse Dauid. *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* *Psal.* 75. *num.* 6. *Bene,* inquit, *viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum, vt ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitijs possideri: possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis,* vnde iustè conqueritur *D. Cypr. de auaris Epist.* 2. *ad Donatum,* vbi ait. Pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam solicito labore custodiunt: ex qua non amicis, non liberis quidquam, non sibi denique impertiunt: possident ad hoc tantum ne possidere alteri liceat, similiáque habet, *lib. de lapsis,* & prosequitur acutè hoc ipsum *August. in Psalm.* 21. ad illa verba: *Edent pauperes, & saturabuntur,* *Psal.* 21. *num.* 27. vbi ita ait. Beati pauperes quia ideo edunt, vt saturentur, qui autem diuites sunt non saturantur, & quærunt vnde arcam impleant. Sic ille. Quasi velit *Aug.* Auaros diuites nec cibum sibi sumere, vt famem expleant, sicut enim diuitiarū perpetuam patiuntur sitim, sic ne aliquid de illis congestis in cibo insumant, volunt potius fame enecari. Beati proinde pauperes, qui cum edunt saturantur, & laudant Dominum, cùm diuites nec edant, nec Dominum, sed seipsos laudent. Plura habet *August. in Psal.* 48. *& in Psal.* 123.

Plura qui velit legat *Bernard. de conuersione ad clericos, c.* 12. vbi inter alia: *Vsus quidem diuitiarum apud alios, diuitibus solum nomen cedit, & solicitudo.* Videndus *Rupert. lib.* 3. *in Exod. c.* 40. *Basil. homil.* 2. *ex varijs, Cass. lib.* 1. *c.* 10. multa habet. *Theatrū vitæ humanæ volum.* 8. *lib.* 6. *pag.* 2516. *Philo libr.* 1. *de monarch. Seneca lib.* 9. *Epistol.* 109. vbi ait. *Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia: hinc auarus in nullum bonus est, in seipsum pessimus, tam enim ei deest, quod habet, quam quod non habet.* Et Horat. lib. serm. satyr. 1.

——Congestis vndique saccis,
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Et

Et Arist.4. Ethic.ait: *Prodigus auaro melior est, quod prodest omnibus, ille nemini, ne sibi quidem.* Et *Cicero in paradox.* quod solus sapiens sit diues ait. *Diuitem animum cupidi habere non possunt, arcam vero possunt.*

Ex quibus omnibus liquido cõstat auarorum pusillanimitatem, qua sibi miseri etiam necessaria denegant, aliis vero eripiunt, vt pecuniæ seruiant, & ad superiorem patriam à Deo conditum animum humi reponant, arcis concludant, & terrenis alligatum detineant, quo nihil miserius reperiri potest.

Secunda auaritiæ rota crudelitas est, vt patet in eodem diuite auaro, qui vlceribus pleno Lazaro nec micas concede- *Luc.6.* bat, cum tamen ab eo misericordiam, & largitionem imploraret tot oris, quot vlcera patientia habebat, sic enim ea appellat *Chrysolog.* adamãtinum vtique habens cor, siquidem visis plagis Lazari non afficiebatur eum pauperi sufficerent micæ quæ cadebant de mensa eius, vnde rectè *Siracides* dixit de auaro: Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Et *Psal.*33. *Eccl.*13. *num.*5. vbi nos habemus: Diuites eguerunt, legit *Hieronym. ad Euthychian. Epistol.* 12. *Psal.* 33. *num.*11. *Leones*, vnde & Iob diuites auaros prædonibus comparat erudelissimis, sic enim *Iob.*24. *num.*9. habet post multa. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliauerunt, id est, non parcunt infantibus, imo per summam iniuriam illos capiunt in mancipia; LXX. vero: rapuerunt ab vbere pupillum. *Vatabl.* verò legit. Accipiunt in pignus, quod est super pauperem, id est; vestem, aut stragulum, quod immanem erudelitatem designat, quam prosequitur *Chrysostom. homil.*63. *ad populum*, vbi ita habet, non tantum inimicos non diligit auarus, verum & amicis tanquam inimicis vtetur: & quid amicos dico? Nam & frequenter ipsam ignorauere naturam, talis consanguinitatem non nouit, familiaritatis non reminiscitur, sed in omnes inimicè se gerit, &c. quæ prosequitur in hanc sententiam, & *serm.*162. auaritia parentes negat, germanos diuidit, separat socios, amicitiam soluit, excludit affectum, &c. quæ videnda ibi sunt.

*Matt.*18. *num.* 23. Et *homil.*62. *in c.*18. *Matth.* expendit crudelitatem illius serui, cui Dominus suus dimiserat decem millia talenta statim, atque illi dixit. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, etenim sicut idem *Chrysostom.* notauit, dilationem so-

A lummodo temporis, ac prorogationem quandam seruus postulauit, ille autem multo magis, quam petiit, videlicet totius debiti solutionem vltrò concessit, inde verò exiens absolutus, Seruus inuenit vnum conseruorum suorum, qui sibi debebat centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens. Redde quod debes, ille verò dicebat patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, qui noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem donec redderet debitum. Obseruat igitur *Chry-*

B *sostom.* eisdem omninò verbis, quæ ad commiserationem mouere poterant conseruum fuisse deprecatum: quandoquidem illa erant, quibus absolutionem totius debiti à Domino compararerat, nec tamen exauditum. Ne verba inquit, ipsa veritus est, quibus salutem acquisiuit, his enim ipse dilectis mille talentorum debitum euitauit: ita nec portum quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euasit, nec modus ipse supplicationis ad misericordis Domini memoriam eum re-

C duxit: sed omnia illa crudelitate, ac auaritia oblitus, omni fera sæuius in conseruum insiliebat. Quid facis homo? Non sentis aduersus teipsum muctonem adigere, ac sententiam eminus Domini reuocare. Sed ille nihil horum cogitauit, nec rei suæ meminit, nec vllo modo remisit. Sic *Chrysost.* Qui hanc crudelitatem serui ab auaritia profectam asserit, quæ velut immanis fera rationi oculos claudit, & soli pecuniæ cor aperit, nullatenus ab eadem saturandum.

D Est in hanc sententiam locus ille *Nazianz. orat.*24. in principio, vbi appellat aurum occultum tyrannum, crudeles, scilicet reddens auri cupidos, & auaros, qua de re videndus *Ambros. serm.*59. vbi multa habet, & inter alia. Auaro, ait, lætitia, fluctus alienus. Ecce Religiosa vidua tota supellectili despoliatam domũ suam dolet, & tu eadem supellectili domum tuam ornatam esse lætaris, non compungeris cum vides in hospitio tuo lacrymas alienas: Et fortassis auarorum conditio-

E nem & naturam nobis voluit adumbrare *Hieronym.* cum custodes aureorum montium describit, dicens ipsorum custodias esse gryphas, & dracones & immensorum corporum monstra, vt inde iam colligamus, quales custodes habeat auaritia, crudeles scilicet & immanes, qui sicut clausum habent aurum, & argentum, ita prorsus viscera pietatis omnino claudunt, cum vident fratrem suum

1.Ioan.3. num.17. necesse habere nec illi subsidium aliquod tribuant.

Quod si *D. Basilius homil.6.& 29.* variis de auaro diuite dicit. Horrea quidem propter depositorum multitudinem angusta disrumpebantur, cor vero non implebatur, dicere possumus admirati, si disrumpebantur horrea, cur non etiam aperiebatur cor, & viscera, vt inde aliquid in pauperum subsidium erumperet: Sed crudelem auarum cupiditas, neque fratrem agnoscere sinit, neque proximum attendere nisi vt perdat, & deprædetur, B cuius rei signum fuisse existimat *Rupert. libr.1. in Exod. cap.39.* in tenebris, quas misit Dominus super Ægyptios, de quibus dicitur. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suum.* Ait ergo *Rupert. de auaro diuite.* Quid tenebrosius oculo nequam, cum intuetur aliquam rem proximi, vt rapiat eam, non agnoscit proximum eo tantum intentus, vt furetur, quia concupiuit, quæ illius sunt, & quo facilius suam crudelitatem exerceat, nulli omnino parcens in tenebris dicitur ambulare, & obturatos oculos habere, velut cupidum Balam.

Exo.10. num.20.

Iosuë 6.

Facit etiam, & id quod notauit *August. in Psalm.37.* cùm quærit cur lex exterius data fuerit, cùm semel fuerit scripta, & impressa animabus nostris ipsa dictante natura. Quia, inquit, homines ea, quæ foris sunt appetentes, & curiosius inquirentes à seipsis exules facti sunt, data, & conscripta est lex æterna, non quia in cordibus non erat, sed quia tu D fugitiuus eras cordis tui. Quid mirum igitur, si humanam naturam, misericordem, & beneuolam exuit, & crudelem tantum se exhibet, qui desiderio acquirendi ductus extra se graditur, quid si cor humanum non ostendit in hominum necessitatibus, nec illis, vt par erat, afficitur, qui cor in thesauro, non iam carneum, sed aureum, & argenteum cum pecuniis conclusum habet.

Nu.22. num.12.

1.Tim.6. num.11. Et in hoc sensu dixit *Paulus*: Radix omnium malorum cupiditas, vbi *Ambros. & Tertull. libr. de cibis Iudaicis* legunt, *auaritiam*, & vox Græca id significat: ait autem *Theodoret.* ad prædictum locum. Cædes, & præstigia, furta, & rapinæ, iurisiurandi violatio ex hac radice pullulant. Et *Theophyl.* ait. Neque viuentibus parcit, neque mortuis, sed hos quoque deprædatur: cum in parentes, & fratres insurgit, ac, quæ Dei sunt spoliat,

A tolle hanc è medio, & nullum bellum, aut immunditia adierit, &c. Et *D. Thomas 1.2.quæst.84.art.1.in corpore*, hoc sensu interpretatur illud *Eccles.10. Pecuniæ obediunt omnia.* Et *Chrysostom. homil.17. in dictam Epistolam Pauli*, auaritiam, velut matrem Berecynthiã describens, quæ centum dicitur complexa nepotes, ait. Nonne diuitiarum gratia rapimur: Inimicitias subimus: contentiones teximus: ad mortuos vsque impias quidam extendere manus ad parentes, ad fratres: tolle pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt, conquieuit bellum, cessauit pugna, hæreses, inimicitiæ: quemadmodum furentes venti miscent maria, vel arena ipso è fundo excitata: ita cupidi omnia penitus miscent, neminem, qui huiusmodi est amicum nouit. Quid amicum dicimus: Ne ipsum quidem scit Deum: Non aspicitis ferro accinctos prodire Titanas: Sunt illa figmenta, væsaniæ: at quæ sunt huiusmodi, vera insania furunt, si nudam illorum animam C videas, non vno sed mille inuenies præcinctum gladiis; nullum agnoscere, sed æquè furere in omnes, &c. quibus similia sunt, quæ habet *Chrysologus serm.126.* cum ait. Mammona, ideft pecunia, imperat gentibus, iubet regnis, bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, vrbes destruit, subdit populos, arces vrget, vexat ciues, foro præsider, ius delet, fas, nefásque confundit & ad mortes vsque tendendo fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, soluit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit, & quid plura: Hoc est Mammona dominus iniquitatis, qui iniquè humanis, & corporibus dominatur, & mentibus. Sic ille.

Eccl. 10.

Hæc est ratio cur occurrere volens Deus auaritiæ crudelitati, sicut notauit *Philo libr. de charitate.* septimo quoque anno inaratos, voluit relinqui agros, & inculras vineas, quo pauperes, & omnes, qui vellent liberè fructibus terræ, nemine obsistente, vescerentur, quod idem præcepit fieri anno quinquagesimo: veritus, scilicet ne, si pauperum alimoniam diuitum auaritiæ committeret, ipsi omni penitus humanitate postposita fructus reconderent, & custodirent, egeni verò fame omnino contabescerent: rem sic prosequitur *Philo.* Fiunt tunc eadé, quæ anno septimo; & accedunt alia

alia maiora scilicet in pristinas possessiones restitutio : ex quibus aliqui propter temporum difficultates exciderat : non permittit enim possessionem alienorum bonorum occludens aditum auaritiæ, vt cohibeat insidiatricem, fontemque omnium malorum concupiscentiam, nec censet æquum, vt coloni suis agris priuentur in perpetuum, & paupertatis pœnas dent, miserandi potius, quam puniendi. O si hæc recolerent mente crudeles auari, turpe lucrum sectantes, tyrannide alios opprimentes, pauperes agellulo suo excludentes, & quælibet alienas opes in suam vtilitatem corriuare nitentes, ac tenaciter retinentes, qui, vt soli habitent super terram, humanum genus si possent per summam inhumanitatem extinguerent. Videns si hæc auaritiæ rota crudelis omnes humanitatis rationes superabit, conculcabit, contemnet, conteret : Si non humano sanguine volutatur, saginatur, delectatur, si non omnem lapidem mouet, ne cuiuslibet substantia consistat, ne cuiuslibet diuitiæ proterantur, & ante auaritiæ currum ab eodem conculcandæ corruant.

Tertia rota auaritiæ currus est, Dei contemptus, cum enim pecuniam auarus pro Deo colat, qua de re nos multa alibi diximus, & ideirco vocatur hoc vitium à Paulo, *idolorum seruitus*, & Christus dixit:
Epiph. 5. num. 5. *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ*, quid mirum si Deum verũ nõ solum contemnat, imo potius cum Iuda vendat
Matth. 6. num. 24. propter Deum falsum pecuniam scilicet quam adorat, vnde *Orig. in cap. 15. Matt.*
1. Tim. 6. num. 10. putat à Paulo dictũ: Radix omnium malorum cupiditas, propter Iudæ auaritiam, quæ radix fuit omnium malorum commissorum in Christum Dominum ; causa enim, quam Iudas habuit ad proditionem, & venditionem Magistri Dei, fuit, quia cũ auarus fur esset ; & loculos haberet & vidisset vnguentum super caput, & pedes Domini effusum, quod vellet potius vendendum, & pretium sibi tradendum, vt inde aliquid de more furaretur; quod perdiderat, vt ipse existimat in effusione vnguenti, voluit recompensare in venditione magistri, sic enim habet *Hieron. ad c. 26. Matth. Infalix Iudas damnum, quod ex effusione vnguenti se fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare.* Suffragantur huic sententiæ, *Beda, Lyran. Carthus. Hug. Cardinal. Caiet. & alij, & D. Anton. 1. p. historia. titul. 5. c. 6.* ait: Iudam solitum esse decimare marsupium : indicátque quo-

A nam modo damnum voluerit resarcire, dicens. Vnctio fuit occasio accepta, non tam data Iudæ, ad proditionem faciendam, nam vt dixit *Glossa 14. quæst. 1. §. arguitis nos* Iudas consueuerat furari decimam partem eorum, quæ sibi dabantur seruanda: & vnguentum illud effusum volebat vendi, cuius pretium erat trecentorum denariorum, horum decima pars erat triginta; quia igitur furari decimam partem consueuerat, quandoquidem venditum non fuit, quasi volens recompensare
B damnum triginta denariis argenteis fecit proditionem. Ecce radix omnium malorum in Iuda, vsque ad contemptum Dei, cupiditas, scilicet pecuniæ, quæ vehitur prædicta rota, contemptu scilicet Dei, qui contemptus maxime cernitur, dum ad principes Sacerdotum ait : *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam*: Mat. 26. num. 15. Non enim certum quid petiit pro magistro, sed in illorum arbitrio reliquit, quid vellent ei dare, vnde *Hieron.* ibi ait : *Iudas non postulat certam summam, sed qua-*
C *si vile tradens mancipium in potestatem ementium posuit*, qui maior ergo potuit esse contemptus Dei, quam ipsum & vendere, & vili pretio ad arbitrium proponere, nec postulare certum pro re infiniti valoris : Quod dixerat *Zachar. appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me, proijce illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*, quod dictum per ironiam est, rei indignitatem ostendens, vt potè, qui videret se eodem pretio venditum, quod Zach. 11 num. 12.
D solui solitum erat pro seruo, vel ancilla occisa, sicut notauit *Hieron. ad prædicta verba Zachar. & in cap. 27. Matth.* constátque ex *Exod. c. 21.* Similique fere ironia vsus est. *Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 40.* vbi afferens illa verba ad *Matth. c. 27.* desumpta ab eodem Propheta: *Acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerũt*, legit ipse, *pretium honorati*, inhonorum enim maxime reddidit Iudas magistrum, dum præ contemptu vili tradidit pretij, & honoratus dicitur sicut decorum appellatur pretium. In quem pro- Exod. 21. num. 32. Mat. 27. num. 9.
E inde Iudam merito Dauid *Psalm. 108.* sicut colligit *Rupert. Matth. 26.* triginta coniecit maledictiones, tot videlicet, quot fuere argentei, quibus miser auarus Deum vendidit, quodque magis mirari est, cum ipsum cognosceret Deum ex sententia *Chrysostom.* ad illa verba *Ioan. 13. Sciẽs, quia omnia dedit ei Pater in manus*, quod de proditore Iuda ipse intelligit. Ioan. 13. num. 3.

Vnde

Vnde idem *Chryſoſt.homil. de Iuda proditore*, ponderans prædicta verba, *Quid vultis mihi dare* : ſic inuehitur in Iudam. Dic Iudas omnium ſceleratiſſime, hæc te Magiſter edocuit : Hæc tibi tantus Doctor oſtendit, ideo diuitias debere comtemnere prædicabat, ideo admonebat dicens,

Matt.10. num.9. *Ne poſſideatis aurum, & argentum, aut æs in zonis veſtris* : Vbíque tibi auidam cupiditatem pecuniarum excludens, tradis magiſtrum ſcilicet laceratus : Audiam lectionem tuam : forſitan, quod tibi dæmonum tradidit poteſtatem, quod fecit B languentibus ſubuenire quod mortuos ſuſcitare didiciſti. Has beneficiorum vices exoluis? Cuncta mala cupiditas procreauit, hac affectus Magiſtrum tradidit Iudas, nam cupiditas huiuſmodi ſortita eſt naturam, captiuas animas retinet, & omnibus modis alligatas adſtringit, & rerum obliuionem imponit, & alienationem mentis oſtendit, & auidæ Iudas captus cupiditatis inſania, quanta beneficia reſpuit, conuerſationis menſæ, diſcipulatus, admonitionis, ſuaſionis oblitus eſt, C cupiditate impeditus. *Quid vultis mihi dare* : O verbum totius ſuperbiæ, quod non hæſit in faucibus, tradis eum qui cuncta conſeruat, quid accepiſti Iudas: Triginta argenteos: Chriſtus gratis à venis ſanguinem ſuum pro communi ſalute fuſurus, & tu de ſanguine crudelia pacta componis, &c. quæ pro contemptu auari hominis proſequitur.

Facit, & pro eodem contemptu Dei in auaritia, id quod notauit *D. Ambr.lib.2. offic.cap.26.* vbi ponderat Ioſue feciſſe ſtare Solem, non potuiſſe vero cohibere auaritiam, neque etiam ex Dei monitu, & iuſſione. Ioſue, inquit, qui potuit Solem ſiſtere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit ſiſtere, ne ſerperet, ad vocem eius Sol ſtetit, auaritia non ſtetit, etenim Sol obedit voci hominis, iubente Deo, auaritia Dei iuſſione ex contemptu eiuſdem non obtemperat, vt patet in Acham, qui Dei præceptum ſemel, atque iterum inculcatum, ne aliquid de anathemate tolleret, conculcauit. Hoc etiam E

Ioſue 6. cernere eſt in Balam, qui Dei præceptum contemnens, eum illi dixit : *Noli ire cum eis, neque maledicas populo*, auſus eſt ire,

Num.22. num. 12. licet enim poſtea ei dixerit Dominus: *Vade cum iſtis*, id potius fuit permiſſio, vt per iumentum, quo vehebatur, eius auaritia coërceretur, ſi tandem fieri poſſet, ſi-

Supra n. 20. cut notauit *Auguſt.lib.4. quæſt.in Num.q. 48.tom.4.* Etenim auaritia ſicut dixit *Phi-* A *lo lib. de vita contemplatiua* legum contemptrix eſt, tam ſcilicet humanæ, quam diuinæ, vt nihil omnino reuereatur, præter aurum, & pecuniam quam in hoc ſenſu putat appellatam à *Nazianz. orat. 24.* in principio tyrãnum ocultum *Elias Cretenſ. in ſcholijs* eiuſdẽ orationis, ſic enim habet. Tacens, miniméque conſpectum aurum auaros ſubiicit, ab iiſque, quæ decreuerit per vim abducit, qua de re videndus eſt *Ambroſ. Epiſtol.7. Theophil. in epiſt. ad Timoth. cap.6. num. 10. & Chryſoſt. homil.17. in eandem epiſtolam*, vbi ait. Nemo, qui huiuſmodi eſt, amicum nouit, quid amicum dicimus, ne ipſum quidem ſcit Deum, &c. & *Epiph. hæreſ.66.* auaritiam vocauit huius ſæculi Deum, videndus *Hieron.in cap.11.Daniel.* vbi ex Polybio, & Diodoro refert Antiochum auaritiæ facibus incenſum, non modo contra Iudæorum Deum peccaſſe, dum ſcilicet intrauit in ſanctificationem, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa eius, & menſam propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, accepit argentum, & vaſa concupiſcibilia, & accepit theſauros occultos, quos inuenit, & ſublatis omnibus abiit, ſicut dicitur 1. *Machab.cap.1.* ſed etiam cupiditate direſcendi inflammatum etiam Dianæ templum in Elymaide conſtitutum ſpoliare contendiſſe, ſed oppreſſum fuiſſe à templi cuſtodibus, & vicinis circumgentibus, etenim auri ſacra fames nihil aliud ſacrum reputat, proindéque Deum contemnit, cum ſolum aurum colat.

Eſt optimus in confirmationem noſtræ doctrinæ locus apud *Chryſoſt.homil.53. in Geneſ.* vbi ponderat Iacobum dixiſſe Deo. *Gen.28.*
Si fuerit Dominus mecum in via, per *num.16.*
quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. Futuram præuidens, inquit *Chryſ.* abundantiam, ſuam declarabat gratitudinem, quod non vulgare argumentum ſanctitatis erat, ſolent enim diuitiæ, & rerum temporalium abundantia obliuionem, & contemptum Dei inducere, quod oſtendit *Rupert.lib.7.in Gen.c.12.* in Eſau, qui quadragenarius duxit vxores duas, quæ *Gen. 25.*
ambæ offenderant animum Iſaac, & Re- *num. 33.*
beccæ. Sicut vero primogenita ſua per eſcam vendidit, ſic & vxores duas duxit alienigenas propter auaras concupiſcentias ſuas, animum vero parentum offen-

dit,

dir, quia benedictionem feminis Abrahæ contempsit, si enim in illa benedictione filios generare optasset, nequaquã duxisset vxorem de filiabus eorum, quos, & pater improbasset, & auus Abraham iudicasset vitandos, & super quibus matrem Rebeccam vitæ suæ tæderet, at ille, & horum indicium contempsit, & Dei promissiones non curauit, videlicet affinitate hominum habitatorum terræ, laudabilem, & inclitum se posse fieri magis, quam ope, vel gratia Dei, sic *Rupert.* ostendit in auaro Esaij Dei contemptum ex cupiditate, & spe acquirendarum diuitiarum.

Luc. 9. num. 59. Pro qua etiam re facit *Chrys.* cum notauit id, quod Christus Dominus dixit cuidã, *Sequere me: ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum, dixitque ei Iesus: sine vt mortui sepeliant mortuos suos,* rationem igitur reddit *Chrysost.* cur Christus Dominus facultatem hanc, vt videbatur, iustissimam ad exequendum debitum pietatis opus non concesserit: erat, inquit, verisimile post patris sepulturam ad testamenti legatorisque considerationem deuenturum, & hæreditatis diuisionem, deinde ex alio in aliud, quasi vndarum fluctibus distractus procul à portu salutis iactaretur, quę ne illi accederent secum esse ipsum Christus iubet, sic ille, quasi Christus Dominus timuerit, cum tamen omnia nouerit, & ideo certo id sciret: ne si ille ad pinguiorem deuenisset fortunam & cumulatiorem substantiam, ipsius discipulatum parui penderet, & in sæculo potius eligeret remanere, nec iterum ad scholam Christi rediret, similem namque animum solet inducere diuitiarum possessio in auaris hominibus, & sæculi bonis deditis, ideo enim & auaritia deducitur tertia rota quam dicimus ex sententia *Bernard,* esse contemptum Dei.

Quarta deníque rota, qua vehitur auaritiæ currus, est obliuio mortis, etenim si auarus recordaretur se tandem moriturum, & cum interierit non sumpturum secum omnia, néque descensuram cum eo Psal. 48. num. 18. gloriam eius, sicut dixit *Dauid,* forsitan non tam tenaciter incumberet diuitiis acquisitis, & totam spem, & cõfidentiam Luc. 12. num. 20. in iis collocaret. Vnde Christus Dominus stultum appellauit auarum, qui sibi mul- Iob. 5. num. 3. tos annos promittebat in diuitiis, & Eliphas ait. *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.* Exi- Iob. 4. num. 21. stimat enim stultus diues, de quo dictum fuerat: *Morientur, & non in sapientia,* firmam radicem habere in terrã, & proinde nunquam inde eradicandum esse, qua de causa *Basil. homil. 6. ex varys,* sic irridet auarum diuitem, qui multam vitam, & ampliora bona sibi in posterum pollicebatur. *Diuitis,* inquir, *accusati exemplum occurrat, qui iam præsentia custodiens, & de futuris solicitus, & incertum habens an cras victurus sit, crastinum peccatum hodie deliquit, nõdum venit supplex, & anticipans feritatem ostendit, nondum collegit fructus, & iam auaritiæ indicium incurrit, terra sua fertilitate ipsum excipiebat profundam in armis segetẽ præmonstrans: ipse vero sterilis, & infructuosus erat, nondum habens, & iam egentibus inuidens, quot pericula imminent ante fructuum collectionem, nam & grando sæpe confringit, & æstus ex medys manibus rapit, & pluuia intempestiua fructus inutiles fecit: non igitur oras ad Dominum vt beneficium gratiæ ipsius perficiatur, sed ante vertens, te ipsum indignum facis ad suscipienda ea, quæ tibi sunt commonstrata,* sic ille.

Quod etiam dixerat Dauid *Psal. 36. Vidi impium superexaltatum,* vbi *Hieron.* ex Psal. 36. num. 35. Hebręo: *Vidi impium robustum,* idest, fortissimum, & sicut indigenam virentem, ad differentiam illius, qui cum non sit de terra terrenus, sed de cœlo cælestis. *Ascendit* Isai. 53. num. 2. *sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti* at vero, qui se totum immergit acquirendis opibus, radices omnes circumquáque diffundens, & per aliena etiam prædia extendens, vt ea comprehendens ad se attrahat, robustus, quidem in terra. & firmus egreditur, adolescit, in diésque crescit futuri tandem interitus pœnitus oblitus, & sola terrena præ oculis habẽs, quod videtur notasse *Gregor. 16. moralium c. 1.* cum ponderat primum, qui ciuitatem in terra condidit, fuisse Caim, qua ipse, inquit, in terra fundamentum posuit, qui à solíditate ęternæ patriæ alienus fuit, & futurę ciuitatis immemor factus est, postquam terrenis se tradidit.

Cęterum hoc in loco notandum occurrit id quod hucúsque sumus prosecuti, stultum scilicet dici merito auarum diuitem, cum tamen filij huius sęculi quíque rebus illius congregandis student, quales sunt auari, prudentiores etiam appellentur à Christo Domino. *Etenim,* inquit, *filij huius sæculi prudentiores sunt filys lucis,* attamen existimo Christum Dominum Luc. 16. num. 8. voluisse significare diligentiam, & curam, quæ quamcumque aliam recordationem

futuræ mortis excludit, non veram pru- A
dentiam inculcare, vel malitiam voluisse
Ierem. 3. indicare, qualis est ille locus *Ieremiæ* 3.
num. 2. *Stultus populus meus me non cognouit, filij insipientes sunt & vecordes: sapientes sunt, vt faciant mala*, vbi diuinum oraculum sapientes dicit, quos immediatè antea appellauerat stultos, & ideo *D. Hieronym.* ibi ait. Quæ maior potest esse stultitia, quam cognoscere bouem possessorem suum, & asinum præsepe Domini sui, Israël Dominum non cognoscere, quem semper videre cupiebat: Quódque infertur, *Sapientes*
Isai. 1. B
num. 3. *sunt vt faciant mala, benè autem facere nescierunt*. Hæc sapientia pro malitia accipienda est, iuxta quod & filij sæculi hu-
Luc. 16.
num. 8. ius sapientiores sunt filij lucis, & villicus iniquitatis quædam sapienter fecisse narratur, & serpentis in Paradiso prudentior cunctis bestiis legitur. Sic ille, cui accedit *Augustin.* 11. *de Genes. ad literam cap.* 2. hoc etiam videtur attigisse *Arist.* 1. *politicorum cap.* 2.

Nec vero negandum est diuitiarum cupidos, & rerum sęcularium amatores, im- C
pensius curare res sæculi, sicut aduertit *Burg. addit.* 6. *in cap.* 4. *Genes.* vbi ostendit Caim, & posteros eius plura inuenisse ad vtilitatem hominū, & eorum vsum quod prosequitur *Chrysost. homil.* 29. *in Ioan.* vbi inter alia ait, suo in sæcularibus negotiis vnusquisque ense acutior, in necessariis autem, & spiritualibus desidia torpentes, similia habet *Aug. Epist.* 119. *ad Ianuar. cap.* 5. vbi ait. Anima humana recedens à Sole iustitiæ omnes vires suas in terrena conuertit, & eo magis, magisq; obscura- D
tur in interioribus, ac superioribus suis; non sic vero iusti, & vere fideles, qua de re videndus *Tertull. in apolog. cap.* 42. vbi refert friuolæ calumniæ & iniquæ accusationem, quę obiiciebatur fidelibus, quoniam negotiosi non essent, nec de rebus sęculi soliciti, ait enim: Syluicolæ, & exules vitæ non sumus, sed curamus præcipuè ea, quæ pertinent ad vitam ętetnam, in qua posita est vera prudentia, sic ille. Et certè, qui oblitus omnino non fuerit futuræ mortis, non tam curabit præsen- E
tia, quam futura, cum hinc nihil secum asportabit, imo sicut nudus egressus est de vtero matris suæ, sic reuerti debet,
Iob. 1. & nihil auferet secum de labore suo, cui
num. 21. optimè possumus dicere, si vt auarus obliuiscatur illud *Ausony in epigrammate* 53.

Effigiem Rex Cresse tuam ditissime Regum
A *Vidit apud manes Diogenes Cynicus.*
Constitit, atque procul solito maiore cachinno
Concussus dixit: quid tibi diuitiæ?
Non prosunt, Rex Regum, ô ditissime, cùm sis
Sicut ego solus, me quóque pauperior.
Nam quæcunq; habui mecum fero, cum nihil ipse
Ex tantis tecum Cresse feras opibus.

Ipsi vero fallentes semetipsos putant lapidem mortis non pertingere caput au-
B reum, sed luteos solum pedes paupertatis petere & adoriri, & conterere; facileque proinde posse euadere mortem, qui in vita factus est diues, cum tamen ipsi, & diuitiæ mortem iugiter moneant. Monent itáque diuitiæ, quæ cum admodum caducæ sint, interitum ex se promittunt, vnde Paulus ait: *Præcipe diuitibus huius sæculi* 1. Tim. 6.
non sublimè sapere, seu *superbè sapere*, vt num. 17.
legit *Ambr. Nec sperare in incerto diuitiarum*, quæ verba continent Hebraismum idem significantem, atque spem habere in
C incertis, ac fallacibus diuitiis: sic enim & Christus Dominus, fallaces diuitias appellauit. Ait ergo *Theodor.* explicans dicta verba Pauli: Incerta possessio diui- Matt. 13.
tiarum, nunc enim ad hunc veniūt, nunc num. 22.
vero ad illum transeunt; quæ autem multos habent dominos, nullius est possessio. Et *August. serm.* 205. *tom.* 10. referēs hunc locum Pauli concludit Deo solummodo adhærendum esse, qui à nemine surripi potest, non diuitiis, quibus qui hodie abūdat, cras inuitus spoliatur. Fur, inquit *Au-*
D *gustin.* tibi tollit aurum, quis tollit tibi Deum? Quid habet diues, si Deum non habet? Noli ergo in diuitiis sperare, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abundanter omnia ad fruendum, cum quibus omnibus, & se ipsum. Similia habet idem *Aug. in Psal.* 83. vbi repetens eadem verba Pauli, prosequitur hoc ipsum argumentum, & inter alia ait. Quid tam incertum, quam res volubilis? nec immerito ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat, sed perpetuo gyro voluitur, nunc in illius manu
E insonat, nunc alterius marsupio reconditur, & quantumuis occludatur multis clauibus, propriùm deserens Dominum, ad alienos, & insperatos deueniunt. Sic *Augustinus.*

Ex cuius verbis mutabilitas tum pecuniæ, tum diuitiarum infertur, quæ iugiter mutabilitatem vitę, & eiusdem cum morte commutationem rem attentè expendentibus clamat, & hortatur. In quam

etiam

etiam sententiam facit quod vbi nos legi- A mus: Militia est vita hominis super terram *Ambr. serm.* 42. & passim alibi legit: Pyrateriū est vita hominis super terram, quis igitur diuitiis & pecuniis abundans, inter pyratas longam sibi ipsarum possessionem promittere poterit, cum de solis pauperibus dictum sit, *Cantabit vacuus coram latrone viator*: imo & Christus Dominus, vt magis nobis vitæ incertitudinem inculcaret à diuitiis similitudinem assumpsit, eum morte similem satani asseruit tum apud *Lucam*, tum apud *Matth.* B qua postea etiam vsi sunt, & *Petrus in* 2. *Epist. & Paulus in* 1. *ad Thessalon.* qui ergo fieri potest, vt securus de morte sit quæ velut fur aduenit, fures autem diuitum domus potius petere solent, perfodere, & furari, quam pauperum, vnde & ipsi diuites ex ipsa copia rerum Dauid sibi furem, idest, mortem certius polliceri possent, timere, & cauere. Hinc est quod Dauid videns diuitem *superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani*, quæ est vsitatissima in sacris literis similitudo ad designādam magnam C potentiam, fastúmque, & affluentiam, vt videre est apud *Ezech.* Et apud *Daniel.* etenim, qui diuitiis, potentiáque pollent videntur sibi immortales, & incorruptibiles, quemadmodum cedro incorruptionis quædam vis inesse videtur, sed statim rem explicans, vt solet Dauid addit: Transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius, quæ verba ponderans *Ambr. lib.* 3. *de Iacob, & vita beata, cap.* 8. ait. Incredibilis celeritas, vides subito potentem, dum transis, iam non est: quanta D est vmbra in terra, quam non diuturna, transpone vestigium, & vmbra præteriit, &c. Non solum enim nos puluis, & vmbra sumus, sed quæcumque terrena sunt vmbra, & puluis, idque perpetuo nos monent maximéque diuites, qui iugem hanc monitionem, quia semper audiunt, non intelligunt.

Iob. 7. *num.* 1.
Luc. 12. *num.* 39.
Mat. 24. *num.* 43.
2. *Pet.* 3. *num.* 10.
1. *Thess.* 5. *n.* 4.
Psal. 36. *num.* 35.
Ezec. 17. *num.* 3. *& seqq.*
ibi. c. 31. *à num.* 3.
Dan. 4. *num.* 7. *& seqq.*

Videndus hac de re *Rupert. lib.* 6. *in Exod. c.* 10. vbi in Loth hanc mortis obliuionem rectè prosequitur, etenim is ab Angelis semel, & iterum admonitus, vt E egrederetur de ciuitate, ne ipse pariter in scelere ciuitatis periret, dissimulauit, donec Angeli apprehenderunt manum eius, & manum vxoris eius, ac duarū filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi. Quid igitur Loth in proximo mortis periculo oblitum retardabat, & veluti incredulum Dei monitioni reddebat; & hærentem, Deo attrahente, retinebat, cum homines

Gen. 29. *num.* 16.

nihil magis timeant, nihil tam fugiant: Respondet *Rupert.* amœnitate Sodomorum tenebatur, & irriguis penè paradisiacis arius, & ideirco, quasi non satis intelligeret, quod dicebatur cum percelleretur nuncio instantis periculi, dormitantes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti, sic percepit is, qui iam cœlestia nouit, cui per Euangelium Christi reuelata est ira Dei, iámque de spiritualibus instrui meruit, adhuc tamen pernicioso irritetur amore mundi, & à concupiscentia sua illectus, dissimulat auditas, & benè sibi cognitas futuri iudicij minas, & æterni ignis pœnas sulphureas, & eo intentus, vt concupiscentiæ suæ effectu, quoquo modo perfruatur. Sic *Rupert.*

Vides igitur oblitum mortis propetantis Loth, dum terrenarum possessionum desiderio tenetur, quo adeò comprehensus hæret, vt necessaria fuerit cœlestis manus apprehensio, & impulsus, ne cum impiis supplicio ignis incensus deflagraret, cum tamen ex sententia eiusdem *Rupert.* eadē possessio ipsum deberet admonere, sic enim interpretatur *lib.* 3. *in Exod. cap.* 18. illam conditionem Manna de cęlo allati, quod si ad alterum diem relinqueretur, statim vermibus scatebat, vnde, & Deus dixit. *Nullus relinquat ex eo vsque manè.* Existimat igitur in Manna significatum diuitem auarum, & hoc exemplo commoneri eum, qui spem suam in Deo non posuit, & ideirco diuitias recondendo Mammonæ seruit. Hic igitur auarus, qui confidens in multitudine diuitiarum, sibi longam promittit vitam, sciat quam citissimè, vermibus tradendum, qui certissimi esse solent in abundantia aceruata, & affluentia recondita: addit vero *Rupertus* eum, qui eiusmodi est, & nunc quandiu viuit, curarum, atque solicitudinum vermis comedit, & in futuro vermis, qui non morietur, comesturus est. Imo vermis solicitudinum, quem ipse in conquirendis diuitiis patitur, & conquisitas corrodit, quo citius intereant diu, noctúque admonet miserum diuitem de futura miseria, & vermibus post mortem ipsum expectantibus.

Exod. 16. *num.* 19.

Monet etiam ipsa possessio diuitiarum mortis certitudinem, maxima nostra hac tempestate, quando id, quod magno in pretio apud homines habetur, est aurum, & argentum, gemmæ, & lapides pretiosi, agri, vineæ, oliueta, & domus, ac palatia magnis sumptibus extructa, namque

antiquior possessio, & pretiosior fuit armenti, & pecoris, vt perspicuè colliges ex sacra Scriptura, vnde postea pecunia, quæ signabatur, pecudis vel bouis notam habebat teste *Plin. lib. 8. c. 3. & lib. 33. c. 1. & 3. Varrone 4. de lingua Latin. & 2. de re rustica*. Enimuero viuo adhuc mundo, & recenter in vitam edito, viuæ placebant diuitiæ, & florentes, crescentesque: At vero modo senescenti imo, & decrepitæ ætatis mundo, & ad interitum, quantocius properanti, mortuæ, sepultæq; auri, & argenti diuitiæ placent, adsunt, æstimantur, qua in re limites quoque præfixos à Deo trāsgressa est hominum auaritia, sicut dixit *Greg. Nyss.* exenterans, & eruderans terram, eruens inde ea quæ Deus abscondita esse voluit. Quid igitur emortuæ diuitiæ nisi mortem protendūt? Quid vt extrahantur effodientes terram admonent, quid auri, argentique fodinæ hortantur, & ob oculos proponunt nisi sepulchrum, quo corpus diuitis breui tempore recondetur? Ipse vero inter tot mortis figuras, tot interitus simulachra, tot sepulturę clamores vitam sibi promittit, & longissimā habere dicit, cum tamen tempus cuique nostrum proximum sit, quia mortales sumus, & inter casus ambulamus, sicut dixit *Aug. serm. 1. de verbis Domini*. & si ipsi casus non accedant, tempus ambulat, vitat homo ictum, nunquid vitat exitium. Vitat, quæ extrinsecus eueniunt, nunquid quod intus nascitur, pellitur. Sic ille. Cui accedit *Orig. lib. 1. in Iob.* vbi ait, quia in fine est iam hic mundus, & mortuus est iam properans ad defectum, ideò mens hominum inhiat iis, quæ mortua sunt, olim verò vtpote incipiente sæculo, & adhuc viuente mundo, viua ac crescentia cupiebant homines pecora.

Accedat tandem diues vnus, cæteros hac in re, & obiurgans, & edocens pater scilicet fidei nostræ Abraham, cuius prima possessio, quam habuit in terra promissa in sepultuam fuit, vt colliges ex *c. 23. Genes.* vbi *Chrysost. homil. 48.* ait: *In morte Saræ à filys Heth possessionem sepulchri empto loco accepit, hoc primum possessionis principiū fecit.* Memor vtique mortis semper in multis diuitiis, & possessionibus credatur necesse est, qui tale principium possidendi sepulchro empto habere voluit, vt modum possidendi, sic condiret: quoniam vero in hac emptione sepulchri, primo inuenimus mentionem fieri contractus emptionis & venditionis interueniente pecunia, vt constat ex sacra pagina: (nam antea permutationes tantum factas legimus) considerandum videtur cum *Torniello in suis annalibus ann. mundi 2175. n. 3.* ne forte non abs re prima emptio in sacris Scripturis memorata fuerit agri in piorum hominum sepulturam, vt hinc disceremus, debere quidem homines in hac vita finis sui meminisse, sed eos præcipue, qui diuitiis, ac pecuniarum copia affluentes, quotidie terrenas comparare possessiones, & domum domo, atque agrum agro copulare student, ne se illis in perpetuum frui posse falsò putent: quin potius sæpius recolant, præsertim, quando tales contractus magna cum lætitia celebrant, se aliquando, nec multo post tempore, morte interueniente, bona illa, vel inuitos relinquere oportere: ac propterea consultius esse illud Apostoli magis attendere dicentis: *Qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi*; ac 1. Cor. 7. num. 3.
dum præterit, nos admonet ne velimus hic ciuitatem habere permanentem, sed potius futuram inquiramus, & de illa cogitemus, quò tantum nos sequi, & comitari possunt spirituales diuitiæ, cum terrenæ nihil tunc nobis prosint, vnde *Horat. lib. 2. Epist. 2.*

Quid vici prosunt, aut horrea, quive Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
Grandia, cū paruis, non exorabilis auro.

Et *Lucan. 9. belli ciuil. Non illic auro positi, nec thure sepulti. Perueniunt, &c.* sed melius *August. serm. 5. de verb. Domini.* In regione, inquit, aliena, & mox relinquenda, qualis terra; thesaurum recondit insanus, cuius modio cælum semper inhabitandum, transfert mente sanus, similia habet *lib. 50. homil. homil. 42. c. 8. & ser. 5. & 32. de verb. Domini, & serm. 50. de tempore. Chrysost. homil. 23. & 48. in Genes. & homil. 15. in Ioan. Isidor. 3. de summo bon. c. 47. Chrysolog. serm. 22.*

Attamen diuites nihil de cœlesti vita norunt cogitare, proindéque eis in mentem non venit mors, quæ ad illam transitus dicitur. Vnde *Greg. 14. moral. cap. 25.* contra auaros dicit. Peccatum auaritiæ, mentem, quam infecerit, ita grauem reddit, vt ad petenda sublimia attolli nequaquam possit, vnde illud *Psalm. Fily hominum, vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem*, adeò vt nec separatio ab illa vobis aliquando in mentem veniat? & cum Deus omnia homini sub pedibus subiecerit,

subiecerit, vt ostenderet omnia terrena à nobis conculcanda esse, sicut dixit *Hieron.* in re simili *Epist.7. cap.7.* caput auro subdunt, & terrenis subiiciunt, & oculos infimis infigunt ne aliquid cæleste illorum menti obiiciatur: verùm enim est, id quo *Hieron.* dixit *Epist. ad Paulinum, Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturũ.* quod ne faciat auarus mortis penitus obliuiscitur.

Post descriptas rotas, quibus vehitur auaritiæ currus, addit *Bernard.* Iumenta (neque enim equos alere misera auaritia patitur) currum trahentia sunt tenacitas, & rapacitas (tenacitas, quæ retinet bona iam adepta, & conquisita, ne quid ex eis effluat, rapacitas, quæ aliena sibi adiungit, & vndique venatur) his autem iumentis vnus auriga præsidet, sola siquidem auaritia, quoniam conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore, is est ardor habendi, ita æstuans, vt alter Æthna mons esse videatur, ipse vero coniuncti operis curam promptus exequitur, & vt iumenta vrgeat, flagris vtitur acerrimis, libidine scilicet acquirendi, & metu amittendi.

His igitur rotis, his iumentis, hoc auriga vehitur, trahitur, ducitúrque auaritiæ currus in tartarum, & in inferi sepulturam, vbi impius auarus adhuc pusillanimis non vndam, sed guttam aquæ postulabat, vbi induratus diris cruciatibus torquebatur, & inhumanus crudelia sustinet supplicia, & Dei contemptor in vita, seruum Dei precabatur post mortem, & in vita mortis oblitus post mortem fratribus viuentibus mortem prædicandam curabat.

ANNOTAT. VIII.

Describitur superbiæ currus.

ADest iam superbiæ currus, quam malitiam vocat *Bernardus*, quæ in omni regione maleficiorum, atque facinorum dominatur: habet autem currum suum rotis quatuor insistentem. Sæuitia, impatientia, audacia, impudentia. Est igitur prima rota sæuitia, sæuit enim in omnes superbus, cum solus velit reputari, & laudari, quæ est ratio cur aliorum laudes suas reputet vituperationes, vnde *Bernar. serm.47. ex paruulis* ait. *Mens arrogantiâ tumens laudem alterius, suam reputat vituperationem.* Proindèque non mirum si sæuiens introducatur superbus, quod prosequitur *Bernard. serm. de fallacia præsentis vitæ,* cum ait. Errauerunt in solitudine, in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. *Ps.107. num.4.* Solitudo hæc superborum est, quia solos se reputant, solos appetunt reputari, literatus est? odit socium, astutus in negotiis sæcularibus: Neminem vellet sibi similem inueniri, &c. Solitarius est, sed erroneus, nec mirum quod solitudini huic inaquosum additur: Sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta steriliáque, & arida esse consueuerunt, sic superbiam impœnitentia comitatur; clarum enim cor, durum, & expers pietatis est, ignarum compunctionis, &c. Quibus similia habet *August.* ad illa verba *Psal.79. Singularis ferus depastus est eam, singularis,* *Psal.79. num. 14.* ait Augustinus, *quia superbus, hoc enim dicit omnis superbus, ego sum, ego sum, & nemo alius, & proinde si opus fuerit omnes extinguet immaniter, ne alius fortè remaneat, quando superbus solus vult esse, & reputari.* Et *lib.19. de ciuit. c.12.* ait. Superbiam peruersè imitari Deum, qui solus vnicus, & simplicissimus est, & quemlibet Dei nomen habentem, infinitate sua, excludit, superbus verò iniquè Deum æmulatus, odit cum sociis æqualitatem, & imponere vult sociis dominationẽ suam, vt solus remaneat dominator, quod etiam prosequitur *Chrysost. homil.66. in Matth.* vbi ait: Attende, & videbis? arrogans, atque superbus maiorem se cæteris arbitratur, & neminem se esse dignum affirmat, nec ita magno quisquam poterit honore ipsum afficere, quin cupiditate maiori agitatus, parum sibi collatum arbitretur, cumque laudem ab hominibus quærat spernit eos, atque contemnit. Si ergo ita cæteros spernis, cur adulationibus, laudem ab illis aucuparis? insolens pusillos eos arbitratur, qui eum honorant, sed laudari se ab illis singularem omnino rem arbitratur, &c. quæ prosequitur contra superbos se solos reputantes.

Sic vt vnus superstes remaneret superbus Abimelech 70. fratres suos, filios Ierobaal super lapidem vnum interfecit, ne- *Iudith 9. num.5.* que alia mortis causa fuit, nisi, quia ius habebant ad patris principatum, vtpote, qui legitimi filij erant, ipse vero illegitimus, sæuiens in eos, quia superbus, quia verò superbus, solus voluit remanere, vnde *Augustin. in Psalm.122.* ait: Mira res fratres; horrent, qui considerant, quærit potentior infirmiorem, & quærit eum opprimere, non ob aliud nisi, quia habet,

quod illi auferat, vnde pateretur ista mala nisi quia habebat? vel in alio disce, quid fugias. Etenim vbi superbia, vel diuitias, vel aliud bonum reperit, statim aduersatur, & sæuiens opponitur: Et cum parua ætas infantis pietatem maximè pulset, & fraternā commiserationem eliciat, nihil horum sæuum fratrem emollire potuit, sicut neque vagientes infantes durum Pharaonis pectus pulsantes, aperire potuerunt, quin diceret obstetricibus. Quando obstetricabitis Hebræis, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit B interficite eum; si fœmina, reseruate. Et statim addit sacer textus. Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis, sed conseruabant mares. Quis enim manus conijceret in eos, qui needum corpus habebant, quo caperentur? Quis noceret eis, qui needum offendere quenquam nouerant, & tantum vagire didicerant à natura, & quorum cum vita simul effusæ lachrymæ durum pectus pulsabant? Sola tamen sæuit Pharaonis superbia, vbi certa adeſtat naturalis pietas, nec ortum expectat, imo illum morte præuenit, sed *Augustin.* hac in re audiamus, *serm.* 89. *de temp.* vbi ait: O prodiga furoris audacia! needum natis pœna mandatur, & ante principium vitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo insaniam tuam quos ne dum vides insequeris? Quid scelestius? Nondum natos occidis? Seruet ordinem feritas tua,

Exod. 1. *num.* 16. nascantur ante quos puniat. Et *Lipoman. in caten. ad prædicta verba Exod.* impudentissima, & maxime execranda tyranni crudelitas intelligitur, quód fœminarum quoque officio tunc obesse conatur, cum maximè illis necessaria est fides, & commiseratio. Quid autem acrius cogitari potuit, quam infantes occidere, paruulos necare, innocentibus, qui nec dum lucem aspexerant, vitam eripere, & lucem? Audet tamen hæc sceleratus Rex tenebrarum tentare, & vrgere, quæ eum ipsum quoque aggredi pudet, manu fœminæ perficere cogit, & non obedientem audet culpare, vult enim infantes perdere per eas, per quas seruari solent, vix æstimanda nequitia, crudelitas, & sæuitia, omnem penitus naturæ ordinem superans, & excedens.

Et hæc insuper mihi videtur causa, cur superbia sola introducatur veluti ab omnibus deserta, quis enim ipsam non metuat & deserat, & ab ipsa longè, latéque fugiat? Sicut enim humilitas, & humani-

A tas omnes ad se inuitat, & conuocat, sic enim Christus Dominus vt homines ad se alliceret, & adduceret dixit. Venite ad me omnes, & tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde; sic & superbia omnes reiicit, expellit, & fugat, proindéque sola, iure optimo dici potest. *Matt.* 11. *num.* 28.

Neque verò in solos homines, vt sola maneat, superbia sæuiés introducitur, sed insuper in virtutes omnes velut omnium inimica, quod prosequitur *Gregor. lib.* 34. *moralium.c.* 18. dicens. Cum radix sit omnium vitiorum, vnius virtutis extinctione non est contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis, ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, quasi tyrannus obsessam ciuitatem intercipit. Quisque verò eius in se tyrannidem captiua mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis organo, iudicij æquitatem perdit: nam cuncta, quæ ab aliis bene geruntur displicere, & sola esse, quæ ipse vel prauè egerit placent, &c. Et *Bernard. de interiori domo, c.* 41. C cætera, inquit, vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, & vt luxuria pudicitiam, ira patientiam, sola vero superbia contra cunctas omnino virtutes se erigit, & quasi generalis, ac pestifer morbus omnes corrumpit, signa superbiæ hæc sunt, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, inhonestas in actione, rancor in reprehensione.

Cum ergo superbia gratis omnes persequatur, & in omnes sæuiens velit sola D reputari, & honorari, necessario secundam rotam impatientiæ habet, vnde, & irrationalis omnino est, & impatiens omni prorsus excusatione caret, & ideo *Chrysost. homil.* 15. *in Ioan. tom.* 3. ait. Fornicatio etsi indigna veniæ sit, potest tamen quispiam voluptatem in excusationem adducere, superbia autem ne minimam quidem, propter quam vel vmbram saltem veniæ consequatur, sed nihil aliud est quam deprauatio animi, & morbus grauissimus, non aliunde, quam ex insania or- E tum ducens: nihil enim superbo homine insanius quamuis ditissimus sit, quamuis multa hac exteriori sapientia præditus sit, quamuis potens, &c.

Tertia rota audacia est, quæ in eo cernitur, quod ipse Deo, cui omnia subduntur, audeat æquari, ait enim *Isaias* de superbo angelo. In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo *Isaia* 14. *num.* 13.

in

in monte testamenti,similis ero altissimo. A Super quæ verba, sic ait: *Bernard. ser. 1. de verb. Isai.* Vidi Dominum &c. Miser ipse, qui sine Deo esse maluit, quam sub Deo: & de gradibus humilitatis ad eadem verba ait. Cæteris astātibus cælicolis dum tu solus sedere affectas, fratrum cōcordiam, totius cælestis patriæ pacem quantum in

Dan. 7. num. 10. te est, quietem Trinitatis infestas. Decies centena millium assistunt ei,& tu nescio, quas præ cæteris perspiciendo differentias curiosius inquirendo, irreuerētius persuadendo sedem tibi collocas in cælo, B vt sis similis Altissimo, verum tamen ad infernum detraheris, sic *Bernard. & D. Ambrosi. ser. 7.* expendens prædicta verba ait: quid hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cæpit iniuria? superbus Nabuchodonosor diuinos sibi honores vsurpat; in tantum enim superbiæ audacia excitauit, vt tumescentibus fluctibus, ausa fuerit Dei sedem impetere.

Hinc est, quod *Cassian. lib. 2. cap. 7.* ait: Propterea Deus resistere superbis dicitur, quia cætera vitia, vel in ipsum delinquen- C rem retorquentur, vel in alios homines, hoc vero propriè pertingit ad Deum, & idcirco eum specialiter meretur habere contrarium; in tantum enim excreuit superbiæ impudentia, & audacia, vt contra Dominum vniuersorum caput erigere non pertimesrat, in cæteris namque peccatis, quasi consequēter se peccator auertit à Deo, dum conuertitur ad creaturam, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, vel propter desiderium cuiuscunque alterius boni, superbia vero pri- D mo, & formaliter hanc auersionem à Deo habet in hoc ipso, quod non vult Deo subdi, & subiici diuinæ regulæ, vnde rectè *Boët.* dixit. Quod cum omnia peccata à Deo fugiant, ipsique terga vertere videantur, sola superbia se Deo opponit audacissima.

Quod si quis velit rationem inquirere cur superbia semper ascendat temerario & audaci gradu, id quidem videtur tribuendum in primis eiusdem superbiæ

Iob. 11. num. 12. leuitati, dixit enim *Iob cap. 11.* Vir vanus E in superbiam erigitur, vbi vanus propriè significat vacuum, concauum, inflatum, nihil omnino solidi habens, cuius nominis

Exod. 27. num. 8. proprietas explicatur in *Exod.* vbi est sermo de altari, & dicitur: Non solidum, sed inane, & concauum intrinsecus facies illud. Id igitur, quod inane, & vacuum est supernatat, & qualibet leni aura motum surgit, volat, cælósque ipsos petere videtur, vnde *August. in Psalm. 37.* ait: Leuitatis est erigere caput, quasi nihil portat, qui erigit caput.

Quis ergo cum hanc superbiæ audaciam cernat, impudentiam non agnoscat? quæ altera correspondens tota huius cursus est; oportet enim audacem, impudentem simul esse, se enim inuicem inferunt hæc duo vitia. Dixerunt Moyses & Aaron Pharaoni: Hęc dicit Dominus Deus Israël. Exod. 5. num. 1.
Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi, at ille respondit, quis est Dominus, vt audiam vocem eius? Nescio Dominum, & Israël non dimittam, vbi *Orig.* ait: Vides, quid agit cruda superbia donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia. Videbis eum paulo post quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur: iste qui modo dicit, *nescio Dominum,* postea cum vim senserit verberum, dicturus est: orate pro me Dominum.

Clarius ad rem nostram *Lipoman.* ibi *in catena.* Vide, inquit, quò se extendat cæca superbia, vt naturalem etiam rationem Deum esse noscentem, obnubilet penitus & extinguat. eò enim vsque deuenit impudens superbia, vt quod cæli enarrant, & ea, quę facta videntur, proclamant, nempe Dei gloriam ipsa negare audeat: neque vero omittendus eodem in loco *Oleast.* qui expendens hoc vitium impudentis superbiæ sæpius reperiri in potentatibus, & Regibus ait. Mirum valde, quod Deus maximè Reges, & Principes curet, ipsi verò ipsum negligant, & parui faciant, quod maximè probat ingratitudinem superbiæ, cum ingrati, impudentes, & audaces, vt plurimum esse consueuerint.

Videndus *Aug. in Psal. 2.* vbi notat id, Psalm. 2. num. 10.
quod Dauid dixit: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultare ei cum tremore, quæ postrema verba dicta esse vult in remedium superbiæ virorum Principum, qui Deum videntur non agnoscere, ipsique resistere temerario ausu, & impudentia. Videndus item *Bernard. ser. 5. de natiuitate Virginis,* vbi ad præsēs institutum ait. Dico vobis, quod omnis superbus extollitur supra Deum; vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam, iam videtur æqualitas, sed attende malè congruam proportionem: Deus quidem in his tantum, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem, superbus

bus vero, & cum ratione,& contra rationem. Vides quoniam altitudo est, & non illuc perueniunt fluenta gratiæ,sed peruenit impudentia superbiæ, quæ contra Deum, & contra rationem nititur.

Cernitur insuper, & impudentia superbię,dum omnis superbus vult videri,quod non est,& nobis inculcare id, cuius oppositum propriis oculis intuemur,quo nihil impudentius dici potest,& de quo videndus *August. in Psal.* 120. vbi ait, Fratres mei vtinam sic vellet superbus videri quod non est, vt vellet videri verbi causa coraula cum coraula non esset, cito enim probaretur, sic diceretur ei; canta,videamus si coraula sis,cũ non posset,inueniretur,falso videri voluisse quod nõ erat,&c. Superbus quod peius est, iustum se vult videri, cum non sit, & quia iustitiam intelligere difficile est, difficile est superbos agnoscere. Volunt ergo superbi videri, quod non sunt, ideo non est participatio eorum in idipsum, qui est, qui participat in idipsum; Qui confitetur se non esse,quod Deus est,& ab illo habere,quod bonum potest habere:à se autem non esse nisi peccatum, ab illo sibi esse iustitiam, quod totum superbus in primis denegat, & sane magnam arguit superbiæ impudentiam.

Hic igitur superbiæ currus, qui vehitur quatuor prædictis rotis,trahitur duobus admodum pernicibus equis, terrena scilicet potentia, & sæculari pompa,quadriga namque ista currit valde velociter: Inde plausus pompæ arridet perpetratis sceleribus, & laudatur peccator in desideriis animæ suæ, præsident duobus his equis aurigæ duo,rumor & liuor, rumor quidem pompam, liuor autem potentiam agit: Calcaria sunt suspicio decedendi, & metus succumbendi, aliud est enim quod suspectus est successor, & aliud quod sit metu inuasor. Sic *Bernar.* Porro superbiam comitantur soboles, septem scilicet,principalia vitia,quę de hac virulenta radice proferuntur scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria,sic *Greg.lib.*31. *moralium c.*17. quibus habet similia *c.*31.

ANNOTAT. IX.

Subuersio currus luxuriæ explicatur.

Propositis iam tribus curribus, quibus electi principes Pharaonis principa- A liora scilicet,vitia vehuntur, vt populum Dei Ægyptum huius mundi fugientem insequantur, consequens profecto est, vt ostendamus, quomodo de his curribus Dei populus victoriam consequatur, quæ quidem nobilior victoria est,& commendabilior, quam fuerit illa, quam cum Moyse in præsenti decantamus, namque, sicut ait *Bernardus* loco citato: non tibi multo fortius, longéque gloriosius esse videtur diabolum prosternere,quam Pharaonem, aëreas debellare potestates, B quam currus Pharaonis subuertere: Ibi pugnatum est aduersus carnem,& sanguinem, hic contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de sæculo, ibi subuertuntur currus Pharaonis, hic carnalia, & secularia desideria, quæ militant aduersus animam, subuertuntur illi in fluctibus, hi in fletibus. *Ephes.6. num.* 12

Fit itaque hæc subuersio, & reportatur hæc victoria, cum mundo quis renuncians tria virtutum,memoratis vitiis aduersantium, C vota emittit, castitatis inquam,paupertatis, & obedientiæ,aut sine votorum nuncupatione,& emissione, cum has tres virtutes, quis amplectitur, & veluti armis munitur, notauit hoc *Caiet.in* 2.*Reg.cap.*3. vbi Isboseth cum ab eo Dauid propriam repeteret vxorem, tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais,qui eam non cognouit,hic autem vir appellabatur antea Phalti, postea verò illi additum est nomen Dei,El,quod significat fortem, & potẽtem,& dictus est Phaltiel, quod enim D vir habens intra domum suam mulierem, quam adamabat, vnde & plorans eam sequebatur vsque in Bathurim, & quod eam non tetigerit, neque cognouerit,arduum, & difficile luxuriæ certamen deuincens, id sanè ab omnipotente habuit, qui electum nunc principem Pharaonis pro suis,& cum suis deiicit, vnde *Rupert. lib.secundo in lib.Reg.cap.*12.ait: Plorasse dicitur Phaltiel præ gaudio,eo quod eum Dominus custodisset, ne tangeret illam, nam vir (vt Hebræi tradunt) non cognouit eam, quia si cognouisset eam, E nunquam Dauid postea eam sibi sociasset, quia in lege penitus huiusmodi prohibetur coitus.

2. Reg.3. — *1. Reg. 25. num. vltim.* — *2. Reg.3. num.16.*

Ipse autem legis Doctor erat de Bahurim, & quando à Saule Michol ei datur, Phalti,id est,euadens interpretatur,quando vero ab eo eadem Michol aufertur Phaltiel,id est, euadens à Deo interpretatur,& euadens à Deo dicitur, custodiuit enim

enim eum, ne fieret transgressor legis, sic *Rupertus*. Ex quibus constat certamen hoc, & triumphum Deo imprimis velut præcipuo auctori tribuendum esse.

Sicut autem luxuria vehitur ventris ingluuie, & vestium mollitie, sic castitas pugnatura cum hoste, luxuria primo nititur ieiunio, & duritie vestium, eisque veluti lorica,& thorace galea,lancea,gla-
Iudith 8. dióque munitur,vnde de casta Iudith di-
num. 5. citur.In superioribus domus suę fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha, & Neomenias, & festa domus Israel. Ecce tibi proponitur in castitate triumphali durities vestium,qua de re videndus *Tertull.lib.de cultu femin.cap*.8. *&* 9. vbi inter alia ait.Quomodo grauitatem administrandæ pudicitiæ adhibemus, nisi in facie,& in cultu,& in totius hominis cōtemplatione seueritas circunferatur quamobrem erga vestitum quoque & reliqua cōpositionis vestræ impediméta, proinde vobis curanda est amputatio, & decussio redundantioris nitoris: nam quid prodest faciem quidem frugi,& expeditā, & simplicitate condignam diuinæ disciplinæ exhibere, cætera vero corporis laciniosis pomparum, & delitiarum ineptiis occupare. Vestium pompæ de proximo curant luxuriæ negotium, & obstrepunt pudicitiæ disciplinæ, sic ille: Cui accedit *Fulgentius Epist*.2.*c*.12.cum ait.Habitus tuus talis sit,qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet, qui non illiceat ad libidinem, sed comprimat ad timorem, qui non accēdat carnis concupiscentiam, seu extinguat: qui non illiceat ad concubitum,sed excitet ad profectum: ex quo cordis compunctio,non carnis libido nascatur,vilibus caro tegatur operimentis,& preciosis anima vestibus induatur,similia habet *Hieronym.ad Salvin. & in regula Monach. tom*.4. vbi ait. O quoties in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum;putabam me Romanis interesse deliciis,sedebam solus,quia amaritudine repletus eram:horrebant sacro membra deformia,& squalida cutis situm Æthiopicę carnis obduxerat,quotidie gemitus; & si quando me repugnantem somnus imminens oppressisset,nuda humo vix ossa hærētia collidebam & cætera,quibus ostendit maximus Doctor qualiter deducenda

A sit caro ad victoriam de luxuria reportandam, quandoquidem ille in tam aspero habitu, & lectulo oppugnationes eius patiebatur.Vnde,& cum à Lucinio Betico locuplete, sed pio munera quædam accepisset, vide quænam ipse remiserit. Ego, ait, insignia paupertatis, & quotidianæ symbola pœnitentiæ tibi, & sorori tuæ misi, quatuor ciliciola apta proposito, & vsibus vestris: Quibus similia habet *Aug. lib.de bono viduitatis cap*.9. Denique magnus ille virginitatis Doctor Elias. *Vir*
B *erat pilosus, & zona pellicea accinctus renibus*. Et noui itidem testamenti Elias, 4.*Reg*.1. *num*. 8.
Ioann. Baptista, *Habebat vestimentum de* *Matt*. 3.
pillis camelorum, & zonam pelliceam circa *num*. 4.
lumbos suos. Et Sancti *quibus dignus non* *Hebr*.11.
erat mundus,circuierunt in melotis,& pel- *num*.37.
libus caprinis.

Itaque vt duret castitas,dura debet incedere, & vt de mollibus agat triumphū, mollescere minime debet. Qua de re videndus *Ephrem.serm.de castit*.vbi sic incipit.*Castitatem dilecte frater palmæ simili-*
C *tudinem existima,siquidē palma corde cum sit albicante,circum circa vero scatet surculu,& aculeis,quibus eius candor muniatur.Oportet igitur erga quoscúmque homines exhibere charitatis officia ex puro corde: in eos vero,qui voluptatibus indulgent,ita seueritas,ac tristitia nostra temperanda est, vt in ea interim suam cum prudentia temperantiam ac pacem conseruemus.O castitas,cui abominationi sunt delitiæ,venustas corporis,& ornatus vestium.O castitas dapibus, atque epulis, ebrietatique inimica, ô*
D *castitas, quæ carnem castigas, & in seruitutem redigis,ô castitas, quæ rosa instar in medio animæ,& corporis flores,vniuersámque domum fragrantia reples*. Sic ille,qui dum castitatem palmæ, ac rosæ confert, illud probat,quod intēdimus, necessarios scilicet, imprimis esse aculeos externos, vt conseruetur,& protegatur. Vide asperum,& vile,& aculeatum tegmen palmæ, quæ symbolum castitatis virginalis est, indicátque profectò, quale indumentum externum, & vestitum exigat castitas, vt
E interius conseruetur illius candor,& dulcedo:nec miretur quis,si aculeos appellet Ephrem illos, quasi stimulos, qui adnoscuntur stipiti palmæ:nam Dioscorides,& Hermolaus, & Marcellus, & alij aculeos, ac surculos appellans, & huiusmodi appellatio,nostro conducit instituto,vt huiusmodi aculeis pungatur, & transuerberetur opposita vestium mollities.

Quod si ventris ingluuies, & cibi redun

Z

dundantia fomentum præbet luxutiæ, & illi auxilio esse solet, castitas in ieiunio præualet, vnde Iudith triumphum ductu-
Iudith. 8. ra de Holofernis lasciuia, ieiunio nobis
num. 6. introducitur munita omnibus diebus viduitatis suę, & ideo *Chrys. hom. 1. in Ps. 50. tom. 1.* ait: Castitas sine comitibus suis ieiunio, videlicet, & temperantia, cito lassessit. Quod si his quasi adminiculis roborata fuerit, facile coronabitur, &c. Et *Gregor. lib. 1. Epist. 24.* ait: Tunc castimonia ad perfectissimæ munditię candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur, &c. Et *Oecumen.* ad illa verba Pauli:
1. Tim. 5. *Te ipsum castum custodi*, ait: Quod si hæc
num. 22. scribit viro adeo sese ieiuniis, & aquę potu extenuanti, vt inde etiam ægrotaret, quid nos facere oportet, aut quonam modo obseruare, &c. Similia habet *Chrysost. ibi. & Hieron. in regula monach.* ait. De cibis vero, & potu tacco, (loquitur enim de vita sua in eremo) cum etiam languentes Monachi ibi, aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnauerã, scorpionum tantùm socius, & ferarũ, sæpe choris intereram puellarum, plura habet *Epist. 8. cap. 6. & Epist. 27. c. 10.* vbi ait. Paula lasciuientem adolescentularum carnem crebris, & duplicatis frangebat ieiuniis, malens eis stomachum dolere, quam mentem. Suffragatur *Tertull. lib. aduersus Psychic. cap. 17.* dicens: Saginentur pugiles, & pictę olympici, illis ambitio corporis competit, quibus, & vires necessariæ, sed nostra alia robora, aliæque vires, sicut & alia certamina: etenim ieiunium carnem spiritui subiicit, concupiscentia nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit, sicut ait *D. August. serm. 230. de tempore*, qui item videndus est tractat. de vtilitate ieiunij *tom. 9. & in quæst. noui, & veteris testamenti, quæst. 120. Basilius homil. 1. de ieiunio, & homil. 1. de paradiso, Chysostomus homil. 1. de pœnitentia.*

Armata igitur procedit castitas contra luxuriam, quamobrem *D. Hier. Epist. 140. ad Principiam* dixit. Arbitror te accinctã gladio militare, vt autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates. Gentilis quoque error Deas virgines fingit armatas, &c. gladio igitur ad hoc certamen opus est, mortificatione
Psal. 44. scilicet carnis, iuxta illud Dauid: *Acci-*
num. 4. *gere gladio tuo super famur tuum potentis-*
A *sime*, hortatur enim Regem, vt animi virtute contineat molliores animi, & corporis partes, atque lasciuientis carnis appetitiones, & motus, nam fæmotis nomine mystice, & honestè significantur inhonesta hominis, vt ibi obseruat *Hier. ex cap.* Gen. 24.
24. Genes. n. 2. & 9. & ex c. 32. n. 25. & 32. n. 2. & 9.
& ex c. 46. n. 26. & ex c. 47. n. 2. & ex c. 49. Gen. 32.
n. 10. & lib. Iudic. c. 8. n. 6. Manifestum est, num. 25.
inquit, *Hieron.* quod fæmur significet ope- & 32.
ra nuptiarum, idem obseruat *Augustinus* Gen. 45.
ad prædicta verba Psalmus Dydimus, Ba- num. 26.
B *silius & alij Nicenus in Cantica cap. 3.* Gen. 47.
homil. 6. num. 2.

Comprimendi itáque sunt secundum Gen. 49.
monitum prophetę luxuriantis carnis im- num. 10.
petus, acutissimo gladio mortificationis, Iudic. 8.
is autem, qui eum adhibere nouit, iure & num. 6.
Rex, & potentissimus à Propheta dicitur, quia sicut dixit *Gregor. 11. moral. c. 8.* qui membrorum suorum motus benè regere sciunt, non immerito Reges vocantur, & potentissimi, & *D. Hieronym. Epist. ad Furiam* ait. Grandis virtutis est, & solicitæ
C diligentiæ, superare quod nota sis, in carne, non carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem, Argi (vt aiunt) centum oculis obseruare. Nec vlla maior est victoria, quam ea, quæ de cupiditatibus reportatur, sicut dixit *Cyprian. de bono pudicitiæ*. Malum enim, ait, omne facilius vincitur, quam voluptas, quia illud quidquid est, horridum est, hoc blandum est, & cætera, quæ prosequitur, & *Ambros. lib. 1. de virginibus*, Hæc est militia illa cœlestis, quam laudantium exer-
D citus Angelorum promittebat in terris. *Luc. 2. &c. & Chrysostom. homil. 31. in Matth.* Vide, inquit, spirituales illos exercitus in prælio quotidie sunt, cum quotidie aduersarios suos insidiantes nobis cupiditates mirabili victoria fundant, &c.

Accingendus, proinde, imò & distringendus est gladius mortificationis super fæmur carnis nostræ, vt de iniquo Rege, potentissimi Reges euadamus. Et cũ lasciuientis carnis spinæ vltro nobis enas-
E cantur, comburendæ necessario sunt igni cęlestis claritatis, quo expellitur tenebrosus concupiscentiæ ignis; etenim sicut dixit *Ambros. Epist. 7.* Non immerito Ioseph flammas non sensit libidinis, quia maiore diuinæ flagrabat ardore gratiæ, vnde, & hoc pulchrè de eo dictum est, *quia elo-* Ps. 104.
quium Domini vssit eum, quo restrinxit num. 20.
ignitas diaboli sagittas.

Neque verò castitati ad certamen pro-

deun

deunti Angelorum deest auxilium, cum enim in cœlo nata sit castitas, eiúsque patria dicatur, teste *Ambros. lib. de virginibus*, iure inde suppetias debet castitas, & sperare, & postulare, vnde *Basil. l. de vera virginitate* notauit castitatem, vt excellens quid, & supra naturam, supráque legem nusquam à Domino imperatam, non modo in veteri, sed neque in nouo testamento, quia tantæ virtutis meritum, non præcepti necessitati subiici voluit, sed egregij, singularis, cœlestis, & penè angelici animi specimè existere, qui sponte sua B nullius imperij necessitate coactus id exequatur, quod supra omnem humanæ naturæ modum & instar solius angelicæ est. Et *D. Bernard. Epist.* 42. ante mediū. Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur, sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis, & C loco, & tempore, statum quędam immortalitatis gloriæ repræsentat. Sola præbens quodammodo terris, cælestis iam conuersationis experientiam. Sic ille.

Non poterit igitur Angelorum auxilium, & adiutorium deesse his qui in terris angelicam imitantur naturam, virtutem, & puritatem, vt ipsam conseruando contra luxuriæ inquinamentum triumphatores euadant, quod dixit *Ambr. lib. 1. de virginibus*, cum ita habet: Vobis speciale præsidium est, qui intemerato pudo- D re sacrum Domini seruatis cubile, neque mirum si pro vobis Angeli militant, qui Angelorum moribus militatis, meretur siquidem castitas eorum præsidium, quorum vitam meretur, & imitatur.

Neque etiam deest peculiare Dei auxilium, qui sicut in cœlo adoratur ab Angelis; sic & in terra colitur à castis, & virginibus, vnde *D. Hieron. lib. 1. contra Iouin. c. 12.* appellat virginem greges Saluatoris auxilio coopertos, diuino enim clypeo aduersus hostium tela muniti pugnāt, nisi E enim Dominus proximè adesset castitati fragili inclusæ vase luteo, facili negotio interiret, vnde sicut necessarium fuit aduenire Filium Dei in carne, vt hanc familiam castitatis, quam mundus non nouerat institueret, sicut dixit idem *Hieronym. Epist. 22. ad Eustoch. c. 9.* Statim, inquir, vt Filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab An- A gelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos in terra, &c. Sic etiam necessaria est filij Dei assistentia, vt castitatem tueatur, qui propterea eam magni semper fecisse visus est.

Adsunt etiam non tantum virgines beatæ ad custodiam, & triumphum castitatis, sed etiam martyres, nam sicut dixit *Hier. Epist. ad Demetr. tom. 1.* habet & pudicitia seruata martyrium suum, quod argumentum prosequitur *D. Ambrosius in Psal. 118. litera 20. vers. 5.* dicens. Temerandam mentis, & corporis castitatem, non putasti, martyres Christi, & quod amplius est non sermonis tantummodo, sed operis testimonium præbuisti. Videndus hac de re idem *Ambros. lib. 1. de virginibus, & Bernard. serm. 30. in Cant.* illud autem in castitatis martyrio notandum occurrit, non vnam tantum patiendi occasionem, sed quotidianas, & perpetuas habere, proindéque non breue, sed diuturnum, ac iuge martyrium esse, continuam quasi mortem carni afferens. Opitulari proinde merito debent sancti Martyres, perpetuum totius vitæ martyrium sustinentibus.

Denique omnes sancti puri, & immaculati auxilio sunt castitati, quæ pura, & immaculata coram communi Deo seruat corpora, & animas, & forte isti sunt fortes illi, electi ex fortissimis Israël, qui lectulum Salomonis, castam scilicet animam, vt ibi interpretatur *Honorius*, in *Cant. 3.* qua diuinus Sponsus requiescit, omnes *num. 7.* educentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super fęmur suū propter timores nocturnos; educunt enim gladios discretionis, ne impura cogitatio mentem iusti audeat aggredi, & cum ad bella vitiorum sint doctissimi, diaboli fallacias, & fraudulentias facilè noscunt, & accent, vniuscuiusque ensis super fęmur suum, vt seueritatem vitæ, & carnis maceerationem indicent, quo corpus in seruitutem redigāt propter timores nocturnos, propter insidias, scilicet diabolicæ fraudis, quibus improuidos pertrahit ad noctem æternę damnationis. Is igitur currus triumphalis videtur, victoriámque denotat de immundo luxurię curru. Decens autem videbatur, vt Sancti opitularentur virtuti, quæ in terra, sanctitas, & sanctificatio dicitur: Paulus enim de ea loquēs dixit. Pacem diligite, & sanctimoniam, *Hebr. 12.* sine qua nemo videbit Deum, vbi *Chry-* *num. 14.* *sostom. Theophil. Theod. & Oecumen.* castitatem intelligunt; solet enim Paulus cum

de ea loquitur, dicto vocabulo vti, vt cùm dixit, hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij. Et *Rom.6.* Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, & 1. *Tim.2.* Saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione. † Per sanctimoniam igitur, & sanctificationem, castitatem intelligit Paulus, sicut bene notauit *D.Epiphan.hæres.67.* per quam vterque homo sanctificatur, interior scilicet & exterior, similis redditur sanctis in cælo, qui & animo, & corpore erunt gloriosi, quomodo verò castitas secundum Apostolum sanctificatio appelletur, exponit *Cass.lib.6.cap.15. & 16. Basil.de initit.monach.c.78. Ambr, in 1.Thess.c.4.Chrysost.homil.4. in eandem Epistolam.* Denique de sanctitate huius virtutis videndus *August.lib.6.confess.c.8. & lib.de singularit. cleric. & lib. de ciuit. c.26.lib.de mendacio,c.19. & 20. & serm. de Natiuit. Dom. & lib. de bono coniugali, c.10.lib.de sancta virginitate,c.9.lib.de bono viduitatis,c.8.lib.4.cont.Iul. Ambros.2. de officio c.6.& 7.lib.1.de viduis.Nazianz. orat.31.Basil.lib.de inst.Monach. cap.9. & 10.*Optime *Chrysost.homil.22.ad populum,* quæ est de pœnitentia. *Cass. collat.12.* per totam,necnon *lib.6.de spiritu fornicat.c.4. 6.14.15.17.19.21.*

Thess.4. num.3. — Rom.6. — 1.Tim.2. num.15.

Ex quibus omnibus intelliges quanta cum ratione Sancti, qui in cælo sunt, in tertis adiuuent sanctimoniam, & castitatem, quam *Tertull.* appellauit *lib.de pudicitia,* virorum,ac fœminarum præcipuum ornamentum, & *Cypr. lib. de bono pudicitiæ*, honorem corporum, ornamentum morum, sanctitatem sexuum.

Sed illud omnino in præsentiarum notandum est, quod sicut victoria Israëlitarum in hoc primo visa est, quod aperuit illis Deus viam, qua manus Pharaonis effugerent, submersio verò illius cum exercitu, quid consequens victoriam videtur esse,sic multoties victoria castitatis in declinando inimicam luxuriam, eiúsque incursus euitando maximè consistit. Etenim sicut mirabilis Dei prouidentia voluit, vt laus & victoria aliquando fieret per timorem, sicut supra cum *Cypr.* notauimus;sic etiam voluit,vt victoria castitatis in declinando immundam luxuriam

A plerunque consisteret,idque iure optimo, cum enim hoc virium immundum, & lutulentum sit, vnde à Paulo immunditia appellatur. *Rom.1.n.24.Rom.6.n.19. & 2. Cor.12.n.21.Galat.5. num.19. & à Petro Epist.2.c.2.n.10.à Ioann.Apoc.17.n.4.* qua de re nos plura diximus ad caput 1. *Iacobi num.21.* † 2. Merito proinde inquinamentum luxuriæ puta ac candida castitas debet effugere, ne denigrata quoquo modo euadat,quis enim lutum manibus contrectabit, quin aliquo modo coinquinetur? B Vnde cum *Rupert. lib.2. in libr. Reg. c.12.* ad hunc sensum intelligere possumus lachrymis Phaltielis dum Micholem ad Dauid maritum suum reuertetem plorans comitatur, ait enim *Rupert.* Plorasse dicitur præ gaudio, quod gaudium existimo inde ortum esse,quia se liberum vidit, & immunem ab ea, quæ ei occasio poterat esse peccandi, etenim sicut dixit *Tertull.lib.cont. Psychic. c.1.* Pudet de eis altercati, quorum nec defensio verecunda est, quo nihil pulchrius dici potuit ad C ostendendam luxuriæ imputitatem,quando & defensio etiam, & excusatio secum aliquid immunditiæ deferre videtur.

Rom.1. num.24. Rom.6. num.19. 2.Corin. 12.n.21. Galat.5. num.19. 2.Petr.2. num.10. Apoc.17. num.4. 2.Reg.3. num.16.

Rem etiam prosequitur *Ambros.lib. de Ioseph.c.5.* vbi de ipso fugiente, & dimittente pallium in manu dominæ suæ,quod contra ipsum postea ad testimonium perhibendum inseruiuit, ita ait. Relinquit tanquam non sua,quæ adultera suis manibus detinebat, & aliena iudicauit,quæ tactu impudicæ poterant comprehendi:teneri veste potuit, animo capi non potuit, D ac ne seipsa quidem verba diu passus est, contagium enim iudicauit si diutius moreretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit. Non est nudus nisi quem culpa nudauerit, iste expoliauit se potius, quam nudauit, expolians se veterem hominem:Reliquit vestimenta Ioseph,& nudauit adulteræ in verecundiam, quæ diu latere non potuit, quibus habet similia *Clem. Alex.7. Stromatum*, vbi ait: Ei se exuit per vim teneri tunicam, vt qui à E peccato quidem fuerat nudatus, honestatis autem & temperantiæ ornamentum induerit.Multa etiā hac de re habet *Chrysost.hom.62.in Genes.* Videre, inquit, erat admirabilem iuuenem nudum quidē corporis vestibus exire, sed pretiosis continentiæ pulchræ vestimentis indutum, & quasi ab incendio illæsum fugere,nec solum non adustum,sed multo etiam clariorem, ac splendidiorem factum.

Vides

Vides itaque victorem fugientem, & spolia in manibus inimicæ reliquisse dum triumphat, quòd contra victoriæ ordinem videtur esse, sed veterem meditare exuisse hominem, & tenouatam aliquam dum nouis pennis auolat dominæ laqueos effugit, & euincit, & nouum induit, qui secũdum Deum creatus est, & veluti operientem consideta, relicto pallio, turpitudinem dominæ, quæ mentem nudauerat, dum procaciter ipsum allicit, vel tandem reputa in sano incursui luxuriæ pallium obiecisset, vt fieri solet tauro cornupetæ, ne fugientem Iosephum deinceps persequi posset, dum non videt, vnde sibi liquido constabit castitatis victoriam in fuga, & euitatione congressus consistere. Pro qua re videndus *D. Paulinus tom. 3. bibliot. Epist. 2.* vbi ait. Vinci videtur in sæculo cui tunicam suam alter abstulerit; at in Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium. Vincamur corpore, vt vincamus salute, meminerimus esse nos membra eius, qui vicit cùm iudicatus est, qui cedendo superauit. Hunc Dominum vocantem sequamur, qui nos doceat cedendo vincere.

Videndus hac de re *Philo lib. 2. allegor.* post principium, vbi in hoc sensu interpretatur fugam Iacobi è domo Labani,

Gen. 31. num. 18. Gen. 31. n. 18. Iacob ait, supplantator compendiariis artibus virtutem adeptus sine puluere, alioquin non vocandus Israël, mutato nomine, fugit Labani negotia, idest, colores, figuras, & in vniuersum corpora, quorum natura est, vt mentem per sensibilia vulnerent, nam quia conflictando non poterat ea deuincere, modò vincat, mauult fugere. Laudandus sanè hoc nomine cautos enim, vt inquit Moyses, faciet filios philosophiæ, non audaces, & rerum à se minus pertinentium cupidos. Noluit, inquit, aperire Iacob, Labani Syro quod fugerat, & fugit tam ipse quam omnia, quæ iuris sui erant, si pulchritudine conspecta captus periclitaris, ne offendas ad eam, fuge etiam ab eius imaginatione, vnde amplius menti renuntians, hoc est, caue mediteris eam, & cogitatione reperas, nam continuè reminiscentiæ veras formas imprimẽdo lædunt mentem, & inuitam conciant. Atque eadem ratio sensuum omnium, quicunque nos attrahunt: in his enim clancularia fuga saluti esse solet, cunctatio vero, inuocatio, dilatióque superat rationem, & in seruitutem redigit. Quapropter caue animа ne vnquam tem sensibilem, à qua periculum imminet, tibi ipsam renunties, néve retractes eam, ne forte succumbens ei reddaris infelicissimus, fuge potius manu mittens te ipse, libertatem ferocẽ, seruituti mansuetæ præferens. Sed cur nunc, quasi Iacob nesciret Labanem Syrum esse loquitur sic? Noluit Iacob aperire Labani Syro. Habet id quoque rationem non prætereundam obiter, Syria sublimis interpretatur, itaque Iacob mens exercita cum videt affectum humilẽ, non cedit reputãs fore vt vincat egregiè, quando verè videt sublimem, & erecta ceruice tumidum, aut fugit primum ipse, mox singula eius exercitia, lectiones, meditationes, curationes, rerum honestarum memoria, continentia officia, atque ita traiicit rerum sensibilium fluuium; qui inundat, & mergit vi affectuum animam, quo traiecto, pergit ad altam, ac sublimem rationem perfectæ virtutis. Perrexit enim ad montem Galaad, qui interpretatur, migratio testimonij. Similia habet *Hieron. lib. 1. cont. Iouin.* vbi ait. *Animaduertenda est Apostoli prudentia, non dixit bonum est vxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere. 1. Cor. 7. quasi & in tactu periculum sit, quod qui illam tetigerit, non euadat, nempe, quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit adolescentium euolare corda, alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? Aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit? Quomodo igitur, qui ignem tetigerit, statim aduritur, ita viri tactus, & fæmina sentit naturam suam, & diuersitatem sensus intelligit. Narrant, & gentilii fabulæ Mythram, & Ericthonium, vel in lapide, vel in terra de solo æstu libidinis esse generatos. Vnde, & videtur Ioseph, quia tangere volebat eum Ægyptia, fugit è manibus eius, & quasi ad morsum rabidissima carnis, ne paulatim virus serperet, pallium, quod tetigerat abiecit.* Hæc Hier. Cui addendus *Chrysost. homil. de Ioseph vendito*, vbi ita habet. *Habe mulier detestanda vestimenta, quæ tenes: habe exuuias, quas in argumentum defensionis falsè tulisti, habe apud te testimonium pudici victoris, confinge falsas calumnias, ne te marito persuade, conscientiam tuam non fallis qua superatam te ab innocente cognoscis: latabatur interea Ioseph pudicitia perfecisse bella, peregisse castitatis prælium, pugnam innocentia superasse, in qua pugna lasciuia vincitur, calcatur petulãtia, omnis impudicitia detruncatur, triumphat castitas, integritas gaudet, victrix innocentia collatatur.* Tantum Chrysostom. cuius verba nostrorum

institutum conficiunt, dum fugientem Ioseph, triumphasse asserunt, & deuicisse prædicant. Sicut autem solent victores hostium signa, & vexilla per terram trahenda detrahere, & propria signa in victoriæ symbolum affigere in murorum compitibus, & collocare in turrium verticibus, sic etiam & victor Ioseph pallium suum, velut vexillum, & symbolum innocentiæ, castitatisque triumphalis in manibus dominæ fugiendo reliquit, sed deuincendo collocauit.

Prosequitur hoc ipsum argumentum idem *Chrysost. sequenti homil. de continentia Ioseph.* Argumenti verò assumptum medium est sanctus Iob dum ait. *Iob. 31. num. 1.* *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, qui tamen ad diaboli incursus, & infestissimos ictus immobilis, vt columna perstitit. Quis non admiraretur, inquit *Chrysost.* & obstupesceret vidés virum hunc cum diabolo quidem viriliter certare, & omnes maligni machinas vincere, virginitatis autem faciem fugere, & à formosæ puellæ aspectu oculos subducere, diabolum quidem videns accedentem non fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens: virgine autem visa, non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim secessit. Censebat nimirum in prælio contra dæmones, virili, & audaci animo, incontinentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine, sed secessu. Sic ille. Eduxerunt Angeli Loth ex Sodomorum ciuitate, eductum verò, sic sunt allocuti: *Gen. 19. num. 17.* Salua animam tuam. Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione. Et deinde: Festina, & saluare ibi, debemus enim fugere regionem, & occasionem incontinentię, nec ad relictas post peccatum occasiones mentis oculos conuertere, nec prope consistere, aut stare in omni circa regione, gloriosa etenim est fuga, fugere scilicet, à peccato, & eius facie, ac similitudine, sicut dixit: *Ambros. lib. de fuga sæculi, cap. 4.*

Videndi sunt pro hoc argumento *Chrysostom. homil. in exilium Adæ, & de prauis mulieribus, & orat. eiusdem de muliere, & pulchritudine, & homil. 15.* ex variis plura habet *Ioann. Cassian. de spiritu fornicationis præsertim, cap. 1. 2. 3. 5. 6. 9. 12. 13. 15. 17. 19. & 23. & collat. 12. de castitate, maximè cap. 3. vsque ad 8. & 18. Chrysostom. etiam homil. 3. ad Titum sub finem, & homil. 5. in 1. ad Thessal. & homil. 15. ad populum. Augustin. lib. de cohabitat. clericorum, & mulierum, & lib. 8. soliloq. & in lib. de fin. cleric. Ambros. lib. 1. offic. & in apolog. Dauid. lib. 1. de viduis. & lib. 2. c. 6. Bernard. Epist. 13. Hieron. Epist. ad Rusticum, & Epist. ad Nepotianū* ibi. Hospitium tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant, &c. & in *Epist. ad Matrem, & cont. Iouin.* ibi. Vxorem pauperem alere difficile est, diuitem ferre tormentum. *Hugo de sancto Victore libello ad socium volentem nubere*: qui omnes ostendunt victoriam in fugiendis luxuriæ congressibus, tractibus, & aspectibus. Accedés olim Abimelech ad turrim, in quam confugerant mulieres, pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur, dum verò propius accedit. Ecce vna mulier fragmentum molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. *Iudith 9. num. 53.* Minimè vtrique confregisset, & occidisset, nisi iusto propius accederet, vnde *Hieron.* monens nos fugiendas fœminas *Epistol. 47.* ait. Quis vnquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certè solicitat, securius est perire non posse, quam iuxta periculum non periisse, in altero tranquillitas est, in altero gubernatio. Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? *Eccl. 12. num. 13.* Voluit Abimelech ignem mulieribus applicare, quæ ab omnibus ferè hominibus ignem, flammámque ministrant, voluit veluti incantator ad serpentem accedere, sed ab eodem oppressus est, duarum iam vrbium euersor, ac triumphator: sic fortis Samson à Dalila traditur, vt ligetur, oculos amittat, illudatur, & molæ applicetur, *Iud. 16. num. 8.* sic & tegula, quam deiecit muliercula, miserè Agris, periit Pyrrhus Epirotarum Rex, teste *Plut.* Sic Hermannus Saxonum Rex cum suorum fortitudinem, & in armis industriam probare vellet, suarúmque artium vnam ignoto cultu oppugnaret, graui à fœmina deturbato saxo miserandum in modum interficitur apud *Auentinum, lib. 5.* Sic Boëmundum, seu Baiamontem, Terpolum, vt narrat *Petrus Marcellus lib. de vitis, & gestis Venetorum, pag. 45.* Factiosè prætorium, principatúmque inuadentem vna lapidem intorquens è tecto mulier sauciauit: & orbis terror, Dei flagellum Attila, nonne à muliere cultro percussus est, vt ait *Marcellinus*? Quod si imbecilles fœminæ, instrumentis assumptis, ausæ sunt fortissimos Reges, Duces virósq; petere, & occidere; quomodo non occidant fortissimæ pulchritu

pulchritudinis scilicet oculorum, vocis, ac gesticulationis virulentis telis, vsque ad præcordia penetrantibus. De quibus victoriam minimè reportare quis poterit, nisi procul aufugiat, & quam longissimè abscedat.

Quoniam verò mysticè Abimelech interitus hoc nobis ob oculos proponebat, cum appropinquans turri à muliere læthaliter percutitur, dum ipse saxo à fœmina intorto, mori se indolet, accitóq; confestim puero suo armigero, illi dixit. Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur quod à fœmina interfectus sim, qui iussa perficiens interfecit eum, tamen Deo sic disponere, obtinere nequiuit, neq; quia væcors noluit à fœmina dici interfectus, ideo dictus non est, imo verò semper dixere, memorauere, ac cecinere omnes, & nunc porrò dicunt, in serámque posteritatem omnes dicent, quia per manus mulieris interiit: testis post plures mortis huius annos Ioab dum declamat.

2.Reg.11. num.21. Quis percussit Abimelech filiū Ierobaal? non armiger, non hostis, non vir, sed mulier interfecit eum, voluit enim Deus, non solum, vt minime consequeretur impius id, quod in morte quæsiuit honoris, & solatij, sed insuper, vt nobis miser eius interitus à muliere illatus inculcaretur, ne propius eis scilicet fœminis, velimus accedere, sed citatissimo cursu ab ipsarum incursibus aufugere, si de eis volumus victoriam adipisci.

Et fortè hæc est fortitudo, quam datam sibi gloriatur Propheta, ad fugiendos scilicet luxuriæ congressus, cum ait Deus,

Psal. 17. num. 33. qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, seu, vt alij legunt fugam meam, induit vtique me fortitudine, vt vincere facilè possem, idque fecit dū operatus est, vt immaculata esset, imò & gloriosa fuga mea, iuxta illud Pauli: Fugite fornicationem, quod etiam explicant alij, qui legunt, Complanauit viam meam, vt neque impedita esset, neque

1. Cor.6. num. 18. implicata, vt absque offendiculo possem fugere; deinde etiā perfecit pedes meos, tanquam ceruorum, vbi *Hieronym.* & habetur in *2.Reg.ca.22.num.*34. Coæquans

2. Reg. 22. n.34. pedes meos ceruis, & super excelsa statuens me, quem versum Abacuc videtur

Abac.3. num. 19. transcripsisse, cum ait. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor, in psalmis canentem, vbi vides Deum actiuè prædicari fortem, dum talem reddidit eum, cui pedes celeres ad

A fugam tribuit, & tribuendo victorem reddidit super excelsa, quæ confugiendo conscendetat, etenim sicut dixit *Euthym.* ad prædicta verba. Cerui cum fugiunt venatores, in excelsos montes properant, & ibi tuti consistunt, atque à timore liberi, victoriámque tunc temporis videntur de venatoribus reportare: ad hunc igitur modum se fortem, à Deo redditum gratulatur Dauid, & victoriam prædicat dum celetem se dicit in fuga, & conscendentem excelsa.

B Mirabitur verò quis fortitudinem, cum videat adiunctam fugæ in nostro argumento, idque contestatum asseramus in Dauide, cum militi & probrum sit, & capitale fugere, vt patet *ff. de re milit. l.* 49. & atrocem censeat calumniam *lex salica titu.*33. §.4. si quemuis leporem clamauerit; sed is audiat *August. serm.*250. *de tep.* in hæc verba. Contra libidinis impetum apprehēde fugā, si vis obtinere victoriam, tibi verecundia non sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere, in-

C digna, & inhonesta familiaritas fugienda est. Audiat insuper & *Ambr. l. de fuga seculi c.*4. cum ait: Persequuntur nos peccatorum illecebræ, persequitur libido; sed tu fuge tanquam furiosam dominā, quæ si comprehenderit, nec die, nec nocte requiescere sinit, exagitat, vrit, incendit. Audiat *Greg. l.*4. *dialog. cap.*11. vbi refert de sancto illo presbytero, qui cum in extremo esset periculo fœminam ad se prope accedentem hisce repulit verbis; Recede à me mulier adhuc igniculus viuit: pa-

D leam tolle. Audiat *& Ephram de recta viuendi ratione*, vbi docet libidinem velut feram, facemve ardētem fugiendam esse. Audiat *& Bedam, glossámque in cap.9. Actuum n.*25. interpretantem fugam Pauli submissi per murum nocte à discipulis sporta, quæ ex palmis contexitur, palma vero victoribus, & triumphum agentibus conceditur, quo videbatur protendere fugam aliquando futuram triumphātem, & victricem, quem sensum mutuati sunt ab Aratore, qui prior carmine in morali, & *Actor. 9. num. 25.*

E allegorico sic lusit.

Sporta solet texi iuncis, palmisque vicissim.
Tegmina dat Saulo retinens in ore figuram.
Ecclesiæ nam iuncus aquis, & palma coronis
Semper inest.

Fit itaque quis victor in luxuriæ certamine, & currum libidinis subuertit, dum terga

terga ipsi vertit, possétque quilibet nostrum, cum Antigono hosti aliquando cedente, tergáque vertente dicere teste *Manutio in apophthegm. lib.* 5. se nō fugere, sed vtilitatem à tergo sitam persequi, vt comprehendat, & super excelsa deducatur victor, & in psalmis canat Domino gloriosè, cum currum Pharaonis, & electum principem submersum videt, vel duritie vestium, vel cibi, potúsque parcitate, ac ieiunio, vel tandem fuga arrepta.

ANNOTAT. X.

Proponitur triumphus de secundo auaritiæ curru.

ADest iam oppositus auaritiæ currus paupertatis, cuius in primis magnanimitatem victricem videbimus de auaritiæ pusillanimitate, si legamus apud *Bernard. serm.* 21. *in Cant.* tunc Christum
Ioan. 12. Dominum omnia ad se traxisse, cum exal-
num. 32. tatus à terra, omnia relinquens, vel etiam vestimenta, secum solam derulit paupertatem omnia despicientem, tunc enim omnibus maxime dominari visus est, cum eadem pauper contempsit, & omnibus penitus exutus ascendit crucem, idem igitur ait *Bernard.* esse commune omnibus illis, quibus omnia non solum adiiciuntur, sed etiam subiiciuntur si modo terrenis rebus spoliati, ac super illas altius præ animi magnitudine eleuati fuerint, quod eleganter dixit *Nazianz. in apolog.* cum ait. Paupertatem, & inopiam exprobrabunt, at istæ sunt diuitiæ meæ, hæc me non solum gloriantem, sed arrogantem facit, videntur enim mihi inimici, dum hoc obiiciunt, id obiicere, quod vestigiis illius incedam, qui propter nos inops factus est, cum esset diues, atque vtinam exuere me possem paniculis istis, quibus circundari videor, similiáque habet *oratione* 24.

In quam sententiam interpretatur *An-*
2. *Cor.* 6. *selm.* illa verba Pauli: *Nihil habentes, &*
num. 10. *omnia possidentes. Estote,* inquit, *tanquam nihil habentes, id est, mentis despectu cuncta, quæ habetis, pro nihilo ducentes, vt tali cogitatione situ omnia possidentes, quia tunc mens vestra per hæc non tenebitur in imis;* quibus verbis apertè asserit animum pauperem, velut nobilem, & præcellentem infimis rebus, quas despicit, ipsomet contemptu dominari, quod difficile non erit, si expendat minimam earum entitatem, quam bene exposuit *August. 1. de ciuitate c.* 8. cum ait. *Si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus.* Vnde *Chrysolog.* dixit *ser.* 22. Non potest omnibus dominari (vt magnanimus) nisi is, qui propriis non tenetur, & *Clemens Alex.* 2. *pædag. cap.* 3. ait. Veræ diuitiæ sunt paupertas diuitiarum, & vera animi magnitudo est non propter diuitias sibi placere, & magnos spiritus sumere, sed eas despicere, & *Clim. grad.* 17. affirmat pauperem Monachum dominum esse mundi, & quia iactauit in Deum curam suam, possidere per fidem omnes gentes in seruos, additque pauperem Dei famulum omnia, quæ habet, aut habere potest, reputare, quasi non sint, & si recedere contingat, æstimare vt stercora. Et *Bernard. serm.* 4. *de aduentu* ait. Videmus pauperes aliquot, qui si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes inuenirentur, & tristes, vtpote Reges, & Reges cæli, sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.

Facit & præsenti argumento id, quod sic obiicit *Chrysost. tom.* 5. *homil.* 5. cuius titulus est, *quod nemo læditur nisi à seipso.* Paupertas inquit, difficile negotium, interdum enim, & blasphemare cogit homines per penuriam, & multa inhonesta, & indigna committere, cui obiectioni satisfaciens ait. Non paupertas, sed pusillanimitas facit, nam & Lazarus pauper fuit, valde pauper, cuius paupertati addebatur etiā ægritudo, & ægritudo amarissima, quæ ipsam paupertatem redderet ditiorem, erat his malis aliquid amplius vicinitas diuitis epulantis luxuriosè, hæc omnia tamē magnanimitas pauperis, velut superior pertulit, & ideo sicut magnates, & proceres in domibus regiis ex nomine noscuntur, & vocātur, cū infimorum hominum nomina ignota penitus sint, sic in domo Dei, pauperis Lazari nomen noscitur, & scribitur, diuitis vero epulonis præteritur, & ignoratur. Notauit hoc
Caietan. in historia de diuite, & paupere *Luc.* 16.
Lazaro. Apud mundanos, inquit, diuitum nomina sciuntur, cum de eis verba fiunt, pauperum vero nomina, nec sciuntur, nec si sciantur, digna existimantur propria appellatione, sed si de aliquo eorū sermo accidit dicitur, quidam pauper: totum oppositum est secundum ordinem spiritus, & propterea diues appellatur, homo quidam.

quidam, pauper autem appellatur nominatim Lazarus, magnus vtique apud Dominum, & scitur, & scribitur ab Euangelista, vnde etiam, & more magnatorum post vitæ discessum portatur, quãdo enim quis ex principibus viris è vita discedit, non quilibet portitores accedunt ad portandum feretrum, sed proceres, nobiliores, & excellentiores ad id muneris eliguntur, vide nunc quid Euangelista dicat:

Luc. 16. num. 22. *Factum est*, inquit, *vt moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, quis vero ignoret nobiliores in domo Dei esse Angelos, qui portitores Lazari asseruntur? Addit vero *Chrysost. homil. 5. in Lucam.* portabatur ab Angelis, ne saltem ambulans laboraret, portabatur ab Angelis, non suffecerat ad portandum pauperem vnus Angelus, sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant, gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauatur, &c. Videndus item pro nostro argumento idem *Chrys. hom. 2. ad popul.* cum magnanimitatem Eliæ ex paupertate, & rerum omnium contemptu in hunc modum probat. Dic mihi quid Elia pauperius? sed propterea omnes diuites vincebat, quoniam pauper hic erat, ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit, quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putauit inferiorem, nec Philosophia sua dignam, ideo tantam paupertatem amplexatus est.

Videndus *August. serm. 22* vbi ait: Pauper es, diues es, onus illius, non pauperis est. Quod si ex effectis pretia rerum æstimanda sunt, satis idem confirmauit Paulus eum dixit.

Actor. 3. num. 6. *Aurum, & argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do*, si aurum non habuit, sanitatem dedit, surge, & ambula, non potuit sustinere iussionem pauperis Regibus dominans, pauperis imperium natura nõ pertulit, ille enim claudus erat ex vtero matris, debilitas itaque quam ei inuexerat natura, vi paupertatis iubentis exclusa est, quid enim potenti paupertati non cedat, quæ rebus omnibus sæculi cedit, diues attamen remanendo? quod prosequitur *Augustin. serm. 110. de tempore*, cum ait. Esto verus pauper, Lazarus pauper fuit, sed is in cuius sinu leuatus, diues fuit, & tamen diues pauper fuit, Abraham scilicet, non enim arca sine nummis, sed animus pauperem reddit, & diuitem simul facit.

Vnde *Gregor. Epist. 5.* ait. Nihil in hoc

A mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita vt in me pene impletum credere, quod, pollicẽte Domino, ex Isaia dicitur: *Sustollam te super altitudines terræ*, super enim altitudinem terræ sustollitur, qui & ipsa, quæ alta, & gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat, similiáque habet *homil. 18. in Ezech.* videndus item est pro hac re *Chrysostom. homil. 53. in Ioan.* cum ponderat ea verba Christi Domini. *A diebus Ioannis regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud*, ponitque vim, & violentiam in eo, quod robusta, & generosa (vt appellat) anima dispergat omnia, quæ habet in manibus, vt cælestia capere possit, nihil vero bonis cælestibus comprehendendis violentius, & efficacius reperiri potest, quam manus terrenis rebus vacuæ, & expeditæ. Isai. 58. num. 14. Matth. 11. n. 12.

B

Probat denique magnanimitatem paupertatis id, quod *D. Thom. de Christo Domino* ait. *3. p. q. 7. art. 2. ad 3.* habuisse scilicet summum gradum magnificentiæ: magnificentia enim maxime cernitur, & commendatur circa diuitias in quantum aliquis non adeo eas appretiatur, quod velit eas retinere prætermittẽdo id, quod fieri oportet, ille autem minime diuitias appretiatur, qui penitus eas contemnit, & abiicit propter perfectionis amorem, & ideo in hoc ipso, quod Christus omnes diuitias contempsit, ostendit summum gradum magnificentiæ, ad cuius imitationem, qui paupertatem amplexati sunt, magnifici, & magnanimi præ paupertate dicuntur.

C

D

Et hæc videtur ratio, cur Christus Dominus pauperes dixerit dominos regni cælorum, neque enim alia quapiam re inferiori repleri, & perfici poterat ea animi magnitudo, qua omnia inferiora bona despexerat sancta paupertas, quam cælorum latitudine, & cælestibus diuitiis, vnde *Bernard. Epist. 208. ad Regem Siciliæ* ait: Suscipe pauperes tanquam adnenas, & peregrinos, veruntamen ciues Sanctorum,
E parum dixi, ciues, Reges sunt, ipsorum est enim regnum cælorum iure, & merito paupertatis, & *Epist. 103.* ait. amicitia pauperum, Regum amicos constituit, amor paupertatis, Reges, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Habet insuper, & paupertas pro mancipiis dominos Regum & magnatum, etenim auri, & argenti cupiditas, & desiderium Regibus dominatur, illis vero do-

minatur paupertas, vnde *Chryſ.hom.48.in Matth.* ait. Non indiget mancipiis paupertas, ſed habet loco ſeruorum paſſiones, habet ſeruos appetitus, qui Regibus dominantur: quid mirum ergo, ſi Chriſtus Dominus pauperes conſtituat Reges, qui Regum dominis dominantur.

Et ſi parua licet componere magnis, Ariſtides vir ſummus Athenis in tanta viuebat egeſtate, vt in attrita lacernula incederet, frigúſque, & famem ſæpe domi pateretur, quare cum Callia, quidam propinquus eius homo ditiſſimus cauſam B diceret, inter alia obiectum eſt ab accuſatoribus, quod Ariſtidem tantum hominem nō releuaret: quo reus cū iudices offenſos ex eorum admurmuratione ſenſiſſet, ipſum adiit Ariſtidem obſecrans, vt in iudicio teſtificaretur, quam multa, & quam ſæpè à ſe illi oblata fuiſſent, quibus ille ſemper remiſerat, cum diceret magis ſe ſua tenuitate, quam Calliam tantis diuitiis gloriari, nā qui pecuniam, qua abundaret, in prauos vſus conferant paſſim reperiri, qui paupertatem generoſè ferant, eſſe pauciſſimos; eſſe autem C paupertatem his tantum dedecori, qui inuiti eſſent pauperes, quæ cum Ariſtide, coram iudicibus, cum ſumma auctoritate affirmaſſet, nemo ex illo concilio, non ita diſceſſit, vt magis Ariſtidi talem inopiam, quam Calliæ ſuas opes inuideret, plura qui velit, & Romana exempla, & externa, quæ magnanimitatem in paupertate conuincunt, adeat *Valerium Maximum lib. 4. c. 3.*

Neque omittendus *Plutarch. in orat. de fortuna Alexandri.* vbi narrat Alexan- D drum dono miſiſſe Xenocrati philoſopho. 50. auri talenta, quæ Philoſophus, animo quidem tanti auri pretio excellentiori, facilè contempſit, & recuſauit, tunc *Plutarc.* ait. Xenocratem laudamus, quod dono miſſa ab Alexand. 50. talenta auri non accepit, dantem nō laudamus, an quia non à largiente, ſed potius à non accipiente contemni pecuniam putamus? Et certè plus eſt, & maioris animi indicium pecunias contemni ab eo, qui nihil ha- E ber, quam elargiri ab eo, cui multæ ſuperſunt, quod probare poſſumus ex eodem *Plutarc.* in re ſimili, námque in vita Phocionis ſic habet: in confeſſo eſt Alexandrum dono Phocioni ex Aſia centum talenta miſiſſe, his Athenas deportatis, quæſiuit ex miniſtris eius Phocion, qua de cauſa in multis Athenienſibus, tantum munus ſibi ſoli Alexander largi-

A retur? Vbi reſponderunt illi, quod te exiſtimet vnum virum bonum & honeſtum. Ergo ſinat me, inquit Phocion, talis vt habear, & ſim: ita reportata ex Athenis pecunia eſt, oſtēditque Græcis ille, locupletionem tantam ſummam dante, eſſe non indigentem eius, dum ſcilicet contempſit pecuniam, quàm incātationē hominum, & præſtigium vocat. *Chryſ. hom. 10. in primam ad Theſſ.* cum ait Incantatio quædam eſt, & præſtigium, quod aurum, & argentum tantopere a nobis honorantur, B hanc tamen (ſcilicet pecuniam) in honorē reddiderunt, & Xenocrates, & Phocion cū deſpiciunt, illa vtique eminentiores, *cui obediunt omnia* ſicut dixit *Eccleſia*. ſeu vt poteſt verti ex Hebræo, *humiliantur omnia*, quæcunque enim excelſa, & ſuprema videntur, pecuniæ cedunt, & humiliantur tanquam nobiliori. *Eccl. 10. num. 16.*

Hoc cernere eſt in Labano, qui cum vidiſſet inaures, & armillas in manibus ſororis ſuæ, venit ad virum, qui ſtabat iuxta camelos prope ſontem aquæ, dixit- C que ad eum. *Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas? preparaui domum, & locum camelis, & introduxit eum in hoſpitium, ac deſtrauit camelos, deditq; paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo.* Nobilior vtique Laban erat, filius ſcilicet Bathuelis conſobrini Abrahæ, ſed ſeruo ipſius Abrahæ, humiliatur, imo potius argento, quod viderat in auribus, & in manibus ſororis, deſtrauit camelos, vt vilis ſeruus, quia ſicut in prædicto loco, D vertunt LXX. Xixtiaria; *Argenti vilitati obediunt omnia*, attamen viliores ipſa vilitate, dum illi humiliantur. *Gen. 24. num. 30.*

Denique velut ſeruos, & ſubditos ſibi omnes habet, dum ex Hebræo transfertur; *Pecunia reſpondet omnibus*, quod ſignificat per proſopopęam omnia pecuniæ inſeruire, & neceſſaria ab ea poſtulare, illamque velut dominam, omnia alia exaudire, eiſque reſpondere iuxta illud Oſeæ, vbi ait Deus. *Erit in illa die exaudiam cœlos, & illi exaudient terram,* *Oſeæ 2. num. 21.* E *& terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezraël*, quorum verborum ſenſus eſt. Faciam, quod cupiunt cœli, dando ipſis imbrium copiam, cœli hos imbres communicabunt terræ, quæ illos exoptat, & efflagitat, terra deſiderio, & petitioni tritici, vini, & olei annuet, & reſpondebit, vt enaſcantur, & proueniant: hæc implebunt vbertate Iezraël ſegete, fructúque ditiore, quò fiet, vt

vt ſit incolarũ multitudo: ſic ergo pecunia reſpondet omnibus velut domina, à qua poſtulant, expetunt, & expectant, quęcumque ſibi neceſſaria eſſe videntur. Vnde Socrates mancipium aureum nominabat diuitem. Et *Horatius libro* 1. *Epiſtolar.* 6. ait.

Scilicet vxorem cum dote, fidémque & amicos,
Et genus, & formam, regina pecunia donat.

Et vetus adagium apud *Pindar.* in Iſthmiis hymno 2. *Vita pecunia eſt*: Et vt Heſiodus in Ergis, *anima altera*. Et Epicharmi ſententia eſt, ſibi videri aurum & argentum habere deos ipſos in miniſtros: & aperiri auro omnia, etiam ipſas inferni portas.

Quis ergo non excelſum & magnum animum prædicabit paupertatis, quæ pecuniam, aurum, & argentum, quibus omnia humiliantur, abominatur, quibus omnia obediunt, calcat, quibus omnia reſpondent, terga vertens deſpicit, & contemnit: Quis etiam non eam victricem iudicabit de puſillanimi, & vili auaritia? Quis cum expeditã paupertatem, & omnia impedimenta abiicientem contempletur, non ſtatim illius triumphum anto congreſſum etiam decantabit: Etenim ſicut dixit *Bernard. ſerm.* 2. *in Cœna Domini*. Voluntaria paupertas, quæ ſine poſſeſſione, vel deſiderio habetur, quanto expeditior, tanto ſecurior, de victoria ſcilicet & triumpho, & ideo idem *Bernard. ſerm.* in illud. *Beatus homo, qui inuenit ſapientiam*, exhortans nos ad contemnenda ea omnia quæ impedimento eſſe poſſunt, & ſolent, ad conficiendum fęliciter hoc pręlium ait. Non ęſtimemus pretium, ſed impedimentum conſideremus.

Quod ſi quis inopiæ fortitudinẽ inexpugnabilem videre velit, legat *Chryſoſt. hom.* 2. *ad populum*, vbi acriter pugnantem cum diabolo, & de eo triumphum agentem, vili vtique, abiectóque pallio introducit Eliam Prophetam, tandémque ait. Validum telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcuſſa, cui ſi addatur ante murale Religioni, & clauſtra cœnobiorum, inexpugnabilis omnino redditur, meritóque proinde ante omnes virtutes eius victoriam, & triumphum commendat Chriſtus dominus, cum prædicationem ſuam exorſus eſt à pauperum beatitudine, magnas rerum cœlorum diuitias magnæ paupertati accommodans, cum dixit: *Beati pauperes*

A *ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Matth. 5. n. 3.

Crudelitati verò auaritiæ reſpondet in paupertate compaſſio, & benignitas, cum enim miſerias, & neceſſitates patiatur, & experiatur per omnia paupertas, neceſſariò compatitur indigentibus, & hęc videtur ratio, cur ſepultus in inferno diues, non alium expoſtularet conſolatorem, & refrigeratorem in flammis, niſi Lazarum, cum nemo minus ad opem ipſi ferendam idoneus videretur, vtpote cui ipſe egẽti, B poſtulantiq; minimè opem ferre voluiſſet, & cui vel etiam micas è menſa cadentes non tribuebat. Vnde *Aug. de ſerm.* 225. *de tempore* ait: O diues qua fronte quæris guttam, qui noluiſti porrigere micam? *Luc.* 16. *num.* 24. Deinde etiam & guttam aquæ petit, quaſi tartareus ignis tantillus ſit, vt à digito Lazari aqua intincto poſſit extingui. Sed ideò poſtulat potius Lazarũ in auxilium, dum inopia refrigerij vrgetur, reſpondebat enim illi, ſicut notauit *Greg.* 18. *moralium, cap.* 12. poſt mortem inopia tormen- C tis abundantiæ, qua in vita peccauerat, & velut pauper torquebatur, vnde potius pauperem aduocat, cuius viſcera miſericordiæ plena ſunt ex miſeriis perpeſſis, quam alium, de quo poſſit ipſe dubitare, & quando beneuolam credebat & miſericordem paupertatem non riuos poſtulat, non perennes fontes, ſed guttam iutincti digiti in aquam in linguæ refrigetium, quia nouerat paupertatem expertum Lazarum, non guttam tantum allaturum, ſed totum Oceanum effuſurum, vt D flammam, qua cruciabatur extingueret, & certè effunderet, ſi poſſet, & liceret, anima enim pauperis miſericordia plena eſt, nam ſicut dixit *D. Ambroſius ſermone* 89. & ſanctis viris ſemper diues ipſa paupertas.

Dei verò contemptui in auaritia, reſpondet Dei amor in paupertate, quę omnia propter ipſum relinquit, & nihil niſi ipſum curat, vnde cæteris virtutibus in futuro promittitur pręmium, at verò paupertatis ita ſe debitorem cenſet Deus, vt E protelare nolit ſolutionem, ſed ſtatim exhibeat ſicut notauit *Bernard. ſer.* 4. *de aduentu*, cum ait. Inde aliis virtutibus, quæ ſequuntur (ſcilicet apud *Matth. c.* 5.) promiſſio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quam datur, vnde & præſenti tempore enunciatum eſt, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, cum in cæteris dicatur: hæreditabunt, conſolabuntur, & ſimilia. Et certè *Matth.* 5. *n.* 3.

ficut *Seneca dixit Epist.* 20. Ob hoc vnum A amanda paupertas, quod à quibus ameris ostendit, nos dicere possumus paupertatem ostendere à quibus Deus magni æstimetur, & maxime diligatur; qui enim contemnit idola mundi, aurum, & argentum, quibus omnia obediunt, clarè ostendit se pluris facere verum Deum, qui præ omnibus adhærere vult.

Olim duæ tribus Ruben, scilicet, & Gad, ac dimidia tribus Manasses, Moysem precantur, vt facultatem eis tribuat remanendi ante Iordanem, & ante ingressum promissæ terræ à Deo. Terra, inquiunt quam percussit Deus in conspectu filiorum Israel, regionis vbertimæ est, ad pastum animalium, & nos serui tui habemus iumenta plurima, precamur si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facies nos transire Iordanem, vbi *Oleast.* ait: Diligebant pecudes suas, & ideo terram illis potius gratam, quam sibi desiderant. Aduertit autem *Lyranus* ibi in hac re, eos significari, qui solum congregandis fortunæ bonis, iisque seruandis omnino sunt intenti, & regionem sibi in posterum possidendam minimè curant; prius *Gregor.* 23. *moralium, cap.* 10. hanc ipsam doctrinam ex hoc loco eruerat, ait enim. Qui iumenta multa possident, Iordanem transire refugiunt quia quos multa mundi impedimenta occupant, habitationem cœlestis patriæ non requirunt: adeò enim mens, animúsque hominum rerum temporalium possessione, siue cupiditate grauatur, vt cum brutis pecudibus, quodammodo brutescat, & futuræ patriæ, terræque viuentium fontem veluti recusare videatur, miratur verò, imò inuehitur *August.* in ignauos, & solis terrenis immersos homines, qui post tot labores, multorum annorum, ita ad ipsum promissæ terræ ingressum torpent, dicente videlicet *Paulo.* Animalis homo non percipit, quæ Dei sunt, & ideò, sicut ait: *Origen. homil.* 26. *in numeros*, dum citra Iordanem campestria cócupiscunt in promissionis terræ habere hæreditatem non potuerunt. Si ergo illi, qui terrenis solum inhiant promissam terram parui pendunt, & despiciunt, ij certè, qui omnia præsentia, & temporalia contemnunt, & parui faciunt, quo melius promissam consequantur terram, hanc pluris ducunt, & æstimare comprobant, etiam ij, qui omnia sua relinquunt, & paupertatem sectantur, & dum egent, abundare reputant, quo facilius veras Dei diuitias sibi acquirant ipsum præ omnibus ducere, & plurimi facere ostendunt, vnde *Philo libr. de plantatione Noë*, pro nostro instituto sic infert. Quis potest dicere, ipse mihi solus est Deus, nisi qui nullam istarum inferiorum rerum amplectitur.

Num. 32. *num.* 4. *& seqq.* — *1. Corint. num.* 14.

Quæ etiam fuit ratio cur Filius Dei in carne hos præ omnibus prius fuerit allocutus, & consolatus dum aperiens os suum dixit. *Beati pauperes*, quod signum diuinitatis Christi putat esse *Tertull. lib.* 4. B *cont. Marcionem, cap.* 14. vbi ait. Igitur qui à consolatione pauperum, & humilium, & esurientium, & flentium exorsus est, statim se illum repræsentare gestiuit, quem demonstrauerat. *Isaia cap.* 61. Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, ad euangelizandum pauperibus misit me, & *Bernard. serm.* 5. *de omnibus Sanctis.* Verè apertum est os eius, & verè eius hæc doctrina, qui in *Apocal.* loquitur: ecce noua facio omnia, qui per Prophetã ante prædixerat. Aperiam os meum, C eructabo absconditaà constitutione mundi, quid enim tam absconditum quam paupertatem esse beatam? memoriam verò mortis in paupertate probat nullum studium ponere in rebus huius sæculi, sed omnia, vel per contemptum dimittere, vel per manus pauperum ad cælum transmittere, vt nos post mortem recipiant in æterna tabernacula, vnde *August. Psalm.* 122. qui rectas diuitias quærit pauper est, & rectè dicit, Pauper, & dolens ego sum, donec scilicet veras diuitias ac- D quiræ, ad quas non nisi post mortem deuenit, & *serm.* 227. *de tempore*: pauper beatitudinem emit mendicitate, & *Chrysostom. homil.* 52. *in Ioann.* quo vsque præsentia seruas, illa, scilicet æterna, rapere non potes.

Matt. 5. *num.* 3. — *Isaia* 61. *num.* 1. — *Apoc.* 2. *num.* 5. — *Mat.* 13. *num.* 35.

Quid igitur animo, menteque diu, ac noctu versabit ille, qui propter æternas diuitias, vel temporalia amisit, vel pauperiem æquanimiter fert, nisi mortem, cum sciat illam velut apertum mare esse, quo transmisso, ad promissam vitarum E terram ingreditur possidendam, triumphúmque de auaritia, ac de electo Pharaonis curru reportat, vt possit dicere: Electi principes eius submersi sunt in mari rubro, quomodo enim non superabit paupertas, cui factus est Deus refugium, & patrocinium? sicut Dauid ait. *Psal.* 9. vbi *Augustin.* Quantumcumque persequitur inimicus, quid nocebit eis, quorum refugium factus est Deus?

ANNO

ANNOTAT. XI.

Proponitur triumphus humilitatis de superbiæ curru.

OCcurrit nobis hoc in loco,& statim in limine præsentis argumenti humilitatis submissio, elationi superbiæ opposita, sed de eadem triumphum reportans, etenim si superbia sæuiens introducitur,mansuetissima nobis proponitur humilitas, vnde eleganter *Bernard.* notauit Christum Dominum se mitem pariter, & humilem appellasse, sic enim habet *serm. de verbis Apocalyp.* Nimirum collectaneæ sunt humilitas, & mansuetudo,in eo con-
Matt.11. fœderatæ germanius, qui dicebat: Disci-
num. 29. te à me quia mitis sum, & humilis corde: sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera, non nisi ex vera humilitate oritur, & cum vera humilitas sit ea, quam *D.Chrysostom.* depingit *homil.*33. *in Genes.* in fine: quando occasiones habet,vt extollatur quis,& seipsum humiliat, & supprimit, & modestè se gerit, quod maximè commendauit *Hieron.*
Eccl.3. *in Epistol. ad Celant.* vnde *Eccles. cap.*3.
num. 20. dixit: Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

Audiamus,hoc supposito,quid sit mansuetudo, vt inde nobis clarius innotescat quantam cum humilitate habeat conne-
Gen.26. xionem *Chrysost.* ergo *homil.*52. *in Genes.*
num. 16. Notauit mansuetudinem Isaac quando Rex Geraræ eum abegit à terra sua. Vide iusti, inquit, mansuetudinem, quomodo non superbiuit, neque videns diuinam sibi gratiam assistere, contra Regem surrexit, sed quasi vir omni patrocinio carens, & nullum auxilium expectans faciebat,quod sibi præcipiebatur,& statim illinc discessit,expendit etiam quomodo inde descendente pueri Isaac inuenerunt puteū aquæ viuentis, pro quo iterum iurgium fuit,sicut, & pro alio deinde aperto, indéque profectus fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: nihilominus ad decli-
Gen.26. nandam incolarum Geraræ inuidiā, odiá-
num. 22. que clandestina ascendit Isaac in Bersabee,quæ non inde admodum distabat. Ait ergo *Chrysost.* Nihil contendit iustus, neque obluctatur, sed etiam pastoribus cedit, hæc enim vera mansuetudo est, non quando non quis offensus mansuetè fert: sed quando quis ab his etiam,qui inferiores putantur, offenditur, cedit: sic rectè cognoscitur mansuetudo eius,qui inuadi-

A tur, nam aliàs contradiceret quis, quod mansuetudinem simulasset:quia non posset potentiæ offendentis resistere,& vt discas, quod Regi cessetit, non propter potentiam eius, sed suo more, vide quomodo idem apud pastores facit, & sicut ille dicebat, Recede à nobis, & statim accepto mandato, abcessit,ita & nunc pastoribus lædere cupientibus, & puteum sibi vendicantibus,recedit. Sic ille.

Quid ergo dum nobis mãsuetudo Isaac proponitur, nisi humilitatem eius intel-
B ligimus, qua & Regi cedit dum Deo adiuuante, illo superior est, & pastoribus non contradicit, cum posset? Vt intelligamus qualem connexionem humilitas habeat cum mansuetudine, & lenitate, quam etiam inuenies si aduertas per vel-
lus illud Gedeonis in area positum, & ro- *Iudic.6.*
re cæli madefactum intelligi humilitatem,vt videre est apud *Serar.ibi.quæst.*24.
*num.*8. iuxta illud *Isaia.* Ad quem respi- *Isaia 66.*
ciam, nisi ad pauperculum, & contritum *num.2.*
spiritu, & trementem sermones meos.
C Vbi *Vatabl.* Ad hunc autem respiciam,qui est humili, & fracto spiritu, super humiles enim descendere solet diuina gratia, vt eos totos perfundat. Per vellus igitur eo in loco potest accipi mansuetu-
do, nam in *Psalm.*89. vbi ex LXX. le- *Psal.89.*
gitur: Quoniam superuenit mansuetu- *num. 10.*
do, in Hebræo legi potest, Gez, quod
Deut. 18. *& apud Iob* 32. vellus signifi- *Deut.18.*
cat ab animalium scilicet, mansuetissi- *num.4.*
mo resectum vnde pro mansuetudine, *Iob.32.*
eiúsve symbolo accipi potest; vnde tibi *num.20.*
D constat, & mansuetudinis, & humilitatis symbolum in re vna reperiri, vt cohærentiam inter vtramque clarè percipias quam etiam videbis apud *Ambr. in orat. de obitu Theod. Imperat.* cum ait. Dilexi virum misericordem, humilem imperio corde puro, & pectore mansueto, qualem Deus amare consueuit dicens,super quem requiescam nisi supra humilem, & mansuetum? vbi semel, & iterum mansuetudo adiicitur humilitati, & humilitas subiicitur mansuetudini.

E Prosequitur hoc argumentum *Euseb. Emiss.homil.*1.*de Epiph.* dicens. Qualibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur, ac vincitur, sicut in planis littoribus sine aliquo fragore vnda consumitur, vbi enim est humilitas, ibi requies, vbi tranquillitas, ibi omnis serenitas, aurarum motus, ferociámque ventorum montium obiecta suscipiunt, vallium verò subiecta non sentiunt si qua tempestas oborta nihil

erectum, nihil sublime, nihil oppositum inuenit, vbi allidat impetum suum, si quid ex aduerso irruerit, totum post se humiliata fronte transmittit: sic itaque humilis, & mitis corde Christus seruator, cum tempestas itruit suppliciorum, velut mansuetus agnus non aperuit os suum, sic & mansueta humilitas sæuienti humiliatati dum cedit, antecellit, dum subiicitur, victrix superpooitur.

Si autem velis, & patientiam huius virtutis audire oppositam impatientiæ superbiæ, lege *Bernard. Epist.* 87. cum ait. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis: nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi, & cum humilis infra omnes sit, necessario patientissimus erit, vnde

Philip. 3. *num.* 21. *Paulus* corpus multis suppliciis contusum, & tormentis versatum appellat, corpus humilitatis nostræ, sic enim proprium est humilitatis cruciatus perpeti, & tormenta sustinere. Et cùm Christum Dominum nobis proponit contumeliis, & cruciatibus affectum, dicit seipsum humiliasse vsque ad mortem. *Philip.* 2. *num.* 8.

Nec est quod in Christi humilitate notam quis impatientiæ alicuius, vel minoris patientiæ, velit ausu temerario incurrere, ex eo quod non semper tacuerit, sed aliquādo adiuratus responderit, hæc enim in re maiorem professus est humilitatem, & patientiam, sicut prosequitur *Chrysost. homil.* 86. *in Matth.* vbi inter alia ait. *Paucissima quadam loquitur, & rarius respondens, ne perpetuo silentio superbus videretur. Pontifici enim quando adiurauit, & interroganti nonnunquam Præsidi: ad obiecta verò crimina, quoniam minimè se persuasurum sciebat, nihil omnino respondit, mirabatur autem de his Pilatus. Erat quippe admiratione dignissimum, tanta cum humilitate, ac taciturnitate videre adstantem illum, qui mille, permanifestissimaq; haberet argumenta, cum sanè nec ipsi accusatores vllius ei criminis conscij fuerint, sed inuidia sola mouerentur.* Hæc Chrysost.

Videre etiam est hanc patientiam in humilitate Pauli, eò enim vsque peruenit, vt in laboribus glorietur, & in persecutionibus omne gaudium existimet, tūc verò dicit habere humilitatem, sic enim ait. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi, quam virtutem existimat *Bernard. de gradibus humilitatis*, esse humilitatem, hanc enim ita sibi peculiariter vēdicauit Christus Dominus, vt virtus eius dici posset, *2. Corin.* 12. *n.* 8.

A & tanta abundauit patientia, vt gloriari faciat in infirmitatibus, & laboribus. Qua in re aperta cernitur humilitas victoria per patientiam comparata desæuiente superbia, quod rectè prosequitur *Chrysost. hom.* 85. *in Matth.* vbi ait: In bellis ostensio prælij est si miles occiderit, hæc apud nos clarissima est victoria, nullibi certè malè agentes, & vbique mala sufferentes superamus: illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superasti, cumque oppositam exteriori victoriæ natura B habeat, quod maximæ virtutis argumentum est a Deo esse demonstratur. Sic scopuli fluctibus cæsi facilè ipsos dissoluunt, sic Sancti omnes præconio præclaro coronati, præclara trophæa statuerunt, hanc victoriam laboris expertem consecuti: non enim luctari te, aut laborare oportet. Deus eas tibi vires concessit, vt non consertione manuum, sed patientia vincas: non exeas igitur in prælium, & vicisti; non colluctaris & coronatus es, multo tu præstantior, & fortior aduersario es, &c. C ex quibus triumphus patet humilitatis patientis desæuiere superbia.

Sed iam superbiæ audaciæ opponamus modestiam humilitatis minima de se sentientem, quæ in re adæquat sine dubio eos, qui magna sunt operati, sicut prosequitur *Chrysost homil.* 3. *in Matth.* Vbi ait. Quanto maiora fecerimus, tanto de nobis minora dicamus: minimum de se sensisse tam magnum est, quam maximas res fecisse: si bona tua vis magna facere, noli ea magna putare, aliter enim magna D esse non possunt: nihil sic est amicum Deo, quam si quis se minimis adnumeret, hoc est caput totius philosophiæ, atque fastigium. Sic ille.

Hanc igitur humilitatis modestiam videre est in primis apud Petrum, vbi humiles, & modestos coniungit. 1. *Epist. c.* 3. *1. Pet.* 3. *num.* 8. Videre etiam possumus in Abrahamo dum dixit ad Loth: Ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & *Gen.* 13. *num.* 8. pastores tuos, fratres enim sumus: Ecce vniuersa terra coram te est, super quæ E verba sic ait *Chrys. hom.* 33. Vide insignem modestiam, vide sublimem philosophiam: ætate & dignitate senior, iuuenem fratris filium, fratrem appellat, nihilque minus illi, quam sibi tribuit. Ista est vera humilitas quam eximius ille vir declarauit erga eum, qui multo se fuit inferior, non solum ob virtutis rationem, sed propter ætatem, & alia omnia. Cogita enim quod senex iuueni cessit, & patruus nepoti, & qui

qui tantam à Deo sortitus gratiam, ei qui in nullo magnum aliquod specimen præbuit, & ea, quæ oportebat illum dicere, vt iuuenem ad senem ætate & dignitate & patruum, ille Patriarcha ad iuuenem dicebat: non est enim humilitas facere quod necessitate debes, vel cogeris. Hoc inquam, non est modestiæ, sed debiti: vera autem modestia est, quando cedimus his, qui nobis videntur esse minores, & eos veneramur, qui nobis videntur esse magis indigni quam nos. Quod si rectè sapimus nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur, sed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus: illud autem vos rogauerim, vt imitatores sitis Patriarchæ & nunquam concupiscatis primatus, sed obtemperate beato Paulo dicenti: Honore alius alium præue-
Rom. 12. nientes, & date operam vt in omnibus
num. 10. humiliemini, hoc est enim primatum habere sicut & Christus dixit, Qui se humi-
Luc. 14. liat, exaltabitur. Quid illi par fuerit, vel
num. 11. æquale, quando per ea, in quibus aliis ce-
& *c.* 18. dimus, ipsi maiori fruimur honore? & per
num. 14. quæ alios veneramur, ipsi in summum honorem euehimur? Sic ille, & in nostram doctrinam, & in commendationem modestæ humilitatis Abrahæ.

Hanc etiam possumus cernere in Dauide, cum tantam seruauit modestiam erga Saulem, vt & eum Regem fateretur, se autem canem, imo non solum canem, sed canem mortuum, neque ausus est tangere Saulem sibi infestissimum, & tantum-
1. *Reg.* modo illi dixit: *Quem persequeris Rex*
24. *n.* 15. *Israel? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum?* Quæ verba expendens *August.* ait. Dauid tantam humilitatem seruauit erga Saulem, vt se fateretur canem mortuum, qui nec latratum edebat nullis illum maledictis insectabatur, nullis conuiciis impetebat, & suadentibus viris, ac militibus suis, vt Saulem in spelunca interficeret, vbi illum Deus in manus vide-
1. *Reg.* batur tradidisse, dixit: *Propitius sit mihi*
24. *nu.* 7. *Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum.* In Dominum totius vniuersi manus miserunt impij, vincientes eum in horto, sed humilis Dauid eum appellat Dominum, qui nec seruus esse meruerat, quique illi inimicissimus erat, & è domo sua sagitta iaculata ipsum eiecerat, seque appellat pulicem vnum, eum aduersarium appellat Christū Domini, patrem denique vocat quem infensum experiebatur hostem. Necdum audierat *Bernard. serm.* 37.
A *in Cantic.* vbi ait. Comparare te noli maioribus, noli minoribus, noli alicui, noli vni, recumbe in nouissimo loco, vt solus, videlicet, omnium nouissimus sedeas, téque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. Nondum legerat *Greg. hom.* 40. *in Euangelia* dicentem, tanto necesse est, vt omnibus te humiliare debeas, quanto quis sit ipse ignoras. Nondum viderat sic docentem *Chrysost. homil.* 38. *ad populum.* Propterea maximè debes humiliari, quod plu-
B ribus donis præditus es: oportet humiliari, quod alios prætergressus in re Deus inclinauit. Sed iam diuinitus didicerat, & sciebat non comparari maioribus cum se canem dicit, non minoribus cum se pulicem fatetur, nulli tandem cum omnibus viuentibus se dicit ignobiliorem, canem mortuum se appellando: iam didicerat, & callebat Christianam infantiam, quo titulo Christus Dominus humilitatem docere dignatus est dicens. *Quicun-* *Matt.* 18.
que humiliauerit se sicut paruulus iste, hic *num.* 4.
C *est maior in regno cælorum*: quæ verba sic exponit *Diuus Ambros. serm.* 53. Christiana infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat, etiam pro inimicis orat, auferentibus tunicam relinquit & pallium, verberanti maxillam, præbet aliam, nisi quod in hoc melior est Christiana infantia, quam naturæ; illa enim peccare nescit, ista contemnit, illa per infirmitatem innocens est, ista est innocens per virtutem, atque ideo laudi magis ascribendum est,
D non tam mala facere posse, quam nolle. Magistrum imitatus, vt solet *August. lib.* 8. *confess. cap.* 2. de Victorini conuersione ait. Non erubuit esse puer Christi tui, & infans fontis tui, subiecto collo ad humilitatis iugum, & edomita fronte ad crucis opprobrium, &c. Plura, qui de hac infantia velit, legat *Clementem Alex.* 1. *pædag. cap.* 8.

Et vt ad institutum reuertamur, dum Dauid hāc Christianam infantiam in sua humilitate exercet, totam itidem Chri-
E stianam disciplinam, & perfectionem profitetur, sic enim humilitatem appellat *D. August. lib. de virginib. cap.* 3. cuius licet fuerit primus doctor Christus Dominus, vt idem *August.* ait. *Eodem lib. cap.* 31. iam internè docuerat idem Filius Dei Dauidem in corde, nec mirum, quippe factus fuerat secundum cor Dei.

Denique ipse humilitatis assertor tantam modestiam, & subiectionem seruauit, vt

vt de eo dicat Euangelista, *erat subditus* A
Luc. 2. *illis*, quæ verba expendens *Bernard. hom.* 1.
num. 51. *de laudib. virg.* ait. Quis? Quibus? Deus,
hominibus: Deus inquam, cui Angeli subditi
sunt, cui principatus, & potestates
obediunt, subditus erat Mariæ, non tantum
Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam.
Mirare ergo vtrumlibet, & elige
quid amplius mireris siue filij benignissimam
dignationem, siue matris excellentissimam
dignitatem, vtrinque stupor,
vtrinque miraculum, & quod Deus fœminæ
obtemperet, humilitas absque exem- B
plo, & quod Deo fœmina principetur, humilitas
sine socio.

Exod. 34. Quod si humilis Moyses, qui prius so-
num. 29. lus *ignorabat, quod cornuta esset facies sua
ex consortio sermonis Domini.* quod forte
per periphrasim explicauit Tygurina cum
ait: *Moyses autem nesciebat quod radios iacularetur
cutis faciei eius ex colloquio diuino*,
quasi modestia Moysis dum solus
ignorat claritatem suam in omnium corda
iacularetur sagittas amoris; quis enim
non diligeret tam modestum, & humilem C
virum? etenim sicut dixit *Bernad. ser.* 13.
in Cantic. Magna, & rara virtus, vt magna
licet operantem, magnum te nescias, &
manifestam omnibus, tuam te solum late-
Exod. 34. re sanctitatē, is inquam, præ singulari sua
num. 33. modestia, & humilitate posuit velamen
super faciem suam, quod splendorem, &
nitorem faciei occuleret.

Hoc tamen longè superans verus Moyses
Christus Dominus, humilitatis, &
amator, & doctor sub accidentium tegmine,
& corpus, & sanguinem, & diuinitatem D
nobis tribuit in sacratissima Eucharistia,
quod totum humilitati Christi seruatoris
tribuit *Augustin. serm.* 127. *de tempore*, vbi
ait. Vnde autem commendauit Dominus
corpus, & sanguinem suum? Vnde nisi de
humilitate sua? Nisi enim esset humilis
nec manducaretur, nec biberetur, quis
enim ad eum posset accedere, qui lucem
habitat inaccessibilem, & in sole posuit
tabernaculum suum, nisi is, qui Diuinitatem
velauit corpore, ipsum etiam gloriosum
corpus humilis dignaretur tegere E
panis, ac vini pallio? Quo nobis & indicibilis
apparet modestia, & mirificas amoris
sagittas clarius iacularetur, dum
ipsum inuenimus sub vestimentis cibi, ac
potus, sine quibus in vita consistere non
valemus.

Sola restat proponenda verecundia humilitatis
opposita impudicitiæ superbiæ,
illam igitur videre licet in Dauide, cui
cum multa, & magna pro se, & pro filio
Salomone larga manu Deus promitteret,
velut pudore suffusus, & humilitate depressus
ait. *Quis sum ego, Domine Deus, &* 2. Reg. 7.
quæ domus mea, quia adduxisti me huc- num. 16.
*usque? Sed & hoc parum visum est in conspectu
tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam
de domo serui tui in longinquum?* Erubuit
sanè dum magna supra se minimum descendere
reperit, & dum paruitatem suam
ad magnitudinem Dei modestus metitur,
de excessu admiratus ait. *Quis ego
sum Domine?* Integram hac de re fecit
homiliam *D. Chrysost. tom.* 1. & inter alia
ait. Quam suaue est, quam dulce in auditione
veræ confessionis, vt diceret se minimum
in tribu sua: non erubuit quod
erat, vt esset quod non erat, sed tunc erubuit,
cum magna composuit sibi paruulo,
& se contulit cum magnis Dei beneficiis,
quod veræ humilitatis ingenium est, &
modestia, ac verecundia.

Vrgente aliquando charitate, & Euangelij
Christi zelo, necessarium fuit Paulo
in sui commendationem aliqua præclara
proponere. 2. *Cor.* 11. Sed statim velut ru- 2. Cor.
bore effusus se audacem, & insipientem 11. n. 1.
appellat. *Vtinam*, inquit, *sustineretis modicum
quid insipientiæ meæ; sed & supportate
me, in insipientia dico, ministri Christi
sunt, & ego (vt minus sapiens dico) plus
ego.* In quæ verba *Chrysost. homil.* 73. *ad
populum* ait. Cum propter pseudo-Apostolorum
fraudem sua narrare cogeretur,
adeo fuit ipsi molestum, & graue, vt id
appellaret audaciam, & non tantum audaciam,
verum & insipientiam.

Non vulgare dubium est cur Iosue di- Num. 11.
xerit Moysi. *Domine mi Moyses prohibe* num. 28.
eos. Duos scilicet viros, qui in castris prophetabant,
modo nobis inseruit Thargum
Hierosolymit. apud Eliam ex *Genebrard.
versione fol.* 160. cum ita habet: Remanserunt
duo viri in castris, quorum vnus
vocabatur Eldad, alter Medad, & insederat
super eos Spiritus sanctus Eldad, sic
vaticinabatur. En Moyses Propheta scriba
Israëlitarum congregatus est de medio
mundi, & Iosue filius Nun eius discipulus
administrabit res exercitus. En
igitur cur erubescens humilis Iosue, voluerit
intercludi ora illorum virorum,
quod scilicet de se futuro, magna, & prospera
vaticinarentur; solet enim humilitas,
sui laudes, & encomia, veluti confundi
& erubescere. Quapropter cum Christus
Dominus suis discipulis, quos ob
eorum humilitatem, & voluntariam subiectionem

Luc. 12. iectionem appellat *Pusillumgregem*, vellet
num. 32. promittere regnum cœlorum, prius amo-
uendum curauit timorem, & pudorem, ne
terrore pariter, & pudore afficerentur,
ideóque præueniens eos ait. Nolite time-
re pusillus grex, quia complacuit Patri
vestro dare vobis regnum: super quæ ver-
ba sic ait *Chrysolog. serm.* 23. seruorum
mentes tali voce confirmat, ne eos repen-
tinus promissi regni prosternat auditus,
regnum velle seruum, id est, humilem, cri-
men est, audire periculum temeritas non
timere.

Vide quam modestum pudorem induit
perditus filius, qui patri erubescens dice-
Luc. 15. bat: Non sum dignus vocari filius tuus,
num. 19. fac me sicut vnum de mercenariis tuis, in
quæ verba *August. Psal.* 18. ait. Eo se com-
mendat dignum, quo fatetur indignum,
& tunc se verè humilem profitetur, cum
se verecundum præbet, & præ rubore, non
filium, sed seruum se exhibet.

Luc. 1. Denique illa cuius humilitatem Deus
num. 48. respexit, & si placuit ex virginitate, ta-
men ex humilitate concepit, & vt place-
ret virginitas, humilitas procul dubio fe-
cit, sicut ait *Bernard. homil. 1. de laudibus
virginum*. Illa igitur, quę tanquam humi-
lium exemplar, & regula est, salutata ab
Angelo, electa à Deo in matrem Filij
Dei, preuenta ab Spiritu sancto, gratiáque
Luc. 1. plena dicta, tunc ancillam se Dei profite-
num. 38. tur, quasi obumbrans ancillę nomine, quę-
cúmque excelsa super se viderat, & audie-
rat, vnde *Bernardus sermon.* 5. super idem
Euangelium admiratus ait. Quæ est hæc
tam sublimis humilitas, quæ cedere non
nouit honoribus, insolescere gloria ne-
scit? Mater Dei eligitur, & ancillam se
nominat? non mediocris reuera humili-
tatis insigne.

Facit etiam, & pro commendanda ve-
recundia humilitatis virgineæ id, quod
dicitur in c. 1. *Act.* & notauit *Bernard. ser.*
Actor. 1. *de verbis Apocal.* quod redeuntes à monte
num. 14. Oliueti, vnanimiter perseuerabant in ora-
tione. Qui inquit *Bernard.* si forte Maria
affuit nominetur prima, quia super omnes
est, tam filij pręrogatiua, quam suæ priui-
legio sanctitatis. Petrus, & Andræas (ait
Lucas) Iacobus & Ioánes & cæteri, qui se-
quuntur, hi omnes perseuerabant vnani-
miter cum mulieribus, & Maria matre
Iesu. Itane & mulieribus sese vltimam ex-
Ioan. 7. hibebat, vt nouissima omnium poneretur?
num. 39. Verè carnales adhuc discipuli, quibus
Luc. 22. necdum spiritus erat datus, quia Iesus
num. 14. necdum fuerat glorificatus, quando facta

A est inter illos contentio, de primatu, cum
Maria, quanto maior erat, humiliaret se
non modo de omnibus, sed præ omnibus,
meritò facta est nouissima prima, quæ
cum prima esset omniū, sese nouissimam
faciebat. Meritò facta est omnium domi-
na, quę sese omnium exhibebat ancillam:
meritò denique super Angelos exaltata
est quæ & infra viduas, & pœnitentes, in-
fra eam, de qua eiecta fuerant septem dę-
monia, ineffabili sese mansuetudine in-
clinabat. Sic ille, cui nihil hac in re ad-
B dendum.

Recolendum tamen id, quod *Eusebius
Emiss.* dixit, vt melius colligamus Lucam
Euang. non solum, dictante Spiritu san-
cto, sacrarum Scripturarum vero, prima-
rióque auctore, sed insuper volente, ac
iubente Sanctissima Domina, eam omni-
bus postposuisse, quæ præ summa humi-
litate, velut erubuit tanquam domina
cæteris anteponi, itáque *Eusebius Emiss.* Luc. 2.
ad illa verba *Luc.* Maria autem conserua- num. 19.
bat omnia verba hæc, sic ait: O Mater sa-
C pientiæ, & sola talis filij dignissima, quæ
omnia verba hæc in corde suo ideo con-
ferebat, nobísque conseruabat, & memo-
riæ mandabat, vt postea, ipsa docente,
ipsa narrante, & nunciante, scriberentur,
& in vniuerso mundo prædicarentur, cun-
ctísque nationibus nuntiarentur, ab ipsa
enim hæc Apostoli audierunt, & ipsa
dictante, scripserunt, & nobis legenda
mandauerunt. Sic ille. Si ergo beatissima
Virgo parens Spiritu sancto plena, scri-
benda dictauit Apostolis, proculdubio
D ipsa etiam disponente, & iubente, sanctus
Lucas eam vltimo inseruit loco, quæ mi-
nima semper, cum esset suprema, voluit
reputari.

Nec mirum hoc alicui videri debet, qui
legerit *Chrysost. homil.* 59. *in c.* 10. *Matth.*
vbi explicat quomodo Christus Dominus
Petro dixerit? *Vade ad mare, & mitte ha-
mum, & eum piscem, qui primus ascenderit,
tolle, & aperto ore eius inuenies staterem,
illum assumens da eis pro me, &c.* qua in re
D. Hieron. lib. 3. *comment. in Matth.* asserit
E sibi Christum Dominum coæquantem
Petrum in pretio, ipsum omnibus Apo-
stolis prætulisse, indéque de principatu
in regno cœlorum interrogasse. Quia vi-
derant, inquit Petro, & Domino idem
tributum redditum, ex æqualitate pre-
tij arbitrati sunt Petrum omnibus Apo-
stolis esse prelatum, qui in redditione tri-
buti Domino fuerat comparatus: ideo in-
terrogant, quis maior sit in regno cœlo-

Bb rum,

rum, ponderat igitur *Chrysost.* singulare A
hoc priuilegium, & prærogatiuam Euangelistam Marcum silentio prætermisisse, volente sie Apostolo Petro Marci magistro, sic enim habet *Chrysostom.* Da eis, inquit, pro me, & te. Vidisti honoris excellentiam? Vide nunc, quanta philosophia vtitur Petrus: hunc enim locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur, sed negationem quidem ille quoque diligentissimè scripsit, hæc verò, quæ ad magistri laudem B
pertinent, ipso forsan, ita volente, omnino siluit. Sic ille. Sicut igitur Marcus Petri sancto pudori satisfaciens, missam fecit eius excellentiam in reddendo tributo, sic etiam & Lucas Virginis Matris modestiæ motem gerens, ipsam omnibus postposuit, quæ multis titulis prima erat.

Facit ad præsens institutum ea ratio, quam ex sanctis Patribus assignat *Bern.*
Matth. hom 2. *super missus est*, cur scilicet sanctus,
1.n.19. & iustus Ioseph nolens traducere, scilicet
Virginem Matrē, voluerit occultè dimittere C
eam, ait enim *Bernard.* Bene eum esser iustus, noluit eam traducere, quia sicut nequaquam iustus esser si cognitam eam contempsisset, sic nihilominus iustus non esset si probatam innoxiam condemnasset. Cùm ergo iustus esset, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, quare voluit dimittere eam. Accipe in hoc non meam, sed Patrum sententiam, propter hoc voluit Ioseph dimittere
Matth. eam, propter quod & Petrus Dominum
8.num.8. repellebat dicens: *Exi à me Domine, quia* D
Luc. 5.n. *homo peccator sum*; propter quod & Cen-
8. & turio à domo sua eum prohibebat cum
Luc. 7. diceret: *Domine non sum dignus, vt intres*
num. 6. *sub tectum meum.* Ita ergo & Ioseph indignum, & peccatorem se reputans velut rubore suffusus Dei matrem secum habere minimè passus, eam occultè dimittere volebat.

Ioan. 1. Facit etiam, & humilitas Baptistę dum
num. 27. de Christo Domino ait. *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam eius cor-* E
rigiam calceamenti, quibus vltimis verbis planè exponit quod dixerat, ante me factus est, sicut rectè dixit *Chrys. hom.* 15. *in Ioan.* sic enim ante se fuisse dicit Christū Dominum, vt nec cum vltimis, & infimis seruorum eius annumerari posse fateatur, soluere enim calceamentum vilissimi serui officium est, & prouerbialis locutio infimum ministerium denotans, vt ibi graniores interpretes exponunt *Chrys. Theophyl. Euthym. & Cyrill.* vnde elegāter *Aug. tract.* 4. *in Ioan.* ait. Si dignum se diceret *Ioan.* qui tantum corrigiam calceamenti Christi solueret, multum se humiliasset, cum autem nec ad hoc dignum se esse dicat, verè plenus Spiritu sancto erat, & diuinitatem Christi agnoscit, qua de re plura habet *tract.* 13. *in Ioan. & lib.* 80. *homil.* 34. Denique cœlesti reuerentia, & verecunda humilitate se deiicit, & procumbit ad pedes Domini, sic enim loquitur hac
de re *Marc.* vnde *Chrys. homil.* 8. *de humil.* Marc. 1.
tom. 5. manum suam, quam calceamenti num. 7.
indignam dixit esse *Ioan.* hanc super caput, siue super verticem Christum Dominum attraxisse, quando ad baptismum Ioannis celsum illum verticem, aureúmque caput inclinauit.

Licet autem mansueta, patiens, modesta, & verecunda sit humilitas, non tamen ideo eam quis imbecillam reputet, imo illa nihil fortius, ac potentius esse ostendit *Chrys. hom.* 20. *in Act.* cui accommodatissimè possumus dicere cum *Bernard.* id, quod ipse de humili agno, fortissimo itidem leone dixit *serm.* 1. *in die Pasch.* Digna est humilitas accipere fortitudinem, non mansuetudinem amittere vt pariter velut agnus maneat, & leo sit, fortis, vt leo est, non velut superbia crudelis, pro suis rugiet, non in suis. Idcóque *D. Anton.* teste *Athanas. in eius vita* dixit, nihil ita perhorrescunt dæmones, quam humilitatem, & *Bernard. de gradib. humilitat. gradu* 9. ait. Gloriosa res humilitas, qua ipsa quóque superbia palliare se appetit, ne vilescat. Quid ergo, non terga vertet superbia humilitati, illique victa cedet, maximè cum humilium agmen ducem, & antesignanum habeat humilem Seruatorem,
Cui Dauid hac de re loquens ait: *Exurge* Psal. 7.
Domine in præcepto, quod mandasti, & sy- num. 8.
nagoga populorum circundabit te. Vbi *D. August.* ait: quia humilitatem præcepisti, humilis appare, & tu prior imple quod præcepisti, vt exemplo tuo vincentes superbiam, non possideantur à diabolo, qui aduersus tua præcepta superbiam persuasit.

Leuauit igitur humilitatis dux signum in nationibus procul, eleuarúsque & exaltatus in eo scilicet cruce est, quam trophæum aduersus diabolū appellauit *Da-*
masc. lib. 4. *de fide, c.* 12. proindéque humi- Isa. 5.
liatus vsq; ad mortem, exaltatus itidem, triumphum de superbia egit, eámque demortuam reliquit vita, sic enim humilitatem

tem appellat Dauid, cum ait. *Notas mihi*
Psal. 15. *fecisti vias vitæ*, vbi *August.* ait: *Notas fe-*
num. 11. *cisti per me humilitatis vias*, vt ad vitam redirent homines, vnde per superbiam ceciderant. Quantumcúmque igitur vsque ad portas mortis descendere videatur humilitas cruciata, & affecta iniuriis, semper victrix, viuaque remanebit, quæ proinde vita dicitur.

Cum itaque, Deo duce humilitas subuerterit superbiæ currum, & agmen, debent humiles gloriosè cātare eidem Domino, dicentes *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare*, ad hanc enim laudationem iam Dauid olim humiles
Psal. 21. conuocauerat, cum dixit: *Vniuersum semen*
num. 14. *Iacob glorificate eum*; vbi acutè *Augustin.* Vniuersum, inquit, semen eius, cui maior seruiet, glorificate eum. Vbi pulcherrima allusione nominat humiles, sicut enim Iacobo seruiuit maior frater, quem seruum
Genes. 2. iunioris caligans oculis, sed spiritu per-
num. 37. spicax pater constituit, dicens. *Dominum tuum illum constitui*, quæ verba expēdens *Ambros. lib. de Paradiso, c.* 14. ait: per hanc igitur seruitutem ille, qui per gulam primitias suas vendiderat, & studio venationis agrestis, gratiam benedictionis amiserat, credidit se ipsum futurum meliorem, si typum Christi veneraretur in fratres: qui vult inter vos primus esse, sit omnium seruus, quasi tunc iam Esaü natu maior pro benedictione acceperit eam seruitutem, qua minori subdebatur, præuidens doctrinam humilitatis in tali subiectione adumbratam, quam Christus tra-
Matth. diturus erat in propria schola docens: *Vt*
20. n. 27. *quicumque vellet fieri maior, esset vtique minor, & minister: & qui vellet primus esse, omnium seruus esset.* Nam & ipse filius hominis, Verbum scilicet in carne non venerat vt ministraretur ei, sed vt humilis ministraret. Vocat igitur Dauid vniuersum semen Iacob, vbi maior minori seruit, & subditur, vt glorificet Deum, qui humilibus de superbia victoriam semper tribuit, & honorem.

Ecce virtutes oppositas vitiis superius propositis. Ecce arma, quibus hoc prælium initur, hoc bellum conficitur, & triūphus compar erat, rectè enim diuinitus nobis prouisum est, vt quoniam vitia, & peccata abundant, virtutes etiam contra peccata abundarent, ne mundus omnino iniquitatibus obrueretur, quod notauit *Ambros. serm.* 1. *in Psal.* 18. vbi ait: Plenus est mundus sanctarum virtutum, quia plenus est nequitiarum: plenus est orbis terrarum

A remediis, quia plenus est laqueis, vnde nulla nobis superest excusatio, si vitiis succumbamus, & illis nos ipsos subiiciamus, cum virtutū arces, ad quas possimus recurrere præsto adsint, cum arma nobis cuiuscūmq; generis subministrentur, cum auxiliatores, & propugnatores habeamus Deum, Angelos, & Sanctos omnes, in quibus prædictæ virtutes relucent, & sicut Deus aperuit oculos pueri, & vidit. *Et ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Et sicut Iacob vidit 4. Reg. 6.
B castra Dei illi obuiam, & sicut in anima num. 17.
sancta vidit sponsus acies, & militum cohortes, & ideò vocat eam terribilem, vt Cant. 6.
castrorum aciem ordinatam, proindéque num. 9.
de ea dicebat: *Quid videbis in Sunamite* Cant. 7.
nisi choros castrorum? Sic si mentis ocu- num. 1.
los nobis aperire dignaretur omnipotens Deus, inueniremus profectò nobis adiutores Angelos, nam sicut dixit *Ambros.* ad prædictam Iacob visionem *l.* 2. *de Iacob. c.* 6. Fidelibus diuina solent adesse præsidia, quæ Elisæus videbat, & ideò agmina ho-
C stium non timebat, sed timebat puer eius, qui Angelos non videbat, videndus *Bern. serm.* 12. *in Psal. Qui habitat*, vbi ait. Si descendunt maligni, vt circumueniant gratias ei cuius mandato descēdunt, & benigni Angeli, vt subueniāt nobis, cum enim cuiuscumq; nostrorum anima lectulus sit Salomonis, vt mystici omnes intelligunt illud *Cant.* 3. & thalamus genialis, illum Cant. 3.
60. *Fortes ambiunt ex fortissimis Israël*, num. 7.
omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum,
D *propter timores nocturnos.* Habemus etiam sanctos triumphatores in cœlo, qui ad cælestes sedes harum virtutum interuentu ascenderunt, & supremum ducem, cuius *Omnipotens nomen, quiá; currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.* Illud tandem in commendationem huius triumphi adnotandum est cum *Chrysost. homil. de Dauid* cùm Goliath deuicit in hac pugna, nec pueros esse posse imbelles, nec senes vnquam esse degeneres, quoniam in omnibus ætatibus, victor si pu-
E gnauerit Deus victus iacebit, & deficiet inimicus.

ANNOTAT. XII.

Expenditur supplicium Pharaoni illatum in mari rubro.

CVm Deus qui omnia disposuit, mensura, numero, & pondere, sicut dixit

 Sapiens,

Sap.11. Sapiens, id maximè seruet in suppliciis, A
num.21. de quorum moderatione sermo est in di-
cto loco, vt explicat *Theod.* quem citat,
& sequitur *Anast. Nicen. quaest. in Scriptu-*
ram q.17. tom.1. bibliot. de qua etiam men-
Apoc.18. sura in *Apoc.* dicitur. Quantum glorifica-
num.7. uit se, & in delitiis fuit, tantùm date illi
Matt.7. tormentum. Et in *Euangelio*: In qua men-
num.2. sura mensi fueritis, remetietur vobis. De
Apoc.18. numero item suppliciorum in *Apoc.* dici-
num.6. tur: Duplicate duplicia secundum opera
eius pro omnibus peccatis suis. Et apud
Isaia 6. *Isaiam.* Ponam iudicium in pondere, & iu- B
num.7. stitiam in mensura, vbi sicut aduertit *D.*
Bonauent. Punire in mensura est non plus
quam exigit culpæ quantitas, in numero
non plusquam multiplicitas: in pondere
non plusquam peccantis conditio, quod
Psal. 74. etiam prosequitur *August. in Psalm.* 10.
num.4. ibi, Ignis, & sulphur, spiritus procellarum,
pars calicis eorum, ait enim calicem pro-
pterea puto appellatum, ne quid præter
modum, atque mensuram, vel in ipsis
peccatorum suppliciis, per diuinam pro-
uidentiam fieri arbitremur, & ideò tan- C
quam rationem reddens, quare id fiat sub-
iecit. Quoniam iustus Dominus, & iusti-
tias dilexit, quibus habent similia *Na-*
zianzen. orat. de grandine, *& Anast. lo-*
co citato, & Philo lib. quod Deus sit immu-
tabilis, vbi expendunt verba in *Psal.* Ca-
lix in manu Domini, & pro eo, quod nos
habemus plenus misto, habet *Philo.* tem-
peramento, additque nec in beneficiis, nec
in pœnis vult totam vim suam exercere,
sed quantam videt earum capacitati suf-
ficere. D

Cùm ergo Deus prædictum ordinem
seruare soleat in suppliciis, & insuper
emendationem potius intēdat, quam vin-
dictam, quod prosequitur *D. Chrysosto-*
mus homilia 7. ad populum, vbi inter alia
ait: Deus cum aliquem ceperit peccato-
rem, non considerat quomodo ipsum cor-
rigat, & meliorem faciat, atque ita iudex
pariter, & medicus, & magister est; medi-
cus item appellatur in suppliciis à *Basil.*
de constitut. monast. cap.35. & per allusio-
nem ad medicos dum punit, dicitur visi- E
tare, medicus vero salutem intendit, non
Iob. 5. interitum, vnde dicitur, Deus vulnerat, &
num. 18. medetur, percutit, & manus eius sanabunt.
Imo, quod mirabilius est, vulnerando sa-
nat, & ideò solius sagittæ, sagittæ salutis
sunt quod prosequitur *August. in Psal. 50.*
vbi ait. Illa est vox Domini, Percutiam,
& ego sanabo, *Deut. 32.* Percutit putre-
dinem facinoris, sanat dolorem vulneris:

faciunt hoc medici, secant, percutiunt, & sanant: armant se vt feriāt, ferrum gestant, & curare veniunt, &c. Videndus *Hieron.* ad illa verba Sophoniæ: *Disperdam homines* *Sophon.1.*
à facie terræ. Vbi LXX. habent: *Infir-* *num.3.*
mabuntur impy, & tollentur à facie terræ. Ait ergo *Hieron.* Tollentur iniqui, non dixit occidentur, vt ad meliora de impietate, & iniquitate, ad pietatem, iustitiámque translati incipiant esse, quod non fuerant; hoc enim maximè curat Deus, tollere vitia, non homines perire, quod aperrè cernere est in suppliciis, quæ puriores, & cautiores reddidere homines. Etenim Sacerdotes, & Leuitæ, qui ante captiuitatem Babylonicam in suis ministeriis fuerant negligentes post captiuitatem diligentissimi extiterunt, vt constat ex 1. *Esdræ. c. 3.* *1. Esdr. 3.*
vbi dicitur: *Ceperunt Zorobabel, & Iosue,* *num. 8.*
& reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Leuitæ, & constituerunt Leuitas à viginti annis, & supra, vt vrgerent opus Domini, quo in loco *Beda* ait. Notandum quantum boni, malum captiuitatis attulit, de qua eruti tanta omnes intentione, quanta nunquam antea cælestibus obsequiis instant, & in hoc eodem sensu *Seneca lib. 1. de ira, c. 16.* dixit hoc semper in omni animaduersione princeps seruabit, vt sciat alterā adhibere, vt emendet malos, alteram, vt tollat, in vtroque non præterita, sed futura intuebitur, nam vt *Plato* ait: Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur: reuocari enim præterita non possunt, futura prohibentur, &c. quibus habet similia *Lactant. Firmian. lib. de ira c. 18.* & huc certè videntur respexisse plagæ omnes, quas hucusque Deus intulit Ægyptiis, easdem interim ab Israëlitis auertendo, vt has possent illi inter se conferre, & non solum, vt acutius dolerent, sed vt maturius resipiscerent.

Quæ cùm ita sint, videndum modo restat cur extremum supplicium Dominus interrogauerit Pharaoni acerbissimum, nulla mistum venia, nulla conditum euasione. Id igitur in primis, ideò factum existimamus, quia cum tantam sui cognitionem ei tribuerit Deus, debuit Pharao obedire. In primis enim dixit illi Moyses. Qui est, misit me ad vos, & in confirma- *Exod. 3.*
tionem huius legationis tot edidit mira- *num. 15.*
cula, tot patratus est signa quibus teneretur Pharao emolliri, & obedire, idq; dum non fecit, diuinam indignationem contraxit, quod *Basil. orat.* quod Deus non sit auctor malorum, strictim quidem, sed luculenter exposuit dicens. Cùm per longam

Dei

Dei patientiam, & supplicij procrastina- A
tionem, Pharaonis flagitia augescerent: vt
tandem vbi ad vltimum terminum excre-
uissent eius peccata, illustrius fieret diui-
num, quo periturus erat, iudicium. Itaque
cũ à minoribus progressus flagellis Deus,
maioribus, atque maioribus eum plecte-
re pergeret, neque emolliret tamen, ob-
stinatum comperit patientiæ, lænitatísque
suæ illum esse contemptorem: atque ipso
vsu aduersus plagas occaluisse, &c. quæ
prosequitur, vbi videtur reddere ratio-
nem, cur tandem eum vltimo supplicio B
Deus affecerit, quia cætera omnino con-
tempserat, & durior euaserat, ipsúsque
tanto altior radices ageret impietas, quan-
to diuina lenitas, diutius pœnas promeri-
tas differret, quam immedicabilis praui-
Zach. 5. *num.* 8. tatis naturam, scita figura expressit *Za-
char.* dum ei plumbeam in ore massam po-
suit: vt quæ suopte pondere cedit mer-
gitque, vnde de similibus dixit *Augusti-
nus lib.* 2. *quæst. in Exod.* non solum iu-
stam, sed etiam euidenter iustam pœnam
de illis Deum sumere: videntur enim com- C
pellere diuinam iustitiam, quæ proinde
acrius in eos animaduertit.

Hoc etiam tectè probat locus ille *Isai.*
vbi diuinum oraculum ait ad Hierusa-
Isaia 4. *num.* 2. lem. Completa est malitia eius, dimissa
est iniquitas illius. L X X. habent. Solu-
tum est peccatum illius, quia recipit de
manu Domini duplicia peccata sua, vbi
notandum est peccatum in primo loco si-
gnificare culpam, & in secundo loco si-
gnificare pœnam, vt plerunque signifi-
Leui. 20. *num.* 17. 19. 20. cat, apertúsque est locus *Leuitici* 20. Por- D
tabunt peccatum suum, vbi videnda est
Glossa, *& Augustin. Psalm.* 18. *& Sopho-*
Soph. 3. *num.* 15. *niæ* 3. vbi nos habemus: Abstulit Domi-
nus iudicium tuum, idest, suppliciũ tuum.
L X X. habent, peccata tua, vnum enim
pro alio plerumque sumitur. Hoc igitur
notato, *D. Hieronymus*, sic exposuit duplex
à Deo illatum supplicium Hierusalem,
nec idem est solui peccata, atque dimit-
ti, cui enim dimittuntur, solutione non
Matt. 9. *num.* 22. indiget, audiens in Euangelio. Confide
fili, dimittuntur tibi peccata tua; cui au- E
tem soluuntur, propterea soluuntur: quia
purgata sunt, & soluta per pœnas, iux-
ta historiam recepit Hierusalem de ma-
nu Domini duplicia peccata sua, semel
à Babyloniis, secundo à Romanis, assi-
gnauerat autem huius duplicis supplicij
Luc. 12. *num.* 47. tationem dicendo, qui enim scit volun-
tatem Domini sui, & peccat, vapulabit
multis. *Luc.* 12.

Sic similiter apud *Hieremiam*, ait Do-
minus. Ego tradam ciuitatem istam in *Hier.* 3. *num.* 28.
manu Chaldæorum, & in manu Regis Ba-
bylonis, & capiet eam, & venient Chal-
dæi & succendent eam igni, &c. Erant
enim filij Iudæ, & filij Israël iugiter fa-
cientes mala in oculis meis, vbi L X X. &
Theodotion. legunt filij Iuda, & filij Is-
raël soli facientes malum, & ideò *D. Hie-
ron.* ait. Oritur quæstio num & aliæ gen-
tes eo tempore, quo Israël Iudásque pec-
cabant, malum non fecerunt? Quod sic
soluitur, qui habet notitiam Dei, & rece-
dit ab eo, solus peccat in oculis *Dei*, qui
verò increduli permanserunt, quasi illo
non vidente, & negligente, delinquunt.
Vnde & Dauid vir sanctus, quia corruerat
in peccatum vxoris Vriæ, agens postea
pœnitentiam, loquitur. Tibi soli pecca- *Psal.* 50. *num.* 5.
ui, & malum coram te feci, idest, in con-
spectu tuo, & cum tui notitiam habeam,
& credam te præsentem, ideò maximè &
grauiter, méque veluti solum tibi peccas-
se confiteor, & *Paulus* ait: Iam non relin- *Hebr.* 10. *num.* 26.
quitur hostia pro peccatis, terribilis au-
tem expectatio iudicij, irritam quis faciẽs
legem Moysis, sine vlla miseratione duo-
bus, vel tribus testibus moritur, quanto
magis putatis deteriora supplicia mereri,
qui Filium Dei conculcauerit, & sangui-
nem testamenti pollutum duxerit? In quo
sanctificatus est, & spiritui gratiæ contu-
meliam fecerit, in quibus verbis tacita
quædam argumentatio *Pauli* est à minori
ad maius, qua ostendit iam nullum reme-
dium relictum esse ei, qui peccauerit con-
tra Verbum incarnatum, & post promul-
gatam eius doctrinam, & prædicatum
eius Euangelium, cum peccantes contra
legem Moysis pœna mortis punirentur si-
ne remissione, tanta enim gratiæ effusio,
& beneficiorum largitas, Deíque notitia
expressa, longè puriorem exigit vitam, &
diligentiorem postulat curam, promptio-
rémque Dei obedientiam proclamat, vn-
de & *Petrus* ait: Si refugientes coinqui- 2. *Petr.* 2. *num.* 20.
nationes mundi, in cognitionem Domini
nostri, his rursus implicatis superantur,
facta sunt eis posteriora, deteriora prio-
ribus, concessa enim beneficia, & præsti-
ta Dei notitia vindictam postulat contra
eos, qui Dei claritate obcæcantur. Vnde
meritò admiratur *Hieron.* confessionem
Centurionis in medio scandalo crucis, &
impiam abnegationem, & detractionem
Arrij in media luce, ac prædicatione
Euangelij in Ecclesia: vt inde colligat
illius virtutem, & præclaram in cælis

coronam, istiusque malitiam, & acerbissimum apud inferos supplicium, sic enim habet in *cap.27. Matth.* Et hoc considerandum, quod Centurio ante crucem in ipso scandalo passionis vere & Dei Filium confiteatur:& Arrius in Ecclesia prædicet creaturam,&c.

Hæc est ratio cur moribundus Iacob accumulauerit beneficia collata in primogenitum suum Ruben, vt scilicet eum maiori pœna dignum denuntiaret, quod notasse videtur *Orig. homil.17. in cap.49.*
Gen.49. num.3. *Genes.* Quod enim in eius laudem, inquit, videtur dicere, *Tu virtus mea,* ideò fit vt grauius notetur in crimine, qui cum virtus patris haberetur, & initium filiorum, nescit seruare reuerentiam patri,&c.

Clarius hoc dixit *Chrysost. homil.67. in Genes.* vbi ita habet. Vide quantam sapientiam iusti, volens enim accusationem magis intendere, prius dicit, priuilegia ei à natura concessa,& dignitatem quam tenebat, quod principium filiorum, & primogenituræ honore clarus esset, & postea voluptatis peccata, quasi in ænea columna scribit; monstrans, quod nihil proderunt nobis ea, quæ a natura insunt, nisi & voluntatis bona opera sequantur, crescentibus enim beneficiis, crescunt potius in ingratis supplicia, imò verò eadem beneficia in supplicia conuertuntur, vnde *Ruff.* pro eo quod nos legimus: Prior in donis, maior in imperio, habet, durus, & temerarius contumeliam irrogasti, & emendatissimi codices Græci habent: Durus ad ferendum,& durus peruicax fecisti contumeliam, quæ verba magis amplificant crimen Ruben, ex eo quod tot dona concessa ipsum non potuerunt emollire, & in officio continere.

Videndus hac de re *Chrysost.* cum ex-
1.Corin. 10.n.1. plicat illa verba *Pauli.* Nolo vos ignorare, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto: hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem in nostram correctionem. Ait ergo *Chrysost.* ibi *homil.23.* Si in donis est exuperatio, est euidens, quod etiam in supplicio: maius enim erit supplicium, vbi grauius est peccatum, propterea *Paulus* eo in loco asseruit vniuersa beneficia facta Hebræis, & supplicia illis illata, dum mor-

A tui sunt in deserto, nec peruenere ad terram promissionis, vt inde colligeremus qualiter in nos sæuiendum esset, quibus non in figuris locutus est Deus, qui in nube non sumus baptizati, nec in deserto tantum puniri, hæc inquit, scripta sunt in nostram correctionem, quomodo enim in beneficiis præcesserunt figuræ, & secuta est veritas, ita etiam sequetur in suppliciis, ita tamen vt grauitas eorum respondeat, & largitioni diuinæ, & admonitioni. Quibus similia habet *Euthym.* ad illa
B verba *Ioann.1.* Gratiam pro gratia, quia Ioan.1.
lex per Moysem data est, grati per Christum. Sic enim exponit *Euthym.* Quanto num. 17.
maiori gratia digni habiti sumus à Christo, tanto ad maiorem nos obligat virtutem, ne tanto beneficio indigni conseruantes, dignum tanta gratia supplicium sustineamus; Moyses enim in *Exod.* per singulas familias agnum colligebat, eundémque sacrificabat, Christus autem nihil tale suis præcepit, sed potius sacrificium factus est, vt sese pro nobis Patri of-
C ferret, figura per Moysem data est, gratia per Christum, vt cum veritate conueniat vita nostra, ne in malè viuentes, crescentibus beneficiis, crescant & supplicia, sicut videre est in Pharaone, qui tot plagis admonitus minimè resipuit, imò durior semper euasit diuinis admonitionibus, & cùm largior sese effundebat diuina bonitas, & ipse peruicatior,& ingratior reddebatur, vnde *Aug. conc.2. in Psal.30.* Ostendit multo peiores esse malos Christianos (cæteris patibus) ipsis Gentilibus, quia
D peccauerunt in maiorem gratiam, & habita clariori Dei notitia, quod etiam prosequitur in *Psal.89. & serm.12. de verbis Dom. & fer.112. D.Th.2.2.q.10.art.3.*

Probat autem hoc *D. August. conc. cit. ex Ezech.c.15.* vbi mali Christiani com- Ezec.15.
parantur sarmentis inutilibus, Pagani autem vocantur ligna syluatica extra Ecclesiam posita, ex quibus opus aliquod fieri potest eo modo, quo de lignis siluarum à fabro aliquid fieri potest, de sarmentis autem nihil aptú est fieri, propter-
E eáque ea solus ignis expedit. Vidēda sunt, quæ habet *Chrysost. hom.44. in Matth.* vbi ponderat reditum maligni spiritus ad eam animam, quam reliquerat diuina gratia, si enim contingat eum reuerti ad eam domum, è qua expulsus fuerat, *Secum affert septem alios spiritus nequiores se,* quibus vehementius, & acerbius torquetur anima, quod etiam plerique probant in Iudæis, postquam summum Dei beneficium

de

de incarnato Verbo reiecerunt,& clause- A
runt oculos, aureſque obturauerunt, ne
vel lucem videre poſſent, vel doctrinam
audire,vel ſignis emolliri, vnde Chriſtus
Dominus dixit: *Si opera non feciſſem in*
Ioan. 15. *eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non ha-*
num. 24. *berent, nunc autem excuſationem non ha-*
bent de peccato ſuo; grauiora proinde mala
paſſi ſunt, & acerbiora ſupplicia perpeſſi
Iudæi tempore Titi, & Veſpaſiani, quam
fuerint paſſi in Ægypto,& Babylone,ſicut
aduertit *Chryſoſt. & Theophyl.* loco cita-
to qua de re videndus *Aug. lib. de fide &* B
*operibus,c.25.& ſer.*84. *Caſſ.collat.*5.*c.*25.

Ex quibus omnibus conſtat, illatum
ſupplicium impium Pharaonem prome-
tuiſſe, qui toties admonitus, & à plagis
releuatus audito nomine Dei viuentis,ve-
luti in conſpectu eius doloſè egit, vt in-
ueniretur iniquitas eius ad odium, &
peior ſemper euaderet, quod dixit *Ter-*
*tull. lib. de pœnitentia cap.*12. his verbis.
Ægyptius imperator, qui populum Dei
aliquando afflictum,diu Domino ſuo de-
negatum perſecutus in præliũ irruit, poſt C
tot documenta plagarum, diſſidio maris,
quod ſoli populo peruium licebat, reuo-
lutis fluctibus perit,pœnitentiam enim,&
miniſterium eius exomologeſim, id eſt,
confeſſionem, abiecerat. Solent autem
ſupplicia, ſicut ſunt peccati comites, ita
teſtes,ac iudices eſſe,vt ſi ærumnis,& ca-
lamitatibus homo nõ reddatur melior,te-
Iob.10. ſtimonium dicant contra illum, vnde Iob
num. 17. dicebat: *Inſtauras teſtes tuos contra me*,vbi
*Auguſt.*dicit. Dolores ipſos, & cruciatus
teſtes eſſe, legit enim:*Inſtauras in me ar-* D
menta mea, quorum amiſſio teſtimonium
de meo animo ferat, idémque eſt com-
mentarius Græcorum, & aliorum, quos
ibi refert Pineda.

Teſtimonium proinde ferunt de impie-
tate,& duritie Pharaonis plagæ illi illatę,
& quod mentitus fuerat,& Deo & homi-
nibus, dum ſub plagis Dei voluntatem
executurum promittebat,promiſſis tamen
minimè ſtabat, quod eleganter dixit Da-
Pſal. 65. uid, quando ait: *In multitudine virtutis*
num. 3. *tuæ mentientur tibi inimici tui*; videtur E
enim ſumpta metaphora ab ſtrenuo duce,
qui hoſtes ſuperans vitam illis dimittit,
de futura inter eos pace à victis ſuppli-
citer, ac ſummis precibus poſtulata pa-
ciſcitur, ipſi verò immemores beneficij,
vitæ ſcilicet conceſſæ,libertatiſue reſtitu-
tæ, iterum in victorẽ inſurgunt, reaſſum-
ptiſque armis,denuo, & fortè nihil minus
cogitantem, doloſè aggrediuntur:ſic igi-

A tur multoties Pharao in multitudine vir-
tutis Dei illi mentitus fuerat, proindeque
extra diſciplinam factus, & ab ipſis ſup-
plicijs,velut à teſtibus conuictus, & à iu-
dicibus condemnatus, extremæ traditur
pœnæ,vltimóque afficitur ſupplicio,quod
proſequitur *Auguſt.lib.de prædeſtinatione.*
*& gratia.c.*15.*tom.*7. vbi duos Reges in-
ter ſe confert,Nabuchodonoſorẽ, & Pha-
raonem,quorum ille à Deo flagellatus re-
ſipuit, ac pœnituit, iſte verò Dei admo-
nitionibus obſtinatior euadens, & pro-
B miſſionibus mendoſus, extremum tan-
dem, & ineuitabile incurrit ſupplicium.
Vnde, inquit *Auguſt.* Nabuchodonoſor
pœnitentiam metuit fructuoſam? Non- Dan. 14.
ne poſt innumeras impietates flagellatus
pœnituit, & regnum, quod perdiderat,
rurſus accepit? Pharao autẽ ipſis flagellis
eſt durior effectus, & periit? Cur me-
dicamentum vnius medici confectum,alij
ad interitum,alij valuerit ad ſalutem niſi
quia Chriſti bonus odor,aliis eſt odor vi-
tæ in vitam, aliis odor mortis in mor-
C tem? Quantum ad naturam, ambo 2. Cor. 2.
homines erant; quantum ad dignitatem, num. 16.
ambo Reges: quantum ad cauſam, ambo
captiuum populum Dei poſſidentes:quan-
tum ad pœnam, ambo flagellis clemen-
ter admoniti: quid ergo fines eorum
fecit eſſe diuerſos, niſi quod vnus ma-
num Dei ſentiens, in recordatione pro-
priæ iniquitatis ingemuit, alter libero
contra Dei miſericordiſſimam veritatem
pugnauit arbitrio, & in ſuis permanſit
peccatis, & periit? Sic *Auguſt.* oſtendit,
D quomodo ingraueſcente duritie peccati
Pharaonis, grauiora ſuper ipſum irrue-
rint ſupplicia, ſicut ſolet diuinitus fieri
erga iniquos, quod optimè proſequitur
*D. Ambroſ. in Pſalm.*38. vbi ponderat
prius fuiſſe oſtenſam Ieremiæ virgam, Ierem.
eámque amygdalinam, ſiue, vt vertit num. 11.
Theodotion, teſte *Hieron.* vigilantem, &
nimis feſtinè germinantem, ac flore-
ſcentem, vt oſtenderet prima ſupplicia à
Deo illata, fieri à Deo aſſumpta virga
amygdalina, floribus vndequaque operta,
E proindéque dum percutit, potius flores
relinquere quam vulnera, quia virtutes,
& emendationem intendit: deinde verò
fuiſſe oſtenſam ollam ſuccenſam Prophe-
tæ, quæ extremum ſupplicium delin-
quentibus minaretur,ait ergo *Ambr. Ideo*
Ieremias prius baculum vidit, deinde ollam
feruentem, ſed cur prius baculum poſtea
ollam? Quoniã qui baculo non corrigitur, in
ollã mittitur, vt ardeat, & tabeſcat, & ideo
ad

Ezech.4. *ad Prophetam Ezech. dicitur. Accipe tibi sartaginem, & accipies iniquitates domus Israël, & tabescent in iniquitatibus suis.*

Videndus in hanc sententiam *Hieron. in c.16. Ezech.* vbi ait, Neque primum fortioribus suppliciis tradimur, sed iuxta peccatorum qualitatem inferioribus: vt correpti in minori, maiora cruciatuum tormenta vitemus, qui verò minoribus, & inferioribus nullatenus corriguntur, sicut Pharaoni contigit, qui tot admonitus suppliciis, tot flagellatus plagis, tot verberatus pœnis, minime cessauit, maius tandem & extremum incurrit supplicium.

Videndus *Chrysost. homil.44. in Matth.* vbi sic ait: Niniuitæ absque aliquo penitus signo, animo crediderunt, Iudæi verò etiam post tot miracula in peius deuoluti, innumeras contraxerunt ærumnas, neque id iniuria, nam quando quispiam ab afflictionibus liberatus, non modestior fit, multo grauiora, quam prius patietur: nam qui duabus, aut pręcipuis causis castigatus non est à præcedentibus, videlicet, calamitatibus, & à liberatione secuta, quibus tertiam quoque addere possumus, comminationes scilicet peiores, nisi resipuerit, qua ratione sperare de illo poteris amplius quod melior futurus sit? Hæc non ad illos solum, sed ad nos ipsos dicta esse credamus, nam si diuina luce illuminati, & prima delictorum miseria erepti, tursus ad eandem malignitatem reuertemur, grauior punitio nos profectò expectabit. Ideo Christus quoque paralyticum monebat dicens? Sanus factus es, noli amplius peccare, ne quid peius tibi eueniat. (Joann. 5. num. 14.) Quod ad Hierusalem per *Ezech.* dicit *c. 16.* (Ezec.16. num.9.) Vidi enim te pollutam sanguine, & ablui, atque vnxi, & factum est tibi nomen in pulchritudine tua, & fornicata es cum finitimis tuis. Ideo nũc grauiora illi peccanti minatur, qua in re non supplicia tantum necessario: verum etiam infinitam Dei longanimitatem, atque misericordiam admirari debemus: quoties enim ad eadem peccata capti sumus, & vsque adhuc in clementia, & misericordia sua perseuerat, non tamen propter misericordiam suam nobis confidendum est magis, quam pertimescendum, nam & Pharao si confestim prima percussione fuisset admonitus, neque posteriores plagas habuisset, neque tandem cum eo tantus exercitus demersus fuisset, hæc ideo dico. quia non ignoro multos etiam nunc in Pharaonis impietate viuere: & cętera, quę prosequitur in eandem sententiam.

A Pro qua etiam videndus *Theod. orat.5. in Danielem,* vbi inquiritur cur Deus impium, & superbum Nabuchodonosorem tot modis voluerit erudire, & ad pœnitentiam conuertere, deterruit namque somno, deinde per Danielem quæ significabat somnium patefecit, & nec sic intulit supplicium, sed consilium ei dedit, liberando enim Danielem admonuit ipsum esse verum, & colendum Deum, vbi verò nullum remedium ex tanta Dei cura percipere voluit, quæ minatus fuerat, intulit, B ferinúmque animum mitigauit, ferino habitu, & vita, ac conuictu: tandémque eruditum rursus in thronum, ac regnum reduxit, at verò nepotem eius Nabuchodonosorem statim regno, & vita priuauit, & in pariete palatij sententiam extremam describi iussit. Rem dissoluit *Theodor.* in hunc modum, Considerantem comperimus primùm, quia Nabuchodonosor alterum impietatis pœnas luisse non conspexerat, (Dan.5. num.5.) idcirco dignum venia iusto Dei iudicio existimatum, sed iste summum patris supplicium suspicatus, nihil inde C percepit vtilitatis: iure itaque iustus iudex illi, diffinito tempore supplicium præscripsit, istum autem nulla venia dignum censuit, alioquin & omnia futura præuidens Deus, & perinde apertè ea cognoscens vsque iam pręterita præcognita illius pœnitentia, ita quæ ad eum pertinebant moderatus est. Istius autem præcognoscens perpetuam impietatem, morte sedat impietatis incrementum, qui enim sic admonitus in parente, non resipuit, sed in D deterius abiit, nisi morte preueniretur, ad extremum nequitiæ perueniret.

Non in alio, sed in se ipso senserat diuinæ iustitiæ ictus Pharao, neque semel, sed multoties admonitus fuerat, & leniter, & grauiter, & suauiter, & sæuiter videlicet tamen emollitus, sed in deterius obduratus, sæpius Deo mentitus, Dei populum ad spoliationem, & necem persequebatur, proinde, qui eum toties admonuerat, vltimo afficit supplicio, & marinos commouet fluctus in eum, vt morte sedet, E ac temperet futurum impietatis incrementum, vbi debemus cum *Augustino* postulare in *Psalm.87.* Det disciplinam, non auferat misericordiam, cædat contumacem, dum tamen reddat hæreditatem, tu si promissa patris bene agnouisti, non timeas flagellari, sed exhæredari, & cum *Theodoreto* dicere ad illa verba *Psalm.6.* (Psalm.6. num.1.) Domine ne in furore tuo arguas me, naque in ira tua corripias me. Pater ne, in-

quit

quit ille, corripias me, non iudicis ritu, medici more, non tortoris, ne metiaris vindictam, sed benignitate iustitiam tempera, debemus insuper cum *Bernard.* dicere *sermone 42. in Cantica.* Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis deuium, non qua extrudis deuia.

Existimo deinde causam huius districti iudicij, & acerrimi supplicij Pharaonis, & exercitus eius fuisse communem nequitiam, & publicam impietatem in Israelitas quæ plerunque causa est malorũ, quæ vniuerso alicui Regno, Reipublicæue obueniunt, sicut dixit *D. Maxim. hom. 1. de baptismo.* Hi mores praui, inquit ille, & vitæ huiusmodi exempla, itinera, & largissimas vias aperuerunt barbaris, hi mores plebem Dei inimici iugo submisere, hi mores armatos dissipant populos, & munitas diruunt ciuitates, quidquid potentiæ, quidquid virium videmus in hostibus, corruptione vitæ nostræ, nostráque infidelitate, addc impietate, nutritur: tantum ille.

Licèt ergo misericors sit Deus etiam aliquando absque misericordia sentimus eius manum super nos, secũdum captum & intellectum nostrum, quia eò vsq; peruenere iniquitates nostrę, vt diuinæ misericordiæ negationem penitus mereantur, quod similitudine ostendit *Orig. in cap. 2. Oseæ* desumpta ex Philosopho dum ait. Solis proprium est non adurere sed illuminare, neque enim formaliter calidus est, ratione tamen corporum subiectorum calefacit, quia calefaciendi virtutem habet eminẽter. Sic etiam proprium est Dei misereri, quod vero aliquando puniat, quod regna euertat, quod exercitus dissipet, quod irascatur, quod vlciscatur, id peregrinum ab eo est, nos tamen Deum punitorem, & vltorem reddimus.

Inter alia verò scelera, quod maximè diuinam concitat iram, & commouet Dei iustitiam est, si afflictis hominibus afflictionem addamus. Pro qua re notandus venit ille locus *Deut.* vbi dicitur. Memento, quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Deum. Vbi illud statim difficilè apparet, quomodo Deus iubeat meminisse offensæ, qui immemorem iubet esse iniuriæ, & quomodo, qui benignus natura sua est, tot postea annis elapsis, alta mente repositam habens offensam, dicat per Samuelem, Sauli. Vade, & percuties Amalech, & demolire vniuersa eius, non parcas ei, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atq; lactentem, bouem, & ouem, camelum, & asinum. Et quia Regem seruauit Saül, & aliquibus rebus, pepercit, audiuit diuinam sententiam: *Abiecit te Dominus ne sis Rex:* Quęstioni respondet *Oleaster* ad citatum locum *Deut.* dicens. Et si Dominus nos vt plurimum velit malorum nobis illatorum oblitos, beneficiorum verò memores, est tamen tam magnum malũ afflicto reddere afflictionem, præsertim si te non læserit vnquam, vt in hac re oblitos, vindictæ voluerit esse memores, quare maximè cauendum tibi est, ne debilem, aut percussum percutias. Audi Psalmistã: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt, deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Sic ille. Quod etiam prosequitur *Lippoman. Exod. 17.* ibi. Bellum Domini contra Amalech. Vbi ait. Quæritur, quid sibi vult tanta seueritas, quod Dominus non tantum iubet peccatum Amalech in perpetuam memoriam reponere, sed etiam vindicat illud in tertia & quarta generatione, & cum Saül nõ trucidaret, ac destrueret omnia Amalechitarum: decreuit Deus ipsum cum familia sua è regno eiiciendum, quid? Significat hac seueritate sua quam graue peccatum, & quam horribili supplicio puniendum sit, si quis misero & afflicto in vocatione ambulante, addat nouam miseriam, & afflictionem: nam Israelitæ paulò antea euaserant grauissimam seruitutem, & nondum recuperauerant vires, tã duro itinere exhaustas, accesserat eodẽ fames, & sitis, qua paucis ante diebus torti fuerant, vnde factum est, vt multi debiles, & infirmi insequerentur exercitum eorum in vltimo agmine, Amalechitę autem addebant afflictis, & miseris nouas afflictiones, & occidebant debiles. Sic ille. Tot editis miraculis, & à Deo propositis signis miseram euaserant seruitutem Israëlitæ, & à Deo vocati egrediebantur ex Ægypto, addit verò Pharao, & metum, quem incussit, & spoliationem bonorũ, & mortem crudelissimam quam minabatur inferendam, ideo ergo contra addentem miseriam miseris desæuit diuina iustitia, & grauissimo supplicio animaduertit in scelus grauissimum.

Quod si retrò velimus hanc etiam nequi

Deut. 25. num. 17.

Leuit. 19. num. 18.

1. Reg. 15.

1. Reg. 15. n. 23.

Psal. 68. num. 27.

quætiam indagare proculdubio inueniemus, non minimam inflictam miseriam afflictis filiis Israël, adhuc in terra Ægypti, dum ingenuos, & liberos homines perpetuo seruitio manciparunt Ægyptij, & velut seruis vtebantur contra ius, & contra Dei voluntatem. Etenim Deus promiserat Abrahæ ex libera vxore sua, liberam posteritatē, sicut docet *Philo lib. Quis sit hæres rerum diuinarum* vbi affert

Gen. 18. num. 5. verba illa *Genes.* 18. Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, sic erit, inquit ille, quod vides in æthere, sic cœleste, sic vmbra carens, plenum splendore purissimo, nam neque in cęlo nox locum haber, neque in virtute tenebræ, dispositio ordinatissimè immoto manens ordine, semper sibi simile. Vult enim cœli effigiem, aut si dicere liceat, cœlum quoddam terrestre esse sapientis animā nullis perturbationibus seruientem, sed nobilem, ingenuum, & liberum semper, tales voluit Deus Abrahæ posteros iuxta hanc sententiam, nam sicut dixit *Plutarc. lib. de educatione liberorum.* pręclarus est libertatis thesaurus ingenuitas, & *Plato lib. de legibus* in seruili animo nihil, quod rectum sit mihi esse videtur, cum Iuppiter dimidium mentis illis ademerit, qui à seruili die deprehensi sunt, sicut ante Platonem dixerat *Homer.* Qua de re videndus *Philo lib. quod omnis probus sit liber.* vbi affert Theognis Siculi Poëtæ sententiam, quæ ait. Nunquam seruus caput rectum habens nascitur, sed semper tortuosum, & ceruicem curuam habens neque vnquam à serua liber filius.

Et nunc intelligitur ratio cur Iosephus quoties in suis antiquitatibus de ancillis vxoribus Iacob loquitur, numquam eas dixerit ancillas Liæ, & Rachelis, quod expresse asserit Scriptura, sed minores appellauit vxores, ne maculam seruitutis videretur inurere, cum omnibus libertas maximè conueniret, tanquam seruis tantum futuris omnipotētis Dei, quibus maxima libertas à Deo etiam obueniebat,

Galat. 4. num. 22. quo respexit Paulus cum dixit: Scriptum est, quod Abraham duos filios habuit, vnū de ancilla, & vnum de libera, sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, tūc addidit: Illa autem, quę sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Congregatio scilicet fidelium, mater Ecclesia, noluit enim supremus Dominus ad suū cultum primos adducere seruos, etenim si quemadmodum notauit *Philo lib. quod omnis probus sit liber*, neq; argo-

A nautæ vllum inter nauales socios receperunt nisi liberum, ingenuorum contenti ministeriis libertati non officiētibus, itáque nauclerus Iason vir & natus, & educatus liberaliter, amatorq; ingenuorum, nauim suam neminem seruum ascendere permisit, vnde Schilus sic loquitur Argos vbi sunt sacra ligna; appellauit enim nauim sacram eam, quia solos vectabat liberos homines quomodo ad sacrum Dei cultum posset communis omnium Dominus conducere, nisi liberos homines oriū-

B dos potius ex libera Sara, quam ex ancilla Agar? Spectabat enim hoc ad Dei maiestatem, & gloriam, & quoniam figuratiua erat ea Ecclesia, prophetica, ac symbolica, necessarium erat, vt liberos haberet homines, adumbrantes iam libertatem spiritus in Ecclesia noui testamenti, & in libera nostra Hierusalem. Cùm ergo Deus maximè curaret hos homines futuros liberos, eos in seruitutem addixerat, & libertate priuauerat impius Pharao, quicúmque tandem ille fuerit.

C Et cum minima non fuerit afflictio, quod filij Israël peregrini essent in terra Ægypti, licèt optima pars terræ eis fuerit concessa ad habitandum, & benè à Rege fuerint excepti, quia extra patriā, propriámque terram degere species quędam seruitutis est, qua exceptione soluitur non vulgaris illa difficultas de tempore seruitutis Israëliticæ, de qua Deus dixit Abrahamo: Scito prænoscēs quod peregrinum *Gen. 15.*
futurum sit semen tuum in terra non sua, *num. 13.*
& subiiciēt eos seruituri, & affligent 400.

D annis, verumtamen gentem, cui seruituri sunt ego indicabo. Vbi sermo videtur esse de Ægypriaca seruitute, & peregrinatione vsq; ad exitum hūc, de quo nobis sermo est cum Moyse, & prædicit Deus seruitutem duraturam 400. annis, & vero *Exod.* 12. Triginta annis adduntur prædi- *Exod.*
ctis 400. cum tamen communis sentētia *12. n. 40.*
sermè omnium (si excipias *Eugub. & Genebr.*) asserat minus trecentis annis habitasse in Ægypto, qua de re vidēdus *Pererius disput. 19. in c. 12. Exod.* vbi post mul-

E ta tandem asserit ducentos & quindecim tantum annos fuisse. Quomodo verò potest hoc stare cum prædictione Dei, qua quadringentorum annorum seruitus asseritur? Huic difficultati respondent Eusebius in chronicis *D. Hieronymus in cap. 3. Epistol. ad Galat. D. Augustin. 16. de ciuit. cap. 16. & 24. & quæst. 47. in Exod.* & alij, quos refert Pererius illam quadringentorum, & triginta annorum seriem esse

compu

computandam ab illa die, qua Abrahamo
hoc prædixit diuinum oraculum, & pro-
pterea, inquit *Chrysostomus homilia* 37.
in Genesim, post medium non dixit, quod
in Ægypto futuri sint annis 400. sed in
terra non sua, vt possint denumerari cum
annis in Ægypto, & tempus Patriarchæ,
quo eis imperatum est vt ex Charran
egrederetur. Ab eo enim tempore, tem-
pus annorum nobis manifestũ fecit Scri-
ptura quæ dixit, quod septuaginta quin-
que annorum fuerit Abraham, quando
exiuit ex Charran, ex eo igitur tempo-
re vsque ad exitum de Ægypto inue-
niet quis numerum saluum, & integrum.
sic *Chrysostomus* ex cuius doctrina illud
elicimus nomine seruitutis appellari il-
lud tempus, quod inter Chananæos Abra-
ham tanta fælicitate egit, vt Abimelech
Genes. 21. *Genes.* 21. Potentiam, diuitias & diuinum
num. 23. fauorem aduertens super Abraham dixe-
rit ei. Iura per Deum ne noceas mihi, &
Gen. 23. posteris meis stirpique meç, sed iuxta mi-
num. 6. sericordiam, quam feci tibi, facies mihi,
& terrę in qua versatus es aduena. Deinde
à filiis Heth Dei princeps fuerit vocatus,
vt Isaac eius filius ab alio Abimelech
Rege Gerarę dimissus fuerit dicendo: Re-
cede à nobis quoniam potentior nobis
factus es valde. Deinde ad ipsum degen-
Gen. 26. tẽ in Bersabe venit Abimelech, & Ocho-
num. 16. zath amicus illius, & Phicol dux mili-
tum, & locutus est eis Isaac: Quid veni-
stis ad me hominem, quem odistis, & ex-
pulistis à vobis? Qui responderunt. Vidi-
mus tecum esse Dominum, idcirco nos
diximus, sit iuramentum inter vos, &
ineamus fœdus, vt Iacob non solum dita-
tus ipse fuerit, sed ad ipsius ingressum do-
mus quóque Labani fortunata fuerit, &
omnibus bonis cumulata.

Deinde etiam & computantur anni,
quibus in Ægypto Hebræi minime ser-
uierunt, sed secunda fortuna vsi, prospe-
rè vixere, donec alius Pharao surrexit,
qui non nouerat Ioseph, & merita illius
populi, quod contigit ducentos ferè post
annos, totum itaque hoc tempus, quan-
tumuis diuites, & fortunati, ac prospe-
ri Abrahamus, & posteri eius vixerint;
seruitutis tempus appellatum est, quia
aduenæ erant, & in terra non sua commo-
rabantur, serui enim nomine censetur,
quicúmq; peregrinus extra propriam pa-
triam degit; sed huic seruituti addita est
laboriosa seruitus, qua operibus luti, &
Exod. 1. lateris premebantur, præpositis magistris
num. 11. operum, vt affligerent eos oneribus, ædi-

A ficauerúntq; vrbes tabernaculorum Pha-
raoni Phithon, & Ramesses. Seruitus au-
tem magnum malum est, vtpote, quę ho-
minem liberum dimidia sui parte muti-
let iuxta id, quod dixit *Homer. odyss. lib.* 10.
Seruus inquit, dimidius homo, liber inte-
ger est, quinimo & ipsa morte grauior in-
dicatur, vnde Eleazarus, & multi cum illo
in quodam castro à Romanis obsesso sese
mutuo interfecere, ne Romanorum serui-
tuti subiicerentur, quo eodem amore li-
bertatis tenebantur Israelitæ clamantes
B in solitudine: *Vtinam pereamus in solitu-* *Num.* 14.
dine, & non inducat nos Dominus in terrã *num.* 3.
istam, ne vxores ac liberi nostri ducantur
captiui, & Christo Domino veram liber-
tatem Iudæis promittenti si crederent;
cum stomacho responderunt. *Semẽ Abra-* *Ioan.* 8.
hæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. *num.* 33.
quomodo tu dicis, liberi eritis? Et *Seneca*
Epistol. 78. ait: Lacon ille memoriæ tra-
ditur impubes adhuc, qui captus clama-
bat, non seruiam, tua illa Dorica lin-
gua, & verbis fidem imposuit, vt pri-
C mum iussus est fungi seruili, & contu-
melioso ministerio (afferre enim vas ob-
scœnum iubebatur) illisum parieti caput
rupit.

Videndus hac de re *Philo lib.* 1. *de vita*
Moysis, vbi ait: Nec est par iactura libe-
ralitatis, & pecuniæ, cum nemo sanus
non malit vitæ, quam libertatis adire pe-
riculum, *similia habet lib. quod omnis*
probus sit liber, vbi Laconis pueri mi-
ram ingenuitatem refert, similem illi,
quam affert Seneca, si non eandem, addit
D vero: Narrant Macedones, & Dardanas
mulieres, quæ seruitutem credebant mi-
seriam turpissimam, suos pueros, quos in
vlnis baiulabant proiecisse in fluminis
gurgitem acclamando: vos certè non
seruietis. Polixenámque tragicus Euri-
pedes inducit contempta morte, curam
libertatis gerere, dum sic loquitur. Liceat
mori me liberam, & concludens ait, pue-
ros, ac mulierculas natiuo amore liber-
tatis sic teneri, vt ne hanc amittant, ad
mortem tanquam ad immortalitatem
E properent, *Cicero Philip.* 10. Ita præcla-
ra est recuperatio libertatis, vt ne mors
quidem sit in repetenda libertate fugien-
da, & 5. *de finibus* dixit. Bestiæ, quas de-
lectationis causa concludimus, cum co-
piosius alantur, quam si essent liberæ, non
facile tamen patiuntur sese contineri, &
Diogen. teste *Laërt. lib.* 6. interrogatus,
quid esset in vita optimum? Respondit:
libertas.

Tandémque ex causa pensabitur hic A effectus, hoc enim malum solummodo aliud pessimum malum inducere, ac inferre potuit, nempe peccatum, primus enim locus vbi serui nomen auditur, ille est, in quo Noë filio suo Cham maledixit dicens: Maledictus puer Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis, quæ verba expendit *D. Augustin. libro 19. de ciuitate, cap. 15.* in hunc modum: conditio seruitutis in re intelligitur imposita peccatori, proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabu- B lo Noë iustus peccatum filij vindicaret, nomen itaque istud culpa meruit, non natura. Sic *August.* Videndus idem *Augustin. lib. 4. de ciuitat. Dei, cap. 3. & Ambros. lib. de Ioseph. cap. 5. D. Chrysostomus,* ad illa verba *Psal. 48.* Dominabuntur eorum iusti in matutino, sic enim habet. Talis est rerum natura, nam vitium virtuti seruiat, eámque formidet, ac pertimescat, licet istud, quidem si versutum, &c. Tantum itaque malum à tanto malo originem trahit, & sicut Filius Dei in car- C ne ad tollendum peccatum venit, sic & primo eius aduentus tempore ad tollendas seruitutis reliquias aduenisse demonstrauit, quod notauit *Nazianzen. orat. 9. ad Iulian.* in eo quod Christus Dominus nasci voluerit quando vniuersus orbis describebatur, vt tributum Romano Imperatori in seruitutis signum solueret, pudefecit enim Christus Dominus nascens, & expositus in præsepio imperatorem exigentem tributa, nullis præcedentibus beneficiis in Iudaicum populum collatis, & D ostendit se in carne aduenisse, vt seruitutis malum, vel temperaret, vel tolleret, quod ortum fuerat ex peccato, ad cuius abolitionem ipse venire dignatus fuerat.

Genes. 9. num. 25.

Psal. 48. num. 15.

Cum igitur maxima afflictio fuerit Israëlitico populo iniusta seruitus, huic addita est alia maior nempe persecutio, quando congregato exercitu, spirans minarum, & cædis Israelitas insequitur, quid mirum autem si acerbissimo supplicio, & extremo animaduertit Deus in Pha- E raonem, qui peregrinos, & hac ratione seruos, ad amaritudinem illudendo perducit, & vt penitus conficiat congregata manu, ac districto gladio insequitur, cum ad ipsum potius spectaret peregrinos in suo regno à calumniis, & contumeliis vendicare, tueri, & eripere, & securum ac liberum exitum præbere, quod proprium Regis erat?

Insupérque eius execranda crudelitas in hoc apparet, quod nullo modo tale odium, & persecutionem promeruerant, quod proprium immanium bestiarum est, non hominum. Moribundus Dauid Salomoni ait. 3. *Reg. 2.* Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iethet, quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in baltheo suo.

3. Reg. 2. num. 5.

Mirum cuilibet videbitur, quod cum Dauid has duas mortes à Ioabo illatas referat, omittat illam, quam ipse plurimis effusus lacrymis deplorauit, quando scilicet, Ioab tulit tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon, quod ipse fecerat contra Dauidis præceptum, qui stans iuxta portam quando egrediebatur populus per turmas suas centeni, & milleni, præcepit Ioab & Abisai, & Ethai dicens. Seruate mihi puerum Absalon, cuius rei rationem reddit *Abul. ibi. quæst. 13.* Meminisse scilicet horum duorum; & non Absalonis interfecti, quia Abner, & Amasa nullo modo merebantur mortem, nec aliquid mali, & ideò mors eorum fuit iniustissima, necessarióque vindicanda, iniustissima itidem fuit hæc filiorum Israël persecutio à Pharaone intenta, quia nullo modo spoliationem bonorum, & mortem, quam minabatur, promeriti fuerant, cum nihil mali antea egissent, sed qui iniustè persequitur, & tot mala perdidit, inferendáque minatur, meritò suos proclamans alloquitur. Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos, qui enim innocentes insequitur, sibi profectò nocet, séque ipsum persequitur, & totum furorem contra se haustum commouet, nam sicut dixit *Chrysost. homil. de Iosepho vendito.* Iniuria iniuriosi est, non innocentis, pœna lædentis est, non læsi: supplicium si merui patior, si non merui, patitur, qui irrogauit, gaude innocentia, quia vbique illæsa es, vbique secura, si tentaris, proficis, si humiliaris, erigeris, si pugnas, vincis, si occideris, coronaris. Tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta, tibi boni parent, mali inuident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec poteris vnquã victrix non esse, etiamsi tibi inter hostes iudex iustus defuerit. Proinde, qui persequeris, fugies, sed non effugies, qui niteris comprehendere, non vinculis, aut funiculis comprehenderis, sed vndis vndique congestis obrueris, nec vnquam

2. Reg. 18. n. 14.

Supra num. 5.

Exod. 14. num. 15.

vnquam euadere poſſis, qui ſpolia diuidenda promittis, exuendus, & ſpoliandus ad littus proiicieris, & tandem qui dicis, Interficiet eos manus mea, ſenties manum magnam, quam ſuper te exercebit Dominus, & ipſi potius videbunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam Dei contra eos.

Vnde iam clarè innoteſcet cur Pharao, & Ægyptij, qui antea quando illi plagæ inferebantur, totieſque aderant repetitæ ad Deum pro eis auferendis reuertebantur, nunc verò Deum minimè precati ſunt, cum venientes ſuper ſe marinos vortices ſentiunt, ſed ſola fuga ſibi conſulendum arbitrati ſunt, cum Dominum inflictorem, & punitorem faterentur: nempe, quia is, qui perſecutionem proclamauerat, & contra innocentes indixerat, tótque promiſerat inferenda mala illis, quibus potius beneficia deberet conferre, obtumeſcere debuit in poſtulanda venia de tanto crimine, verecundia, vel deſperatione penitus obtutus, quod in impiis hominibus certiſſimum eſſe ſolet in maiorem ipſorum confuſionem, & pœnam.

Mortuo olim Rege Ammonitarũ cum Hannon filius eius regnaret pro eo, dixit Dauid: ***Faciam miſericordiam cum Hannon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam, miſit ergo Dauid conſolans eũ per ſeruos ſuos ſuper patris interitu: tulit verò Hannon ſeruos Dauid, raſitq́, dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias, vſque ad nates, & dimiſit eos.*** Addit verò ſacer text. ***Videntes autem filÿ Amon, quod iniuriam feciſſent Dauid, conduxerunt mercede Syrum, &c.*** (2. Reg. 10. n. 2.) Super quæ verba ſic rectè ait *Abulenſ. quæſt. 5.* à principio non cogitauerunt an malè agerent, nunc verò recogitauerunt, quod proprium ſuperborum eſt, & ſtultorum, & apparet in Pharaone, & in ſuis, qui tunc pro ratione fugæ, aſſerunt Deum pugnáre pro filiis Iſraël, cum multo antea id experti fuiſſent in ſe, in filiis, in pecoribus, in agris, & fructibus terræ, ſed tunc aduertunt Dominum pugnare pro Iſraële contra ſe, & ideo fugiendum ſibi eſſe, cum antea id meminiſſe deberent, ne immerito Dei ſeruos perſequerentur.

Sed cur Ammonitarũ Rex videns quod iniuriam feciſſet Dauid, non pro venia legatos mittit, cur facti non pœnitet, neque indulgentiam precatur, maximè cum Dauid vir fuerit ſecundùm cor Dei, qui precibus quam citiſſimè placari poterat, & pænitudine quam facillimè flecteretur? Reſpondit idem *Abul. quæſt. 6.* quia iſta iniuria facta erat ſine cauſa, imò, quod amplius eſt, pro miſericordia reddebatur contumelia, quod totum in perſecutione Iſraëlitarum cernere eſt, ſine cauſa enim eos Pharao perſequebatur, etenim is, qui tot mala proponebat facienda illis, libenter vtique ab eis commiſſa, ſi fuiſſent etiam exponeret, vt ſuos acrius commoueret, ideóque credendum profectò eſt nulla omnino ratione ductum, neque iniuria prouocatum, perſecutum fuiſſe Iſraëlitas.

Deinde etiam facta erat manus Pharaonis contra Iſraëlitas pro miſericordia, quam Ioſeph fecerat antiquo Pharaoni; cui ſomnium expoſuit, vt de remedio totius regni contra ſeptennem venturam famem prouideret. Deinde etiam contra miſericordiam, quam Ioſeph promeruerat dum emit, & acquiſiuit Pharaoni totam terram Ægypti: ***Vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas, ſubiecitq́, cunctos populos à nouiſſimis terminis Ægypti, vſque ad extremos fines eius,*** (Gen. 41. num. 33.) & maxima tributa prædicto Regi comparauit, vt conſtat ex *cap. 47. Geneſ.* Inſuper erat contra miſericordiam, quam promerebantur Iſraëlitæ, (Gen. 47. num. 10.) dum tot annis miſerè ſeruire coacti ſunt, cum liberi, & ingenui eſſent. Cùm ergo Pharao ſine cauſa, imò pro miſericordia malum reddens, & ad ſpolianda bona, & necem inferendam perſequeretur Iſraëlitas velut alter impius Hannon obtumeſcit; neque de venia curat, neque veniam deprecatur, neque miſericordiam poſtulat, qui contra miſericordiam, Dei ſeruos inſequebatur.

Neque verò miror dum video hunc Regem contra rationem Iſraëlitas perſequentem, cum videam ipſam Religionem, & Dei cultum impedientem, quod contra hominis naturam, & rationem eſſe cenſetur, ſic enim videtur diffinire Salomon hominem, cum ait. ***Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo,*** (Eccl. 12. num. 13.) quaſi velit eum inter homines minimè connumerandum eſſe, qui Deo debitum obſequium, & cultum non rependit, vnde in *cap. 1.* Iob perfecti viri laudes ſic referuntur. ***Erat vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum,*** (Iob. 1. num. 3.) neque enim perfectus eſſe poteſt is, qui Deum non colit, hoc enim ſignificat Deum timere, ſicut iam ſuperius notauimus, probat inſuper ille locus

Iob 28. apud eundem *Iob*, vbi dicitur: *Ecce timor*
num. 28. *Domini ipsa est sapientia*: Notauit autem
August. lib. 12. de Trinit. cap. 14. In plerisque codicibus Latinis clarius haberi eum locum. *Ecce cultus verè Dei, & Religio sapientia est*, quo pacto etiam LXX. habent, eandémque diffinitionem hominis per Religionem, & Pietatem prosequuntur *D. Chrysost. homil. 13. super 1. ad Timoth. c. 5. & Rab. Moyses lib. aequiuocorum cap. 14.* Vnde ille, qui Dei cultum negauit inficiatus Deum, & dicendo, non esse Deum, id quidem in corde suo dixit, si-
Psal. 13. cut notauit David *Psalm. 13. & 52.* vbi
num. 1. *Hilarius* ait: *Ideò dixit in corde suo, quia*
Psal. 52. *erubuit tantùm monstrum in lucem asser-*
num. 1. *re*: melius in nostram doctrinam *August.* *Propterea* (inquit) *in corde dixit, quia timuit, ne si foras prodiret impietas, creaturæ omnes concurrerent ad perdendum impium*, & maximè homines, de quorum ratione est Deum vereri, ac colere.

Cum autem cuilibet homini, ptovt potest, incumbat Pietas, & Religio, vtpote, quæ prima virtutum sit, sicut dixit *Philo in lib. de Decalogo.* Sicut, inquit, principium omnium optimum est Deus, sic & virtutum Pietas, & Religio, & *lib. de pœnis, & premijs.* Sunt, ait, omnes virtutes virgines, omnes pulchræ sed harum chorum ducit pulcherrima pietas, quibus habet similia *lib. de agricultura, p. 175. & lib. 1. de allegorijs, pag. 54.* Cum, inquam, ad quemlibet hominem maximè spectet Religio, multo magis ad principes, ac maiores id pertinet, quod prosequitur *Ambr. Epist. 30.* & probat solutio cuiusdam non vulgaris difficultatis.

Enimuero, si quis quærat an fas fuerit Israëlitis considere cis Iordanem, sicut contigit tribui Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasses, vt constat ex *lib. Numer.*
Num. 32. *cap. 32.* per totum, siquidem diuinæ promissiones solummodo factæ fuerant de terra illa, quæ Iordane claudebatur ab Oriente, vnde, & pro rebellij, & incredulitatis pœna à Deo fuit impositum Moysi, & Aaroni, quod non transituri essent Iordanem, nec ad promissam inde terram
Num. 20. peruenirent, vt constat ex *cap. 20. Num.*
num. 12. quando ad illos dixit: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in
Num. 27. terram, quam dabo eis, & *cap. 27. eiusdem*
num. 12. *lib.* dixit ad Moysem. Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quã daturus sum filiis Israël, cumque videris eam, ibis & tu ad populum

A tuum, sicut iuit frater tuus Aaron, quia offendistis me in deserto. Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas. At verò Moyses peruenit vsque ad terram Galaad, & habitationem concessit Rubenitis & Gaaditis. Qui igitur fieri potuit vt filij Israël habitauerint aliam, quam promissam terram, quod nihil aliud videri posset, quam terminos hæreditatis, ab ipso Deo olim positos infringere, & quod omnium malorum maximum est, Ecclesiæ il-
B lius corpus diuidere, seque à communi societate fœderis diuini subducere, & emancipare, ante Iordanem remanendo?

Quæstioni respondit *Masius in cap. 12. Iosue num. 1.* Promissiones Dei, illas prouincias Iordanem antecedentes etiã fuisse complexas tanquam cum reliqua Chananæa coniunctas, quamuis interlaberetur Iordanis, quandoquidem in eas vsque se propagarat à Noë deuota illa posteritas Chanaanis, quorum terram vniuersam Deus olim Abrahæ donauerat, cœlestíque
C decreto sanciuerat illos ab Israëlitis esse exterminandos, erant enim Sehon, & Og Amorrhæorum Reges ambo, Amorrhæos autem à Chanaam prognatos esse testata res est, nam quod illa, quæ trans Iordanem tota posita est terra, plerumque sola potest promissa videri, cum Iordanis traiiciendus populo præstituitur: id ideo factum esse existimari licet, tum quia illa præcipua portio erat, & quia mysterium salutis humanæ in ea olim patefieri mundo debebat: atque ideo etiam Dei sacra-
D rium illic collocari, ad Moysem verò, & Aaronem, quod attinet pro magno quidẽ illud ipsis fuisse supplicio, quod prohiberentur à transmittendo Iordane: non quia illa sola terra Israëlitis promissa esset: sed quia sola sacro cultui dicata, ob eã, quam modo dicebam, rationem: non enim viri sanctissimi tantopere affixas terreno alicui mentes habebant: sed Dei promissa ad rem planè conferri, purúmque cultum ad eum adhiberi, id verò erat, cuius videndi maximo tenebantur illi desiderio, &
E pro quo tot grauissimos exantlauerunt labores, ad hoc ingens illos cura, & solicitudo angebat. Certè ad hanc solicitudinem Moysis aliqua ex parte leuandam, videtur illi Deus è montis vertice sacram illam ostendere regionem trans Iordanem, & simul mandare, vt Iosuë addat animo populo pro se traducturo, quasi dicat, non est mi Moyses, quod nimium sis solicitus, en tibi ob oculos loca illa sacra in quæ mox, duce

duce Iosuë, populus inducetur. Sic ille. Ex cuius expositione constat principes viros torius illius exercitus, quorum alrer erat dux, & propheta; alrer verò Ecclesiastici ordinis supremus (non quod Moysem à Sacerdotio excludant, cum probè nouerim fuisse etiam Sacerdotem, sed vt diuisum imperium contemplemur) nihil inquam illos tam in oculis, mente, & corde gestasse, nihil sic in votis habuisse, quam videre, & peruenire ad sacram illam regionem, in qua & peragenda erant humanæ redemptionis mysteria, & Deum tabernaculum, imò & templum habiturum in quo ipse audiret, & exaudiret orantes, & in quo ei iugiter immolandum erat, & holocausta, & sacrificia offerenda. Spectat siquidem ad proceres Reipub. ad capita regni, ad supremos viros, Reges, & Imperatores Dei cultum, & Religionem præ omnibus curare, & exequi.

Num. 7. num. 12. Vnde *Num. cap. 7.* postquam Moyses compleuit tabernaculum, & erexit illud, vnxitque & sanctificauit eum omnibus vasis suis. Obtulerunt principes Israël, & capita familiarum, qui erant per singulas tribus præfecti eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino, tunc addit sacer textus. *Primo die obtulit oblationem Nahasson filius Aminadab de tribu Iuda.* Æquum enim, & iustum erat, vt princeps regiæ tribus sese Deo primus offerret, muneráque deferret, cum hoc principum virorum præcipuum munus esse videatur.

Hinc etiam est, quod cum Deus vellet sui populi futurum gubernatorem, & principem Iosuë, eum in suo tabernaculo diu commorari voluit, sic enim habetur in Exod. 33. num. 11. Exod. *Cum ille* (scilicet Moyses) *reuerteretur in castra, minister eius Iosuë filius Nun puer non recedebat de tabernaculo.* Vbi nomen puer, iuuenem significat, nō seruum, vt nomen Hebræum, & Græcum indicat, si verò inquiras quid in tabernaculo Iosuë faceret? Nihil prorsus inuenies, quam cum Deo assiduè versari, iuges ei preces adhibendo, diuinam eius maiestatem contemplando, ei sese, totúmque populum valde commendando, iam enim pridem ex assiduo cum Moyse conuictu, & nuper in monte Sinai didicerat quemadmodum noctes, & dies in hisce pietatis exercitationibus versari posset, deinde cum eo venirent aliqui, eos accipiebat, præparabat, dirigebat, ipsius tabernaculi curam habebat, vt eius nihil à quoquam violaretur, munda, ac nitida essent omnia, portam, aperiret ac clauderet, ita vt verus esset in isto tabernaculo editnus. Ecce quibus officiis, & operibus exercebarur, qui populi post Moysem princeps futurus mox erat, quomodo Religionem præ omnibus colebat, videndus hac de re tractatus *Menachoth. c. 11. fol. 99.* Si deinde inquiras cur ab eo tabernaculo non recedebat Iosuë? Respondet *Serar.* ibi *lib. 1. c. 6. quæst. 4.* vt exemplo esset omnibus, qui magnas aliquando dignitates, & principatus adituri sunt, non Ecclesiasticos tantum, sed politicos etiam, iacerent hoc solidum pietatis fundamentum, precibus libenter vacarent, multum sacris ædibus honoris, & curæ impenderent.

In hanc sententiam facit id, quod habetur *Iosuë 18.* vbi dicitur. *Congregati sunt omnes filÿ Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonÿ.* Si verò inquiras, cur potius Silo adducta sit arca, quam in illam ciuitatem? Respōdet *Masius* ibi. Silo erat in Iosephitarum hæreditate, itaque apud eos primum collocari suum sacrarium volebat, cum penes ipsos tunc esset etiam principatus, fuit enim Iosuë Iosephita, mansit autem apud eos annis trecentis sexaginta nouem, vt mihi videtur, paulò paucioribus: cur porrò Silunem tandem desereret, magnæ causæ sacris literis proditæ sunt: sed cum ab Ioseph tribu veluti discessit, Deus peregrinatus aliquandiu, tandem ad Iudam commigrauit, cum iam hæ tribus rerum poriretur regnante Dauide. Iosue 18. num. 1.

Clarius hoc ipsum ad rem nostram dixit *Caiet.* ibi Par, inquit, fuit, vt in sorte principis, in sorte tribus Ephraim, de qua tribu erat Iosuë, qui tunc imperabat, & præsidebat populo Israëlitico, diuinus cultus locaretur, vt nouerint Dei cultum ad principem maximè attinere, aduertit deinde *Masius*, eùm Israëliticum imperium translatum est ad Dauidem & tribum Iuda, insuper, & arcam deductam esse ad sedem illius tribus, vt ad illam cum sceptro trāsiisse probaretur ipsam arcam, & Religionem, ac Dei cultum, quodque magis est in hanc sententiam, cum mons Sion biceps fuerit, vt bene notauit *Geneb. chronol. anno mundi 3150.* & certè Sion ex proprietate vocis originalis significat, acruum, seu tumulum, vnde à Dauide dicitur: *mons coagulatus.* id est, ex multis montibus compositus, aduertit igitur *Geneb.* quod in altero quidē iugo templum, in altero domus regia videbatur, supponimus enim in præsenti illam opinionem Psal. 67. num. 16.

quæ

quæ ex *Geneb.* colligitur de templo, non tamen rem modo decidendo, de qua videri possunt, quæ congerit, † *Pineda lib. 5. de rebus Salomonis cap. 5. sect. 9.* & iuxta hunc dicendi modum, & domus regia, & diuina sibi respondebant inuicem, vt connexionem inter Regem, & Dei cultum, & Religionem nobis inculcatam contemplaremur.

Ad quod argumentum facit id, quod communiter notari solet ex *Theod. Lyran. Abulens.* & aliis, quod licèt lex prohibuerit, ne viri, aut fœminæ vnius tribus, nuberent alteri tribui, attamen viris de tribu Leui licuit vxores accipere de tribu Iuda, vt patet in Ioiada sacerdote, qui accepit filiam Regis Ioram de tribu Iuda, & Aaron assumpsit sibi in vxorem Elizabeth filiam Aminadab sororem Naason, hic autem erat princeps de tribu Iuda, vt patet ex *cap. 1. Num.* cuius rei rationem reddens *Lyran.* ait. Dispensatum fuit, vt tribus Sacerdotalis, & regia possent commisceri, tum propter nobilitatem vtriúsque, tum vt Reges per Sacerdotes familiaritatem cum eis habentes, vero Dei cultu renerentur, & primus illius populi dux à Deo electus, & constitutus, Moyses scilicet princeps pariter fuit, & Sacerdos, quod etiam notauit *Plato lib. de regno*; eosdem scilicet fuisse olim Reges pariter, & Sacerdotes; & Numa Rex ipse se in primis Pontificem constituit, vt *Dionys. Halicarn. & Plutar.* tradunt, Galba verò, teste *Suetonio*, etiam triplex Sacerdotium gessit, & Rex Lacedæmoniorum ducem, & Sacerdotem agebat, vt scribit *Xenophon. & Origen. lib. primo, Chrysostom. in cathena, Hieronym. in Epistol. ad Euagr.* quæ est de Melchisedech. *Philip. presbyt. Beda,* & Recentiores probant Iobum fuisse Sacerdotem ex Regia dignitate, & primo honoris gradu apud suos, & *Isidorus 7. ethymol.* ait, Antea qui Reges erant, & Pontifices erant: nam magnorum hæc erat consuetudo vt Rex esset etiam Sacerdos, & Pontifex, vnde Romani Imperatores Pontifices dicebantur, quod quidem testimonium refertur in *cap. clericos d. 21.* Vnde mihi non displicet eorum sententia, qui dicunt, propterea solum Dauid appellatum fuisse Regem semel, atque iterum ab Euangelista, cum alios Reges proprio tantum nomine appellet, quia scilicet Dauid Religionem maximè curauit, & domum Domino constituit extruere, nisi prohiberetur à Deo. Deinde magnum affectum Religionis probauit, cùm ante Arcam percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus accinctus Ephod. Ostendit etiam animum suum erga Dei cultum, in eo quod ante mortem suam omnes ad templi constructionem præparauit expensas, vt patet ex *1. Par. cap. 22.* & ideo ibi dicitur. Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò, & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna, & lapides præparaui ad vniuersa impendia. Quibus habet similia *cap. 29.* vbi etiam accepta referri possunt quæ fecit, vt à populo offerentur, & à principibus, ex quibus omnibus secundum computationem, & probationem diligentissimam *Villalpandi*, consurgunt centum, & octo millia talentorum auri, quæ redacta ad summam ducatorum Hispanicorum efficiunt mille sexcentos tres miliones, & octoginta millia ducatorum plus minúsve, argenti verò consurgunt mille millia, & decem, ac septem millia talentorum, quæ efficiunt Hispanicæ monetę mille ducentos, & octo milliones, & centum nonaginta sex millia ducatorũ, vnde *Ioseph. lib. 7. antiquitatum cap. 12.* ait: Tantas diuitias reliquit, quantas nullus alius Rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium: quódque magis mirum est hac in re, magísque indicat Religionis effectum in Dauide, posse congregare tot diuitias, ducem clarissimum, ac militem fortissimũ belli studiis assuetum nunquam ferè dimisso exercitu numerosissimo, quippe cum generi huic ducum, ac militum sicut nihil deesse in vita videtur, ita nihil in morte superest, quorum vtrunque ad militarem fortitudinem facit, vt & miles sit diuitiarum & voluptatum auidus, sic enim audacius periculum subiturus, quo satis cupiditatibus suppeditet, & vt nihil domi habeat, vt apud *Plutarch.* Iphicrates dicebat.

Attamen Dauid ardentissimo flagrans desiderio ædificandi templi Domini corrodebat vndecunque non sibi sordidè, sed Deo liberaliter, & magnificè spiritu regio & principali omnium vasorum, & vtensilium materiam, metalla, ligna, lapides, & vt ipsa profana, & preciosa ornamenta diuinis vsibus consecrarentur, & esset, quod supra frænum equi est sanctum Domino, sicut dixit *Zachar.* & equestres illæ, & bellicæ phalaræ (sic exponente *Hieron.*) non amplius sibi aduersus hostes pugnanti,

4. Reg. 11. — *Exod. 6.* — *Matth. 1. num. 6.* — *2. Reg. 7.* — *2. Reg. 6. num. 14.* — *1. Paral. 22. nu. 3. & seqq.* — *Zac. 14. num. 20.*

pugnanti, sed filio Religionem curanti ad A
Dei cultum deseruirent, in antiquo enim
Religionis ritu, & more positum erat, vt
duces, & milites ex deuictis hostibus, vi-
ctoriæ Auctori Deo prædam offerrent, vt
Gen. 14. patet ex *Gen. 14. & ex lib. Num. 31.* Quod
num. 18. etiam videre est apud *Dionem orat. 2. de*
Num. 31. *regno.* Crediderim insuper Dauidem sibi
num. 18. multa, & suis vsibus, ac delitiis ademisse,
& seqq. & contulisse ad diuinos, & vixisse parciori
cultu, ac victu, quam potuisset, ac debuis-
set Rex viuere, nisi de templi expensis co-
gitaret, idque probant verba illa citata. B
*Ego in paupertate mea preparaui impensas
domus Domini.* Biblia Regia, & alij ha-
bent: *In afflictione mea*, quod scilicet, ea in
re se afflixerit, minimè sibi indulgēs, imò
denegans sæpè delitias, non raro etiam
necessaria instar viri pauperis, nam Daui-
di præ omnibus Religionem, & Dei cul-
tum curanti inter medias belli molestias
nihil illi magis erat curæ, quam vt de
templi expensis cogitaret.

Et cum notus esset in vniuerso Israël
hic Dauidis Religiosus affectus, & ani- C
mus inde solutionem ad nostrum institu-
tum colligo cuiusdam difficultatis, quæ
1. Reg. obiici à plerisque solet *lib. 1. Reg. cap. 21.*
21. n. 3. cum ad Achimelech venit, furorē Saulis
effugiens, eiq; dixit. Si quid habes ad ma-
num, vel quinq; panes da mihi, aut quid-
quid inueneris, & respondens Sacerdos ad
Dauid, ait illi. Non habeo laicos panes ad
manum, sed tantum panem sanctum, si
mundi sunt pueri, maximè à mulieribus.
Quærunt igitur hoc loco multo, cur Sa-
cerdos de pueris sollicitè interrogans, Da- D
uidem omiserit? *Caiet.* id factum putat
honoris gratia, oportet enim summam
principibus reuerentiam exhiberi, alij
aliò tam diuertunt; scopum mihi viden-
tur collimasse, qui dicunt propterea nihil
de Dauide curasse circa mūditiem, & pu-
ritatem animi ac legalem, quia cum pro-
bè nouerit, eius Religiosum animum, &
Pietatem, indignum duxit & dedecere pu-
tauit, si de eius munditie dubitaret, qui à
Deo designatus princeps erat, & electus
ad populi sui thronum, & sedem, ad quam E
non nisi pium, & Religiosum virum Deus
debebat assumere, cui Religionem, & Pie-
tatem cum regno committeret.

Hinc est quod præclari Duces, & Re-
ges potius mortem experiri volebant, quā
viui superesse, ac ruinam Religionis, &
Dei cultus propriis oculis intueri, quod
1. Mac. videre est in Iuda Machabæo, qui dixit:
3. n. 5. Melius est nos mori in bello, quam vide-
re mala gentis nostræ & Sanctorum. Et
Rex Iosias pro magnis obsequiis quibus
Deum sibi deuinxerat, ac demeruerat,
hoc vnum beneficium recepit, vt prius
ipse moreretur, quam populi sui gloriam,
& Dei cultum emersum, ac domum Dei
incensam à Babylonis videret, sic enim
ad eum ait Deus. Colligeris ad sepul- 4. Reg.
chrum tuum in pace, vt non videant ocu- 22. n. 20.
li tui omnia mala, quę introducturus sum
super locum istum, vbi *Lyran.* ait. Sapien-
tes, adde etiam & Reges, reputauerunt
maius malum videre destructionem suæ
Religionis, & populi, quam mori, & ideò
pro beneficio concessum est pientissimo
Regi non videre destructionem popu-
li, templique incendium, ac Religionis
ruinam.

Hinc etiam & Samuëli plus displicuit
Dei offensa, quā propria iniuria, & abie-
ctio, sic enim habetur in sacro textu: Dis-
plicuit sermo in oculis Samuëlis, eo quod
dixissent, da nobis Regem, &c. Vbi quæ- 1. Reg. 8.
runt interpretes causam huius displicen- num. 6.
tiæ in Samuële, *Caiet.* ait. Humana ratio-
ne, & passione displicuisse, Samuëli hanc
petitionem, quia redundabat in abiectio-
nem ipsius, & filiorum. Cæterum adduci
non possum, vt hoc de Samuële credam
qui minus profectò de sua, & filiorū suo-
rum gloria, quam de diuina cogitabat, &
quod ad filios attinet, id apertè probat
Hugo Cardinal. qui ait. Displicuit sermo,
quod Regem postularunt, non quod filios
repudiabant, similiáque habet *Abul. ibi.
quæst. 4.* dicens. Samuël cum vir iustus es-
set, non curasset nimis de filiorum suo-
rum deiectione, dum tamen prouideretur
publicæ vtilitati, quod etiam petebat. *q. 6.*
Quod verò Samuël sui etiam curam mi-
nimè habuerit hac in re, testatur *D. Greg.*
ibi, cum ait. Sancti viri, cum se à subditis
contemni conspiciunt, non tam eis displi-
cet quod contemnuntur, quam quod con-
temptores sui Deo non placent, eorum
quippe contemptu, suæ internæ gloriæ
dari incrementa conspiciunt, sed augeri
merita sua subditorum defectibus inge-
miscunt: videndúsque est eadē de re idem
*Greg. hom. 15. in Ezech. & Chrys. hom. 1. de
cruce de latrone.* Rem vero nobis aperuit
clarius *Brixian.* dicens. Quia ex tumul-
tuario quodam, & inconsiderato animo,
& non pro honore Dei, & conseruatione
iustitiæ postulauerunt Regem, & idcirco
Deum offenderunt, præsertim, cum magis
fiduciam suam in homine collocauerint,
quam in Deo, qui toties è magnis peri-

culis eos eripuit. *Rupert.* verò atque etiam A
Caietan. & alij asserunt ideò displicuisse,
quia diuino honori detrahebant, homi-
nem Deo præferentes. Ex quibus illud
certò elicitur Samuëli hanc petitionem
propterea displicuisse, quia in ea Deum
maximè offendebant, namque postulan-
do Regem; Deum ipsum recusabant, at
verò principibus viris, quibus impe-
rium, & gubernatio incumbit, nihil ma-
gis est in animo, quam Dei cultus, &
dilectio. Vnde *Niceph.* refert Theodosius
Imperatorem iam iam moriturum duo- B
bus filiis Arcadio, & Honorio, nihil
aliud commendatum esse voluisse, quam
vt veram pietatem semper obseruarent,
& colerent.

Et *Plutarch. in vita Thesei.* notauit no-
bilibus commissam esse curam rerum di-
uinatum, quod etiam dixit *Fenestella lib.
de Magistrat. & Sacerdot. Romani Imperij*
statim in principio, vidéndúsque idem
Plut. in vita Graccorum vbi refert, quod
cum Numantini locupletissimam prædam
libenter obtulissent Liberio Gracco, ex C
tota præda solum thus accepit præpara-
tum, sacrificandi gratia, quasi nihil magis
deceret nobilissimam familiam. & princi-
pem hominem, quam Dei cultus & Reli-
gio; & Ianus quem veteres putarunt fuis-
se Noë mundi instauratorem vt notauit
Fabius pictor. 1. part. de aureo seculo, &
meminit etiam eius rei *Berosus Chaldæus*,
vinum & far primos homines docuit ad
sacrificium potius, & Religionem, quam
ad esum, & potum. Hinc etiam orta de
summa cura in perficiendis sacrificiis, à D
quibus nihil terrahere potuit præcipuos
antiquitatis viros: refert siquidem *Liuius
lib. 2. ad vrbem*, Puluilum consecrantem
ædem Ioui ita contempsisse nuntium de
mortui filij, vt mortuum insepultum de-
mandaret abiici, ne ab incepto sacrificio
desisteret, & ne luctus Religionis actum
minus decorum fortasse redderet. Simile
de Xenophonte narrat *Valerius Maximus
lib. 5. c. 8.* Qui cum solemne sacrificium
perageret è duobus filiis maiorem natu
Grillum apud Mantineam in prælio ce- E
cidisse cognouit, neque ideo institutum
Deorum cultum omittendum putauit, sed
tantummodo coronam deponere conten-
tus fuit, quam ipsam, percontatus quo-
nam modo occidisset, vt audiuit fortis-
simè pugnãtem interiisse, capiti reposuit:
alius remouisset hostiam, abiecisset alta-
ria, Xenophōtis cor, pia Religione immo-
bile stetit, qua de re plura ibi habentur.

Si verò inquiras cur Reges, nobiles, &
primarij ordinis viri ornatissimi tam præ-
clarè affecti fuerint circa Dei cultum, &
Religionem, eam profectò existimo non
contemnendam rationem, vt Deo sic me-
lius potirentur, & suas Respubl. saluas, &
incolumes tutarentur, neque enim Reli-
gione, & Pietate nostra Deus in aliquo
iuuatur, sicut dixit. *Philo lib. quod deterior
potiori insidietur*, vbi ait. Pietas ad cuius
curam pertinet Deum colere nefas est vt
dicatur aliquid cōferre, quo iuuetur Deus,
nihil enim est, quod Deum adiuuet, rei
nullius indiget, &c. sed potius, vt tradit
Cyprianus ad illa verba: Sanctificetur no- *Matth.*
men tuum; ad hoc conducit Religio, vt *6. n. 9.*
gloria, & maiestas Dei gloriosè appareat
in nobis, similia habet ibi *Chrysostom.* Da,
inquit, eam nobis viuere vitam, vt per
nos nomen tuum glorificetur, quibus suf-
fragatur *Ambr. lib. 5. de Sacramentis.* Hoc
igitur in primis Religionis nostrum est
lucrum.

Deinde etiam & conseruatio Reipubl.
quæ à Dei cultu maximè dependet, inde
enim est, quod in sacris litteris sacrificia,
quæ Deo offerimus nomine panis appel-
lantur, non quidem quo Deus vescatur,
nutriaturvè, sed quo Regna, & Respubl.
nutriuntur, conseruantur, & augentur, sic
enim aliqui interpretantur, panem illum
pollutum, de quo conqueritur Deus per
Malachiam, inter quos est Rabbi Dauid, *Malach.*
& probatissima est sententia ex eóq; ma- *1. num. 7.*
xi[illegible]placet, quia Malachias paulò infe-
rius, quasi sese explicando addit. Si offe-
ratis cæcum ad immolandum nonne ma-
lum est? Et Paraphrasis Chaldæa habet.
Vos offertis super altare meum sacrifi-
cium abominabile. Ait ergo Rabbi Da-
uid, panem pollutum idest victimam, seu
sacrificium, quod Hebraicè dicitur, cor-
ban, ab admouendo, admouetur enim ad
altare hostia, adducítque alia loca sacræ
Scripturæ, vt ostendat victimas, & sacri-
ficia interdum vocari panem, vt *Leuit. 21.* *Leuit.*
Incensum enim Domini, & panes Dei sui *21. n. 6.*
offerunt, Hebraicè sic est vertendum:
Quia incensa, seu concremata panem
Dei sui offerunt. Vbi apertissimè loquitur
de sacrificiis, panémque ponit pro qua-
cumque re oblata, & *Leuit. 3.* Adolebit ea *Leuit.*
super altare Sacerdos in alimoniā ignis, *3. n. 16.*
& suauissimi odoris. *Hebr.* Adolebit Sa-
cerdos in altari panem incensi Domini.
Et *lib. Num. cap. 28.* Oblationem meam, & *Nu. 28.*
panes, & incensum odoris suauissimi of- *num. 2.*
ferte, vbi secundum fontem Hebræum:
Obla

Oblationem meam, panem meum & incensa mea, odorem suauem meum, obseruabitis, vt offeratis mihi in tempore opportuno. Ex quibus locis colligitur, Lehen, non solum panem, sed cibum, seu potius sacrificium significare. Neque verò nobis placet quod Pagninus in thesaurò, & Rabbi Dauid asseruerunt in omnibus prædictis locis, Leché, significare carnem potius, quam sacrificium accommodatius enim est significare panem, & sacrificia, quæ sunt veluti fercula quædam suauissima, & maximæ substātiæ, non quibus Deus in se nutritur, sed in nobis, vel potius quibus alimur & nutrimur, ne penitus intereamus, & in nihilum redigamur nos, & Respublicę, Regna, & Imperia, sed potius in melius proficiant. Sicut ergo ad Reges pertinet de subditorum vita maximam curam gerere, eisque cibaria, & alimenta curare, qua ratione etiam in somniis fertilitatis & sterilitatis tempo-
Gen. 41. ra Pharaoni Regi ventura manifestatur,
num. 2. quando etiam dormientes hoc illis inter-
& seqq. nis etiam sensibus debet obseruari, & è somno pro suorum remedio vigilantes surgere, sic ad eosdem maximè pertinet Dei cultum, & Religionem curare, quibus regna nutriuntur, & in melius semper proficiunt, quæ fuit ratio cur olim Reges Sacerdotes simul fuerint, sicut superius ostendimus, ad quam fortè consuetudinem colluditur, cum Deus suum populum
1. *Petr.* appellat, Regale Sacerdotium, vtrâq; sci-
2. *n.* 9. licet regia, & sacerdotali simul dignitate fulgentem populum, inde etiam eo tantummodo tempore regnare dicuntur Reges in Scriptura, quo Religionem, & Pietatem seruarunt, quasi ad hoc fuerint instituti, & hoc sibi maximè constitutum putare debeant Reges, & Principes.

In quam sententiam notauit *Theodor. quæst.* 37. *in* 3. *Reg.* id, quod asserit sacer tex. 3. *Reg. cap.* 11. *Dies, quos regnauit Salo-*
3. *Reg. mon super omnem Israël quadraginta anni*
13. *n.* 12. *sunt*, vt hoc conciliaret eum Iosepho, qui dixit Salomonem regnasse quadraginta annos. Ait ergo *Theodoret.* Ille qui librum Regum composuit, dixit Salomonem regnasse quadraginta annos, Iosephus autem sexaginta quatuor, existimo autem hunc quidem simul numerasse omnes annos, illum autem eos solos, quos transegit in pietate, ac vera Religione. Vult igitur *Theodor.* sacrum text. solos eos annos recensuisse, quibus ipse Pietatem, & Religionem coluit, omisisse verò eos, quibus eandem Religionem spreuit, vt

A ostenderet Regibus præ omnibus incumbere Pietatem, & Religionem, quam si non curent, idem prorsus censendum esse de iis, ac si minimè regnarent.

Neque verò omittendum hoc in loco est id, quod notauit idem *Theod.* quando Dei nuntium per Prophetam delatum est ad impium Ieroboam stantem super altare, & iacientem incensum, pro eo enim vt Regē alloqueretur, ad altare loquitur in confusionem Regis, qui relicto vero Deo, à quo regnum præter spem, & opinionem
B adeptus fuerat, vitulis aureis sacrificabat, dixit ergo Propheta: *Altare, altare, hæc* 3. *Reg.*
dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui 13. *n.* 2.
Dauid Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt: hoc erit signum quod locutus est Dominus. Ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est, cúmque audisset Rex, extendit manum suam de altari dicens: Apprehendite eum, & exaruit manus eius, quam extenderat, nec valuit retrahere eam ad
C *se: altare quoque scissum est, & effusus est cinis, de altari.* Ait ergo *Theodor. ibi. quæst.* 42. Sed ille sceleratissimus eum oporteret eum admirari miraculum, & timere eum qui miserat, extensa manu iussit apprehendi Prophetam, sed manus mansit habens figuram extensionis, musculis, & neruis extensis: & id quidem quod accidit altari, non eum stupefecit, sed id quod manui, valdè anxit, cum autem esset valdè stultus, supplex rogauit Prophetam, vt sibi ei peteret ab eo,
D qui miserat, non sceleris remissionem, sed manus curationem. Sic ille, qui rectè aduertit, impium Regem potius curandam voluisse manus propriæ stupefactionem, quam altaris destructionem, cum tamen *Exod.* 6.
meminisse debuerit potius, sibi curandam *num.* 6.
esse Religionem, & Dei cultum, proindé- *Deut.* 33.
que altaris restitutionem in qua verum *num.* 20.
brachium, & manus reperitur ad tutan- 3. *Reg.*
dam Rempublicam & Regnum. 8. *n.* 41.

Quę fortassis est ratio cur in sacra Scri- *Iob.* 4.
ptura Dei arca appellata fuerit, *Brachium num.* 4.
E *Israëlitarum*: sicut aduertit *D. Hieronym. Eccles.*
in tradit. Hebraic. ad 1. *Regum.* Cum enim 36. *n.* 7.
in sacris literis brachium significet forti- *Isai.* 33.
tudinem, vt videre est. *Exod.* 6. *n.* 6. *Deut. num.* 20.
33. *num.* 20. 3. *Reg.* 8. *num.* 41. *Iob.* 4. *nu.* 4. *Ierem.*
Eccles. 36. *num.* 7. *Isai.* 33. *n.* 20. *Ierem.* 21. 21. *n.* 5.
num. 5. *Psal.* 36. *num.* 17. *Psal.* 43. *num.* 4. *Psal.* 36.
& alibi sæpè, ita arca fœderis fortitudo *num.* 17.
Dei, & illius populi censebatur, quia in *Psal.* 43.
ea, & per eam Deus colebatur, vnde Dauid *num.* 4.

2.*Par.*6. 2. *Paralipom.*6.dicebat. Consurge Domi-
num. 46. ne Deus in requiem tuam, tu, & arca for-
titudinis tuæ, vbi *Lyran.* ait. Dicitur hic
arca fortitudinis diuinæ, quia fortitudo
Dei apparuit per ipsam in Iordanis sicca-
Iosue 3. tione *Iosue* 3. & Ierico destructione *Io-*
Iosue 6. *sue* 6. & Philistinorum percussione 1. *Re-*
1. *Reg.* 5. *gum* 5. Voluit enim Deus ad præsentiam
arce testamenti fortitudinem suam exer-
cere, & protectionem illius gentis osten-
dere, vt sic eos admoneret de cultu ipsi
exhibendo, & Religione seruanda, qua
durante, Dei fauorem & fortitudinem
semper experirentur, ne tandem res ipso-
rum facilè collabi possent.

Nec minus rem præsentem conficit, si
aduertas Sacerdotes in Scriptura brachiũ
etiam appellari, quibus scilicet Respubli-
ca defenditur, & quæcumque præclara
*Leuit.*7. perficiuntur; quibus ideo ex præcepto di-
*num.*32. uino in pacificis hostiis armus dexter, seu
brachium dextrum victimæ cedebat, vnde
Malach. est illud contra iniquos Sacerdotes. *Ecce*
2.*n.*3. *ego proijciam vobis brachium*, hoc est, bra-
Isai. 51. chium vobis amputabo, & *Isaia* 51. *Bra-*
*num.*5. *chia*, inquit, *mea populos iudicabunt*, hoc
est Sacerdotes, & principes Ecclesiastici,
vt exponit *Lyran.* qui in corpore Eccle-
siæ, vbi Christus caput est, locum obtinent
*Matt.*19. brachiorum, in extremo iudicio, *Sede-*
num. 28. *bunt super sedes duodecim iudicantes, duo-*
decim tribus Israël. Sunt igitur Sacerdotes
brachium in populo, dũmque manus suas
in oblationibus Dei extendunt, hostes fu-
gant, & Rempublicam securam reddunt
ab aduersariorum incursibus. Impius pro-
inde Ieroboam stultitiam suam in hoc
maximè ostendit, quod potius brachium
suum voluerit restitui, quam Dei altare
redintegrari per quod, & per sacrificia in
eo oblata, omnia bona ipsi, & regno eius
deberent obuenire.

Cùm ergo ad Reges primò, & præcipuè
Religio, & Dei cultus pertineat, qua qui-
dem in ea maximè perficiuntur, & subdi-
tos in officio, & sui amore continent, nam
sicut dixit *D.Thom.*2.2. *quæst.*82. *artic.*7.
in corpor. quælibet res perficitur per hoc
quod subditur suo superiori, sicut aër per
hoc quod illuminatur à sole, lucidus red-
ditur, & pulcher, mens verò humana, &
maximè Principis perficitur cum Deum
colit, & subditos in Religione continet,
vnde non mirum si Rex & tota simul Res-
publica corruerit, & collectus exercitus
perierit, vbi Rex sacrificia Deo offerenda
retardabat, & Dei cultores persequeba-
tur, quæ magna nobis videtur causa hu-

A ius ruinæ & submersionis Ægyptiorum,
sicut enim plurium malorum, & Dei of-
fensarum fons, & origo est si Rex Reli-
gionem minimè curet, ita etiam princi-
pium, & causa diuinæ punitionis extat
Princeps, qui Dei cultui, & Religioni per
summam Dei iniuriam opponitur.

In quam sententiam notandum venit
locus ille *Iudic. c.*17. vbi Michas ædicu- *Iud.*17.
lã separauit in domo sua, & fecit Ephod, *num.*5.
& Teraphim, .dest, vestem sacerdotalem,
& idola, impleuitque vnius filiorum suo-
B rum manum, & factus est ei Sacerdos,
posteàq; inuitauit adolescentem Leuitam,
impleuitque manum eius, & habuit pue-
rum Sacerdotem apud se, vbi aduertẽdum
est tria, eaque grauissima peccatorum ad-
missa genera, primũ idololatria, secundum
ad idololatriam peregrini pauperis, &
adolescentis inuitatio, ac persuasio, ter-
tium Sacerdotij violatio, eàque triparti-
ta: primum quia non erat capax Sacerdo-
tij Leuita, qui ex Aaronis stirpe ortum
non duceret. *Leuit.*8.*&* 9.*Num.*8. *&* 17. *Leuit.*8.
C Iste verò non erat ex Aarone, & ex Moy- *&* 9.
se, nam in *c.*18.dicitur, *Filius erat Gersan,* *Num.*8.
filij Moysi, vt habetur in correctis Latinis: *&* 17.
dicitur autem filius Gersan secundum Be- *Iud.*18.
roaldum *lib.*3.*Chronic.* propriè, ac imme- *num.* 20.
diatè, at secundùm alios, quod verius exi-
stimo, minus propriè, ac mediatè, ita vt
more in scripturis perusitato, filius hoc
loco sit nepos, siue aliquis è posteris.

Secunda violatio Sacerdotij fuit, quia
nullum ius erat homini Ephraïmitæ con-
secrandorum Sacerdotum, hoc enim erat
D Aaronis munus, vt ex citatis locis clarè
patet, quomodo igitur Sacerdotem inau-
gurare, & consecrare potuit, & manus im-
plere, *Leuit.*1. consecrare? Implere enim
alicuius manus, secundum phrasim sacri
text. est Sacerdotio initiare, quod aliqui
ignorantes, & maximè in concionibus, in-
telligunt illud 3.*Reg.*13.*Quicunq; volebat* 3. *Reg.*
implebat manum suã, & fiebat Sacerdos de 13. *n.*33.
iis, qui per munera, & impletionem ma-
nuum, donis scilicet ac muneribus intro-
ducũtur ad dignitates Ecclesiasticas, con-
E tra id, quod Scripturæ verba significant.
Quomodo autem impletio manuũ con-
secrationem Sacerdotis significet, fatetur
Caietan. dicto loco iudic. non comperisse,
duas tamen subiũgit res, quibus illa com-
pleri suspicetur, vna est oleum, vt eo ali-
quorum vngerentur manus, Sacerdotés-
que consecrarentur, altera est victima, vel
oblatio, quam dum manu quis apprehen-
deret, Deóque offerret, Sacerdos fieret.
Vtraque

Vtraque quidem cõpletio scripturis consentanea est, vt patet ex *cap.8. Leuit.* & *cap.9.* & vtraque simul iungenda est, vt significetur quis Sacerdotio initiatus. Sed eius causa efficiens in eisdem Scripturis duplex legitur. Vna vnusquispiam ab initiando Sacerdote diuersus, vt citatis locis Moyses compleuit manum Aaronis, & Aaron filiorum suorum, atque etiam hoc in loco Michas impleuit manum filij, & Leuitæ adolescentis, quem sibi acciuit. Altera est ipsemet, qui Sacerdotio initiatur, vt patet in citato loco ex *3. Regum 13. Quicumque volebat implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum:* Ille itaque prima scilicet causa, vngit, & in manum quasi tradit, quæ offerat initiandus: posterior accipit, & offert, & vtrumque significat Chaldæus Ionath. quando implere manum transfert per admouere, seu offerre munus, aut oblationem, quod etiam imitatur *Ioseph.* loquens de impiissimis Ietoboami Sacerdotibus. Ecce igitur violatio Sacerdotij per adimpletionem manuum.

Leuit.8. num.24. & 27. Leuit.9. n.3.9.13.

3. Reg. 13. n.33.

Tertia violatio, seu profanatio fuit indigna Sacerdotis ab idolorum cultu traductio, cum soli Deo, aræ, sacrificia, & Sacerdotes debeantur, non Angelis, non creaturis vllis quantumlibet eximiis, ac præstantibus, quanto minus idolis, ac dæmonibus?

Ecce igitur tot, & tam grauia in diuinam maiestatem contra omnem Religionem, sanctitatem, charitatis, ac iustitiæ officium, Sacerdotalis muneris descriptionem, Pontificalis auctoritatis potestatem D suscepta crimina, vnde *Petrus Damian. lib.1. Epist.21.* eum obiurgans Episcopum, qui pretio, ac pecunia, vt Pontifex crearetur maximus, impiè satagebat, dicit imitari Micham, sic enim habet. Habuit mater Michæ argentum, vnde conflatum est idolum, sed absit vt tantum ex illa, quantum de tua pecunia prodierit sacrilegium: ex illa quippe summa in vna tantum tribu factum est in Israël scandalum, tua verò pecunia Christianæ fidei, & totius sanctæ Ecclesiæ nititur euertere fun- E damentum, & Michæ similis dicit *Serar. ad dictum c. Indic.* eos qui laici cum sint, Ecclesiasticam sibi potestatem vsurpant, suóque solo nutu, & auctoritate faciunt suis in arcibus, fundis, pagis, & oppidis prædicãtes, adeò vilibus hominibus, quos ipse refert, concionandi, Euangeliíque palam in Ecclesia explicandi munus imposuerint, quod certè dolendum est: vide- A mus enim nostra hac procellosa tempestate summæ auctoritatis munus prædicandi aliquibus concedi, qui derisui potius, & contemptui sunt, quam correctioni, & imitationi. Michas etiam dicit eos qui ignotos, ac peregrinos absque vllo examine inaugurant, vel sacris admouent cathedris, aris, ac officiis, qua de re videndum est *Concilium Trid. sess.22. decret. demiss. & sess.23. decret. de reformat. c.6.* qui omnes meminisse debuerant dixisse *Tertull. lib. præscript. cap.41.* ordinationes B hæreticorum temerarias, leues, inconstantes, vt è contrario curent summo consilio, & diligenti præmisso examine Sacerdotes initiare, & prædicatores constituere.

Sed quid longè diuagati sumus ab scopo referentes, & crimina Michæ contra Religionem, & arguentes eos, qui ipsum per summam impudentiam imitantur? Vt scilicet colligamus inde hæc omnia crimina vnam habuisse causam, quam statim affert sacer text. cum ait n.6. *In die-* C *bus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Super quæ verba sic ait *Theodor.* Docuit causam cur legem est transgressus Michas: in illis enim, inquit, diebus non erat Rex in Israël, vnusquisque faciebat quod gratum erat in oculis suis: tam multa mala conciliat nullum habere rectorem, aut magistratum. Sic ille nobis contemplandum obiicit, quanta mala defectus Regis afferat, vt inde colligamus, quãto plura, ac maiora praué affectus animus Regis erga Religionem inferat, proindéque in quantam indignationem commoueat diuinam iustitiam princeps, qui circa cultum Dei impiè se gerit, quod videre possumus in filiis Heli, quorum impietatem in retrahendis hominibus à sacrificiis pater soluit quasi non sufficeret solutio in morte filiorum.

Iudic.17. num.6.

Alia insuper extremi huius supplicij ratio assignari potest, quod scilicet Pharao in aquis rubri maris perierit, quia ipse mares Hebræorum in aquis suffocauerat iuxta illud. Quidquid masculini sexus natum fuerit in flumen proiicite, sic proinde ipse, exercitus item eius, & electi principes eius submersi sũt in aquis, eámque fortassis ob rem innuendam dux Hebræi populi, & Pharaonici supplicij inductor vocatus est (Moyses) quod nomen est Ægypticum, & apud nos sonat; ex aquis: teste *Iosepho lib.2. antiquit. c.9.* Quasi signum quoddam tum rememoratiuum fluuiatilis

Exod.1. num.vlt.

uiatilis aquæ, ex qua extractus est Moyses infantulus prope suffocandus in ea; tum etiam prognosticon marinæ aquæ, ex qua non erat extrahendus Pharao, sed suffocatus relinquendus, sicut autem iussu Dei aquæ Ægypti conuersæ sunt in sanguinem: vbi dicitur. Eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem, *Exod.7. num. 20.* *Glossa interlinealis* ibi ait. In qua necauerunt paruulos Hebræorum, vt bibant sanguinem, quem fuderunt, & *Orig.* ibi ait. quod aquæ fluminis vertuntur in sanguinem, satis conuenienter aptatur, vt is fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderunt, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculauerant, potando sentirent: quibus habet similia *Auctor lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 1. cap. 18. & Rupert. ad eundem locum Exod. & Eusebius* quem refert *Lipom.* in catena.

Sicut igitur in sanguine potato vindicauit sanguinem effusum, & aquas vertit in sanguinem, in quibus infantes suffocarunt, sic etiam extremo damnatur Pharao supplicio obrutus fluctibus: & aquarum vorticibus deprimitur, qui innocentes infantes in aquis perimebat, vt supplicium responderet culpæ, & vitæ interitus, solet enim diuina Iustitia plerunque non sola supplicia inferre, sed culpis eadem adaptare, vt videre est in impio illo Herode, qui eo quod innocentes infantes impiè occidi fecit, eo furoris deuenit, vt proprios etiam occiderit, & superstites ab alio viderit occidi, qua de re ita *Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 2. ad fin.* ait. Dignam pœnam Herodes suscipit, nam filios suos tres interfecit, & non interfectos, ab alio vidit occidi, vt ne vel paternam super illos pietatem demonstraret in luctu, sed ipse occidit, vt & filios perderet, & de morte eorum crimen acquireret, viscera sua laniabat in filiis, & dolorem eorum non sensit, vt quemadmodũ paruuli mortem suam non censerunt propter infantiam, sic & ille dolorem viscerum suorum non sensérit propter insaniam, deinde ipse multis doloribus apprehensus est, sicut refert historia, quam longum est narrare: quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur, & quia multoties moti non poterat, qui multos occiderat infantes, propterea vindicta morientium plurimorum, in plurimis ei doloribus reddebatur. Item quando vidit se prope mortem, sciens quia odibilis erat apud omnes Iudæos, & quia mors illius multis gaudium erat factura, congregauit omnes principes Iudæorum, & iussit, vt cum ipse mortuus fuisset omnes occiderentur, vt in morte eius omnes ciuitates lugerent, & si non propter amorem illius, vel saltem propter suum dolorem, & hoc consilio Dei factum est, quando enim Magi adnuntiauerunt de stella Regis futuri, omnes principes consenserunt Herodi, vt requirerent puerum, & occiderent. Hoc vnde scimus? Primùm quia dixit Scriptura: *Turbatus est Herodes, & omnis ciuitas cum illo.* Deinde ipsa verba Angeli hæc demonstrant dicentis: Accipe puerum, & matrem eius, & reuertere in terram Iuda, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. *Matt. 2. num. 20.* Non dixit mortuus est, qui requirebat animam pueri, sed mortui sunt omnes, qui requirebant animam pueri. Sic ille duplici exemplo rem ostendit, altero Herodis, cuius filij sunt occisi, ipséque plenus doloribus miserè interiit, altero Principum & Procerum regni ipsius, qui ab eodem iussi sunt occidi, eo quod illi necem innocentum permiserunt, probauerunt, & adiuuerunt. Verum enim est, id quod Sapiens dixit: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* *Sap. 11. num. 17.*

Vnde *August. serm. 89. de tempore,* ponderat Deum ordinasse, vt ab aquis in quibus suffocabantur pueri Hebræorum iussu Pharaonis, educeretur Moyses à parentibus proiectus, iussu filiæ Pharaonis, in ipsius, & totius regni perniciem, & interitum, vt eadem via, qua deliquerat, puniretur. Quid impiè insanis? Ait *Augustin.* Quid crudeliter sæuis? Licèt plurimis insontium mortes acerbas inferas, tibi necis augetur, & pœnæ non detrahitur meritum, cùm enim passim paruulorum corpuscula deiicerentur in flumine, Moysem manus excepit humana, quem pro totius vindictæ causa quærebant, nouum miraculi genus fecit misericordiæ filia patricidę, nam dum paruulum seruat ignata, patrem decipit incauta, dignum malitiæ eius sceleris erat, vt filiæ prouisione periret, qui genitrices indixerat parturire, competens processit diuina vindicta, vt suis affectibus puniretur, & Moyses pro aliis exuedis exueretur: à fluctibus deniq; mystica lingua Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem, quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit, iubet hostis in flumen paruulos proiici, quos nec dum viuere natura concesserat,

concesserat, eos sententia iam sustinet ad pœnam. O noua, & inaudita crudelitas, ante iudicium celebratur, quam reus ipse damnetur: nascebantur non vt vitæ salutis perciperent fructum, sed vt esset, quos crudelitas seculo faceret luctum: nunc præcipis quod factum deberes vlcisci, non natorum pietas, non parentum dolor te flectit, qui inter infantium mortem, parentúmque dolorem sæuitiæ tuæ expleri sententiam gaudes. Percutitur Ægyptus Primogeniti affectu, vt ex sese cognoscerent quantus dolor sit filiorum, qui necauerant filios Hebræorum: dignitas nullum excusabat, nec alium conditio opprimebat, non seruus ad obsequium, non Dominus ad imperium, non Regem honor excusabat, nec inopem necessitas alienabat, stabant Hebræi, vindicta dominante, illæsi, quos non tantum propria salus lætos reddiderat, sed & hostium plaga lætiores effecerat. sic Augustinus.

Cum tandem victus est, & comprehensus ab Israëlitis crudelissimus Rex Adonibezech, *Cæsa sunt ei summitates manuum, ac pedum*, iusto scilicet Dei iudicio talionem illius sæuitiæ inferente, & ipsomet Rege non inficiante. Dixit enim: *Septuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Videndus *Teodoret. quæst.* 13. *in* 1. *Reg.* cum ponderat illud supplicium, quod intulit Deus Azotiis, quos *percussit in secretiori parte narium.* seu vt habent LXX. *in sedibus*, quia scilicet infimam sedem, locúmque attribuerunt arcæ Dei, cum tamen primum, & supremum deberent tribuere, sic ergo ille habet, Post victoriam cum alienigenæ arcam despexissent, & eam veluti manubia suis dedicassent idolis, & experientia Dei didicere virtutem, nam primum quidem viderunt ante arcam suum cecidisse Deum, & adorationis præ se ferre figuram. deinde cum eum erexissent, postridie cum inuenerunt contritum, & extremis partibus priuatum, deinde cum noluisset cognoscere differentiam, & arcæ, quem conueniebat cultum non tribuissent, inciderunt in varias affectiones, & ægritudines, nam vt LXX. quidem sunt interpretati, *percussi sunt in sedibus*, vt autem Aquila, *Laborauerunt exedente vlcere*, quod dicunt Phagedænam, Iosephus autem docuit eis fuisse morbum dysenteriæ, sed nemo existimet esse inter se discrepantes,

Iud. 11. *num.* 7.

1. *Reg.* 4. *num.* 6.

& diuersas illas editiones: nam dysenteriç successit morbus sedis. frequens enim inflammauit excretio particulam illam, & sedis morbum passi sunt, vt quia arcam diuinam impiè locauerant nempe apud Deum falsò appellatum. Primi Azotij hoc subierunt supplicium, coniicientes autem Gethæ non esse plagam à Deo immissam, sed esse morbum ortum ex pestilenti constitutione, arcam Dei transtulerunt in Geth. sed protinus subierunt easdem calamitates; tunc Gethæi fecerunt sibi sedes aureas. Sic ille, qui rectè ostendit morbum, & supplicium illorum hominum in sedibus, correspondere culpæ infimæ, & abiectæ sedis contractæ.

Sic similiter Deus in *Deut.* ait: Ipsi me prouocauerunt, in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego (talionem scilicet inferens) prouocabo eos, in eo, qui non est populus & in gente stulta irritabo illos. Vbi in primis propositio, in, semper vacat, quamuis Lusitani, & Hebręi iuxta linguæ suç idiotismum præponere illam soleant eleganter ablatiuis instrumenti, & certè si quæ præpositio ante ablatiuos instrumenti collocanda foret, illa deberet esse cum, non autem, in quemadmodum, & ante ablatiuos modi ponitur, sed noster interpres hoc loco, vt & quam plurimis aliis, hebraïzat, & ponit, in, pro cum, quia Hebraïcum, beth, quæ est litera, siue propositio ablatiui valet vtrumque. In dolore paries filios, id est, cum dolore, hinc illud: adduxit eum, nempe puerum Samuëlem, in vitulis tribus, id est, cum tribus vitulis. hinc illud, Non arabis in boue simul, & asino, id est, cum boue & asino, & passim alibi in vtroque testamento. Igitur in prædicto testimonio *Deut.* præpositio, in, ponitur pro cum, vtraque tamen vacat apud Latinos, grammaticalisque constructio est: ipsi Hebræi me prouocauerunt eo, qui non erat Deus, & vanitatibus suis me irritauerunt, ego talionis pœnam iustam inferam, nam eo, qui non est populus prouocabo eos, & gente stulta irritabo illos, per eum autem qui non est Deus, apertè intelligitur vitulus aureus à populo adoratus, *Exod.* 32. aut si mauis aliud quodlibet idolum cultum pro Deo ab populo, & quoniam vt aliquid nō sit Deus, esse tamen potest quidpiam aliud excellens, & præstans, in extremam idoli vanitatem declarandam appellat illud vanitatem id est, inanitatem, & nihil, quasi dicat: non solum vera Deitate caret, sed vera etiam

Deut. 32. *num.* 21.

Genes. 3. *num.* 16.

1. *Reg.* 1. *num.* 24.

Deut. 22. *num.* 10.

Exod. 32. *num.* 6.

etiam entitate qualibet, éstque res de so-
lo titulo & titulus sine re, denique nihil,
1. *Cor*.8. sicut Paulus dixit: Scimus quia nihil est
num.4. idolum in mundo, loquitúrque formali-
ter, nam vt *D.Tho.* ibidem ait.Licet ido-
lum materialiter, id est, materia idoli sit
aliquid v.g.aurum, argentum,lignum, &
huiusinodi aliud, tamen formaliter nihil
est,id est,nihil est forma, quæ creditur ab
idololatris ibi esse, cum credāt esse Deum
Isai.41. sic *Isai*.41.Ecce vos estis ex nihilo,& opus
num. 24. vestrum ex eo quod non est: Sensus est,
vos estis merum nihil,nam præpositio,ex, B
nō dicit ibi terminum à quo,sic enim An-
geli etiam sunt ex nihilo, quia ex nihilo
creati, sed dicit materiam intrinsecam
composito, vt cum dicimus, hæc statua
est ex ære, opus autem vestrum ex eo,
quod non est,idest,opus, seu potentia ve-
stra,est nulla, quia operatio sequitur esse,
sicut constat ex *Arist.*2.*de cœlo cap*.3.*text*.
Hest. 14. 17. & Hester *in orat.sua ad Deum* ita al-
num. 11. loquitur. Ne tradas Domine sceptrum
his,qui non sunt, idest,dolis, omne enim,
quod veritati contrarium est, ait *Hiero-* C
Amos 7. *nym.in cap*.1. *ad Galatas*,non est,& *Amos*
nu.9. & *cap*.7.iuxta editionem Hebræam,& LXX.
16. domum,atas risus appellat,quando noster
interpres excelsa, vel domum idoli, &
Osea 4. *Osea cap*.4 quæ prius appellabatur Bethel
num. 15. idest, domus Dei, ob idololatriā inchoa-
tam ibi, à Ieroboam appellat Bethaven.i.
domum vanitatis,& nihili,& inutilem, &
Osea 6. iniquitatis,vt varij varie ibi legunt,& *c*.6.
num.8. idē Oseas appellat idolū Hebraïcè,Auen,
Ierem. 2. quæ vox significat iniquitatem & *Ierem*.
num.5. 2. Deus ita alloquitur populum suum, D
Quid inuenerunt patres vestri in me ini-
quitatis, quia elongauerunt se à me, &
ambulauerunt post vanitatem, & vani fa-
cti sunt,vbi Chaldæus interpretatur vani-
tatem,sicut & *Rabbi Moyses lib. perplexor.*
cap.178. vt sit Idolum, & ideo sequitur,
vani facti sunt,id est,similes idolis,vt ex-
ponit ibi Maldonat. idest sine intellectu,
Ps.113. sicut etiam dixit Dauid *Psal*.113.*num*.10.
num. 10. & 134. *num*.18. Similes illis fiant, qui
Ps.134. faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.
num. 18. Graui proinde iniuria Hebræi affece- E
runt Deum,vili illum,imo nihili æstiman-
tes,proinde Deus ait. Ego, similiter illo,
qui non est populus, imo est gens stulta
prouocabo, & irritabo eos, vbi per non
populum intelligit nationes gētium,quas
dicit non populum Dei, ea scilicet, ratio-
ne,qua Israël dicebatur Dei populus.Nos
autem populus eius,& iterum populi me-
ditati sunt inania, vbi per populus, Iudæi

A intelliguntur, & sic intelligit Arnobius
præceptor Lactantij Firmiani, qui adhuc *Psal*. 94.
hodie inania meditantur, aduersus Do- *Psalm*.2.
minum & Christum eius,vt ipse ait *Actor*.
4.*nu*.27. ait Petrus:Conuenerunt in ciui- *Actor*. 4.
tate ista aduersus sanctum puerum tuum *num*. 27.
Iesum quem vnxisti, Herodes & Pilatus
cum gentibus, & populis Israël,affértque
hæc verba Psalmi,vbi per populos intelli-
git Iudæos, vt patet ex litera. Vbi etiam
affert Paulus alterum testimonium ex
Deut.32.secundum versionem LXX.quod
B habet. Lætamini gentes cum plebe eius,
vbi gentes populis Iudæorum coniungen-
dæ prædicuntur, & ad lætandum inui-
tantur, & *Psalm*.116.in quo Regius vates
vtrosque tam gentiles quam Iudæos hor-
tari videtur, vt Deo gratias agant, eúm-
que perpetuis laudibus celebrent propter
beneficium resurrectionis, habet, Lauda-
te Dominum omnes gentes, laudate eum
omnes populi, quem Psalmum Paulus ad
Romanos vsurpat cum agit de beneficio
redemptionis, non solum Iudæis, sed
C etiam gentibus exhibito, vel etiam in di-
cto loco, non populum debemus intelli-
gere opinionem Iudæorum, qui ethnicos
pendebant vilissimi, pro immunditia re-
putabant, cuius scilicet attactu pollue-
rentur, & ideo Iudæis erant perinde ac
non populus, ac non gens, ac nihil, &
quantacunque forent humanarum artium
scientia instructi, erant tamen gens stul-
ta,mille scilicet, errorum circa Deorum
tum numerum, tum qualitatem colēdam
stultitiis implicati,vnde Baruc dixit.Inte- *Baruc* 3.
rierunt propter suam insipiētiam.Et *Isai*. *num*. 28.
D Propterea captiuus ductus est populus *Isai*. 5.
quia non habuit scientiam,sed ad idolola- *num*. 13.
triam deflexit,& gentiles imitatus est.De- *Rom*.1.
nique sicut Paulus dixit.Ipsimet sapientes *num*. 21.
huius sæculi euanuerunt cogitationibus
suis,vel carentes solida notitia Dei,vel se
inaniter efferentes de scientia rerum alia-
rum, hos igitur assumit Deus ad vindi-
ctam de populo Israëlitico, vt non Deo
respondeat non populus per talionis vi-
cem, & vanitatibus suis, respondeat,gens
E stulta.

Iis igitur pronocauit Iudæos, & quasi
insultans irritauit, idque dupliciter, vel
temporaliter dum ethnicis, quasi diuinæ
vindictæ instrumentis, & virga eos puni-
uit. Et è suis sedibus exturbauit, vt per
Assyrios, Chaldæos, Græcos, Romanós-
que factitauit,quæ expositio placet Abu-
lens.super dictum locum Deut. vel spiri-
tualiter dum exclusis à fide, & Ecclesia
propter

propter nequitiam suam Iudæis, ethnicos A
ad fidem, Ecclesiámque adduxit, & vocauit populum suum ac filios Dei, Hebræos
autem non iam populum suum, vt prædi-
Osea 1. ctum fuerat *Osee* 1. quæ expositio placuit
num. 10. Legionensi *lib. de nominibus Christi*, nomine brachium, tum autem irritatio est
acerbissima, & omnino intoleranda, cum
non solum antiquus possessor officij, ab
officij functione pellitur, sed subrogatur
alter præsertim æmulus, & humiliori
conditione vir, qui in ipsius exacti oculis, honore eius pristino potiatur. B

1. *Reg.* 2. Vnde 1. *Reg.* 2. postquam renuntiatum
num. 32. est Heli Sacerdoti fore ab illius posteritate dignitatem supremi Sacerdotij amouendam, subiicitur: Et videbis æmulum
tuum in templo in vniuersis prosperis
Israël, vt deficiant oculi tui, & tabescat
anima tua. Sic proinde voluit Deus irritare Israëlem, Gentiles ad se vocando,
vt pœna peccato responderet, dum ipsi
in vanitatibus suis, idest idolis, Deum
etiam irritauerunt. Et sicut quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictâ,
Sap. 11. ait: *Sapient. cap.* 11. Sic etiam *Genes.* 9. di-
num. 16. citur. Quicúnque effuderit hominum san-
Genes. 9. guinem fundetur sanguis illius, nimirum,
num. 6. vel facto, vel merito, quia aut re ipsa interficietur, aut hoc ei in supplicium debebitur vt explicat *Theophylac. in Matth.* 26. *Augustin. in qq. veteris ac noui testamenti quæstion.* 104.

Sic etiam *Isai.* 32. Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cum consummaueris
deprædationem deprædaberis, cum desieris contemnere, contemneris. Et *Abac. cap.* 2. alloquens Deus Regem Babylonis
ait. Quia tu spoliasti gentes multas spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de
Israël.

Est in hanc sententiam id, quod aliqui
Hebræorum aduertunt scilicet, non sine
mysterio 70. annos in captiuitate positos
à patria exulasse filios Israël, quia totidem annos contra legem diuinam suos E
agros in patria exercuerat, etenim præceptum de cessatione à cultura agrorum
Exod. septimo quoque anno habetur *Exod.* vbi
23. *n.* 10. dicitur. Sex annis seminabis terrã tuam,
& congregabis fruges eius, anno autem
Leuit. septimo dimittes eam, & requiescere fa-
25. *n.* 3. ciesvt comedant pauperes populi tui. Et
Sex annis seres agrum tuum, septimo autem anno sabbathum erit terræ requie-

tionis Domini agrum nõ seres, & vineam
non putabis: contra hanc ergo legem deliquisse filios Israël, & ob tandem punitos fuisse 70. annis captiuitatis ostendit *Leuit.*
Deus, vbi ita habetur. Disperdam terram 26. *n.* 32.
vestram, & stupebunt super eam inimici
vestri, cum habitatores illius fuerint, vos
autem dispergam in gentes, & euaginabo
post vos gladium, eritque terra vestra deserta, tunc placebunt terræ sabbatha sua
cunctis diebus solitudinis suæ, quando
fueritis in terra hostili sabbathizabit, &
requiescet in sabbathis solitudinis suæ, eo
quod non requieuerit in sabbathis vestris, quando habitabatis in ea, vbi sabbatha non solum sumuntur pro septimo quoque die in hebdomada, sed etiam
in septimo quoq; anno in septennio quasi
Deus quas agrorum ferias ab Israëlitis
voluerit obseruari, easdem captiuitatis
oppressione punierit, vt pœna supplicio
responderet. Videndus hac de re *Anast. Nicen. q.* 16. *in script.* vbi ait. Quicúmque
tentarunt, & ad iram prouocauerunt Do- C minum in studiis suis, exosi fuerunt satis, *Deut.* 19.
& abominabiles, & sunt exterminati pro- *num.* 21.
pter suas iniquitates à Dei iudicio, qui
reddit vnicuique secundum opera sua, &
ideo dens pro dente, prout accusauerit
hominem, ita dabitur ei, vnde etiam Pro- 1. *Reg.* 15.
pheta 1. *Reg.* 15. *Quomodo fecisti*, inquit, *num.* 33.
ita erit tibi, retributio tua retribuetur in caput tuum.

Videndus item *Cyprian. Epist.* 55. vbi
asserit cruciatam præ ceteris membris diuitis epulonis linguam, quia plus lingua
D sua, & ore peccauerat, & Valerian. Impe- *Luc.* 16.
rator dum Christianæ fidei sacra concul- *num.* 24.
care cœpisset à Sapore Persa comprehensus, & quoties is equum ascenderet conculcatus fuit, vt narrat *Trebell. & Sanctus Dionis. apud Euseb. lib.* 7. *hist. cap.* 9.

Videndus item *Baron. tom.* 1. *anno Christi* 68. *à capite* 9. vbi ex *Iosepho lib.* 2. *de bello Iudaico* refert qualiter Iudæi à Floro
Romano procuratore fuerint Hierosolymis afflicti, & oppressi, deinde ait, quę, qui
diligenter obseruat, & Iudæorum prætenta in Iesum Saluatorem commissa facinora memoria repetens mente considerat, planè intelliget diuinam vindictam
lentis passibus gradientem ex æquo supplicia compensare delictis, & ab ipso nomine auspicari punitionem. Qui olim Iesum Nazaræum, ac proinde floridum
nuncupatum, & ab *Isai. cap.* 11. Floris no- *Isai.* 11.
mine demonstratum recipere contem- *num.* 1.
psissent, spreuissent, ac deniq; occidissent,

E e modo

modo Florum sceleſtiſſimum omnium, ſpernentem, diripientem, occidentem, & in omnibus immaniſſimè ſæuientem ferre, honorate, & in omnibus obſequi, & quibuſuis officiis proſequi compelluntur, quod abiecıſſent, inquam, Florem, nacti ſunt Florum: at qualis ille, & qualis iſte? Ille venit, vt ſaluaret, hic vt perderet, ille vt pacem abundantius impertiret, hic vt pacem inuentam profligaret, conflaret bellum, ac Iudæos funditus deuaſtaret, & quia illum adegerant in crucem, per Florum imprimis eorum nobiliſſimi patibulis affiguntur. Deniq; Pontifices, collecta multitudine, in templo precabantur, vt occurrerent Romanis, & ante graue incommodum, cohortes ſolemniter ſalutarent, tunc verò omnes Sacerdotes, omneſque Leuitæ ſacra vaſa proferentes, ornarúmque templi, citharistę etiam & cantores cum muſicis organis procedebant ante multitudinem, & obnixè deprecabantur, vt illum templi honorem cuſtoditum eſſe vellent, erat videre Sacerdotum principes ſparſis cinere capitibus, & pectora diſruptis veſtibus nuda monſtrãtes. Mandauerat autem Florus Centurionibus, vt nullam ſalutationem redderent obuiantibus Iudæis; confeſtim milites comprehendentes eos, cædere fuſtibus adorti ſunt, atque in fugam conuerſos, perſequentes equites conculcabant: corruebant multi quidem cum à Romanis cæderentur, plures autem cum ſe mutuo propellerent, in ipſis autem portis grauis facta eſt compreſſio, & vnoquóque alterum præuenire cupiente, tardior fuga cunctis fiebat, collabentium autem durus erat interitus: ſuffocatu enim, & proculcatu miſeri diſperibant, neq; ad ſepulturam quiſquam proximis ſuis cognoſcendus remanebat. Quam pro antiquo delicto iuſta vltioni ſtatera, noua pœna penſatur: Cùm enim olim, vt refert *Matth. Euangeliſt.* *Matth. 21.n.10.* Principes Sacerdotum, & Scribæ ægerrimè accepiſſent Ieſum, qui Saluator Hieroſolymam veniebat, fauſtis puerorum, & plebis acclamationibus excipi: modò miſerandis planè modis, & artibus perſuadere populo compelluntur, vt exeant obuiam, & ſalutent milites, qui eos perdituri venirent.

Videndus item *Niceph. lib. 1. c. 20.* vbi refert puellæ, quæ caput Ioannis impetrauerat, cum in glacie ambulaſſet, & ea reſoluta mox conſtricta fuiſſet, caput item illius abſciſſum ſaltaſſe, quo ſenſu veriſſima eſt ſententia *Aug. tract. 10. ſuper* A *Ioann.* Vnuſquiſq; in peccatis ſuis reſtem ſibi texit; & illa alia *Guarrici ſerm. de omnibus ſanctis*: Iam nunc vindicat in peccatores diuina iuſtitia, vitia faciens eſſe ſupplicia; & eos, quos Chriſtus Dominus eiecit de templo illud profanantes, eiecit quidem funiculis ibi repertis, neq; enim nobis placere poteſt *Lyran.* eo in loco, qui exiſtimat flagellum factum fuiſſe de fune, ſiue funiculo, quo Chriſtus Dominus vtebatur, quam ſententiam impugnat *Burg. addit. 1. in Ioan.* vbi docet Dominum B non fuiſſe vſum funiculo pro cingulo: *Ioan. 2. num. 15.* quidquid verò ſit de cingulo Chriſti, quod nos minimè diffinimus modo, quãquam ex *D. Thoma 3. part. queſt. 40. art. 2. ad 1.* videatur colligi ſimplici potius cingulo vſum fuiſſe Chriſtum, qua de re videndus etiam *Mathias Thoring. in replica ad dict. addit. Burg.* tamen flagellum, quod fecit Chriſtus, de funiculis fecit, quibus animalia forſitan ligata erãt, vt ait *Tolet.* vel potius, quos inuenit pecorum venditorum, atq; immolatorum, vt ait *Franciſcus Lucas*, C & ita viſum eſt *Ludouico à Sotto maiori* in expoſitione eius loci; idque colligi ex circũſtantia loci facilè poteſt, non enim difficilè erat in templo reperiri huiuſmodi funiculos, ex quibus flagellum fieret, cum magna magnitudo animalium ad ſacrificium tempore Paſcharis in templum deferretur, & certè hoc etiam probat allegoria Ruperti, cum ait, flagellum factum fuiſſe de funiculis, quibus ligata ferebant, quæ vendenda erant in templo, *Solent enim*, inquit ille, D *plerunque ea, in quibus peccamus, fieri flagella peccantium.*

Fecit itaque Chriſtus Dominus flagellum de funiculis relictis ex peccato: neq; credere poſſem miſericordem Dominum ſecum detuliſſe flagellum, de quo rectè *Bernard. ſer. 5. de Natali Domini* ait, Deus ex ſe ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi, nam quod iudicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, proindéque cauendum maximè eſt ne per eadem, quibus Deum offendi- E mus, ab eodem puniamur, & in noſtris peccatis inueniantur funes, quibus eiiciamur de templo, & quibus nobis manus, ac pedes ligentur, vt mittamur in tenebras exteriores. Proinde eiiciamus, è domibus noſtris vel animabus, funes peccatorum, & purgemus eas, ne inſtrumenta noſtræ damnationis, diuinæ iuſtitiæ ſubminiſtremus.

Recole quomodo in domo Dauid funis,

nis, gladius, vt in ipsius punitionem fuerit repertus, cum illi dixit *Nathan.* Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti cum gladio filiorum Ammon, quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, &c. Sic enim consueuit diuina iustitia talionem reddere, & vim vi repellere, suppliciúmque culpæ adæquare.

2. Reg. 12. n. 9.

Quod vt in omnibus ostenderetur in præsenti is, qui sanguinem, & vitam, ac substantiam, & diuitias Israelitarum summopere sitiebat, sicut restantur illa verba: Persequar, comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, interficiet eos manus mea, miserè sitim aqua explet, vitamque & diuitias totius exercitus, quas labore fortassis, & sudore Israëlitarum comparauerat, euomit ad mare, vt mare tandem ad littus proijciat, Israelitisque eadem colligenda restituat: verè etenim dixit *Nazianzenus orat. 9. ad Iulianum.* Ne diuitias cum lachrymis alienis misceamus, à quibus tanquam à rubigine, aut à tinea consumantur, & vt Scripturæ verbo vtar, euomantur: quem locum desumpsit *Nazianzenus ex cap. 20.* Iob cum ait: *Diuitias quas deuorauit, euomet*, vbi verbum, *deuorandi*, significat inexplebilem quandam ingluuiem, & voracitatem, qualem planè cernere quis potest in Pharaone, & describit Dauid cum ait. *Ne dicant deuorabimus eum*, & *Forte viuos deglutissent nos*: Verbum autem euomendi pulchra similitudine exposuit *Nicetas in comment. ad prædict. orat. Nazianzen.* dicens, vt enim, qui noxium aliquem cibum sumpsit, vnà cum eo probos etiam euomit, sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam quas prius iure possidebat plerunque amittit, quod videre est in Pharaone cum exercitu suo submerso in mari, & ad littus cum omni substantia eiecta.

Iob. 20. num. 15.

Psal. 34. num. 25. Ps. 123. num. 5.

Sed clarius institutum nostrum conficit ea similitudo, qua verba Iob explicat *Olympiod.* illius scilicet qui venenum hausit, quo incitatur ad vomitum, vt quęcunque habet in stomacho effundat. In præcordiis venenum odij erga Israëlitas aderat Pharaoni, quo viscera commouente, ad ipsorum persecutionem, & necem, tandem vitam euomuit cum diuitiis, quas iniquè comparauerat, & quibus coniungere intendebat detrahendas ab Israëlitis. Sunt insuper pleriq; cibi, qui stomachum cient, & commouent, & ad vomitum prouocant, qualis videtur caro, & sanguis hominis, cuius, vel solus visus tædium generat, quid mirum proinde qui pauperum sanguinem biberat, & imbecillorum carnes deuorauerat si simul cum eis effuderit quæcunque acceperat.

Et vt similitudo melius percipiatur, exponendum est illud præceptum *Deuteron. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem:* vbi iuxta Hebræum habetur, *non morsum inferes*, namque verbum *Nassach*, significat mordere, & plerique ita vertunt, & ita Vatabl. *Ne morsum inferas fratri tuo fœnore pecuniæ.* aitque in scholiis: per morsum Hebræi fœnus intelligunt, quo nocemus proximo *Caietanus* verò ait. Considera prudens lector, quod fœnerari appellat mordere, & fœnus, seu vsuram appellat morsum, vt ex ipsis vocabulis manifestet iniquitatem vsuræ. Cum ergo is, qui ex vsura alienam facultatem corrodit fratrem dicatur mordere, eiúsque carnem morsibus detrahere, vnde *Oleast.* ibi ait. Mordere fratrem morsu pecuniæ, est vltra mutuam datam pecuniam aliquid exigere, is, qui contra ius, & per iniuriam alienam substantiam diripit, & fratrum facultates aufert, non tam mordere, quam comedere dicetur, & quia humana caro, & sanguis ad vomitum promouent, easdem facultates, quas deprædatus fuerat simul cum his, quas acquisierat proiiciet.

Deut. 23. num. 19.

Neque omittendum est hoc in loco, quod cũ Deus plectere statuisset Pharaonem impium, nullum adhibuit supplicij ministrum, vt eum ad locum pœnæ adduceret, sed ipsemet veluti carnifice vsus est, dum Israëlitas insequitur, & suos conuocat, & hortatur ad persequendos seruos Dei, sic enim facere cõsueuit Deus in suppliciis iniquorum, nullo alio vtens ministro, sed ipsos sinens esse diuinæ iustitiæ administratores, quod notauit *Theod. q. 46. in 3. Reg.* in impio Zambri, de quo sic habet sacer text. *Videns Zambri, quod expugnanda esset ciuitas, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia, & mortuus est in peccatis suis, quæ peccauerat, faciens malum coram Domino*, hoc igitur expendens *Theodoret.* ait. *Per hæc nos quoque docemur, quod eos qui vitam agunt*

3. Reg. 16. n. 18.

in sceleribus, & flagitijs per se inuicem puniat, & sceleratum tradit sceleratiori, eis vtens tanquam quibusdam lictoribus: Ideò igitur permisit Deus, vt Pharao sese in apertum mare immitteret, quasi cæteri se committeret, vbi iustissimè puniendus erat: neque enim diuina Iustitia iniquiorem reperire posse videtur lictorem, & carnificem ad ipsum puniendum, quam impium Pharaonem.

Ecce tam multis hucusque ostendimus pœnam respondisse culpæ Pharaonis, vt inde facilè constare queat, qua ductus ratione Deus extremo supplicio animaduerterit in Pharaonem quod erat propositæ doctrinæ intentum.

Quod si de supplicio illato Pharaonis militibus, ac seruis inquiras? Ratio in promptu est: propterea, scilicet, fuisse diuinitus percussos, & in mari submersos, quia in persecutione iustorum Domino suo consenserant, cum se potius illi debetent opponere, & ab iniusta persecutione retrahere, vel quando non possent, nullatenus ei consentire. 4. *Reg.* 13. *Ioachas filius Iehu regnauit super Israel in Samaria, & fecit malum coram Domino, secutusq; est peccata Ieroboam, iratusq; est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manu Hazael Regis Syriæ, &c.* Cur igitur peccante Rege, puniendus simul traditur populus, & Deo committitur Regi Syriæ, & Benadab filio eiusdem cunctis diebus? Ad rem nostram respondet *Theodor. q.20. in 4. Reg.* Ioachas filius Iehu, Rex decem tribuum, declinans ad impietatem habuit populum socium, & participem cultus idolorum, proinde populus Regi socius in culpa, quippe illi minimè restiterat, iure à Deo pœnam pariter cum Rege luit. Sic *Theodoret.*

4. *Reg.* 13. *n.* 1.

Mirabitur fortasse quis, videns quomodo Elias in duos quinquagenarios, cum militibus suis ab Ochozia missos desæuierit, mittendo de cælo ignem super eos, qui omnes deuorauit, quid enim peccauerant in Eliam, qui missi à Rege suo ipsum conuenerant, & lenibus verbis fuerant allocuti dicentes: *Homo Dei Rex praecepit vt descendas*, neque manus iniecerant, neque ligauerant, aliquámve illi vim intulerant? Rem prosequitur *Theod. q.4. in 4. Reg.* vbi permittit aliquos accusare crudelitatis Eliam, dum semel, & iterū missos quinquagenarios cum suis igni tradidit comburendos, ait ergo. Qui Prophetam accusant, aduersus Deum Prophetæ linguam mouent, ipse enim immisit

4. *Reg.* 13. *n.* 9.

A ignem, oportet autem scire ius diuinæ prouidentiæ, & quod iustè punit peccatores, & beneficio afficit suos cultores, est autem perspicuum eos quinquagenatios, & qui eis parebant, conuenire cum scopo, & instituto eius, qui illos misit. Vnde etiam à Deo immissa sustinuerunt supplicia, tertius enim cum suis quinquagenatiis, æquitate, & fide ornatus, & qui experientia Prophetæ virtutem didicerat, visus verbis placidis effugit supplicium. Sic ille. Itaque si satis fuit, vt igni conflagrarent duo illi duces cum suis militi-

B bus, eo quod consenserant iniquo Regis decreto, & iussui, & cum eius mente conuenerant, quid mirum si aqua, & fluctibus perierunt cum ipso Rege, qui eum in persecutione populi Dei, animo, & armis comitati fuerant, postquam de diuina voluntate circa populi discessum constiterat?

Et vt ex hucusque dictis ad nostram institutionem aliquid colligamus, recolendum nobis in præsentiarum est acerbissi-

C mum supplicium, vt illud prudenter effugiamus, etenim sicut rectè notauit *Oleaster in c.7. Genes.* Multiplicatæ aquæ diluuij, Eleuauerunt arcam Noë in sublime à terra, & quæ impios suffocabant, in arca iustum cum suis eleuabant, cælóque viciniores, & propinquiores reddebant, vt quod impiis est in ruinam, inquit ille, bonis sit in subleuationem, vt ait *Gregor.* eodémque igne palleæ fumant, & aurum rutilat. Nobis proinde extremum in aquis supplicium, ad emendationem inseruiat,

D & aliorum vulnus, nostra sit cautio, sicut ait *Hieron. Epist. ad Furiam.* vbi in confirmationem adducit illud *Prouerbiorum. Pestilente flagellato, stultus sapienter erit*, vbi ad inflictum in alio supplicium etiam in stulto, correctio apparet: quid in prudente igitur fieri debet, conspectis aliorum malis?

Genes. 7. *num.* 17.

Prou. 19. *num.* 25.

In quam sententiam interpretatur *D. Chrysostom. & Hesychius illud Psalm.* 7. *Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum*, vt sit sensus. Consumpta, id-

E est, castigata nequitia peccatorum fieri iustos attentiores, ne scilicet à iustitia decidant, & similia mereantur supplicia: quod etiam annotare solent Doctores in supplicio illato vxori Loth dum præcepto diuino non obediuit, & conuersa proinde est in statuam salis, vbi Seraphinus à Portecta: ex hoc quod vertitur, inquit, in statuam salis dum punitur, datur intelligi, quod pœnæ alio-

Gen. 19. *num.* 26.

rum

tum sunt ad nos de sapientia instruendos aptæ, & certè Dominus dixit. *Luc.* 17. *Memores estote vxoris Loth*, de qua *Augustin. in Psalm.* 83. *Vt quid enim*, ait, *in statuam salis versa est, si non homines condiat vt sapiant? Ergo exemplum illius malum, tibi sit bonum, si caueris: ibi remansit vbi respexit ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura*, quod etiam habet *Psalm.* 69. vbi ait: *Vbi respexit ibi remansit, facta est statua salis, vt condiat te.*

Luc. 17. num. 32.

Videndus item pro hac re *August. in Psalm.* 79. vbi explicat illa verba *Psal.* 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Iustus* inquit ille, *cum viderit vindictam, manus suas lauat, idest, opera sua mundiora efficit, in sanguine, hoc est, in exitio peccatorum, fumens inde non alieni mali gaudium, sed diuinæ admonitionis exemplum*, quod *Bernard.* etiam dixit *Epistol.* 108. his verbis: *Tu si sapis, illius sapientia proderit tibi, & lauabis manus tuas in sanguine peccatoris.*

Psal. 57. num. 11.

Facit etiam ad præsentem doctrinam id, quod notauit *Chrysostom.* ad illa verba *Psalmi* 9. *Ciuitates eorum destruxisti, periyt memoria eorum cum sonitu*, vt scilicet ait *Chrysostom. aliorum calamitatibus aly redduntur meliores.* Et certè ad mortem Saphiræ, & Ananiæ factus est timor magnus super omnes, qui audierunt, vnde *D. Ambros. lib.* 1. *offic. cap.* 30. ad dictum supplicium alludens ait. *Nunquid Petrus ita indignationi efferbuit, vt Ananiam extingui vellet, vel vxorem eius? Sed exemplo eorum voluit perire cæteros.* Videndus hac de re *Chrysost. homil.* 75. *in Matth.* vbi obiter explicat illa verba Lamech: *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum, septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies*, vt sit sensus, quem ipse iam posuerat *homil.* 20. *in Genes.* Peccatum meum maiori supplicio dignum est, quam peccatum Caini; nam si Caim septies puniri dignũ fuit, ego septuagies septies, idest, multò plus, phrasis enim sacræ Scripturæ satis vsitata, septies significat multum, & septuagies septies multo plus. Existimant enim (quæ est sententia multorum, de qua videndus *Pereira lib.* 7. *in Genes.*) Lamech occidisse Caimum in syluis, ferarum more inerrantem, ait ergo *Chrysostom.* supra citatus *An non audistis Lamech, dicentem vindicatum est ex Lamech septuagies septies, hoc est, plu-*

Psal. 9. num. 7.

Actor. 5. num. 5.

Genes. 4. num. 24.

A *ribus ego quam Caim supplicijs dignus sum, at qui fratrem ipse non interfecit, sed quia neque exemplo ipse commonitus, prudentior factus est, punitur.*

Idipsum est quod alibi Deus ait *Exod.* 20. *Reddens peccata parentum in filios, in tertiam, & quartam generationem his, qui me odio habent*, non quoniam alieni peccati quisquam supplicia luat, sed quoniam, qui multos propter peccata sua vexatos esse non ignoret, neque idcirco factus est melior, sed eadem committens, B non curat illorum quoque pœnas iustè sustinebit, qui multos peccantes vidit, nec illorum opprobriis modestior factus, sed eadem, atque peiora machinatur, par est, vt maiora, quam ille luat supplicia: quemadmodum enim præcipuam consecutus esset, sic quoniam emendare noluit, maiori pœnæ obnoxius est: efficaciorem namque admonitionem per mulctam præcedentium habuit, nec fructus quidquam capere voluit, similia habet *homil.* 76. vbi ait; *Post exempla peccare* C *grauioris pœnæ causa est.* Sic *Chrysostom.* ostendit qualiter debeamus resipiscere ad præsentiam alieni supplicij, alioqui idem luituri, nisi ad meliorem frugem nos recipiamus.

Exo. 20.

In quam sententiam facit id, quod notauit idem *Chrysostom. homil.* 4. *de verbis Isaiæ. Vidi Dominum ad fin. tom.* 1. vbi expendit supplicium illud, quod Deus intulit Oziæ Regi volenti adolere incensum super altare Thymiamatis. *Statim enim orta est lepra in fronte eius coram Sa-* D *cerdotibus in domo Domini*, quod factum esse asserit *Chrysostom.* in admonitionem, & emendationem cæterorum hominum, vt fieri consueuit à diuina bonitate, quando in iniquos animaduerrit, & ipse in aliis suppliciis probat, sic enim habet: *Vidisti humanitatem vltionis diuinæ non fulmen emisit, non terram concussit, non commouit cælum, sed effloruit lepra, non in alio loco quam in fronte, vt facies præ se ferret vindictam, vt tanquam in columna litera essent impressa, non enim pro-* E *pter illum factum sed propter eos, qui sequuntur Datan, cum enim posset pro meritis pœnam infligere, non inflixit, sed seu lex posita est, velut in loco sublimi dicens. Nolite facere talia, ne patiamini similia: erat lex viua, & frons vocem edidit tuba clariorem, litera erant inscripta fronti, literæ, quæ deleri non poterant, non enim erant atramento inscripta, vt aliquis posset delere, sed naturalis erat lepra, eiúmque reddidit*

2. Paral. 26. n. 19.

didit immundum, vt faceret alios mundos. Itidem fecit & in Caim, anima peccauerat admiſſo parricidio, & corpus illius paralyſi tactum eſt, & circumibat Caim omnibus loquens, ſilentio vocem edens, ſilentióque erudiens: lingua tacebat, & cætera membra clamabant, cunctiſque exponebant cur gemeret, cur tremeret: Fratrem occidi, parricidium admiſi, quod poſtea Moyſes ſcripto narrauit, ipſe rebus ipſis omnibus loquens obambulabat. Non occides, Vidiſti os ſilens, & rem vociferantem, vidiſti legem viuam ferri, vidiſti columnam eminentem, vidiſti ſupplicium verſum in eruditionis materiam. Itidem accidit in Zacharia: anima peccauerat, & lingua vincta eſt: hic ille Zach. qui vocem illam genuit, ſic & iſte lepra correptus eſt, & egreſſus eſt Rex omnibus exemplum factus. Vetus erat mos omnem leproſum è ciuitate eycere, nunc verò, non idem fit, exiuit igitur Rex cum lepra, nec tamen eiecerunt eum è ciuitate, &c. vbi *D. Chryſoſt.* videtur ſupponere Regem à Deo percuſſum, propterea non exulaſſe procul à ciuitate, quia lepra illa in ſupplicium, & in cautionem, & correctionem cæterorum, qui eam conſpicerent à Deo illata eſt, proindéque omnibus debuit innoteſcere, & manifeſtari, quod non fieret ſi in exilium, & ſolitudinem mitteretur, nam ſicut dixit *Clemens Alexand.* 4. *Stromat. Punitio nō iuuat eum, qui peccauit, vt non fecerit, ſed ad hoc, vt non peccet amplius, neque vllus alius incidat in ſimilia,* optiméque in rem præſentem adaptatur ſimilitudo, qua vtitur *Nazianz. orat.* 1. *Apologet.* præſertim ſi ſimilitudo explicetur, cum *Elia Cret.* Ibi, cum ait: Quemadmodum ſi lex ignem, quem intus habet occultum, ferro percuſſus effert, ſic vnuſquiſque noſtrum delictum quod inſperſus habet in ſe, ſi vel internè, vel externè in animo percutiatur, ad ictum etiam alteri inflictum tanquam in memoriam rediens, veritatis ſcintillas edit, quibus culpam agnoſcat, & de illa pœniteat, vt enim ait *Chryſoſt. homil.* 7. *ad populum. Non ita bonorum promiſſio ad virtutem multos euocat, vt malorum intentatio timore compellit, & ad animæ curam excitat,* nam ſicut dixit *Auguſtin. tom.* 4. *lib.* 83. *quæſt. quæſt.* 36. *Nemo eſt, qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem,* quod etiam proſequitur *Chryſoſt. homil.* 10. *in* 2. *ad Corinth.* & ideò magis commouemur, dum mala, & ſupplicia in aliis cernimus, vt illa effugiamus, quam dum bonis frui cupimus, ſi ea velimus conſequi, ideóque *Cyprian.* in rem noſtram rectè admonet *lib. de lapſis* dicens: *Vnuſquiſque conſideret non, quod alius paſſus ſit, ſed quod pati, & ipſe mereatur, nec euaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, quem ſibi Dei Iudicis cenſura reſeruauit.*

Recogitet inſuper vnuſquiſq; noſtrum, quod ſi Deus tam acriter in Pharaonem ſæuiit, qui poſt tot plagas non reſipuit, quid erit dum poſt multas vocationes, poſt multa ſupplicia interius, exteriúſque illata vocanti minimè reſpondemus, cædenti non obſequimur, & flagellanti non cedimus, cum tamen propoſita ſupplicia hoc expoſcant?

Pro qua re facit id, quod notauit *Greg. lib.* 4. *in* 1. *Reg. c.* 1. vbi ponderat Deum permiſiſſe electionem Saulis, quem poſtea regno priuaturus erat, & acerrimo ſupplicio puniturus. *Reprobandus, inquit, Rex eligitur, non electus, vel fortaſſe idcirco reprobus Rex eligitur, vt electus ſucceſſor eius Rex Dauid in eo cognoſceret quid cauere debuiſſet,* quibus verbis *D. Gregor.* vult oſtendere, quod ſicut optimi Naucleri in tabula hydrographica deſcriptas habent omnes Syrtes, & Carybdes, ac periculoſa loca in quæ naues aliquando impegerant, vt inde longius recedentes ſecuri præterueherentur, & incolumes ad tutiſſimum portum euadant, ita Deus conſueuit oſtendere in ſuppliciis quæ aliis infert, quid cauere debeant, proindéque voluit vt Dauid haberet deſcriptos omnes caſus, per quos tum ipſe Saül, tum etiam alij Reges in extremam miſeriam deuenère, vt eos præuidens precauceret Dauid, & inter tot naufragia, & ſupplicia proſpero curſu nauigaret, rémque pro noſtro argumento in hunc modum illuſtrat idem *Gregor. Sic nimirum, & de illa Angelorum curia legimus, quia de apoſtata primo Angelo ſcribitur, Ipſe eſt principium viarum Dei, ſed qui ante omnia conditus eſt, per ſuperbiam cecidit, & in eius ruina ſancti Angeli didicerunt, qua virtute ſtare petuiſſent, quod nimirum, qui apertis rectè fidei oculis intueri poterit, pariter attendit, quia omnipotens Deus etiam tunc magnæ miſericordiæ dona tribuit, cùm vindictam irrogat: quia dum reprobos punit, ſanctos erudit: vt vnde illi deficiunt, iſti in ſuis profectibus adiuuentur,* ſic Gregor. *Iob.* 4. *num.* 14.

Ex quo facilè colliges Deum velle noſtrum profectum ex ſuppliciis peccatoribus illatis, nóſque acrius puniendos, ſi diuinæ

diuinæ misericordiæ per aliorum punitionem nos vocanti, & prouocanti minimè obsequimur: in quam sententiam aliqui apud *Abulens. in cap. 14. Exod. n. 28.* dicunt Pharaonem nouissimum omnium in communi hac strage, & naufragio periisse, vt videns suorum infortunium, & supplicium efficacius ad pœnitentiam inuitaretur, quæ etiam fuit ratio cur cum Angelus è cælo vltor magnam in castris Assyriorum edens stragem Regem tamen Senacherib minime tetigerit, sed liberum redire in patriam permiserit, vt patet *ex 4. Reg. & ex Isai. 38.* Enim vero si inquiras cur Rex pariter cum suis non perierit eodem supplicio inuolutus? Respondet Hieronym. ad citat. locum Isai. id propterea factum esse, vt in melius conuersus ad meliorem se frugem reciperet, sic enim habet. Senacherib idcirco seruatus est, vt sciret potentiam Dei, & blasphemantia ora comprimeret, fieretque testis illius maiestatis, quam paulo ante contempserat, quod etiam *Chrysostom. homilia 11. ad populum*, rectè ponderauit in eo quod Adamus prius mortem promeritus, eandem non prius fuerit expertus in se, sed viderit in Abel, quo citius & melius peccatum per quod mors intrauerat in mundum caueret, & comissum pœnitentia deleret. *Considera*, inquit Chrysostom. *Dei prouidentiam non ipsum mori primum permisit, sed hoc eius filium pati, vt ante oculos tabescens corpus intuitus, & marcescens, magnam ex hoc aspectu Philosophia disciplinam caperet.* Sic ille, cuius in præsenti philosophia nulla alia profectò erat, quam quod Adam proprium supplicium promeritum in filio inflictum expenderet, vt effugeret, & per pœnitentiam persolueret.

4. Reg. 19. n. 35. Isai. 38. num. 36.

Nos igitur rubri maris submersionem in Pharaone perpendamus, vt amaris fletibus, & lachrymis, quos cordis cruorem appellauit *Augustin. & Nissen.* sicut alibi ostendimus, nobis diuinitus aperiatur potius via ad promissam terram viuentium, quam morientium Ægypriorum infelices socij fiamus, quod misericors Deus auertat, vt possimus cum iis, qui vicerunt bestiam stantes supra mare vitreum habentes citharas Dei, cantate canticum Moysi serui Dei, & canticum agni dicentes. *Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens, quis non timebit te Domine, magnificabit nomen tuum?* Quia nec capti sumus à Pharaone, nec mersi aquis, quibus hinc, inde cingebamur, nec superati, scilicet, à diabolo, nec absorpti à peccatis, inter quæ quasi inter mare plenum fluctibus ambulantes gratias agimus ipsi, vtpote, qui aduersus talem regem, & tales hostes dimicauimus, & de illis triumphum egimus.

Apoc. 15. num. 2.

TEXTVS.

Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua Domine percussit inimicum. Num. 6.

EXPOSITIO LITERALIS.



CVM hucusque veluti de absente Deo locutus fuerit in tertia persona Moyses, iam veluti si oculis videret eius maiestatem, atque potentiam & in conspectu haberet, apertè ex rei gestæ magnitudine perspectam tanquam præsentem appellat, & compellat. Hæc autem ostentatio dexteræ hoc in loco, vel potest referri ad duo mirabilia opera, quæ fecit Deus, dum scilicet magnificata est in fortitudine, Israëlitas liberos educendo, deinde verò percutiendo, ac perdendo Ægyptios, vel hæc repetitio facta est ad amplificandum, non ad significandum res diuersas, qualis illa repetitio est, *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam*, & illa alia, *Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur.* Et *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt.*

Psal. 92. num. 3. Psal. 93. num. 3. Psal. 91. num. 10.

Aduer

Aduertendum igitur est, quod cum
Ioann. 4. Deus sit spiritus iuxta *Ioan.4.cap.* ac pro-
num. 24. pterea membris propriè sumptis careat,
necesse est literalem sensum esse eum,
quem verba non quidem propriè, sed
tropicè, siue translatè sumpta habent:
pro qua re recolendus est, *Chrysost. homil.*
14. in Ioan. vbi ait. *Sacra Scriptura verba*
non vult Deus simpliciter, sed multa cum
prudentia intelligantur, ideo beatus Dauid
sæpe numero in Psalmis ad doctrinam no-
Ps. 118. *stram. Reuela*, inquit, *oculos meos, & in-*
num. 18. *telligam mirabilia ex lege tua, item & eius*
filius, quod oportet tanquam argentum ex-
quirere sapientiam, & tanquam thesaurum
Ioann. 5. *perscrutari, præterea Dominus Iudæos ad-*
num. 39. *monuit: Scrutamini Scripturas, quod non*
vtique dixisset, si perfacilè, & prima tan-
tum lectione possent intelligi, quod enim in
medio, & in promptu positum est nemo sanè
perscrutatur, sed quod obscurum, & latens
id multa indiget inquisitione vt inuenia-
tur, idcirco thesaurum absconditum Scri-
pturas appellauit, vt ad earum nos inquisi-
tionem excitaret: hæc autem nobis dicta
sunt ne simpliciter, & temerè, sed summa
cum attentione Scripturam accipiamus,
nam si quis ipsa duntaxat verba nuda, &
vt dicuntur, acciperet, multa absurda de
Deo necesse esset suspicari, etenim sic homi-
nem eum esse, pecunia corrumpi, iracun-
dum, furibundum, aliaque de eo his peiora
intelliget: verum si reconditam verbis sen-
tentiam deprehenderit, omnia purgabuntur,
nam proposita nobis lectio sinum Deum ha-
bere dicit, quod est proprium corporis, sed
nemo tam insipiens, qui incorporeum, cor-
pus habere arbitretur. Sic ille. Qui multa
hac de re habet *homil. 63. in Ioann.* post
principium.

Cui coniungendum est, quod ait *D.*
Thom. 1. p. quæst. 1. art. 9. nempe quod cum
naturale sit homini ex corporeis, & sen-
sibilibus ad spiritualium, & intelligibi-
lium cognitionem ascendere, eo quod
intellectus noster coniunctus corpori ex
ipso etiam rerum corporearum species
accipiat, vt earum instar intelligat incor-
porea, vel addendo aliquid, vel etiam de-
trahendo, ideo metaphoris vtitur Scri-
ptura desumptis, ad spiritualia nobis ex-
plicanda, ex rebus corporeis quæ nobis
innotescunt, qua de re videndus *Hieron.*
ad Pammach. August. 3. de doct. Christ. c. 5.
& 15. quem sequitur *Pagnin. lib. 1. Isagog.*
ad sacram Scripturam, c. 19. & 20. & Orig.
lib. 4. Periarch. cap. 2.

Hac igitur de causa Scriptura Deo tri-
A buit mēbra, & affectus hominis, vt varias
Dei virtutes demonstret, qua ratione vsus
est *Chrysost. homil. 38. & homil. 45. in*
Matth. vt ostendat quare Scriptura para-
bolis vtatur, *& Dionys. Areopag. cap. 1. de*
cælesti Hierarch. circa medium dixit, Im-
possibile est nobis aliter lucere diuinum
radium nisi varietate sacrorum velami-
num circumuelatum: videndus item pro
hac re noster *Escalante in suo clypeo con-*
cionatorum lib. 1. de substantia, & proprie-
tate sacræ Scripturæ, c. 24. regul. 1. &. Aug.
B *lib. de essentia Diuinitatis tom. 4.* vbi expo-
nit omnes metaphoricas locutiones de
Deo in sacra Scriptura, & tropicas quo-
modo debeamus intelligere, videndus
item *Philo lib. quod Deus sit immutabilis,*
vbi explicat quo sensu Scriptura attribuat
Deo membra corporis humani. Videndus
item *Eucherius Lugdun.* lib. quem edidit
de forma verborum spiritualis intelligentiæ,
& Damascen. lib. fidei. c. 14. & Beda tom. 1.
sub initium, & ante omnes præter locum
citat. prosecutus est hoc argumentum
C *lib. de symbolica Theologia*, qui temporum
iniuria intercidit, & quem ipse alias cita-
re solet.

Hinc igitur factum est, vt verba sacræ
Scripturæ plures habeant significationes
quæ colligendæ sunt ex variis circunstan-
tiis loci, in quo reperiuntur, vna verò ex
præcipuis significationibus huius nomi-
nis, manus, est, qua significat Dei poten-
tiam, & virtutem supra vires nostras,
nunc quidem opera mirabilia patrando,
vt patet 1. *Paralip. 4.* cum Iabes Domino 1. *Paral.*
D dixit, *Si benedicens benedixeris mihi, & di-* 4. *nu.* 10.
lataueris terminos meos, & fuerit manus
tua mecum, & feceris me à malitia non op-
primi, &c. Et Ezech. 3. *Manus Domini erat* *Ezec.* 3.
mecum, nunc ad miserendum, nunc ad pu- *num.* 14.
niendum. Et *Facta est manus Domini su-* 1. *Reg.* 7.
per Philisthæos, & *Fiat manus tua vt sal-* *num.* 13.
uet me, & hoc eodem capite, *Extendisti* *Ps.* 118.
manum tuam, & deuorauit eos terra. *nu.* 173.

Nunc ad conferendam fortitudinem, *Exod.* 15.
ad fructuosè prædicandum vt cum dici- *num.* 12.
tur, *Facta est manus Domini super Eliam,* 3. *Reg.*
E *accinctisq́. lumbis currebat ante Achab.* 18. *n.* 46.
nunc ad declarandam excellentiam ali-
cuius, *Etenim manus Domini erat cum* *Luc.* 1.
illo, & vt tandem vno verbo dicam assumi- *num.* 66.
tur manus Domini cum ex Dei virtute
innumeri effectus siue gratiæ, siue iusti-
tiæ, siue misericordiæ significātur in Scri-
ptura, qua de re videndus, *Ribera in Ag-*
gæum num. 5. & 6. Maldonat. & Tholet. in
cap. primum Luc. Prado in Ezech. c. 1. n. 3.

Lorin.

Lorin. Actor. 4. *numero* 28. & 30. & 13.
num. 11.

Cum ergo manus Domini significet
Dei potentiam, vt patet ex *August. tract.*
48. *in Ioan.* & *lib. de essentia. Diuinit.* &
lib. 83. *quæst.* 52. & *in Psal.* 120. *Gregor.*
11. *mor. cap.* 3. *Philo lib. de plantat. Noë*, &
passim apud sanctos Patres id maximè si-
Psal. 17. gnificat dextera manus, vt exponuntur
num. 36. *Cassiod. Lyran.* & alij illud, *Dextera tua*
Psal. 90. *suscepit me*, & *Cadent à latere tuo mille, &*
num. 7. *decem millia à dextris tuis*, & 19. n. 8. *In po-*
Psal. 19. *tentatibus salus dexteræ eius*, id est, poten-
num. 8. tia Dei, vt exponit *Lyran.* sic *Isai. Iurauit*
Isai. 62. *Dominus in dextera sua*, & statim se se ex-
num. 8. plicans, vt consueuit Scriptura, *& in bra-*
Eccl. 36. *chio fortitudinis suæ.* & *Eccles. c.* 36. *n.* 7. *In-*
num. 7. *noua signa & immuta mirabilia, glorifica*
manum, & brachium dextrum, extolle ad-
uersarium, & affige inimicum, vt enarrent
mirabilia tua.

Significat proinde Moyses hoc loco
Deum ostendisse omnipotentiam suam
in profligandis inimicis ducta similitu-
C dine ab strenuo homine præliante, cuius
motus omnium primus, & præcipuus est
manus dextræ gladium tenentis exten-
sio, qua eos prosternit, vt hic obseruat
Caietan. vnde illud *Isai. Iratus est furor*
Domini in populum suum, & extendit ma-
num suam super eum, & percussit eum, &
conturbati sunt montes, & facta sunt mor-
ticina eorum, quasi stercus in medio platea-
rum, in his omnibus non est auersus furor
eius, sed adhuc manus eius extenta, quæ
vltima verba, sicut obseruat Lorerius, si-
D gnificant Dominum nondum tanta occa-
sione contentum, & de eius mente signi-
ficant: perpetuam vindictam, quæ vsque
in finem duratura est in Iudæos, de qua
locutione videndus *Hieron. super illud So-*
phoniæ 1. *n.* 4. *Extendam manum meam su-*
per Iudam, &c. Chrys. homil. 53. *in Genes.*
vbi ait, *nihil fortius eo, qui dextra illa*
adiuuatur, &c.

Licèt autem dextera interdum signifi-
cet longitudinem dierum; sicut dicitur
Prouerb. Prou. 3. *Longitudo dierum in dextera illius,*
3. n. 16. E *in sinistra illius diuitiæ, & gloria*, & ratio
est, quia veteres olim digitis sinistra cō-
putabant annos infra centum, dextera
verò vltra centum, vnde de Nestore qui
centum annos longius excesserat *Iuue-*
nalis dixit.

Atq; suos iam dextera computat annos.
Itáque sinistra ab vnitate vsque ad nona-
ginranouem computabant, dextera verò
à centenario numero vsq; ad nongentesi-

A mumnonum infra mille. Vnde *Irenæus*
Mart. lib. 1. *aduersus hæres. c.* 13. numero,
inquit, nonagesimonono, qui fuit in læua
per vnius significationem transfertur in
dexteram, & ibi centena constituuntur.
Sic ille, quod idem docet *Hieronym. lib.* 1.
contra Iouin. & *Plinius lib.* 34. *c.* 7. de Iani
statua loquens ait. Ianus geminus à rege
Numa dicatus, qui pacis bellique argu-
mento colitur digitis ita figuratis, vt tre-
centorum quinquaginta dictum nota per
significationem anni, temporis, & æui se
B Deum indicet, vnde etiam videtur sum-
ptus modus iurandi per viuentē in sæcula
sæculorum extensa dextera, deinde, & si-
nistra in cœlum, vt *Daniel.* 12. *Audiui vi-* *Dan.* 12.
rum qui indutus erat lineis, cum eleuasset *num.* 7.
dexteram, & sinistram suam in cœlum, &
iurasset per viuentem in æternum; & de
dextera intelligendum est illud. *Leuabo* *Deuter.*
ad cœlum manum meam, & dicam viuo *32. n. 40.*
ego in æternum, vbi nos iam Deo dante
plura dicemus.

Licèt igitur dextera longam vitam si-
C gnificet, hoc loco supplicium interitus il-
latum Pharaoni, per summam Dei po-
tentiam denotat, est autem aduertendum
hoc in loco, pro aliis etiam huius canti-
ci, redundare præpositionem, in, sicut
etiam in sequenti versu, atque etiam in
versu 12. *Portasti eum in fortitudine tua*:
quæ redundantia frequentissima est in sa-
cris literis, vt *Ps.* 105. *Crediderunt in ver-* *Ps.* 105.
bis eius, vbi *D. Aug.* hoc annotauit dicens, *num.* 12.
minus latina videtur locutio, quia non
ait, verbis eius, vel in verba eius, sed in
D verbis eius, tamen Scripturis vsitatissima,
vt *Genes.* 32. *In baculo meo transiui Iorda-* *Gen.* 32.
nem, abundat etiam præpositio, & in *Psal.* *num.* 10.
18. *In sole posuit tabernaculum suum* pro *Psal.* 18.
quo *D. Hieron.* legit, *Soli posuit tabernacu-* *num.* 5.
lum, estque sol datiui casus, vt indicat art.
Hebr. Lamed, *Iudic.* 1. *Ceperunt ciuitatem,* *Iudic.* 1.
& percusserunt in ore gladij, pro, *acie gla-* *num.* 8.
dij, tradentes cunctam incendio ciuitatem,
vbi LXX. habent: *Combusserunt eam* *Luc.* 22.
igni, & discipuli *Luc.* 22. *Domine si percu-* *num.* 49.
timus in gladio? Et Apost. *Hos vobis dici-*
E *mus in verbo Domini*, & ibid. *Consolamini*
inuicem in verbis istis, & in labijs meis *1. Thess.*
pronunciaui, in securi, & ascia deiecerunt *4. n.* 15.
eam, Confitemini Domino in cithara, in *Psal.* 118.
psalterio decē chordarum psallite illi. Lau- *num.* 13.
date eum in chordis, qui replet in bonis de- *Psal.* 73.
siderium tuum, in toto corde meo exquisiui *num.* 5.
te, in toto corde meo scrutabor mandata *Psal.* 32.
tua, in quo iudicio iudicaueritis iudicabi- *num.* 2.
mini. Matth. 7. *Et in qua mensura mensi* *Psal.* 118.

Ff *fueri*

Deut. 8. *fueritis remetietur vobis.* Deut. 8. *Non in so-* A
num. 3. *lo pane viuit homo, sed in omni verbo quod*
1. Thess. *procedit de ore Dei.* & 1. Thess. 4. *Quoniam*
4. n. 16. *ipse Dominus in iussu, & in voce Archan-*
geli, & in tuba Dei descendet de caelo, &
Ephes. 1. Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictio-*
num. 3. *ne spirituali,* sicut etiam Psal. 20. *Praeueni-*
Psal. 20. *sti eum in benedictionibus dulcedinis.*
num. 4. Aliquando verò deest etiam praepositio,
tio, vt *Vinctus Christi Iesu,* deest praeposi-
Ephes. 3. tio, hoc est propter Christum Iesum, &
num. 1. *Christo igitur in carne passo, & vos eadem*
1. Petr. *cogitatione armamini.* In Graecis deest B
4. n. 1. praepositio, vt Oecumenius annotauit.
Cum igitur praepositiones in sacris literis
ris aliquando desint, aliquando etiam
abundent, sic etiam hoc in loco cum di-
citur: *Dextera tua magnificata est in for-*
titudine.

In secunda repetitione huius versus
annotandum est, praeter id, quod dixi-
mus, Hebraeos gaudere huiusmodi repeti-
tionibus, & frequenter eandem senten-
tiam aliis, atq; aliis verbis, & metapho-
ris inculcare ad maiorem quandoque C
exaggerationem, sicut fit hoc loco, & vt
magis rem declarent, quod obseruandum
est iis, qui sacram legunt Scripturam, ne
fingant latere mysterium, vbi reuera non
est, & certè hac in re grauiter, & saepè er-
rant, qui linguae Hebraeae cognitionem,
& repetendi in locutione modum non
agnoscunt, licèt etiam fatendum sit, ali-
quando huiusmodi repetitionem, pro-
gressionem, & quasi gradationem, &
augmentum significare, quod etiam est
obseruandum. D

Dextera ergo Domini magnificata est
in fortitudine, idest, ex hoc admirabili
facto, manifestissima reddita est poten-
tia manus tuae, neque enim humana vir-
tute submersus, & profligatus est Pharao,
sed immensa illa potentia, quae potentissi-
mam Pharaonis manum tumescentibus
fluctibus ligauit, superauit, & confregit.
Et ideò *Vatabl.* vertit: *Dextera tua Domi-*
ne excellenti virtute emicuit, Oleaster ve-
rò pro, *magnificata est,* legit, *roborata est,*
& certè verbum, Adar, quod hic poni- E
tur significat roborare, addunt verò He-
braei significare etiam magnificare, quod
videtur respexisse noster interpres, si ta-
men ad fontem sit recurrendum, procul
dubio inuenies pro magnificata est, *robo-*
rauit se, aut, *roborata est,* id est, roboratam
& intensam se ostendit, neque enim tunc
temporis denuo suam virtutem quasi su-
scitauit, sed nunc in effectu sese manife-

stituit. Et Paraphrasis Chaldaea habet:
Dextera tua Domine fortissima est in for-
titudine.

Pro eo verò, quod nos legimus, *percus-*
sit inimicum, verbum, Tirhaz, vertunt ali-
qui *confregit,* & ita habet Chaldaea. LXX.
verò habent *fregit.* Si verò velis vsitatas
repetitiones Scripturae videre in praesen-
tis confirmationem, & declarationem *Ge-* Gen. 11.
nes. 11. Saray mulier sterilis, siue vt Grae- num. 30.
ce dicitur eradicata, addit statim sacer
text. quasi se explicans, *non genuerat sibi*
filios, & Genes. 24. *Erat Rebecca virgo,* & Gen. 24.
qualis esset declarando adiungit, *incogni-* num. 16.
ta viro, & Genes. 15. *Ecce vado nudus,* de- Gen. 15.
clarans que nuditatem adiecit, *Mihi au-* num. 3.
tem non dedisti semen (sic enim habetur
Hebraicè) & hoc eodem *libro capite 16.*
Maneat vnusquisque apud semetipsum, de- Exod. 16.
clarat verbo sequenti, *nullus egrediatur* num. 29.
de loco suo. Deuteronom. 7. *Neque socia-* Deuter.
bis cum eis (scilicet Chananaeis) *coniugia,* 7. num. 3.
sequenti verbo explicat: *Filiam tuam non*
dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio
tuo. Et *Isai.* 51. *Attendite ad petram vndè* Isai. 51.
excisi estis, & ad cauernam laci, de qua num. 1.
praecisi estis, & explicans subdit, *Attendite*
ad Abraham patrem vestrum, & ad Sa-
ram quae peperit vos. Et *Cum quietum si-* Sap. 18.
lentium contineret omnia, explicat fuisse num. 14.
conticinium dum subdit. *Et nox in suo*
cursu medium iter haberet, omnia enim
tunc silent iuxta illud.

Dum silet omnis ager, pecudes, pictaeq; vo-
lucres.

Et *Nolite extollere in altum cornu ve-*
strum, subdit explicans, *Nolite loqui ad-* Psal. 74.
uersus Deum iniquitatem, & huius rei num. 6.
exempla sunt frequentissima in Prouerb.
Prophetis & Psalmis, vbi quod in priori
parte positum est, in posteriori ponitur
aliis verbis explicantibus, vel reddentibus
eandem sensum, vt *Os iusti meditabitur* Psal. 36.
sapientiam, & lingua eius loquetur iudi- num. 30.
cium, & 48. *Iniquitas calcanei mei circun-* Psal. 48.
dabit me, quod per verba immediatè se- num. 6.
quentia videtur explicari: *Qui confidunt in*
virtute sua, & in multitudine diuitiarum
suarum gloriantur. Est enim iniquitas cal-
canei vitium propriae confidentiae, meta-
phora petita ab ambulante, qui calcaneo
firmat gressum, & figit pedem; aut signifi-
cat dolos, aut fraudes quibus proximos
opprimunt ij, qui conquirendis diuitiis
insudant, metaphora sumpta, ab his, qui
cum aliis luctantur. Ad hunc igitur mo-
dum, quia ambiguum fortassis videri po-
terat quomodo Dei dextera magnificata
fuerit,

fuerit, quod positum prius erat, per expositionem addit ea, quæ sequuntur: *Dextera tua percussit inimicum.*

Sed occurrit hoc loco dubium enodandum; etenim superiori *capite* 14. *numero* 26. dicitur non quidem Dei manus extensa, sed Moysis, eáque veluti operata miraculum exprimitur, sic enim habet sacer text. ex præcepto diuino: *Extende manum tuam super mare, & reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum, cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad primum locum, fugientibúsque Ægyptijs occurrerunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis.* Ad hoc tamen dicendum est manum Moysis fuisse extensam, vel tantum in signum extensionis manus Dei, vnde sacer text. cum refert extensionem manus Mosaicæ addit Dei operationem, sic enim habet: *Cùm extendisset Moyses manum contra mare reuersum est primo diluculo ad primum locum, fugientibúsque Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Vbi vides Dei operationem interuenisse ad extensionem manus Moysis, eámque inuoluisse fluctibus Ægyptios mare ingredientes.

Exod. 14. n. 26.

Vel secundò dicendum est, quod si manus Moysis operata est circa miraculum, vel miracula, id quidem fecit vt instrumentum causæ principalis, vnde semper Deo tanquam principali agenti tribuendum est miraculum. Qualiter verò assumpta fuerit à Deo manus Moysis, vt instrumentum, nostri instituti modo non est, id aliquando diximus cum de diuinis instrumentis ageremus, deque eorum eleuatione seu motione, quæ nihil aliud est quam virtus quædam supernaturaliter collata, quam instrumentum recipit, dum assumitur ad operandum vltra suam naturam, quæ illi sit prima, & tota ratio agendi.

ANNOTAT. I.

Opera nostra nihil valent, nisi Deus simul nobiscum operetur.

CVm statutum à nobis sit Moysem simul, & Deum ad hanc Pharaonis subuersionem, & totius eius exercitus victoriam coniurrisse, illud in primis admonetur nostra opera, nostrásque manus necessarias esse ad victoriam de inimicis spiritualibus, in Pharaone, & in suis figuratis reportandam, non tamen sufficere opera, manúsque nostras nisi Deus suam manum coniungat, nostrásque adiuuet, & roborando eleuet.

A

Primum probat *Augustinus tractatu* 20. *in Ioan.* ex eo, quod Deus post opera sua edita initio nascentis mundi dicatur requieuisse, sic enim habet sacer text. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Requies enim Dei eo in loco adumbrat, vt vult *Augustinus* nostram requiem post bona opera nostra. Quietem, inquit, appellauit Scriptura, vt nos admoneret post bona opera quieturos, vt tu homo, cum attendens Deum post bona opera requieuisse, non tibi speres requiem nisi cum bona fueris operatus, sic ille, quod etiam prosequitur *Chrysostomus homilia* 25. *in Genesim* vbi ita ait. Operam demus, vt afferamus, quæ nostra sunt, vt dignos nos ipsos paremus iis, quæ à Deo dantur, nam idcirco spectat occasiones ex nobis, vt multam exhibeat liberalitatem, itáque ne propter desidiam priuemus nos illius donis, sed festinemus, & surgamus, vt principium apprehendamus, & viam, quæ ad virtutem inducit, vt superno adiuti subsidio etiam ad finem peruenire valeamus, hic vel parum laborare, alibi nobis magnam fiduciam præbet.

Genes. 1. num. 2.

B

C

Hoc etiam elicit *Ambrosius* ex eo, quod Deus vt hominem faceret se ipsum veluti adhortatus est, cum ait. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, ait enim *sermone* 10. *in Psalm.* 118. *Cætera dixit, & facta sunt, vt homo fiat, spectalis quidam Dei accessit hortatus, vt tanquam laborantis Dei in huius munere creaturæ significetur operatio. Deus quidem expers laboris est, sed tamen Scriptura verba quid aliud, nisi studiosam tui ob gratiam operationem eius ostendunt? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans laboris sis? Manus tuæ fecerunt me, manus pluraliter, at verò alibi ait. Ego manu mea solidaui cœlum, & manus mea fecit hæc: cœlum vna firmauit manus, vtráque Dei manus hominem figurauit*, sic *Ambrosius* quasi vtráque Dei manus hominis fabricationi adhibita, nostras etiam vocet & excitet manus ad operandum, quando nec etiam in paradiso hominem

D Genes. 1. num. 26.

E

 voluit

voluit esse sine operatione, cum & custodiæ illius,& operationi eum addixit.

Hæc insuper voluit *D. Augustinus in Psalm.62.* significatum in extensione manuum Christi Domini in cruce, sic enim habet. *Leuauit pro nobis Dominus Deus noster manus in cruce,& extensæ sunt manus eius pro nobis, vt manus nostræ extendantur in bona opera: cùm enim in cruce, & nostram operatus fuerit salutem,& peccatum ac diabolum deuicerit, id quidem manuum extensione fecit, vt nostras etiam admoneret, & prouocaret, imo, & doceret manus ad prælium spirituale, & nos sectatores redderet bonorum operum*, sic *Augustin.* Similiáque habet in *Psalm.60.* ad illa verba: *Turris fortitudinis à facie inimici*, vbi ait. Non dico, sic esto in ista turri, vt vaces ibi, & sufficiat tibi, ad te hostis tela, quod non perueniant, age ibi aliquid, non cessent manus, opera bona tua gladij sunt interficientes inimicum: gladius verò vt interficiat vibratione, & motione opus est, nemini enim nocet, si vagina sit reconditus, sic iugi operatione virtutum hostis noster diabolus iugulatur, tantum ille.

Psal.60. num.4.

In quam sententiam item notauit *Ambros.lib.de vocat.gent. cap.2.* Damnatum fuisse inutilem seruum, qui vnum sibi traditum talentum reportauit ad Dominum, nullo prorsus addito lucro per operationem, & exercitium virtutum. Nec de non seruato, ait *Ambrosius*, sed de non aucto munere damnatur, & *Chrysost. homil. 4. in Matth.* Fidelem hominem, ait, non ab iis tantùm, quæ accepit à Deo conuenit fulgere, verum etiam ab his, quæ attulerit ipse Deo conuenit refulgere, videndus item *homil.42. in Genes.* vbi de Abraham loquens ita ait: *Nisi primum quod suum erat fecisset, non tanta à Domino obtinuisset, primum in omnibus virtutis suæ indicium exhibuit, atque sic diuinum meruit præsidium, eodem modo nos si voluerimus superna frui gratia imitemur Patriarcham, & ne cunctemur ad obeundam virtutem; etenim qui scit arcana mentis nostræ, cum viderit sanam mentem nostram, & nos conari,& eniti ad virtutu agones, statim, & nutu suo nos adiuuat simul, & labores nostros alleuians, & infirmitatem nostræ naturæ confirmans, vberásque retributiones suppeditans, sanè in olympicis certaminibus neutiquam quis tale quid inueniet, sed subsistit adornator, & magister, sitque expectator tantum vt cæteri: neque in vlla re potest adiuuare, sed expectat vt fiat victoria: Dominus autem noster non sic, sed simul nobiscum certat, & manum porrigit, & simul adiuuat, & quasi vndequaque aduersarium nostrum nobis tradit, & omnia facit, & causatur, vt in certamine duremus, & vincamus, quo nobis immarcessibilem imponat coronam, & labor quidem pauci temporis,merces autem laborum finem non habet, neque cedit tempori,neque marcessit.* Hæc ille.

Mat.25. num.29.

Et *homil.53.in Genes.* expendit ea, quæ fecit Iacob consilio, & iussu matris, vt paternam adipisceretur benedictionem,& quæ mater insuper fecit, *Stola*, inquit, *induit eum, & pellibus circundedit eum,& cum vndique eum ad deceptionem instruxisset, datis eduliis, & panibus in manus, egrecit, vt patri offerret. Considera hic quomodo omnia superna gratia euenerint; nam quando, quod à nobis est offerimus, largiter diuinam operationem consequimur:nam vt ne desides, & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre: quò sic sua declaret, & non totum sit superni auxilij,sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre:neque à nobis iterum exigit totum, sciens infirmitatis nostræ excellentiam, & suam seruans misericordiam, & volens occasionem aliquam offerre, vt suam declaret liberalitatem, expectat vt offeramus, quæ à nobis sunt, id quod & nunc factum est, nam quia Iacob, & Rebecca fecerunt ea, quæ à se fieri oportebat, & ille quidem obediuit consilio matris,hæc autem omnia,quæ ad se attinebant impleuit tunc vltra bonus Dominus perfici fecit magna facilitate, quod omnium erat difficillimum, ne fieret actus istius impostura manifestus Isaac.* Sic ille. Certè nisi caligaret oculis Isaac, & internis ipse perspiceret,posset percipere manus illas non Esau, in quo deceptus fuit, neque etiam solius Iacob, sed Dei Iacob, qui ad extensionem manus illius, suam dexteram ostendebat:& mirabiliter operatur, si nostras minimè contrahamus, & sicut addit idem *Chrysostom.* quia Deus erat, qui cooperabatur his, quæ fiebant, omnia opera sunt impleta, & hæc omnia propterea facta sunt,vt rebus ipsis discamus,quod non simpliciter Dominus suam declaret solicitudinem, & prouidentiam, nisi viderit, & nostrum accedere laborem, & feruorem.

Gen.27.

Videndus item *Augustin. quæst.102. in Genes.* vbi ponderat qualiter Iacob familiam disposuerit in aduentum fratris sui Esau, cum tamen certus omnino esset de auxilio

Gen.32. num.7.

auxilio Dei sibi affuturo, sic ergo ait *August. Nunciato sibi fratre suo Iacob venien- te obuiam ei cum quadringentis, turbatus est quidem, & mente confusus, quoniam timuit valde, & visum est homini perturbato diuisam multitudinem suam in duo castra disponere, vbi quæri potest, quomodo habuerit fidem promissis Dei, quandoquidem dixit, Si venerit ad castra prima frater meus, & exciderit ex ea erunt secunda in salutem. Sed etiam hoc fieri potuit, vt euerteret castra eius Esau, & tamen Deus post illam afflictionem adesset, &* B *liberaret eum, & quæ promisit, impleret, & admonendi fuimus hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes Deum tentare videamur.* Sic *August.* cui suffragatur *Chrysost. homil.* 33. *in Matth.* cum ponderat id, quod dixit Christus Dominus duobus cæcis, quibus visum restituit, dixit enim: *Secundum fidem vestram fiat vobis, & tetigit oculos eorum.*

Matt. 9. *num.* 29.

Quod fecit, inquit *Chrysostom.* C vt ostenderet nonnullam ad salutem suam ipsos quoque partem contulisse: id semper penè faciebat, cum antequam corpora curaret, animæ fidem manifestare studeret; sic antequam paralytici corpus dissolutum consolidasset, animum eius excitauit dicens: *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua*, codémque modo Centurionis fidei totum attribuit. *Matth.* 8.

Matt. 9. *num.* 2. *Matt.* 8. *num.* 10.

Pro cuius loci intelligentia recolendus est ille locus *apud imperfectum, homil.* 8. D *in fin.* ait enim Christum Dominum quando primo in terram venit omnes ægrotos indiscriminatim sanasse, & omnibus beneficia contulisse, nullo præuio merito, prærequisitáve dispositione, deinde autem, etiam aliquid ab hominibus voluisse, fidem scilicet & desiderium consequendorum bonorum, quod ipse optima similitudine explicat ad illa verba: *Obtulerunt ei omnes malè habentes varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.*

Matt. 4. *num.* 24.

E Sicut nouitius medicus, inquit ille, intrans in ciuitatem, & volens ostentationem dati artificij sui, omnes venientes ad se curat, & non tantum cogitat de mercede accipienda, quantum de opinione sua commendanda, cùm autem manifesta fuerit fama eius bona, tunc secundum laborem suum incipit exigere mercedem, sic & Dominus incipiens prædicare, non se- A cundum iudicium quosdam, sed omnes indifferenter sanabat, postquam verò illum omnis Iudæa cognouit, beneficia sanitatum, digno pretio fidei venundabat dicens vnicuique, *Fiat tibi secundum fidem tuam.*

Matt. 9. *num.* 29.

Vnde *Chrysost. homil.* 34. *in Matth.* ad illa verba Christi, *qui perseuerauerit vsque in finem.* Vult non solum gratia sui ipsos esse munitos, sed à seipsis etiam nonnihil conferre, quod ita esse videbis, si altius omnino consideraueris, alia ad B eum, alia etiam ad discipulos posse referri, nam quod signa facere queant, Christi est, quod autem nihil possideant, Apostolorum: Similiter quod domus alienæ ipsis paterent gratia Christi faciebat, quod verò nihil vltra necessaria peterent, ad perfectionem ipsorum pertinere videtur: præterea quod possent pacem suscipientibus donare, cælestis liberalitate muneris præstabatur, quod autem dignos quærerent, neque omnes indiscrete adirent, grauitatis erat hoc suæ, atque maturita- C tis: quod pœnas daturi essent, qui non susceperint, omnipotentiæ Christi, quod verò clementer abirent, nullam iniuriam, nullam reddentes contumeliam, ad mansuetudinem illorum spectabat: quod etiam spiritus eis daretur, & ab omni solicitudine liberarentur, Christi erat mittentis spiritum quod verò mites, vt oues fierent, & columbæ simplicitatem imitarentur, ac omnia magno animo ferrent, robur Apostolorum profectò, ac prudentiam respicit: quod etiam odio ha- D berentur, neque tamen mentem, atque animum deiicerent, ipsorum erat, quod verò perseuerantes saluarentur, mittentis spiritum proprium est, & cætera.

Matt. 10. *num.* 22.

Quibus ostendit, semper de nostro aliquid ponendum esse, nostrásque manus adhibendas ad hoc, vt diuinitus adiuuatæ eleuentur, quod etiam argumentum prosequitur *homilia* 35. *post principium, & homil.* 62. vbi inquitit quæ fuerit ratio ob quam homo ille Rex non dimiserit debitum seruo antequam ser- E uus dixisset, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Commotus*, inquit, *misericordia dimisit eum nec antequam supplicaret, vt cum videretur aliquid ipsum quoque fecisse, non maiori confunderetur rubore, &c.*

Matt. 18. *num.* 6.

Ex quibus constat necessariam nobis prorsus esse nostram operationem ad salutem, & ad victoriam de inimicis reportandam, qua de re plura diximus ad

Epist. Iacob. multis in locis. Sed heu quam A
miseri mortales huius doctrinæ penitus
obliuiscuntur, & post mortem testatoris
in cruce parere sibi putant hæreditatem,
& veluti cum iniquis videntur dicere.
Psal. 83. *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*
num. 13. quæ enim nobis hæreditario iure contin-
gunt, nullum prærium laborem, meri-
túmve requirunt, & veluti opponuntur
merces, ac corona hæreditati, corona
enim, & merces laboranti, ac decertanti
traditur, & soluitur; hæreditas verò filio
infanti, & adhuc in cunabulis omnis la- B
boris experti contingit, proinde aliqui
hoc titulo sibi sperant, ac pollicentur co-
ronam gloriæ & triumphum de inimicis
spiritualibus, dum nihil omnino laboris
assumunt. Meminisse tamen debent nos
ex eo esse hæredes, quia filij, & cohæ-
redes Christi, *si tamen illi compatiatur:*
Rom. 8. vtrumque docuit Paulus cum ait: *Ipse spi-*
num. 16. *ritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quod*
sumus filij Dei, si autem filij & hæredes: hæ-
redes quidem Dei, cohæredes autem Chri-
sti; si tamen compatimur, vt & conglorifi- C
cemur. Vnde *Hildebert. Archiepiscopus Tu-*
ron. tom. 3. bibliot. Epist. 55. ait. Qui dicunt
hæreditate possideamus sanctuarium Dei,
nec hæredes sunt Dei, nec cohæredes
Christi: perniciosa hæc, & exhæredans
hæreditas.

Illud ergo testimonium, quod sumus
filij Dei, sic exponunt *Ambros. & Anselm.*
quod Deum, & caput nostrum imitemur,
virtutes omnes amplectentes, quibus Deo
similes efficiamur: filij enim parentes imi-
tantur, & certè cum per baptismum fia- D
mus filij Dei adoptiui, & assequamur es-
se spirituale, ac diuinum, sicut homo ex
carne natus, corporale esse assequitur, &
in nouitate vitæ ambulare debet, esse
enim sequitur operatio, vnde & Christus
Dominus cum formam docuit baptismi,
per quod consequitur esse spirituale, sta-
tim addit operationem, postquam enim
Mat. vlt. dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.*
num. 20. ait: *Docentes eos seruare omnia quæcun-*
que mandaui vobis. Irrigatur enim hæc
cælestis arbor aqua salutaris baptismi; vt E
cælestes proferat fructus bonorum ope-
rum, & baptismo consona fiat vita, sicut
eleganter dixit *August. lib. de fide, & operi-*
bus, cap. 26. vnde *Chrysostom. homil. 20. in*
Epist. ad Hebr. ait. Cùm nos Christus plan-
tauerit, & irrigatione spirituali potiti
fuerimus, si deinde nullum fructum affe-
ramus ignis nos expectabit gehennæ, &
flamma inextinguibilis.

A Videndus hac de re idem *Chrysostom.*
homil. 21. ad populum, & Augustin. libr. 4.
de symbolo ad Cathecum. cap. 1. Redditi
itaque filij Dei per esse spirituale quod
consequitur etiam operatio spiritualis,
hæredes sumus Dei, cohæredesque Chri-
sti, si tamen compatimur, vt & conglori-
ficemur, quibus verbis, vt benè explicat
Cardinalis Tolet. conditionem quandam
apponit Apostolus vt hæreditatis posses-
sionem adire possimus, si modo compa-
timur (intellige Christo) nimirum tribu-
B lationes, & persecutiones, & afflictiones
patientes, sicut etiam ipse Christus pas-
sus est, cuius cohæredes sumus, vt vnà
cum ipso etiam conglorificemur, & hæ-
reditate Dei perfruamur. *Per multas enim* *Act. 14.*
tribulationes oportet nos intrare in re- *num. 21.*
gnum Dei.

Vnde iam intelliges latissimum discri-
men inter filios hominum, & filios Dei
quoad hæreditatem; licet enim filij ho-
minum nihil aliquando operentur, & pro-
mereantur, attamen parentum hæredita-
C tem iure adire possunt; & possidere; at ve-
rò filij Dei nisi bene operentur, hæredita-
te priuantur, quod maximè deberemus
memoria retinere, ne desides, & ignaui ad
consequendam coronam redderemur, quæ
cum corona iustitiæ sit, merito opera no-
stra, manúsque nostras prærequirit, &
præsupponit.

Secundo etiam hoc in loco, & secun-
dum tropologiam docemur ad inuisibi-
les hostes superandos, humanam atque
diuinam manum fore coniũgendam, siqui-
D dem sola nostra non sufficit, cum potius
sufficientia nostra ex Deo sit, sicut dixit *2. Cor. 3.*
Paulus: Diuina autem manus quanquam *num. 3.*
per se sola sufficiat ad quoslibet hostes
profligandos, & quamcunque victoriam
reportandam, non solet tamen sola ades-
se, vt homo dicatur victoriam reportare,
& triumphum promereri.

Extat huiusce rei illustris typus quan-
do Eliseus Dei personam sustinens ad
Ioas Regem Israël nostras partes agen-
tem dixit: *Pone manum tuam super ar-* *4. Reg.*
E *cum, & cum posuisset ille manum suam,* *13. n. 16.*
supposuit Eliseus manus suas manibus Re-
gis, & ait; Aperi fenestram orientalem,
cúmque aperuisset dixit Eliseus: iace sagit-
tam, & iecit, & ait Eliseus. Sagitta salu-
tis Domini est, est sagitta salutis contra
Syriam, percutiésq; Syriam in Aphec, donec
consumas eam, quo facto inculcatum vo-
luit Deus se auxiliatorẽ fore Israël, eiús-
que auxilium adeò validum, vt super-
uinceret

adiceret hominum fortitudinem, vellet tamen sibi adiunctam hominis manum, quam ita excedebat, vt superponeretur manus eius manui Regis.

Videndus hac de re *Chrysostom. homilia 56. in Matth.* vbi inquirit cur Deus manus ac labores nostros exigat, cum per se posset palmam, & coronam nobis tribuere, sic verò ait in persona Christi. *Et si facile ipse quidem, quia filius sum Dei, omnium te periculorum expertem facere, tui tamen gratia volo, vt ipse nonnihil afferas, & maiori probitate confirmeris: quemadmodum enim, qui ludi instituit agonem, si cui athletarum amicitiæ vinculo iungitur, nunquam eum nisi descenderit in certamen coronabit, qui proprium illius videlicet laborem desiderat, & quo magis eum diligit, eo magis victorem videre cupit. Sic etiam Christus, quos maximè diligit eos non solum auxilio suo decorauit, verum etiam, & à se ipsis vult comprobari.* Sic Chrysostom. ostendit, quo pacto nostros velit Deus manus ad digniorem reddendam illam coronam, quam amantissimus prædestinauit Deus, sed non reddet nisi iustus Dominus.

Ioan. 1. Quod etiam probat *Ioann.* cum ait: *Quot quot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*, vbi non dixit, fecit eos filios Dei, sicut ibi annotauerunt *Theophylact. & Chrysostom. homilia 9.* Quamuis enim per se magnum sit Filium Dei esse, maius tamen esse videtur illud in nostra potestate relictum esse, & Dei manus nostras etiam sibi velle adiunctas, sic enim habet *Chrysost.* cur non dixit fecit eos filios Dei fieri? Vt ostenderet multa nobis opus esse diligentia, accedit, quod per eam particulam, gratiam non temere neque sine labore nostro in nos infundi significatur, sed cum ipsi volumus, cum eam inquirimus, nisi ad eam excipiendam promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur: in ipsis arcanis, & supernis bonis Dei quidem est dare gratiam, hominis autem fidem exhibere: præterea non parua opus est diligentia, si quidem ad animæ puritatem seruandam non satis est baptizari duntaxat, & credere, sed si perpetuò ea frui munditia, & pulchritudine volumus, dignam se vitam exhibere oportet, talem se nobis Deus exhibuit, quod enim per mysticam generationem omni priori crimine abluamur, per baptisma nobis largitus est quod autem in puritate mentis in postrum perstemus, neque vllis amplius sordibus vitam coinquinemus, nostræ virtutis est, & diligentiæ, adiuuante, scilicet, diuina gratia.

Cum olim Cham patrem præ ebrietate inculpabili nudatum videret, nuntiauit duobus fratribus, *Qui pallium humeris suis imposuerunt, & incedentes retrorsum operuerunt patrem*, quod opus cum pater experrectus, laudare, & benedicere vellet, ait *Benedictus Dominus Deus Sem, &c.* *Gen. 9. num. 26.* Si verò inquiras cur potius, & prius, Deum laudet quam filios, cuius pietatem commendare intendebat? Optimè ad rem nostram respõdet *Oleast.* ibi dicens. Vt discamus bona opera nostra potius Dei esse, qui ad ea facienda, & animum, & vires dedit, proindeque merito prior in laudibus proponitur Deus, qui primus, & præcipuus in nostris operibus operator est, & sine quo nihil operari possimus.

Vnde enim *Gregor. 7. moralium, cap. 9.* Laudat Iob, qui nullam fiduciam sui habens, sed tantam in Deum refunderis dixit: *Ecce non est auxilium mihi in me*, *Iob. 6. num. 13.* vbi LXX. habent, *Aut non in ipso confidebam? sed adiutorium à me recessit. negauit me misericordia, & visitatio Domini me despexit*, quod sic cum nostra editione explicat *Pined.* ibid. Certè non posui in me spem vllam, aut de meis viribus, atque robore aliquid magnum sperani: perspecta enim mihi erat humana imbecillitas; quod vnum mihi spei reliquum erat, Dei auxilium nunc quoque desidero, quod etiam videtur dixisse idem *Iob. in capite 10.* *Iob. 10. num. 3.* cum Deum alloquens ait. *Nunquid bonum tibi videtur si calumnieris, & opprimas me opus manuum tuarum?* Vbi si textus Hebræus consulatur ita habet. *Et opprimas me, labor manuum tuarum*, quasi nihil in eo iusto homine reperiretur nisi labor Dei, sensusque est, ne pariaris Domine hominem aberrare, & prolabi, in quo nihil reperiretur, quod bonum sit, nisi quod ad te referri possit, vnde *D. Bonauent. in 1. d. 37.* ait, Prouidentiam Dei hominem ad instar sigilli esse, cuius imago in luto liquido impressa tandiu durat, quandiu sigillum non recedit à luto, id quod satis expressit Deus frequenti, & vsitata similitudine vitis, & vineæ, quæ nobis adumbrare solet extremam indigentiam, & vim illam fermè nullam nisi capacitatem tantummodo remotam, & incohatam, potentiam obedientialem, quæ in homine repetitur ad *Ioan. 15. num. 5.* aliquid

aliquid agendam, quod vires nostras superet, & ad salutem, & vitam æternam conducat, etenim sicut vitis humi perpetuo repit, & iugi cultura, & ministerio indiget vt fructificet, quod dixit *Cicero lib. 2. de finibus* vbi ait. In vite parua vis est, vt quia optimè se habere non possit, nisi excolatur, ita vt vbertas, si quæ in vite reperitur, in agricolæ potius industriam, quam in eius virtutem sit referenda, quod multis prosequitur *Columell. lib. 4. cap. 5.* Imò etiam Poeta secundo Georg. hac de re dixit.

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam exhausti satis est. &c.

Redit agricolis labor actus in orbem,
Atque se sua per vestigia voluitur annus.

Quibus verbis ostēdit vineatum fructum labori potius agricolæ esse tribuendum, quam vineatum virtuti.

Cant. 8. num. 5. Ideo de Sponsa *Cantic. 8.* dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* Quæ verba in hoc sensu intelligit *Ambros. in Psalm. 118. serm. 19. & serm. 22.* vt mi- C rentur Angeli videntes eam vitem, quæ humi solebat repere, & quæ terrena sunt tantummodo sapere, & cogitare, iam è terra eleuatam cælum conscendere, sursúmque caput, & vota sua efferre, quod dixit etiam idem *Ambros. lib. de Isaac. & anima cap. 8.* cum ait. Profectò tes animæ non solùm cum Christo crescunt, sed super ipsum Christum recumbunt, sicut Ioannes super pectus Domini, qua de re videndus *Caiet. tract. 3. de indulgent.* vbi optimè expendit eam dependentiã, quam D vinea Ecclesiæ habet à Christo Domino, cum ea, quam natura humana eiusdem Christi habet à supposito Verbi, sicut enim humana natura dependet à Verbo, & cum eo, ac illi vnita vnitur mediatè naturæ Diuinæ eiusdem Verbi, sic vinea Ecclesiæ adhærens Christo Domino tanquam supposito mystico, cui copulatur crescit in eum modum, vt etiam Angeli in cœlo nati tanti incrementi, & excellentiæ admirentur. Videndus *Augustin. serm. 15. de verbis Apostoli*, vbi ait. Erit E opus Dei non solùm quia homo est, sed etiam quia iustus est; melius enim iustum esse, quam te hominem esse, si hominem te fecit Deus, & iustum tu te facis, melius aliquid facis, quam fecit Deus, sed sine te fecit te Deus, non enim adhibuisti aliquem consensum, vt te faceret Deus. Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te, ergo fecit nescientem, iustificat volen-

A tem. Ita *Augustin. & Hieronym. in caput 30. Ieremiæ* conuenienter ait. Omnis mundus indiget misericordia Dei, & nullus quamuis sanctus sit, securus pergat, &c. *& in cap. 19. Isai.* Semper indigemus misericordia Dei, & nullus est finis eius clementiæ. Videndus item *August. in comment. ad Psal. 129. & lib. quæst. super Exod.* Exod. 25. *quæst. 105.* ad illa verba: *Vultus eorum* num. 20. *erant in propitiatorium*, vbi ait. Quia misericordiam Domini, in qua vna sperandum est valde commendant. plura habet B *libro 2. contra duas Epistol. Pelagianorum. cap. 90. & lib. 10. confess.* cum ait: *Domine da quod iubes, & iube quod vis.* Similia habet *libro 5. de ciuitate. cap. 14. & lib. de* Matt. 5. *serm. Domini in monte cap. 14.* vbi ponde- num. 16. rat Christum Dominum dixisse: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Non, inquit, tantum dixit, vt videant opera vestra bona, sed addit, vt glorificent Patrem vestrum, hoc enim laudantibus expedit, vt non hominem sed Deum honorent, quandoquidem primas C partes in nostris bonis operibus agit, nostrásque eleuat manus, & eleuatis cooperatur, vt operari valeant. Similia sunt quæ docet *Gregor. lib. 19. moralium capite 14. & in pastorali. 3. p. 36.*

Vnde iustissima fuit vetus illa consuetudo, quam videtur Antiquitas accepisse ab Homero, qui solum cœlum coronandum dicebat, & ideo veteres soli Deo coronam dare consueuerant. Videndus etiam *Ambros. in caput 22. Luc.* cum agit de conuersione Petri, de quo etiam viden- D dus *Chrysostom. homilia 83. in Matth.* ad Mat. 29. illa verba: *Et si omnes scandalizati fuerint* num. 33. *in te, ego nunquam scandalizabor*, quid ais Petre? Propheta dicit, quia oues dispergentur, & Christus dictum confirmauit, & tu negas? Quem reprimere Christus volens, quoniam nec Prophetæ, nec sibi obtemperauit negationem fieri permisit.

Duplex crimen erat, tum quia repugnauit, tum quia cæteris se ipsum præposuit imo etiam tertium, non paruum crimen eum commisisse dixerim, quia sibi E totum imposuit. His igitur mederi omnibus volens, cadere illum permisit: non impellebat ad negationem, absit hoc, sed fauorem suum ab eo subtraxit: perspice autem quomodo post resurrectioné hunc eruditus, submissius loquitur, cum enim dixerat: *Domine hic autem quid? Ioan. 21.* Ioan. 21. Coargutus nihil apponere ausus, tacuit, num. 33. cúmque audierit: *Non est vestrum nosse* Actor. 1. *tempora, aut momenta*, non repugnauit. num. 7.

Deinde

Deinde in cœnaculo, & in sindone cum
vocem audiuerit, Quæ Deus mandauit tu
noli communia dicere, quamuis nec quid
diceretur quidem statim intellexerit,
quieuit tamen in illo omnino vsus con-
sensione: hæc omnia casus ille perfecit,
nam antea totum sibi attribuebat dicens;
Matt. 26. num. 33. & 35. *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego tamen
nunquam scandalizabor, etsi oportuerit me
mori tecum, non te negabo*, cum dicere de-
buisset, si patrocinio tuo iuuabis, è contra
Actor. 3. num. 12. vero postea dicit. *Quid nobis attenditis,
quasi propria virtute, vel potestate ipsum
ambulare fecerimus?* Magnum profectò dog-
ma hinc discimus, quia videlicet nullo
modo hominis voluntas sufficit nisi auxi-
lio superiori roboretur, & quia nihil lu-
crari poterimus superiori patrocinio, si
voluntas nostra repugnat: quorum alte-
rum Petrus, alterum Iudas confirmat, hic
enim, etsi præsidium Christi largum ha-
buerit, tamen quia noluit attendere, nul-
lam inde vtilitatem consecutus est: ille
verò etsi benè animatus fuerat, diuino ta-
men subtracto auxilio, stare non potuit,
quas ob res vehementer rogo atque ob-
secro, ne velitis cuncta, ita Deo attribue-
re, vt oscitandum, dormiendúmque vobis
putetis. Nec rursus si vigilatis laboribus
rem vestris aliquam effici arbitremini,
nam nec desides, atque resupinos iacere
nos Deus vult, ac ideò nonnihil à nobis
petit: nec arrogantia corrumpi, ac ideò
totum nobis non commisit, ita ex vtraque
parte, incommodo remoto, quod nobis
vtile, ac necessarium idem operatur: qui-
bus rationibus verticem quoque Aposto-
lorum labi permisit, humiliorem ipsum
faciendo, &c.

Prosequitur hoc argumentum *Author
operis imperfecti in Matth. hom.* 1. cum ex-
pendit confidentiam Dauidis, à Deo re-
pressam fuisse, ne deinceps de se præsu-
meret, atque in virtute sua confideret, sic
verò habet. Audi quoniam Dauid de ni-
mia iustitia sua confidens dicebat: *Domi-
Psal. 7. num. 4. ne Deus meus si feci istud, si est iniquitas
in manibus meis*, item: *Iniquitatem si con-
spexi in corde meo, non exaudiet Deus.* Er-
go dimissus est vt circumueniretur à car-
ne, non vt iniustitia ostenderetur eius, sed
vt eius iactantia compesceretur, &c. Vult
enim Deus vt qui in rectis factis suis
gloriatur, in Domino potius glorietur
1. Corint. 1. n. 31. iuxta monitum Pauli, vel glorietur in fa-
ctis suis quatenus sunt dona Dei, vel qua-
tenus proficiscuntur ex gratia, & miseri-
cordia Dei, quoniam omne meritum ho-

A minis præcedit & comitatur gratia Dei,
non enim gratia ex merito, sed meritum
ex gratia, alioqui iam non esset gratia, vt
argumentatur *Aug. lib. de verb. Apost. ser.
15. & 16. & lib. 50. homiliarum, homil.* 14.
vbi alloquitur Paulum dicentem. *Qui
prius fui blasphemus*: Et ait. *Da veniam* 1. Tim. 1.
Apostole propria tua merita non noui, nisi num. 13.
*mala da veniam, quia sic docuisti. Cum
ergo Deus coronat merita tua, non coronat
nisi dona sua*, & *in Psal.* 142. ait. *Quan-
tumlibet rectus mihi videar, producis tu
B de thesauro tuo regulam, & coaptas me ad
eam, & prauus inuenior, misericordia ergo
indigeo, fugitiuus redeo, pacem quæro, &c.*

Illud autem semper notandum est quod
licèt primas, & præcipuas partes Deus,
Deíque gratia in nostris victoriis agat,
ipsique iure debeatur triumphus, & coro-
na sit deferẽda, tanta tamen illius est be-
nignitas, & misericordia, vt nobis potius
victorias attribuat, & vires nostras com-
mendet, quæ fuit causa cur ad virgæ, ma-
núsque Moysis extensionem tot mirabi-
C lia ediderit. In quam sententiam notauit
Chrysostom. homil. 7. in Marc. loquens de
muliere illa, quæ sanguinis fluxum patie-
batur, & à Domino sanata est, dixisse illi
Christum Dominum: *Fides tua te saluam* Marc. 5.
fecit. Quibus in verbis salutem attribuit num. 34.
istius mulieris fidei, cum potius tribuen-
da foret virtuti ipsius Christi, nam alibi
dixit sensisse virtutem de se prodeuntem,
& ideò Euangelista Luc. ait: *Omnis tur-* Luc. 8.
ba quærebat eum tangere, quia virtus de num. 46.
illo exibat, & sanabat omnes. Quid, igi- Luc. 6.
D tur si virtus salutifera de illo exibat, quæ num. 19.
etiam hanc mulierem sanam fecit, salu-
tem mulieris fidei attribuit, non virtuti
suæ? Quæstioni respondet citatus *Chry-
sostomus* dicens. Videte humilitatem, ipse
sanat, & illi refert quod sanauit, fides tua
te saluam fecit, fides tua te sanauit: Fidei
mulieris sanitatem tribuit, vt manus no-
stra coronam capiti nostro imponat, &
merita nostra eam videantur comparasse,
quo maior sit lætitia, & honor noster,
cum vera tamen diuinæ gratiæ debeat
E concedi, quæ fuit ratio, cur Moyses non
propriæ manus extensionem in præ-
senti commendet, sed totam
Deo attribuat, & illius
dexteram carminibus
celebret.

ANNOTAT. II.

Dextera prosperitatis impios plerúmque deijcit, & quàm periculosius illius sit actus.

QVoniam frequens est apud sanctos Patres ea doctrina, quæ per dexteram significatur felicitas, & prosperitas rerum temporalium, vt videre est apud *Hieron. Epist. ad Principiam, & in cap. 91. Isai. Aug. liu. de essentia diuinitatis, & in Psal. 120. & 136. & liu. quæst. in Deuter. q. 48. Bernard. in Psal. 90. & serm. de transitu Malach.* Ideò in præsēti minimè omittendam censui doctrinam, quam *Gregor.* ex verbis nostri contextus sic elicit in *pastorali 3. part. cap. 27.* ad hæc verba: *Dextera tua Domine percussit inimicum*, ipse verò legit, *confregit inimicos.* Hostes Dei, inquit, & si in sinistra eius proficiunt: in dextera franguntur, quia plerúmque prauos vita præsens eleuat, sed aduentus æternæ beatitudinis damnat, admonendi sunt igitur, qui in hoc mundo prosperantur, vt solerter considerent, quia præsentis vitæ prosperitas, aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet: aliquando verò in æternum, vt plenius damnet.

Ps. 104. num. 44. Primum probat *Gregorius ex Psal. 104.* vbi dicitur, dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius

Psal. 72. num. 18. requirant. Secundum verò probat ex *Psal. 72.* vbi dicitur. *Deiecisti eos dum eleuarentur*, quia, inquit ille, cum largientem Deum humana mens boni operis repensatione non sequitur, vnde nutrita piè creditur, inde iustius damnatur, hinc per *Psalmist.* dicitur. *Deiecisti eos dum eleuarentur*, quia videlicet reprobi, cum recta opera diuinis muneribus non respondent, vnde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt, hinc in inferno cruciato diuiti di-

Luc. 16. num. 25. citur. *Recepisti bona in vita tua*, idcirco enim bona in vita sua, malus recepit, vt illic plenius mala reciperet, quod intelligendum est secundum effectum, non secundum causam, quasi Deus ea mente illi concesserit bona, vt ille inde ad mala pœnæ damnaretur, idem prosequitur *Epistol. 5. ad Theoctist.* Imperatoris sororem, vbi

Psal. 72. num. 18. affert eundem locum *Psalm. 72. Deiecisti eos dum eleuarentur.* Non dixit, ait ille, deiecisti eos postquam eleuati sunt, sed dum eleuarentur, quia praui quíque dum

A temporali honore suffulri foris videntur surgere, intus cadunt, & cum in hac vita gloriam percipit, quam relinquit, ab illa cadit, quæ post hanc venit, & *D. Augustin. lib. 1. de ciuit. cap. 18.* ait. Bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur, malus autem ideò huiuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.

Prosequitur hoc argumentum *Chrysostom. homil. 1. de diuite epulone. Diuiti*, inquit, *nauis erat plena mercium, ac secundo*

B *nauigabat vento, verum ad naufragium festinabat, eo quod onus nolebat circumspectè ferre; infelix felicitas, quæ diuitem ad æternam infelicitatem traxit, felix infelicitas, quæ pauperem Lazarum in æternam felicitatem induxit: quemadmodum segetem nimia prosternit vbertas, sic virtutem nimia prosternit rerum affluentia: franguntur pullulantium copia arborum rami, franguntur quóque copia diuitiarum mores.* Sic ille.

Videndus idem *Chrysostom. homil. 9. in*

C *illud Psal. 25. Redime me, & miserere mei.* Vbi ait. Non debet perturbare fideles mentes sublimitas malorum, prosperitas impiorum humiliat bonos, vt præsentia bona non sperent, sed æterna credāt: quid fuit ille diues, qui byssino & purpura induebatur splendidè que edebat, qui cunctos subditos habebat, adulatoribus delectabatur, cursoribus ornabatur, à clientibus constipabatur, delitiis fruebatur, quandóq; finita est vita caduca, spes præsentis vitæ migrauit, transiit, & qui in sæ-

D culo non se agnouit, de inferno gemens, clamauit, agnouit diues pauperem, superbus humilem, elatus tollerantem. Eia fratres nolite desidiosè audire verbum veritatis, non vos possideat vita falsitatis, mundus iste non vos obdulcescat, pes vester, idest, fides vestra non extollatur in prosperis, in aduersis non deiiciatur, sed clamate cum Propheta dicentes.

Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine: Nolite esse temporales, *Psal. 25. num. 12.*

sed ad æternitatem proficite: hic & bonis,

E & malis dat bona, ibi autem solis bonis bona, & malis pœnam perpetuam. Videndus idem *Chrysostom. homil. 40. in Genes.* ad media vbi ait. *humana natura, quando multum prosperè ei succedit sua obliuiscitur nobilitatis, neque intra suos limites subsistit: idcirco quasi clementissimus Pater Deus aliquando vobis indulget, aliquando castigat, &c.* Quæ elegantissima sunt.

Simi

Similia habet *Author operis imperfecti in Matth. homil.* 34. vbi confert Sanctos veteris testamenti, cum his, qui sub nouo testamento fuere, aitque in hunc modum *Qui tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate, & labore iustitiam seruauerunt: quia ipsa felicitas mundialium rerum, satis impedimentum est animæ ad iustitiam faciendam, nunc autem facilius homines iustitiam facere possunt, quia ipsa aduersitas, & angustia mundialium rerum adiuuat animam ad iustitiam faciendam, sicut facilius est homini pauperi, & in angustijs constituto disciplinam tenere, diuiti autem, & abundanti difficilè: Sic illi inter gaudia mundi difficilè fuit tenere iustitiam: nobis autem inter tribulationes mundi facilè. Multum ergo tunc, bonus erat, & fortis in fide, qui poterat euadere vanitatem, nunc autem multum iniustus, & modo multum malus est, & miser in fide, qui se non stringit ad Deum.* Sic ille.

Et *homil.* 31. dixerat: multo magis laboriosum est in securitate concupiscentias vincere, quam in periculo diuitias posse contemnere: ipse enim timor periculi adiuuat animam, & facilè vincitur delectatio corporalis, quot sunt enim qui in securitate non fuerunt contenti pauperes esse, & cum viderunt persecutionem magis contenti fuerunt bona sua dimittere, quam perire propter illam? Præsciens Deus frequenter præscidit diuitias eorum, vt à solicitudinibus reuelati securius, & melius permaneant cum Deo. Et *hom.* 35. ponderat cæcos apud *Matth. c.* 20. increpatos à turba vt tacerēt, magis tunc clamasse. Inuitabuntur, inquit ille, inuiti, magis quam compescebantur, talis enim est natura fidei, quanto magis vexatur, eo magis accenditur: propter quod, & serui Dei in persecutionibus non vincuntur, sed quanto magis afflicti fuerint, tanto amplius accenduntur, virtus ergo fidei in periculis secura est, & in securitate periclitatur, quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, quam longa tranquillitas.

Matth. 20. n. 31.

Videndus, & *Theodor. orat. in Danielem* vbi probat secundam fortunam, prosperósq; euentus inducere obliuionem omnium acceptorum beneficiorum, etiam ab hominibus, qui vero sic obliuiscitur, facilè in superbiam erigitur, vnde citius miserè prolabatur, sic verò habet: plerósque hominum prosperi successus faciunt eorum, qui de se benemeriti sunt, obliuisci: necessitates verò, quibus pre-

A muntur, eos illis in memoriam reuocant, qui beneficia contulerunt, & cum aliquis prospera corporis vtitur valetudine, medicæ artis minimè recordatur, cum verò in morbum inciderit memoria repetit, secum prius etiam eodem morbo laboraret alicuius medici ope refectum esse, se salutis potitum, & cætera.

Et *Senec. lib.* 14. *Epist.* 95. dixit. Melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt, & *Boëtius* 2. *de consolat. prosa* 8. ait. Felix fortuna à vero bono deuios blandi- B tiis trahit, aduersa plerūnque ad vera bona reducens vnco trahit, &c.

Quia vero nouit Deus plerunque prosperitatem hominibus nocere, sicut notauit *Bernard. dicto ser. de transit. Malach.* vbi ait. Quod multò plures prosperitatis fallacia, quam aduersitatis flagella deiiciant, iuxta illud *Psal.* 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis,* quibus habet similia 2. *de consider at.* vbi inter alia ait. Facilius inuenies, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi for- C tuna, quam qui propitia non perdiderunt, præferendus ille, & magnum est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis, vel corporis non irrepsit, qua de re videndus *Chrys. homil. in illud, Patientiam habe in me.*

Psal. 90. num. 4.

Cum igitur hæc nouerit Deus, quando pleraque bona alicui confert, & in prosperis, ac secundis rebus collocat, statim monitum esse vult, ne per superbiam in batathrum, & ignominiæ profundum la- D psus demergatur, quæ est humanæ fragilitas in supremo dignitatis vertice collocata. Condidit olim Deus primum hominem visibilis creaturæ principem, & totius orbis Monarcham in statu gratiæ, vt cum *D. Thom.* plerique Theologi probant, & docent sancti Patres, inter quos est *Dionysius de cælesti Hierarch. cap.* 3. & *Iren. libro* 5. *contra hæreses, cap.* 20. *Chrysostom. hom.* 8. & 9. *in Genes.* Verumtamen, quia hęc summa dignitas difficilè conseruanda videbatur, quin superbiam euane- E sceret, de illius conseruatione solicitus Deus, illum non prima die condidit, sed sexta, vt patet *Gen.* 1. cuius rei rationem si velis, redit *Procopius* dicens. Ne gloriaretur, & se quasi iactaret cooperatorem Dei, imò potius se videns postremo loco editum, cognosceret se veluti vltimum magni patris familias filium, proindéque tanquam vltimus filius demisso capite inter alios incederet, & se posteriorem,

Gen. 1. num. 27.

& despicabiliorem inter cæteras creaturas, quas dignitate etiam præibat sui agnitione, & humilitate reputans sequeretur, quod in opinione *D. Bernard.* Magna, & rara virtus est, sic enim habet, *serm.* 13. *in Cant.* Magna, & rara profectò virtus mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.

Et huc planè respicit id quod Scriptura addit. Postquam dixit hominem creatum ad imaginem, & similitudinem Dei, *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ,* seu vt in Hebræo est, *de puluere terræ*, hoc est de parte inutili, sicut interpretatur *Procopius*, & superflua terræ, vt si fortè intumesceret, leuique superbiæ flatu puluis excitaretur, statim ex vtilitate eiusdem pulueris detumesceret, & quantum sibi arrogaret ex imagine diuinitatis, & ex nobilitate animæ, rerúmque omnium principatu, tantum ex leuitate ac vilitate pulueris sibi omnino derogaret.

Et quia neque sic custodiuit semetipsum à sua prosperitate, neque se seruauit Deo submissum, omnibus creaturis præmissum: ne tandem miserè demergeretur tanti honoris onere, veluti suburra secundam facturus nauigationem dirigitur, dum repletur multis miseriis, & plerisque subiicitur ærumnis, quod prosequitur *Chrysostomus homilia* 11. *ad populum*, cum ait. Deus multis hominem deuinxit necessitatibus, non perosus, neque aduersatus, sed consulens, & nascentem ab initio superbiam prohibens, nec vlterius procedere permittens, sed per ipsam rerum experientiam mouens eum, quod mortalis, & corruptibilis esset, morbosum, & ærumnosum ipsius corpus Deus effecit, per ipsam docens naturam, ne vnquam talem conciperet cogitationem: animam verò obliuioni, tristitiæ, ignorantiæ, & curis obnoxiam reddidit, ne ad propriam generositatem respiciens, maiorem, propria dignitate opinionem conciperet.

Hęc est ratio cur prodeuntibus è manibus Creatoris cæteris rebus, initio mundi, statim ab eodem opifice singulæ laudabantur, vt patet ex 1. *c. Genes.* vbi toties dicitur. *Vidit Deus, quod esset bona*, aut *bonum*, solus tamen homo, è diuino opificio prodiens è Deo non laudatur, cum tamen inde maximè laudabilis euaserit, vnde *Ambr. lib.* 6. *examer. c.* 8. admirabundus exclamat. Pictus es ô homo, & pictus à Domino Deo tuo, bonum habes artificem, atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fucco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia, & *Chrysost. homil.* 3. *ad popul.* ait. Audi Paulum dicentem, quod non debet homo operire caput, imago enim, & gloria Dei est, & rursus ipsum Deum dicentem: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, si verò dicas, quod non est eiusdem substantiæ cum Deo, quid hoc? Neque enim æs statuæ eiusdem est cum Rege substantiæ, sed tamen hanc ausi lædere pœnas dederunt, sic & in hominibus, etsi non eiusdem cum Deo substantiæ sunt homines, veruntamen imago vocati sunt, & propter appellationem, ipsos honorem recipere oportebat, *homil.* 35. *ad populum.* ait. Apud Deum visibilium nihil homini par: nam & cælum, & terram, & mare propter eum fecit, & in eo magis quam in cælo delectatur inhabitans, &c. & *Basil. homil.* 10. *de hominis institutione* ponderans citata verba *faciamus hominem*, &c. ait. Propter hoc sanè, quod curam condendo homini interserit. Scriptura innuit Deum voluisse edere quidpiam operis, quod eximiæ suæ artis specimen esset numeris omnibus absolutum, perfectum, solertique artificio elaboratum, ac perpolitum, aut certè tibi vt insinuet, quam sis in oculis Dei ruapte natura perfectus, & *Origen. homil.* 1. *de ortu mundi*, ait. Videamus quæ sunt, quæ ipse Deus fecit, & per hæc quæ magnitudo hominis sit aduertamus. *In principio fecit Deus cælum & terram*, similiter ait. *Et duo luminaria magna*, & nunc iterum, *faciamus hominem*, in his solis factura ipsius Dei adscribitur, in aliis verò nusquam, sed tantummodo cælum, & terram, sol & luna, ac stellæ, & nunc homo à Deo factus est, omnia verò reliqua iussione eius facta esse dicuntur. Ex hoc ergo considera, quanta sit magnitudo hominis, qui tam magnis elementis, tanquam præcipuis adæquetur, qui habet honorem cæli, propter quod & cælorum ei promittitur regnum, habet & terræ honorem, quoniam quidem in terram bonam, & terram viuorum fluentem lac, & mel ingredi sperat, habet honorem solis, & lunæ, habens repromissionem, fulgere sicut sol in regno Dei. Illud sanè eminentius in conditione hominis video quod alibi non inuenio dictum. *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei fecit eum*, quod neque in cęlo, neque in terra, neque in sole, vel luna inueni

Marginalia: A; B; C; D; E; *Genes.* 1.; 1. *Cor.* 11. *num.* 7.; *Genes.* 1. *num.* 26.; *Matt.* 13. *num.* 43.; *Genes.* 1. *num.* 26.

inuenimus scriptum. Et *Lactant. Firmian. lib. 7. de diuino premio, cap. 5.* ait. Ex omnibus animantibus solus ita formatus est homo, vt oculi eius ad cælum erecti, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit, vt videatur hominem Deus quasi porrecta manu eleuatum ex humo ad contemplationem sui excitasse, *& lib. 2. de origine erroris, cap. 9.* Homo sic in mundum inductus est à Deo, quasi in domum iam paratam, & instructam, idem Poetæ fatentur *Ouid.*

Sanctius his animal mentisq; capacius altæ.

Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset:

Natus homo, &c.

B Similia habet *lib. 3. de falsa sapientia, c. 9. & cap. 14. Et Philo lib. de opificio,* primum hominem vocat sacratum templum rerum omnium præstantissimum, & pulcherrimi exemplaris pulcherrimam imaginem, tanto meliorem cæteris omnibus, quanto ipse meliorem habuit authorem. Principium quidem, inquit ille, fecit C Deus cælum, finem verò hominem, illud inter sensibilia, incorruptibilia perfectissimum, hunc inter ex terra genita, & incorruptibilia, optimum, paruum (si vera dicenda sunt) cælum, multarum naturarum stellis, similium simulachra intra se gestantem, &c.

Cum ergo talis tamque perfectus ab opificio Dei prodierit primus homo, cur solius eius laudes taceantur, cur creator omnium cætera commendans, in vno tantummodo tacet hominis? Alias quidem D rationes tradit *D. Ambr. lib. de instit. virginis, cap. 3.* nobis ea pro nunc videtur aptissima, quòd cæteræ creaturæ, cum essent sanctitatis, & honoris prorsus expertes, non possent ex diuina laudatione superbire, at verò homo paulominus minoratus ab Angelis, cæteris præpositus, Dominúsque à Deo constitutus, si insuper à Deo commendaretur, superbè euanesceret, & à culmine tanti honoris facilè rueret, nouit enim pientissimus Dominus nostræ superbiæ occurrere, ne in pro- E spera elata quam citissimè corruat, ideóque & Moysem, cum quo loquebatur

Exo. 33. num. 11. Deus velut homo ad amicum suum, con-

Exo. 18. silio Iethro cognati sui alligauit, & Pau-

2. Cor. 12. n. 2. lo Apostolo, qui vsque ad tertium cælum raptus fuisse dignoscitur, ob humilitatis custodiam datus est stimulus carnis, ne magnitudine reuelationum extolleretur, quod prosequitur *sanctus Eligius* A *Nouiomensis Episcop. homil. 5. in Cœna Domini, tom. 2. bibliot.* Sup. n. 7.

Mirabitur iure optimo quisquam si aduertat Christum Dominum peccatricem mulierem in conuiuio coram discumbentibus multis encomiis collaudasse cum dixit. *Simon vides hanc mulierem? Aquam pedibus meis non dedisti, &c.* Et iterum. Luc. 7. num. 44. *Quid molesti estis huic mulieri, opus enim bonum operata est in me? &c. & quod hac fecit in memoriam eius,* at verò Baptistam, Mat. 26. num. 10. qui illibatum innocentiæ, & sanctitatis decorem ab vtero matris suæ conseruauerat non solum non laudasse cum adesset, verum neque sanctitatem eius coram discipulis commendasse, imò expectasse, vt discipuli tandem abirent, & tunc cœpisse dicere ad turbas de Ioanne, quod ideo factum esse asserit *Chrysostom.* ibi, ne si per Matt. 11. num. 7. discipulos tam præclaræ laudes, multáque encomia ad Ioannis aures deuenirent aliquo arrogantiæ flatu superbiret. Sed si inquiras, cur magis hoc timendum fuerit in Ioannis virtute, quam in Magdalenæ sanctitate: Nulla aptior occurrit ratio, quam quia Magdalena suorum peccatorum veluti ponderibus librata, & sui cognitione, ac lachrymatione depressa nullius laudis, ac commendationis elatione è pedibus Christi, quibus defixa, & adueluta iacebat efferri poterat, at verò Ioannis innocentia, & excellentia vicinior cælo, ministerio Angelorum nunciata, simúlque cum ipso in lucem edita, & coæua, nec tamen debita, quamlibet laudationis auram facilè colligere posset sibi relicta, qua supra se eleuatus Ioannes præceps rueret, quod ipse fortassis veritus ad pedes Christi Domini se proiecit, cum dixit. *Cuius ego non sum dignus vt* Ioan. 1. *soluam eius corrigiam calceamenti.* at ve- num. 27. rò Marc. addit. *Cuius non sum dignus pro-* Marc. 1. *cumbens soluere corrigiam calceamento-* num. 7. *rum eius*, vbi ad pedes Christi Domini sese recepit, lapidi angulari adhærens, ne tandem leuis superbiæ aura eum raperet, & deiiceret: continent enim hæc verba summam humilitatem, iis enim profitetur Ioann. se nec inter infimos, & vltimos seruos Christi mereri annumerari, éstque forma prouerbialis soluendi calceamenta, vt infimum ministerium significetur, sicut notauit *Chrysostom. homil. 15. in Ioan. Theophilact. Euthym. & Cyrill. ibi,* qua de re plura pro humilitate Ioannis habet *Augus. tract. 13. in Ioan. & Chrysostom. homil. 18. de humilitate, tom. 5.*

Traditurus Deus ciuitatem Hai in ma-

nus Iosuë illum prius alloquitur dicens: *Iosuë 18. num. 1.* *Ecce tradidi in manum tuam regem Hai, & populum, vrbémque & terram.* Significantius verò, in heb. habentur hæc verba: *Vide, dedi in manum tuam regem Hai, & populum eius, &c.* Quid igitur, vt videar, monet, & vt respiciat hortatur? Rectè quidem ad rem nostram, exponit *Serar.* ibi, admonet illum ne suis viribus, suæque gloriæ assumat victoriam, qualem arrogantiam solent plerunque infelicitates maximæ, atque infortunia consequi, prosperi enim euentus, & felices rerum exitus, ita commouent hominum animos, vt in extremam miseriam à felicitate deiiciant, & à lætitia in lachrymas deturbent. Hæc etiam fuit ratio, sicut notauit *Ambros. libr. de Ioseph.* cur semel atque iterum Ioseph postulauerit à pincerna Pharaonis ne tandem sui interpretis *Gen. 40. num. 14.* obliuisceretur, sic enim apud LXX. & apud Paraphrasim Chaldæam duplex memoriæ, seu memorandi repetitio reperitur; rationémque reddens *Ambros.* ait: ideò secundò repetit, quia sciebat non recordaturum cum potentiam recepisset, nihil enim magis curant hi, qui prosperitatis dextera eleuantur, quam præsentem elationem contemplari, & illius complacentia frui, & quia altitudine obcæcantur, facilè præcipitium incurrunt, & in infima prolabuntur.

Vltimam sanè perniciem attulit regi Hai, & ciuitati ipsius victoria, quam de filiis Israel, ciues sui comparauerant, quando, *Iosuë 7. num. 5.* *Tria millia pugnatorum terga vertentes percussi sunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta & sex homines, persecutique sunt eos aduersarij de porta vsque Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes, pertimuitque cor populi, & ad instar aquæ liquefactum est.* Elatus igitur felici euentu, quando Iosuë ciuitatem Hai egressus est, *Iosuë 8. num. 14.* *Festinauit mane, & egressus est cum omni exercitu ciuitatis, direxitq; aciem contra desertum, ignorans quod post tergum lateret insidiæ à quibus vrbs capta, & incensa est.*

Quid igitur Regem à proprio munere deturbauit, in tanta enim potentissimi hostis vicinitate, & recente sociæ vrbis Iericho calamitate, nullum tempus cura maxima vacuum prætermittere debebat, sed de die cogitare, quæ de nocte, & nocte quæ de die facto opus esset, habere apud hostes, qui consilia eorum occultè perciperent, habere circum vrbem longè, latéque dispositas ex- A cubias, & speculatores, quibus loca omnia, præsertim montosa illa, & confragosa, insidiisque apta continuò explorata essent, ne ab insidiatoribus præoccuparetur ciuitas comburenda? Reddit huius incuriæ, desidiæ, & dominandi abusus rationem *Masius, ad caput octauum Iosuë numero decimoquarto,* cum ait: Nimirum superiori victoria stultè inflatus, securè voluptatibus suis se dederat.

B Cum Deus Iudæ multas victorias concederet, & in manum illius traderet Chananæum, & Pherezeum, magnæ illius prosperitati volens aliquem obicem ponere Deus, habitatores vallis reliquit, quos non valeret superare, ne elatus victoriis comparatis, felicitati cedens præceps rueret, sic enim habetur *capite primo, numero decimonono, Iudic. Fuit Dominus cum Iuda, & montana possedit:* *Iud. 1. num. 19.* *nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Si quis verò quærat, cur Iudæi valles non potue- C rint deuincere: LXX. interpretes dicunt, Rechabum, ne peterent illi valles prohibuisse, huiúsque causam *Theodoretus* reddit *quæstione quinta,* duplicem, scilicet, quia summa erat incolarum impietas, cuius ad Israëlitas ne diffunderetur contagium, cauendum vtique erat, tum etiam quia qui mari sunt proximi, nauigantes è longinquis regionibus excipiunt, atqui conuersatio cum extraneis instam viuendi rationem cor- D rumpit. Sic ille *Thedoretus.* Cui suffragatur hac in re *Lycurgus* apud *Plutarchum. Et Iosephus contra Appionem, & Plato apud Strabonem,* non tamen vsque adeò placet, alioqui illa efficeret ne terram istam Deus promitteret, & de ea diceretur, *Genesis capite quadragesimo quarto, numero decimo tertio.* *Gen. 44. num. 13.* *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.*

E Sed istas rationes omittamus, cum in textu nostro Latino, Hebræo, & Chaldæo, alia assignetur, quod scilicet, *ferratorum*, vt Hebraice habetur, seu *falcatorum*, vt in LXX. interpretibus, & Latino textu est, *curruum copia in vallibus fuerit.* Requirunt autem huiusmodi currus planum campum, teste *Vegetio libro tertio, capite vigesimo quarto.* Hæ verò curruum phalanges, Iudæis terrorem incutiebant, vt patet *Iosuë capite decimo septimo, numero 16.* *Iosuë 17. num. 16.* vbi filij Ioseph

Ioseph dixerunt: *Non poterimus ad montana conscendere, cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, &c.*

Solent autem nondum assuetos spectacula ista facilius irritare, vt in elephantis, & his ipsis curribus contigisse testatur *Vegetius* loco superius citato, nondum enim artem iis obsistendi satis Iudæi tenebant, needum tribulos, & alias artes nouerant, quas *Alexander apud Curtium libro quarto. Sylla apud Frontinum libro 2. capite tertio. Eumenes* apud *Plutarchum*, & alij contra istos currus inuenerunt.

Cæterum cum ipse Dominus esset cum Iudæis, sicut testatur sacer textus, cur illius ope currus istos protetere, vel nescierunt, vel vt Hebr. & LXX. interpretes habent, non potuerunt? Possemus enim modo referre quomodo Dei præsentia victoriarum largitrix, laurorum, & palmarum seminatrium, malorum omnium sit propulsatrix, quâ de re multa diximus ad *num.* seu *vers.* 4. dubitationi respondet *Caietan.* in hunc modum: diuina prouidentia fert opem secundùm mensuram suæ dispositionis, & propterea vtrúmque dicit Scriptura, & quod fuit Iehouah cum Iuda, & quod non fuit cum eo ad expellendum habitatores vallis, non enim Hebraicè scribitur, & non potuerunt, sed & fuit Iehouah cum Iuda, & hæreditauit montem, quod nō ad expellendum habitatores vallis, hoc est, fuit Iehouah cum Iuda ad hoc vt possideret montem, ita quod non ad expellendum habitatores vallis, similia ferè habet *Augustinus ibid. quæstione prima.* Impediit ergo illos Deus, vel auxilij priuatione, vel præter hanc priuationem auxilij, incutiendo metum, aut faciendo eos cogitare magnum hostium robur, & insuperabilem apparatum bellicum.

Sed adhuc cur hoc diuinitus factum fuerit inquires? Paraphrasis Chaldæa ait, Propter peccata, quæ tunc in Iudæis erant. Qualia, verè fuerint docet *Arias Montanus* diffidentiam, scilicet & ignauiā, quam iniecerat opinio de curruū illorum multitudine, & potentia, cum probè nouerint Deum currus Pharaonis in mare proiecisse: Exod. 15. num. 4. mitius rem exposuit *Augustinus*, sed ad nostram aptius, sic enim habet *quæstione quinta*, quis non etiam hoc ipsum ad id pertinuisse, quod erat Dominus cum Iuda, ne totum repente obtinendo extolleretur? A Quasi in hoc Deus fuerit cum Iuda, & singularem ostenderit beneuolentiam, dum extollendi, & superbiendi materiam abstulit, per hoc quod habitatores vallis profligare non potuit, deinde addit *Beatus Augustinus* cur autem timueris cum quo Dominus erat? Si quæritur, hoc est, quod prudenter intelligendum est: restringere Deum propitium etiam in cordibus suorum nimiæ prosperitatis excessus, vt in vsum eorum conuertat inimicos, non solum quando vin- B cuntur inimici, sed etiam quando metuuntur.

Illud ad commendandam largitatem suam, illud ad eorum comprimendam elationem. Sic *Diuus Augustinus* exponit, quomodo Deus occurrat, & teneat dexteram prosperitatis, ne qui ea vtitur, superbe efferatur, & misere prolabatur: sic in Ecclesia semper aliquid tentationum remanet, falcati semper currus, vel persecutionum, vel hæresum & scandalorum eam terrent & exercent: hæreticorum C literatura, linguarum peritia, Sosphismatum contentio, armatæ sunt quadrigæ, quibus infirmorum transfigantur animi, plerique terreantur, & Ecclesia exerceatur, vt proficiat contra inimicos.

Vnde *Diuus Hieronymus in vita Malachiæ* dixit. Ipsa Ecclesia postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem, & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est, qua de re videndus *Chrysostomus in Psalmum centesimum* D *vigesimum*, vbi de Israëlitis ad Deum clamantibus in captiuitate Babylonica exponit illud *Psalmi centesimi vigesimi* Ps. 120. num. 2. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram, atque. Vides quomodo mundi fabricationem, Deique sapientiam, & prouidentiam prædicat? Qui enim antea (scilicet in prosperitate, & abundantia rerum) dicebant ligno: *Deus meus es tu, & lapidi tu me genuisti,* Ierem. 2. num. 27. vniuersi orbis terræ opificem cognoscunt, & in *Psalmum* 126. loquens de reditu E eorum è captiuitate Babylonica ait. Non simul, & aceruatim dedit eis Deus bona omnia, sed sensim, & paulatim ne per celeri liberatione à malis ad impietatem pristinam recurrerent, & eos deiiceret dextra prosperitatis, quæ impios in profundum quasi lapides solet mittere.

Hæc itidem est ratio cur in nostrum quolibet etiam post montium victorias, id est, post baptismum concupiscentia, peccati

peccati fomes, & radix remaneat, & eorum quibus cum viuimus æmulationes, iniuriæ, detractiones, irrisiones, contemptiones insurgant, & hostile ferè semper aliquid, molestúmque quidpiam relinquat Dominus, vt in Paulo à Satana colaphizato declarat *D. August. quæst. 5. in*
2. Cor. 12. *citatum lib. Iudic. & Greg. 33. moralium.*
num. 7. *cap. 11.* qui necessario recolendus est, cum ait. Paulum post tot reuelationum sublimia stimulis carnis agitabat Satanas: tentatio illa non vorago vitiorum, sed custodia meritorum fuit, & deinde addit. Antiquus hostis occultis Dei dispensationibus seruiens Sanctorum animas ad interitum tentat, volens: sed ad regnum tentando seruat inuitus.

Gen. 35. Videndus *Cardinal. Hugo ad c. 33. Gen.*
num. 19. cum ponderat Rachelem verno tempore fuisse mortuam, cum appropinquaret vrbi Ephratæ. Et hoc est, inquit, quod contemplatio moritur in diuitiis, & magnis possessionibus, Rachel enim sonat contemplationem, Ephrata vero frugiferam, siue abundantem, tempus autem vernum symbolum est prosperitatis, quemadmodum hyems fortunæ aduersæ, ideóque *August. in Psalm. 50.* ait. Periculosior est res prospera animo, quam aduersa corpori, prius corrumpit prospera, vt inueniat quod frangat aduersa, prefsura caruit Dauid, tunc exercuit, addit verò *Gregor. in eundem Psalm.* Quis sanctior Dauid. Qui cum Saulis persecutione vrgeretur, non solum persecutorem occidere non voluit
1. Reg. sed ipsi persecutori, cum occidere posset,
24. nu. 5. pepercit, verum vbi deuictis hostibus, pressuris caruit, homicidium adulterio incautè securus adiecit, & cum tandem sine vllis belli curis, iam aliquandiu scilicet per annos quatuor iugiter in summa pace, & prosperitate regnasset, cúmque haberet sub se vniuersum Israëliticum populum, & alios quos subegerat sibi in omnibus obsequentissimos, & insuper aduerteret, quod finitimæ nationes de sua potentia iam satis edoctæ, non solam sibi bellum inferre non auderent, sed potius obsequia præstare, atque ipsius beneuolum conseruare satagerent, in superbiam elatus est, quemadmodum id maxima rerum affluentia, tranquillitate, otio, & prosperitate euenire solet, iuxta illud
Psal. 72. *Psalm. 72. In labore hominum non sunt, &*
num. 5. *cum hominibus non flagellabantur, ideo tenuit eos superbia, & prodijt, quasi ex adipe iniquitas eorum.* Itaque cum quadam die insidiis Satanæ vehementer tentatus, tumore quodam intimo elationis admodum inflatus esset; vt certior fieret de maxima, quæ prædicabatur regni sui potentia, postéque aliquando data occasione ad ostentationem, & inanem gloriam proferre numerum pene immensum militiæ suæ: mandauit Ioabo principi totius sui exercitus, vt exiens recenseret vniuersos ad pugnam aptos in cunctis tribubus Israël; qui licèt inuitus postquam vidit non posse Regem de hac sententia dimoueri, *Lustrauit vniuersum Israël*, vt constat ex *2. Reg. cap. 24. à nu. 1.* 2. Reg.
vsque ad 8. & ex 1. Paral. c. 21. à num. 1. 24. nu. 1.
vsque ad 5. Et inuenit mille millia, & cen- 1. Par. 21.
tum millia virorum educentium gladium, num. 1.
præter illos qui erant in tribubus Benjamin, & Leui, quas Ioab adhuc dinumerare non curauerat, eo quod non libenter talem Regis iussionem exequeretur: & non multo postquam rediit Ioab in Hierusalem pœnituit Regem, quod iussisset recenseri populum, supplex à Deo veniam petiit, non tantum (vt putat Iosephus) quod oblitus esset in hoc censu colligere semiciclum per singula capita expendendum in vsus tabernaculi, sicut præceperat Moyses, sed multo magis, quod sine causa legitima, & ad solam ostentationem, populum recenseri iussisset, & cum missus à Domino Gad Propheta Regi optionem dedisset, vt quod mallet ex tribus propositis flagellis deligeret, & ille vndique coangustatus, tandem diuina fretus misericordia, flagellum acceptasset, ac non multo post audisset cecidisse 70. millia virorum pestilentia in Israël, & vidisset Angelum euaginato gladio, vt perceuteret Ierusalem, cecidit Rex, & maiores natu induti ciliciis proni in terram, accusansque semetipsum Dauid deprecatus est Dominum, vt populo parceret, & quod ipse prosperitate elatus contra Deum commiserat, flagellis compunctus, & supplicio humiliatus, Deo parcente, deleuit, hoc enim remedium humilitatis, & humiliationis relictum est contra superbiæ elationem, qua de re videndus *Bernard. serm. 45. in*
Cantic. cum ponderat illa verba eiusdem Psal. 50.
Dauidis in pœnitentia. *Asperges me Domi-* num. 9.
ne hyssopo, & mundabor, sic enim habet *Bernard. Dicer anima humilitas est, non à me ipso hoc dico, cùm Propheta prior dixerit: Asperges me hyssopo & mundabor. Humili herba, & pectoris purgatiua humilitatem significans; hac se post grauem lapsum Rex, & Propheta lauari confidit, & sic niuenm quendam innocentiæ recuperare*

cando

candorem. Verum in eo qui grauiter peccauit, etſi amāda, non tamen admiranda humilitas: at ſi quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminum anima poſſidere decorem? Sic ille. Qui ergo in proſperis ſanctimoniam amiſit, humiliatus tandem recepit, ac retinuit, facilius enim per humilitatem acquiritur, quam in proſperitate ſeruetur ſanctitas.

Et de filio Dauidis Salomone dixit *Auguſt. lib. 17. de ciuitat. cap. 20.* Secundæ res, quæ ſapientum animos fatigant, magis B Salomoni obfuerunt, quam profuit ſapientia: aduertit autem *Gregor. 3. paſtoralis admonitione* 27. nihil in hoc mundo habuiſſe Salomonem adueiſitatis priuſquam caderet, quaſi ideò ceciderit, quia dextera proſperitatis eleuatus, periculo labendi expoſitus eſt, vnde *Bern. ad Eugenium* creatum ſummum orbis Pontificem dicebat. Attende quam rarus ſemper extiterit, qui non vel modicè in proſperitate animum relaxauerit à ſui cuſtodia, C quando hoc incautis non fuit ad diſciplinam quod ignis ad ceram, quod ſolis radius ad niuem, vel glaciem? Sapiens Dauid, Salomon, & cætera, vbi proſperitatis ruinam ex proſperitate Dauidis, & Salomonis probat. Videndus hac de re *Baſil. hom. 6. in diteſcentes*, vbi plura habet.

Notandúmque venit hoc loco votum Gen. 28. num. 20. illud à Iacobo emiſſum, cum ita vouit: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſúſque fuero proſperè* D *ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei, cunctórumque, quæ dederis mihi decimas offeram tibi*: quibus in verbis ſeſe videtur aſtrinxiſſe Iacob ante proſperitatem futuram, ne fortè illa elatus, Dei obliuiſceretur & teſtes aduocat, ac proponit, quibus ad Dei cultum, & Religionem adigeretur, ne poſtquam magna ſubſtantia diues, & pluribus diuitiis cumulatus proſperè è Meſopotamia rediret, de more hominum proſperi- E tatis dextera deiectus, à cultu & timore Dei deturbaretur, vnde *Chryſoſtomus homilia 55. in Geneſim* aiti ipſi aſcribit (ſcilicet Deo) vt datori, omnia, & iam fidei oculis præuidens abundantiam non multo poſt futuram, ſuam declarat gratitudinem, ne ſcilicet in bonis promiſſis elatus contabeſceret, ſicut iniquis ſolet contingere, qui Dei penitus obliuiſcuntur, &c.

A & certè Ephraim, qui abundantiam ſignificat vterinum fratrem habet Maoaſſem, Gen. 41. num. 51. ideſt, obliuionem, cui quidem in abundantia opponit Iacob, & decimationem omnium, & proponit lapidem in titulum.

Et hæc etiam fuit ratio cur nobis ſacra Scriptura deſcribat Abraham poſt victoriam timore perterritum, cum non id aſſerat de eo in laboribus conſtituto, vnde & illi dixit Deus, *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum.* Gen. 15. num. 1. Seu vt *Caietanus* legit ex Hebr. *Ego ſcutum.* Quis igitur B non miretur poſt prælium ſcutum concedi, & victori promitti clypeum ad excipiendos futuros ictus, cum potius illi deberetur corona? Fortè Abraham de quatuor regibus triumphum ducens, ſibi timuit ab altitudine diei, ne victoria elatus, velut fumus deficeret, ſi illius inſtar vellet efferri, etenim, ſicut rectè dixit *Chryſoſtom. in Pſal. 9.* poſt quam liberati ſumus à malis, illo opus habemus auxilio, vt facilè res ſecundas feramus, periculoſior enim eſt ictus illius dexteræ, ſcili- C cet, proſperitatis, quam quilibet ab hoſtibus inflictus.

Vnde cum olim, teſte *Plut.* in vita Fabij maximi, ipſe Fabius Romam vocaretur commendauit, iuſſitque ſocio ne præliaretur cum Annibale, at illo profecto, Minutius incurrit in gentem Annibalis, quæ ierat pabulatū, & multis occiſis, eos intra caſtra ſe recipere coegit, quod nunciatum eſt Romæ, maiórque fuit fama, quam res, ob quod exprobrabant Fabio, quia differebat bellum, magnúmque gau- D dium fuit Romæ ob hoc factum Minutij, ſed Fabius cum ei nunciaretur, dixit. Ego plus Minutij proſperitatem, quam inimicum timeo, & ſic contigit, námque pugnās ille aduerſus Aonibalem, parum abfuit quin periret, niſi Fabius ei ſuccurreret, vnde dixit Fabius: ô Hercle citius quam expectabam, ſed tardius quam ille volebat Minutius ſe præcipitauit: verum námque eſt quod idem *Plut.* dixit *tract. de diſcrimine adulatoris, & amici*, pauci ſunt, qui non ſucceſſibus lætis inſoleſcant, & E ideò *Bern. 2. de conſiderat.* per interrogationem ait. cui præſens fortuna arriſit? cui non inriſit, dum ipſa enim fortuna arridens, deridere etiam ſolet, dum deiicit quam erexerat.

Conqueruntur Ephraimitæ de Gedeone victore *Iudic.* 8. & præ ſuperbia dicunt: Iudic. 8. num. 3. Quid eſt hoc quod facere voluiſti, vt nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian. iurgantes fortiter, & pr-

pè vim facientes. Seu vt LXX. habent. Aduersus eum validè contenderunt, ac rixati sunt: cuius rei causa superbia eorum fuit: sicut enim dixit *Sapiens*. Inter superbos semper iurgia sunt. Erant Ephraimitæ quidem ob tribus suæ magnitudinem, & prærogatiuam à Iacobo datam *Genes.* 49. *num.* 19. Superbi admodum, vt ex *Isai.* constat, *cap.* 11. *num.* 13. *& cap.* 28. *num.* 1. exstimulabant verò eorum arrogantiam, animique tumorem res benè gestæ contra Madianitas, cum eorum principes duos cepissent, eorúmque Gedeoni attulissent capita, vt patet ex *Iudic.* 7. *num.* 25. Solet verò felicitas huiusmodi euentuum maiores hominibus, nisi attendant, æquo ferociores afferre spiritus, vt ex illa contemnendi alios, cum iis iurgandi, eos contumeliis, iniuriísque afficiendi, & Deum obliuiscendi facilè sumant occasionem. *Luxuriant animi rebus plerumque secundis*, & *Difficilè est, æqua commoda mente pati*, & quos non potuit prosternere aduersa, profligauit fortuna dextera.

Prouerb. 13. *n.* 10.

Gen. 49. *num.* 19. *Isai.* 11. *num.* 13. *& c.* 28. *num.* 1. *Iudic.* 7. *num.* 25.

Ægyptij teste *Pierio lib.* 20. per cornicem autem prosperitatem designabant, cuius auis naturam si quæramus à *Plinio lib.* 19. *cap.* 12. Ipse sic de ea scribit, cum huiusmodi auis rostro repugnet nucis duities, in altum volans, in saxa, tegulásque iàcit, iterum, ac sæpius, donec quassatam perfringere queat. Quid igitur aliud prosperitas in homines cõsueuit. Quos enim nequiuit, dum humi instar cæterorum versarentur conterere, in altum euehit, vt lapsu grauiori ruant, & præcipites agat, ac perdat, proinde prosperitati minimè fidere debent, imò in ea modestiæ normam obseruare, quod rarum admodum est, & difficile reperitur, vnde *Augustin. serm.* 13. *de verbis Domini* dixit. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas. Magnæ felicitatis est à felicitate non vinci, disce calcare seculum, memento fidere te in Christo: amas Deum? ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi, amas sæculum? absorbebit te, amatores suos vorare nouit, non portare: sed cum fluctuat cor tuum, vt vincas, inuoca Christi Diuinitatem, & *Chrysostom. in Psal.* 9. Semper egemus Dei prouidentia, maximè cum liberamur à malis, alligatam bestiam non ita timemus, vt emissam, rerum successus maiora mala faciunt, quam res aduersæ.

Videndus hac de re *Titus Liuius lib.* 10. *Decadis* 3. *ad fin.* vbi refert, quod cum Asdrubal venit Romam cum aliis legatis pro Carthagine pacem postulaturus inter alia, quæ suasurus dixit referuntur hæc. Raro simul hominibus bonam fortunam, bonámque mentem dari, populum Romanum eo inuictum esse, quod in secundis rebus sapere, & consulere meminerit. Vnde etiam apud Germanos commune circumfertur prouerbium, scilicet, Esse bonis ac fortibus eum cturibus oportet, qui res prosperas rectè ferat, vnde *D. Ambros. lib.* 2. *de Caim, & Abel*, ait. Multos ebrios fecere diuitiæ, nobilitas, & potestas; conturbat enim quælibet istarum rerum iudicium, sicut contingere solet iis, qui positis in aliquo excelso loco, inferiora cum respiciunt, eorum visus turbatus veluti contremiscit, ita vt inde facili negotio præcipites ruant, nisi aliquid apprehẽdant, quo, sustententur, sic ebrios reddit prosperitatis bonorum temporalium eos, quibus suppetunt, vt inde in barathrum peccatorum facilè decidant.

Hęc est ratio cur Deus Moysis dextram, cui omnia cedere debebant, lepra prius infecerat, quando illi dixit. Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinum protulit leprosam instar niuis, cuius rei rationem reddens *Theodoretus quæst.* 10. *in Exod.* ait. Dextera, quæ admiranda illa perperrauerat, cum prius fuisset leprosa, signis diuinis inseruiuit, & elementa mutauit; quæ res Moysem etiam admonuit, nõ superbire debere, sed agnoscere naturam, cum recordatione dextræ lepra prius infectæ: dexteram itàque potentiam, scilicet, & miracula in Moyse dextra leprosa temperauit, ne caderet præceps ille, ante cuius conspectum Pharaonis superbia debebat cadere, & cum eleuatione dexteræ Pharaonis currus submersos videret percussus huiuscemodi dexteritate ipse etiam miserè caderet.

Exod. 4. *num.* 6.

Hæc etiam fuit ratio cur Iacob cum se diuitem, & potentem videret adeò vt diceret: *Habeo boues, & asinos, & oues, & seruos, & ancillas, & duas denique turmas*, traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, cum Esaü sibi conciliaret, & placaret muneribus, quo peracto, nihil sibi exoprandum remanebat, nihil itidem timendum restabat: ne secundis ventis in patriam nauigans naufragium miserè faceret, de cœlo aduenit angelus, *Qua vsque mane cum eo luctabatur, & denique tetigit neruum fæmoris eius, & statim emarcuit*, vt intelligeret certamine illo, & afflictione opus illi esse, ne opibus abun

Gen. 32. *num.* 5.

abundans, & æmulatione fratris carens ab altitudine dextræ caderet, adeóque hoc illi necessarium inculcatum esse voluit Deus, vt si quando in terra illi deessent pressuræ de Cœlo, illi vtique contingerent, ne illarum defectu illi contingeret perire.

Leuit. 23. n. 27. Fortè huc respicit illud præceptum *Leuit.* 23. vbi dicitur. *Decimo die mensis huius septimi dies expiationis erit celeberrimus, affligetis animas vestras in eo, omnis anima, quæ afflicta non fuerit, peribit de populis suis:* Super quæ verba sic inquit *Origenes homilia* 23. *in Num.* O mira festiuitas, dies festus vocatur afflictio animæ: vide ergo si vis diem festum agere, si vis vt lætetur Deus super te, afflige animam tuam, & humilia illam, non ei permittas explere desideria sua, ne concedas ei, sed in quantum fieri potest affflige, & humilia eam; etenim sicut dixit *Chrysostomus homilia* 54. *ad populum*, cum in secundis rebus homines sunt, plures efficiuntur inflati, omnibus inimici, iracundi, cum adest potentia: cum verò fuit ablata potentia mansueti fiunt homines, & humiles, & in propriam naturæ cognitionem veniunt.

Melius proinde est se ipsos humiliare, & affligere, ne tumidi, & elati inflentur vsque ad sui subuersionem, qui enim prosperitate seducitur, & secundis velis malè nauigat, quasi per amœna prata ad carcerem trahitur, hoc enim plerumque est iter prosperitatis, quod eleganter prosequitur *D. Gregor. lib.* 6. *moralium cap.* 4. Sed adhuc posset quis quærere cur non alio, quam Septembris mense fuerit festum illud institutum, & populo Dei præceptum? ibi *Oleaster* respondet. Solet Dominus voluptatibus nostris, afflictionibus occurrere, quoniam optimè nouit, quam facilè in copia diffluamur: videlicet Septembris mense fructuum maturescentium vbertas est, quibus colligendis peculiari quadam iucunditate homines perfunduntur. *Sicut qui lætantur in messe.* Teste *Isai. cap.* 9. Eo igitur tempore animorum afflictio imperatur, vt nouerit Dei populus debere vitæ iucunditatem afflictionibus, ac tentationibus permisceri, sicut ferè ille, cui ad maiorem claritatem ad-

Isai. 9. num. 3.

A dendum fructuum collectionẽ, quę prædicto mense, ac tempore fit, summam significare lætitiam, & iucunditatem, vt videre est apud *Isai.* prædicto loco, vbi vt significaret *lætitiam inenarrabilem*, seu indicibilem, vt alij legunt, eorum quibus orta est lux Euangelij, & qui introierunt in labores eorum, qui laborauerunt, comparat eam gaudio messorum: summum proinde gaudium, & prosperitatem temporalium, afflictione assumpta, temperare iubet, ne lasciuiens humana infirmitas deB primatur vt solet. 1. Petr. 1. num. 8.

Pro qua re notandus est locus ille, vbi Elias dixit ad Eliseum: *Postula quod vis, vt faciam tibi antequam tollar à te, dixitque Eliseus obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus*, & licèt de sensu huius petitionis variæ extent sacrorum interpretum sententiæ iuxta varias significationes huius vocis, duplex, modò eam sequimur, quæ facilior esse videtur, quæque placuit *Ruperto*, & aliis, vt ille scilicet, spiritus, qui veluti simplex erat in Elia, in Eliseo C duplicaretur, vt videtur concessum fuisse in miraculis. Sanè, ait *Rupert.* iuxta literam Eliæ spiritus in Eliseo duplex eò palam valet intelligi, quod Eliseus plura, id est, duplicia, quã Elias signa fecit, si ergo inquiras cur Eliseus duplicatum sibi præceptoris spiritum petierit? Respondet *Author librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ*, neque enim fuit *D. Augustin.* vt ait *D. Thom.* 3. *part. quæstion.* 4. Ideò duplicem Eliæ spiritum ab Eliseo postulatum, quia Eliseus, ait ille, cum magno honore, & D sæculi dignitate virtutum, & prophetiæ donum habuit, quod Eliseus profugus, & persecutus, in montibus, & speluncis degens, & eiectus ab hominibus retinebat: ac ne ei subreperet elationis tumor, nevè superbiæ elatio eum deiiceret, duplicem voluit habere spiritum humilitatis, & abiectionis, vt vndequáque in officio eum contineret, ne dextera felicitatis instar impiorum cum Pharaone demergerernt, solet enim dextera plures deiicere, quam sinistra, proindéque magis ab illa cauenE dum est, & vberior postulanda gratia ad prosperitatis declinandos, & fugiendos.

***

TEXTVS.

Num.7. *Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos: miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.*

EXPOSITIO LITERALIS.



M*Vltitudo gloriæ tuæ*, hoc
loco illa eſt, qua omnes
ſuperbos, arrogantes, &
de ſe maximè præſumen-
tes humiliat Deus, neque
enim patitur, quendam
altius, quam æquum ſit ſeſe aduerſus cæ-
teros homines, imò & aduerſus Deum
extollere, maximè cum hi, quos oppri-
munt ſub Dei tutela, & præſidio ſunt.
B Cum verò conſentaneum fuiſſet aduer-
ſarios populi Hebræorum dicere Ægy-
ptios, inuertit Moyſes orationem, quod
maximè notandum eſt, & ait: *Depoſuiſti
aduerſarios tuos*, quod alia litera magis
explicat, cum habet, *aduerſarios meos*,
tanta namque prouidentia, atque cura
populum ſuum proſequi ſignificare vo-
luit, vt illorum hoſtes, ſuos eſſe aduerſa-
rios putet, & dicat, quod nos poſtea ac-
C curatius expendemus: hinc eſt enim il-
Pſal.82. lud, quod Dauid dixit. *Quoniam ecce ini-*
num.2. *mici tui ſonuerunt, & qui oderunt te ex-
tollerunt caput*: & vt exponeret, quinam
eſſent illi inimici Dei, de quibus loque-
batur, adiungit: *Super populum tuum ma-
lignauerunt conſilium, & cogitauerunt ad-
uerſus ſanctos tuos.* Hi enim ſunt Dei ad-
uerſarij, & inimici, qui ſeruos Dei inſe-
ctantur, & perſequuntur, ſufficitque ad
D hoc vt tales reputentur, ſi ſolummodo
cogitent de perdendis hominibus, & non-
dum illis mala re ipſa inferant.

Vel etiam poſſumus hoc in loco intel-
ligere inimicos Dei ſuperbum Pharao-
nem cum ſuis; elatos enim animo, & al-
tos ſenſu, ac excedentes cogitatu, & ef-
ferentes ſeſe ſuper alios, ſibi inimicos
reputat Deus, vt nos iam alibi oſtendi-
mus, & huic expoſitioni ſuffragatur ver-
E bum illud, depoſuiſti, quod hunc ſenſum
facit: è ſublimi, quò ſe extulerant loco
deieciſti eos, & quantum illi ſe in altum
tollere conati ſunt, tantum illos omnibus
viribus eiicere, ac euertere conſtituiſti.

A Etenim, cum tu omnipotens Deus exiſti-
mes bellum aduerſus te ſuſcipere illos,
qui ſuperbiunt, & tibi ſimiles in potentia
nituntur eſſe, ac præſumunt, ideò *in mul-
titudine gloriæ tuæ*, & in omnibus viribus
aduerſus eos decertas, eóſque ſubruis, &
ex ſublimi faſtigio deiicis, & L X X. quod
in Hebræo eſt, rhahatos, tranſtulerunt ita,
vt ſignificent quaſi in turrim altam, ac
ſublimia mœnia ſublatos, totis viribus
B contriuiſti, ac deuiciſti. Neque verò in
his munitionibus diruendis, & ſuperbia,
atq; altitudine demolienda arietibus opus
habuiſti, ac ferreis inſtrumentis, & ma-
chinis, ſed ſatis tibi fuit mittere iram
tuam, qua emiſſa tanquam ſtipulæ aridæ
ad ignem admotæ ex templo deuorati
ſunt, & conſumpti.

Neque verò ſolam facilitatem, & ve-
locitatem conſumptionis hac ſimilitudi-
C ne ſignificauit, verum etiam omnifarium
interitum, nam de lignis, ſi comburan-
tur, carbones relinquuntur? ac ſtipulæ
conſumptæ in fauillas abeunt, non ſunt
prunæ, quibus caleſiant, ait *Iſai.*47. nec Iſai.47.
focus vt ſedeant ad eũ. In *Hebr.* igitur ha- num. 14.
betur, *& in multitudine ſuperbiæ tuæ*, re-
petuntur namque more *Hebr.* ea, quæ
ſunt in principio *Cantici*, vt obſeruat *Ca-
ietan.* Eſt autem ſuperbia hoc in loco
D conſideranda diuina potentia, quę magna,
& mirabilia operata eſt, & multitudo ſu-
perbiæ diuinæ ſecundum multitudinem
eminentium actionum intelligenda eſt,
quæ in hoc mirabili Iſraëlitarum tranſitu
per mare rubrũ poſſunt conſiderari. *Olea-
ſter* legit: *In multitudine eleuationis tuæ:*
eſt autem hoc in loco aduertendum præ-
poſitionem *in*, more *Hebræo* habere vim
præpoſitionis *per*, qua de re nos dicemus Pſal. 88.
E ſequenti verſu, exemplíque eſſe poſſunt. num. 36.
Semel iuraui in ſancto meo, ideſt, per ſan- Iacob.1.
ctitatem meam. & *Hic beatus in facto ſuo*, num. 25.
ideſt, per factum ſuum, & *Laudabuntur* Pſal. 62.
omnes qui iurant in eo, ideſt, per eum, ſiue num. 12.
per

Matt.5. per eius nomen, & Christus, *Ego autem* A
num. 34. *dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum iuraueris*, vbi omnia hæc Græce habentur, *in cælo, in terra, in capite*, iuxta phrasim Hebræam, quam seruauit interpres cum dixit: *Qui autem iurauerit in auro templi debitor est.*
Mat. 23. & infra: *Quicunque iurauerit in dono, quod*
num. 16. *est super illud debet, &c.* vbi quater Græcè habetur, *in templo, in auro templi, in altari,*
Matt. 12. *in dono.* Et *Si ego in Beelzebub eycio dæmo-*
num. 24. *nes*, idest, per Beelzebub, vbi etiam aliquid in nomine Iesu facere, vel orare, vel dæmonia eiicere, vel prophetare, vel signa edere causam efficientem denotat, per cuius vel virtutem, vel potestatem per fidem inuocatam eiiciebantur dæmonia, peccata remittebantur, & postulata in oratione impetrabantur, vnde & profitemur Iesum omnis boni, quod facimus, Autho-
Coloss. 3. rem esse, vnde ad *Coloss. 3. Omne quodcun-*
num. 17. *que facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.*
Ioan. 15. Denique dixit Christus Dominus. *Si quid* C
num. 16. *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, idest per nomen meum, ideóque Ecclesia omnes orationes terminare solet clausula illa, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Aduertendum est autem, quod licet ira & furor interdum Deo tribuantur in Scriptura, non sunt tamen in Deo perturbationes animi computandæ, sicut in nobis, quia in illo moderata, & ordinata sunt omnia, sed pœna, qua peccatores puniuntur, nostris vocibus sic appellatur. Etenim si sapiens secundum Stoicos mente D placida, & tranquilla, sine vlla animi perturbatione vlciscitur, quanto magis Deus, qui omnino expers est humanorum affectuum? Deus enim, qui sine oculis videt, & sine auribus audit, & sine sensu sentit, vel potius intelligit, sine furore, & ira corripit, & vlciscitur, sed diuina Scriptura sicut balbutire solet mater, vel nutrix, quando cum infantulo more suo loquitur, sic & nobiscum more nostro loquitur, qui aliter percipere nequimus ea, quæ nobis E inculcantur, & ideò interdum attribuit humanos affectus, & mores Deo, cum tamen tales animi perturbationes longè ab eo absint, & secundum Dei naturam potius illi sint contrariæ affectiones, cum naturales, & propriæ sint parcere, & misereri, & subleuare, quod expressit *Isaias c. 28.* vbi asserit iram, eiúsq; effectum esse opus alienum à Deo, idest, non ex animo, neque

A secundum naturam, sicut *Forerius* & *Rabbini* ibi. *Alienum opus eius ab eo*, pulchrè Isaia 28.
vertunt, *contra suam voluntatem punit, vt* num. 21.
misericordiam faciat, videndus hac de re *Damasc. 2. de fide, c. 29. & Chrysost. hom. 1. in Epist. ad Ephes.* vbi ostendunt Deum ex se sola bona nobis velle, at verò mala infligere quasi coactum, & prouocatum ab hominibus, & ideò *in ira misericordia recordatur*, sicut dixit *Abacuc cap. 3. Et non* Abac. 3.
continet in ira sua misericordias suas, sicut num. 2.
cecinit Dauid, quia nullum violentum Psal. 76.
B perpetuum, aut diuturnum, sicut dixit num. 10.
Aristotel. 12. metaphor. text. 54.

Ira itaque humana est affectio, & accensio sanguinis circa cor, cum à Deo sit releganda, vel eius imperfectio de medio tollenda, iræ effectus Deo ascribimus, etenim sicut asserit *Greg. lib. 5. moralium, c. 31.* Homo per iracundiam quodammodo amittit imaginem Dei, per mansuetudinem verò, & tranquillitatem animi ipsam recuperat, nam de Deo propriè ait
Scriptura. *Tu autem dominator virtutis* Sap. 12.
C *cum tranquillitate iudicas*, & *Nunquid me* num. 18.
ad iracundiam prouocant dicit Dominus, Hier. 7.
nonne semetipsos in confusionem vultus sui? num. 19.
Hoc est non irascor ego propriè, nec tur- Rom. 2.
bor, sed ipsi se dignos efficiunt ira mea num. 5.
propter scelera sua, quibus *thesaurizant iram*, videtúrque assensus *Plato* iram à Deo relegandam, cum *dialog. 7. de leg.* ait. *Tranquillitatis habitum esse proprium Dei*, vnde, & persuadet vt omnes, qui viri præstantes esse volunt, comparent sibi hanc animi tranquillitatem, & iracundiam ab-
D iiciant.

Irasci igitur Deus dicitur quando punit, sicut dormire dicitur quando subuenire differt, obliuiscíque quando benefacere alicui non vult. vndè *Augustin. 1. conf. cap. 4.* sic Deum alloquitur, Pœnitet te, non doles, irasceris, & tranquillus es, opera mutas, nec mutas consilium, &c. Videndus idem *Augustin. ad finem libri de essentia diuinitatis, tom. 4. & lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, c. 20. & 9. de ciuitate, cap. 5. tom. 5. Epiph. lib. 1.*
E *contra hæreses, cap. 38. Hieronymus* multis in locis, & præcipuè *tom. 5. super illud*
Ezechielis 5. numero 13. Implebo furorem Ezech. 5.
meum, & requiescere faciam indignatio- num. 13.
nem meam, vbi sic ait. Quomodo sumendus sit furor, & indignatio, & zelus Dei sæpe exposuimus, quod humanis Deus loquatur affectibus, non quod ipse irascatur, sed quod nos per pœnas, atque cruciatus Deum sentiamus iratum, vi-

dendus item *Damasc.lib.1.de fide, cap.*14. A
qui omnes videntur id hausisse ex *Origen.*
*homil.*23.*in Num.* Denique *Euthym.* hunc
locum enarrans per iram à Deo immis-
sam intelligit supplicia, & pœnas à Deo
illatas, vel ipsum Angelum pœnarum mi-
nistrum, vt etiam *Gregor. Nicen.* intelli-
git videndus Rabbi Dauid cum explicat
Psal. 17. illud. *Cum sancto sanctus eris*, vbi ait. Est
num. 26. consuetudo tua Domine, vt cum Sanctis
appareat sanctitas tua, & cum peruerso
seueritas tua, secundum effectum scilicet.
Quod si quis radicitus velit scire an ali- B
quæ ex his passionibus, siue affectioni-
bus formaliter (scilicet sub analogica ra-
tione) conueniant Deo, quemadmodum
sapientia, licet sub ratione ad creatam,
increatámque analogica Deo conuenit.
legat *D.Thom.* 1.*p.q.*20. & communiter
ibi scribentes. Et quæ diximus ad *Epistol.*
*Iacobi c.*1.*n.*20.§.9.

In multitudine gloriæ tuæ deposuisti ad-
uersarios tuos. Hæc phrasis dupliciter He-
braïca est, primò propter præpositionem
in, positam loco præpositionis *per*, vel C
cum significantem modum: secundò pro-
pter genitiuum *gloriæ tuæ*, positum loco
orationis adiectiuæ, vnde sensus istius lo-
ci Latina phrasi redditus sic habet, cum
multa gloria, & præclara nominis tui
fama deposuisti aduersarios tuos, depo-
suisti, inquam, de sede illius potentiæ,
*Psal.*58. qua antea dominabantur, iuxta illud *Psal.*
num. 12. 58. *num.*12. *Disperge illos in virtute tua,*
Thren. 1. *& depone eos protector noster Domine*, &
*num.*9. *Threnor.*1. *num.*9. *Deposita est vehemen-*
Dan. 5. *ter. Daniel.*5. *num.*20. *Depositus est de so-* D
num. 20. *lio regni. Mich.*7.*n.*19. *Deponit iniquitates*
*Mich.*7. *nostras. Luc.*1. *num.*52. *Deposuit potentes*
num. 19. *de sede.* Sic ergo ad gloriam Dei perti-
Luc. 1. net, imò de hoc gloriatur, quod dissi-
*num.*2. pet cogitationes malignorum, ne possint
Iob. 1. complere manus eorum, quod cœperant,
num. 12. & apprehendit sapientes in astutia eo-
1. *Reg.*6. rum, & consilium prauorum dissipat, vt
num. 11. patet ex *c.Iob.* Et videre est in Rege Sy-
riæ cuius consilia non semel, neque bis
cum dissipasset, ac prodidisset Eliseus con-
*Gen.*11. turbatum est Regis indignabundi cor pro E
*num.*6. hac re, & patet etiam in dissipatione eo-
2. *Reg.* rum, vel potius confusione, qui cœperunt
15. *n.*18. ædificare, nec desisterent à cogitationi-
*Act.*12. bus suis donec opere complerent. Patet
*num.*7. etiam in dissipatione consilij Achitophe-
Sap. 2. lis aduersus Dauid, patet & in Herode,
num. 14. qui dum apprehenderet Petrum, vt place-
Prou. 21. ret Iudæis, aperuit illi Angelus Domini
*num.*30. carcerem. Patet & in impiis, qui de Filio
Dei sic conqueruntur: *Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, & tanquam nugaces æstimati sumus ab illo.* Vnde & dicitur, *Non est prudentia, non est sapientia, neque consilium contra Dominum.* Et *Orig.* prædicta verba *Iob* sic explicat: *Hominum consilia subuertit, mutat, & irrita facit, ac non sinens ea perfici, retardat.* Qua de re plura habet *D. Gregor. 6.moralium, c.*12.13. *&* 14. *& August. in*
*Psal.*54.*num.*25.*ad fin. Viri sanguinum, &* *Psal.*54.
dolosi non dimidiabunt dies suos. Quid est, *num.* 25.
inquit, *non dimidiabunt dies suos, idest, non proficient, quantum putent, intraq; tempus, quod sperant, peribunt.* Qua de re multa affert in *Psalm.*36. & videndus est *Chrysost. in c.*3. *Epist.*1. *ad Cor.* vbi ait: *Deum sapientes huius seculi suis ipsorum armis in illos retortis expugnare, & prosternere, cùm ipsorum astutia, & calliditate vtitur in eorum perniciem.* Qua de re videndus *Seruius in illud Æneidos* 11. *Deuicta Asia subsedit adulter*, vbi ait. Qui scripserunt de arte militari dicunt summum genus esse dimicandi quoties calcato vmbone aduersarij, se in hostilem clypeum erigit miles, & ita contra stantis vulnerat terga.

Cùm igitur ad gloriam Dei etiam pertineat impiorum cogitationes solummodo dissipare, maiorem profectò gloriam ostendit omnipotens Deus aduersus Pharaonem, qui dum gloriatur in exercitu, ac viribus suis, & mare ingreditur, vt Israëlitas insequatur, & penitus extinguat. ipso eius ingressu vtitur veluti proprio gladio vt iuguletur, & dum se in mortis vortices immittit, propriis superatur armis, adhibétque sapientissimus Dominus impios Pharaonis conatus, dum mare ingreditur, velut capta tormenta ænea ad ipsum Pharaonem, eiúsque exercitum, & electos principes, ac currus deuastandos, dúmque iam ob oculos versantem intuentur interitum, & dicunt. *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos*, non solum diuinam fatentur potentiam, quod in maximam Dei gloriam cedit, sed iam calcata eius malignitate, armísque detractis, fugientes, tergáque dantes fluctibus apprehendit, prosternit suis etiam ipsorum curribus oppressos, velut ipsorum gladiis confodit.

Quod si præclarum victoriæ genus extitit Dauidis, eo quod proprio gladio Goliath iugulauerit, vnde non habere alium æqualem dixit idem Dauid ad Achimelech, *non est huic alter similis, da*

mihi

1. *Reg.* 21. *nu.* 9. *mihi eum* 1. *Reg.* 21. meritò profectò Moyses dixit: *Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui, qui in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos*, quando totis viribus nitebantur seruos tuos deponere, penitúsque extinguere?

Secunda pars nostri contextus est. *Misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam*, hoc est, sicut ignis deuorare solet stipulam, proinde igneam describit Moyses Dei iram, & fortè sic emicuit, quando *respexit Dominus in vigilia matutina per columnam ignis, & nubis*, multique Ægyptiorum non solum aqua, sed etiam elisis in nube ignibus sunt deuorati, sicut aduertit *Caiet.* hic, sed quia ex huius loci contextu id opinari modo magis, quàm affirmare posse arbitramur, satius erit literam intelligere cum communi Interpretum sententia: *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam.* vbi in Hebr. est *mittes*, vt plerumque fit futurum pro præterito, & è contra præteritum pro futuro, quod nos postea latius expendemus.

Ratio verò cur diuinæ indignationis, seu potius punitionis vis, & efficacia ignis similitudine declarari soleat in Scriptura, vt probat *Hier. in Isai. cap.* 26. 29. *&* 66. *& Rupert. lib.* 1. *super Ezech. c.* 3. in igne apparuit Dominus cum tradidit legem, vt scirent transgressores sibi negotium esse cum igne, qua de re videndus
Iob. 2. *num.* 19. *Cyrill. hom.* 5. *& D. Paulus Hebr.* 12. *n.* 19. dixit in hanc sententiam: *Deus noster ignis consumens est*, vbi *Ribera*: ne fortè putaret transiisse cum veteri testamento terrores, & supplicia Dei, sed recordarentur etiam ad tempora noui testamenti pertinere
Deut. 4. *num.* 24. verba Moysis *Deus tuus ignis consumens est* atque ideo non dixit, *Dominus Deus tuus*, vt est in Hebr. Et apud LXX. quos semper sequi solet, *sed Deus noster*, ac si dicat non solum Deus hoc faciebat cum erat Deus illorum, sed nunc etiam cum Deus est eorum, qui Euangelica lege viuimus, proinde seruiamus Deo, cum metu, & reuerentia, nam *Deus noster ignis consumens est*, & metu, ac reuerentia carentes consumpturus. Inde etiam est quod ad puniendos damnatos, & in purgatorio ad animas pias expiandas verus, & proprius ignis eiusdem speciei cum elementari à Deo assumitur, vt videre est apud *D. Thom. in* 4. *d.* 44. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. *&* 2. *Palud. Maior. Durand. d.* 44. *Sotum d.* 50. qui Sanctorum Patrum dicta expendunt, & explicant, videndus item *Abulens. in cap.* 25. *Matth. q.* 403. *& q.* 590. *vsque ad* 504. *Caiet. orat.* 5. *habita ad Iulium* 2. *Catharinus opuscul. de præmio bonor. & malor. supp.*

Cur verò & diuinæ iræ efficaciam denotat ignis, & ad puniendum à Deo assumitur, ratio est, quia ignis in agendo viuacissimus est, & à qualitate propria, ac natura transmutari non potest, sicut cætera elementa, quæ peregrinas impressiones pati vtique possunt, vt habet *Arist.* 4. *metaph.* vnde *Dionys. Areop. de cælesti Hierarch. c.* 15. ait. Ignis diuinæ proprietatis, si dici liceat, in rebus visibilibus plurimas seruat imagines, ipse enim (vt ita dixerim) in omnibus, & per omnia sine vlla sui admistione proficiscitur, eúmque lucidissimus sit, ipse tamen non admota materia, in qua suam vim, suúmque ostendat officium, in se ipso occultus, atque incognitus manet, ipse omnia superat, &c. Est autem ignis maioris actiuitatis, quàm cætera elementa, quia spiritualior est, & res, quo spiritualiores, eo in agendo acriores sunt, quæ causa est, vt oculorum sensus, qui cæteros spiritualitate superat, vehementius agat in sensus internos, & res à se cognitas illis fortius imprimat iuxta illud *Horatij* in arte Poëtica

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus,
Et quæ ipse sibi tradit spectator.

Vnde etiam Paulus eo maximè amplificat fortitudinem aduersarij communis, ait enim: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spiritualia*, id est, spiritus, qui potentissimæ actiuitatis sunt. *Ephes.* 6. *num.* 12. Et ob hunc ignis primatum, multæ Gētilium nationes, præsertim verò Chaldæi ignem pro Deo colebant, vt tradit *Abul. q.* 35. *in cap.* 11. *Genes.* vbi etiam refert conatos fuisse Chaldæos cunctas alias gentes ad huius Dei sui tanquam omnium potentissimi cultum traducere, atque ad id persuadendum solitos etiã fuisse admoto ad alia idola Deo suo, nempe igni, cuncta comburere, cum tamen Ægyptij quorum tota regio aquis Nili irriguis fæcundatur, aquam pro Deo venerarentur, atque in eam significationem inculcandam cum Beli Dei sui simulachrum aqua intus plenum foret, minimè potuerunt Chaldæi de Ægyptiorum Deo victoriam reportare, cùm Belo comburendo, ignem more solito admouerent: cera, quæ plurima Beli foramina

foramina obturabat, est colliquefacta. Ecce autem prosiliens aqua è simulachri visceribus Deum Chaldæorum (ignem scilicet) extinguit, superat, & in cineres nigrósque carbones redigit, quo facto valentiora sunt habita idola Ægyptiorum, idolis Chaldæorum, Noster nihilominus
Deut.4. num.24. Deus, qui Deuter.4. Heb.12. dicitur ignis
Heb.12. num.19. consumens, verè est Deus, cum cæteri vanitates & nihil sint, siquidem fortiorem sese exhibuit aqua, Ægyptiorum quidem Deo, dum marinas aquas aperuit, & stare fecit murorum instar hinc inde positorum, atque ipsis aquæ cultoribus Ægyptiis Dei sui, id est aquæ interuentu, extremam intulit vastitatem, & omnes ad nihilum redegit, quasi vehementissimo igni applicato, qui quã citissimè absumit stipulam, leuémve aliam materiam. Mitto etiam hoc in loco similitudinem diuinæ iræ cum igni, quæ naturaliter reperitur, dum ira dicitur sanguinis accensio circa cor, & ideo cum Moyses Deum iratum introducat, quid mirum si iram accenso igni assimilat?

ANNOTAT. I.

Cur dicatur in multitudine gloriæ Dei depositus Pharao.

POstquam Deus tot plagis tentauit emollire Pharaonis duritiem, & miraculosis conuersionibus ipsum ad se conuertere, ipse verò peior euasit, decreuit diuina iustitia extremo supplicio ipsum D afficere, quod ad optimum regimen pertinet, sicut prosequitur *Ambros.2.offic.c.27.* vbi ait. Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit pars corporis, & diu tractatur si potest sanari medicamentis, si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere, pertinet enim ad perfectum iudicem, ac rectorem extremis malis extrema itidem inferre supplicia, extremum E autem maiorum est plagis illatis meliorem non fieri. Vnde *Nazianz. orat. 15.* ait. Est paternæ beneuolentiæ, vt cum peccamus in nos animaduertatur, neque graue est plagis affici, sed plaga meliorem non fieri, grauissimum est, prosequitur idem argumentum *D. Isidor. lib.3. de summo bon. c.46.* Proindéque *Seneca lib.1. de* A *ira c.5.* prosequitur eandem similitudinem, de qua *D. Ambros.* citato loco, de medico scilicet sumpta, qui prius leuiora remedia tentat, deinde grauiora. *Ita* inquit, *legum præsidem, ciuitatisque rectorem decet quandiu potest verbis, & his mollibus ingenia curare, transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc, & exprobet nouissimè ad pœnas, & has adhuc leues, & reuocabiles decurrat. Vltima supplicia sceleribus vltimis imponat, vt nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis* B *intersit.* Sic ille. Quod totum à Deo supremo præside, ac principe pastorum obseruatum cernimus. Primo enim blandis verbis Pharaonem admonuit, deinde signis in testimonium adhibitis allexit, postea acrioribus minis vsus, & pœnis reuocabilibus, tandem vltimo sceleri, dum quos dimiserat insequitur, vltimum adhibet supplicium, quod etiam obseruandum in pœnis docet *Plato lib.8. de legib.* Fieri namque solet, vt si peccantibus pœna omnino remittatur, deteriores indies C fiant, sicut notauit *Nazianz. orat.19.* cum ait. Peccantibus non omnino ignosci, ne benignitate deteriores fiant, vt etiam dixit *Tull.3.officiorum,* quotusquisque reperiatur, qui impunitate, & in oratione omnium proposita abstinere possit iniuria? Et *Orat. pro Milone*: quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatem, & *Orat. pro Sex.* effrenatus furor alitur impunitate diuturna, vereq; dictum à *Polybio est lib.1. in fin.* si veniam, aut impunitatem concesseris aliquam, si benignitate improbum fueris promeritus id omne dolum, fraudémque existimando erga beneficium lõgè fieri magis infidum, & in hanc sententiam dixit *Chrysostom. homil. de Absalon. tom.1.* semper scelera dum non resecantur increscit, & in augmenta facinorum prosilitur, quoties secura impunitate peccatur: dum enim in Absalon fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidiuũ facinus iteratur.

Vnde forte Dauid edoctus resecandam scilicet, esse impiorum audaciam, ne augeatur, dum sacer text. nouissima Dauidis verba ponit, sic ait *2.Reg.23. Præuaricatores quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non* 2. Reg. 23. nu.6. *tollentur manibus, & si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, igneque succenso comburentur, vsque ad nihilum.*

Hinc est, quod laudaturus Deus Angelum, seu Episcopum Ephesinum *Apocal.2.* Apoc.2. ait: *Scio opera tua, & laborem, & patien-* num.2. *tiam*

A *tiam tuam, & quia non potes sustinere malos*, vbi *Hugo Cardinalis* ait. Hic commendatur zelus, quia sicut dixit *Beda*, lupus inter oues non benè conuersatur, imò addimus sicut dixit *Isidorus loco citato*. Pastor baculo, funda, gladio, & sagitta, si opus est, illum aggreditur, & hoc est contra multos, qui subditos malos non corrigunt, sed dissimulando prætereunt, ne eos offendant: non attendentes, quod Heli bonus Sacerdos fuit, & tandem damnatur propter filios suos, quos corripere noluit, sicut dixit glossa, quæ quidem glossa, B vt hoc obiter aduertamus, desumpta est *1. Reg. 3. num. 13.* ex 1. *Reg. 3. num.* 13. vbi dixit Deus: *Prædixi ei quod iudicaturus essem domum eius, eo quod nouerat indigna agere filios suos, & non corripuerit eos.* Neq; obest, quod præ- *1. Reg. 2. num. 23.* cedente, *cap. num.* 23. dixit sacer text. *Dixit eis, quare facitis res huiusmodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei, &c.* Namq; sicut dixit *Chrysostom. lib. 3. contra vituperatores vitæ monast.* hanc Deus pro correptione non accepit, quod vehementia, & inuectione C caruisset, qua scilicet, opus est, vt malis occurratur.

Et quia alicui posset obiici *Augustin.* quem *Hugo* citat. dum dixit, Bonus non fuit, qui malos sustinere non nouit. Item Christus Dominus dum ait; *Sinite vtraq; Matth. 13. n. 30.* *crescere vsque ad messem.* Occurrit obiectioni dicendo; bonum quidem esse sustinere malos, idest, iniurias, & contumelias ab ipsis nobis illatas, quo sensu intelligendus est *August.* & sustinere etiam malos, D qui non nituntur malitiam suam multiplicare, de quibus loquitur Christus Dominus, malos verò in quantum malos, qui alios ad malum inducunt, nullatenus esse sustinendos, sed euertẽdos, quod quidem dum quilibet superior nititur, & se gloriosum reddit, & terram puriorem reddit. Primum probat Dauid cum de supplicio iniquis inferendo, sic ait: *Sicut Psal. 82. num. 15.* *ignis, qui comburit syluam, &c. ita persequeris illos, imple facies eorum ignominia, erubescant, & conturbentur, & cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus* E *Altissimus in omni terra.* Vbi *August.* tanquam nec veto, ne suo nomine nuncupentur, quicunque alij Domini vocantur, & proinde solus timendus, & colendus, qui vindicat in impios, & certè *Clemens Alexandr. 4. stromat.* dixit Deum interdum punire, & sæuire in iniquos ne contemptui habeatur, & aptus ad iniurias accipiendas.

A Et cum inferiorum ordinum culpæ, sic ait *D. Leo Epist. 3.* ad nullos magis referendæ sint, quam ad desides, negligentesque Rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam, necessario debet illis cedere in gloriam si preclarè munere suo fungentes malis occurrant, dum malos è medio tollunt. Vnde *Bernar. 2. de considerat. ad Eugenium* ait. *Non eris innocens, si aut punias eum, cui fortè parcendum esset, aut parcas ei, qui fuerat puniendus.* B Sic ille, ex cuius consequentis opposito, & innocens, & gloriosus erit, ac dicetur princeps, & maior ille, qui pepercerit innocenti, & animaduerterit in impium, sicut Deus in multitudine gloriæ, & honoris sui deposuit Pharaonem impium, & mediis fluctibus sepeliuit, vt puriorem reddat terram quod erat secundo probandum.

Patet autem ex *Genes. 8. num. 21.* vbi *Genes. 8. num. 21.* post diluuium Dominus dixit ad Noë; *Nequaquam vltra maledicam terram pro-* C *pter homines, sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt.* Alij legunt, qui maximè laudantur ibi ab *Oleastro: Non addam aleuiare terram amplius.* Grauata enim, & imputa videtur ipsa terra dum impios sustinet.

Possumus in hanc sententiam adducere locum ex *Isai. 14. num. 22.* vbi Babyloni minatur supplicium, & dicit, *scopabo eam*, *Isaia 14. num. 23.* quod aliqui concionatores de munditie per supplicium intelligunt, sed certè melius institutum probabit illud *Genes. c. 5.* D cum Lamech prophetico afflatus spiritu quando filium suum vocauit Noë dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus, & labori-* *Genes. 5. num. 30.* *bus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Deus*, vel vt habent L X X. *Iste requiescere nos faciet ab operibus nostris, & à tristitijs manuum nostrarum, & à terra quam maledixit Dominus Deus*, ex quibus verbis liquido apparet ipsum Lamech præuidisse, quod iste filius suus Noë allaturus erat mundo ingentem quandam consolationem, seu quietem, & propterea E appellauerit eum Noë, quod quietem significat: quæ autem fuerit ista consolatio, & quies non eodem modo à sacris Doctoribus explicatur.

Oleaster ad vinum inuentum refert cuius gustu homines iucundantur, sed fortè illi non placuit hæc expositio, ideóque secundam subdit, quæ etiam debile habet fundamentum. *Diodorus Episcopus Tharsens. vt refert Sixtus lib. 5. bibliot.*

sanctæ annotat.69. & Iudæorum Rabbini,
quos citat *Abul.ad dictum c.5. Genes.q.6.*
Lyran. ibidem *de instrumentorum rusti-*
corum inuentione interpretantur, quia
ante Noë tempora laborabant homines
in colenda terra propriis corporum suo-
rum operibus, & in hoc cultu maximè ve-
xabantur, parúmque proficiebant: Noë au-
tem, inquit, primus fabricauit vomeres, &
aratra, & agriculturæ labores pro maiori
parte ad bruta transtulit, iunctis bobus
ad arandum, iumentis ad onera portanda
adhibitis, quo salubri inuento singulari-
ter consolatus est genus humanũ ab ope-
ribus, & laboribus manuum suarum. Sanè
accommodata foret expositio, nisi refra-
gantem haberet *Iosephum lib. 1. antiqui-*
tat.ca.3. dum ait Cainum fuisse primum,
qui arare terram excogitauit, refragatur
item *Paulus Burg. in additionibus contra*
Lyranum, neque ex ipsa Scriptura colligi
potest (quidquid reclamet *Toringius* in
suis replicis) Noe fuisse primum inuento-
rem aratri, licèt de eo dicatur, quod fuit
vir agricola, idem namque prius de Caino
dictum fuerat, propius ergo ad rem no-
stram accedentes, dictam quietem inter-
pretatur *de Chrys.hom.21.in Genes.* Nimi-
rum de quiete, seu cessatione malorum
operum per abolitionem hominum im-
piorum diluuio faciendam. Vocauit, in-
quit ille, nomen illius Noë: apud nos hoc
nomen si quis interpretetur, quietem di-
cit, quietem autem vocat generalem illũ
interitum post multos annos futurum, si-
cut & Iob dicit: Mors viro quies, quoniã
magnus valdè labor est malitiæ: abolitio-
nem, & sublationem per diluuium futu-
ram, quietem vocat: & vocauit nomen il-
lius Noë, &c. impiis enim sublatis per di-
luuium, quieta manebat terra, & iam po-
terant requiescere homines, quos impij
dum viuunt commouẽt, & affligunt, & ita
diluuium appellat terræ quietem, cum
etiam purgamentum fuerit, hoc enim ef-
ficit supplicium iniquis hominibus illa-
tum. Denique multitudinem gloriæ suæ
ostendit Deus in Pharaone dum illum in
gloria, & maiestate sua, ac multitudine
militum, curruum, & armorum confiden-
tem, & gloriantem confudit, & subuertit,
& vsque ad illud tempus expectauit, vt
acerbius esset supplicium, & grauius, & ad
superborum confusionem, & tumorem
contundendum notius, & aptius.

Quæret aliquis cur Iacob impium pri-
mogenitum Ruben non punierit, cum ta-
men ipsius scelus patratum patrem mini-
A mè latuerit, vt sacer text. aduertit *Genes.* *Gen. 35.*
35.num.22. Imò neque obiurgauerit, sicut *num. 22.*
decere videbatur, sed audiat quid eo in
loco dixerit *Honcala*: pœnas sumere pru-
dentissimè distulit, donec tempus afforet
in quo peropportunè pro expetenda be-
nedictione amarulenta maledictione eum
feriret, & adstringeret: aderat fortè Ru-
ben morituro patri, cui iure tunc tempo-
ris ordinario debebantur de paterna hæ-
reditate cuncta duplicia, quemadmodum
postea literis proditum est *Deuteron. 21.* *Deut. 21.*
B *num.17.* Et item Sacerdotium, quod per- *num. 17.*
multi putant fuisse olim ius primogeni-
turæ, quod emit Iacob ab Esau edulio cõ-
cupito, & consequenter illi debebatur ius
quoddam dominij super cæteros fratres,
de quo dicebat Isaac filio suo Iacob tan-
quam primogenito. *Esto Dominus fra-* *Gen. 27.*
trum tuorum, & Dominum tuum illum con- *num. 29.*
stitui, & omnes fratres eius seruituti illius *& n.37.*
subiugaui, & ad has primogeniti prærο-
gatiuas alludens bonus senex, ac veluti
miserabilem filij sui conditionem deplo-
C rans, & supplicium intendens, actus, ac
plenus Dei spiritu dixit: Ruben primoge-
nitus meus, tu fortitudo mea, & princi-
pium doloris mei, prior in donis, maior
in imperio, effusus es sicut aqua, non cre-
scas, quia ascendisti cubile patris tui, &
maculasti stratum eius, ac si dixisset: tibi
tanquam primogenito debebantur me-
moratæ prærogatiuæ, & tu vt primoge-
nitus eas stans præstolaris: verumtamen,
quia vitio tuo te ipsis indignũ reddidisti,
quia paternum thorum contaminare non
D es veritus, propterea iusto supplicio po-
steritas tua non crescet, sed quasi aqua de
vase defluens minuetur, & inter minores,
humilioresque tribus computabitur, & à
pluribus numero superabitur.

Viden quod maius supplicium potuit
inferri Ruben, quam pro tempore primo-
genituram, hoc est, prærogatiuas prima-
rias debitas primogenito expectabat, eas
concessas audire, & videre Iosepho, & fi-
liis eius, vt apertè dicitur *1.Paralipom.5.* *1. Paral.*
num. 1. & 2. quæ postea inter aliquos *5.num.*
E etiam ex fratribus eius dispertitæ viden- *1. & 2.*
tur, siquidem portio paternæ hæreditatis,
quam dedit Iacob filio suo Iosepho *Ge-* *Gen. 48.*
nes. 48. in fine. Remansit quidem filiis *num.vlt.*
Iosephi, verumtamen dignitas Sacerdo-
talis ad solos filios Aaron translata est *Num.18.*
Numer.18.num.1. & seqq. Et imperium in *num.1.*
populum Israëliticum ad tribum Iudæ, *& seqq.*
quam constituit Dominus ducem reli- *Indic.1.*
quarum, translatum est, & diminutio- *num.1.*
nem,

nem, ac attenuationem suæ posteritatis audire, quæ de facto contigit, vt patet *Numer. cap. 2. & cap. 26.* vbi singularum tribuum numerus recensetur.

Tunc igitur acerbius inflictum est supplicium, quando minus expectabatur, & confidentius opposita, & feliciora Ruben ipse præstolabatur: sic etiam tunc in multitudine gloriæ suę Deus deposuit potentem Pharaonem, & confidentem viribus suis de sede paruæ magnitudinis suæ in maiorem sui confusionem, & manifestationem diuinæ gloriæ suæ. Si verò adhuc quis interroget, cur non solum impius Rex, sed omnes simul perierint, vt nec vnus remanserit? Præter rationem iam superius allatam, dicimus pariter cum Rege periisse, qui simul cum eo populum Dei persequebantur, vt pariter socij sceleris, essent etiam in pœnis.

Quod si tandem inquiras, cur non pepercerit aliquibus etiam si omnes deliquerint, sicut quando populus peccauit totus in adoratione vituli, non tamen omnis pœnas luit? Dicimus cum *Saluiano libro primo de prouidentia*, id quidem factum esse, quia pius, scilicet, Dominus partem percussit sententia sua gladio, vt partem corrigeret exemplo, probarétque omnibus simul, & coërcendo censuram, & indulgendo pietatem; censura enim fuit, quod castigauit, pietas, quod pepercit, at impij Ægypti induratum cor habebant, sicut Pharao, & ideò conuersi non sunt visis tot signis, & mirabilibus in terra Ægypti, quod etiam in futurum præuidens Deus, & ipsorum induratam ceruicem prænoscens decreuit non dare maiora auxilia, quibus conuerterentur, at verò cum ordinaria prouidentia gratiæ difficillimum eis erat conuerti propter prauam ipsorum dispositionem.

Est autem hæc praua dispositio duplex, prima enim est cæcitas mentis, seu obcæcatio in malis, non simplex carentia luminis, sed affectus prauus, quo illustrationes diuinas quis repellit, vel impedimentum ponit, ne à Deo illuminetur, de quibus dicitur: *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt ne quando videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & sanem eos.* (Matth. 13.n.15.) Dicitur ergo huiusmodi homines videntes videre, & non videre, quia vident oculis vnde illuminari possent, sed ex malitia sua nolunt aduertere, atque ita excæcat eos malitia ip-

A sorum: alia verò praua dispositio est cordis obduratio, quę est prauus affectus, quo quis admonitiones diuinas siue internas, siue externas contemnit, & semper magis, ac magis eis resistit, donec ad eum statum deueniat, vt eas ne sentiat quidem, hinc enim cor durum dicitur lapideum; graue, crassum, quando non mouetur ad correptiones & increpationes diuinas, quia quę sunt eiusmodi nec agnoscunt, nec sentiũt: sicut è cõtrario cor dicitur tenerum, molle, & carneum, quando facilè acquiescit B Deo, vel homini admonenti, quia caro mollis, ac tenera facilè penetratur, & exiguas etiam punctiones percipit, ideóque *Bernardus lib. 1. de considerat. cap. 2.* ait. *Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit: quid me interrogas? Interroga Pharaonem: nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo (iuxta Prophetam Ezech. c. 36.) cor lapideum, & dedit cor carneum.* (Ezec. 36. num. 26.) *Quid ergo cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur,* C *nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non prouidens, & vt in breui cuncta complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Sic *Bernard.*

Nulla tamen harum prauarum dispositionum fit à Deo positiuè, sed negatiuè, D vel permittendo, deserendo, non miserendo, & cum iustum sit, vt qui deserit Deum, deseratur ab eo, neque enim Deus deserit nisi desertus: illi non dat gratiam congruentem eius ingenio, neque excitat, & vocat quomodo scit illi aptum esse, vt sequatur excitantem, & vocantem gratiam, quamuis non deneget auxilium, quod ille absolutè possit auxilium petere, cum videat illum tali auxilio sufficienti non vsurum, atque ita *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, vt ait *Paulus.* (Rom. 9. num. 18.) E Et licèt hæc desertio secundũ modum loquendi scripturę significetur per vocabula actionem exprimentia, vt *Exod. 7. Ego indurabo cor eius. Exod. 8. Induratum est cor Pharaonis, indurauit Dominus cor Pharaonis*, & iterum: *Ego indurabo cor eius*, & Deut. 2. *Indurauerat Dominus spiritum Sehon, & Domini sententia fuerat, vt indurarentur*, &, *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*, &,

(Exod. 7. num. 3. Exod. 8. num. 19. Exod. 9. num. 12. Deuter. 2. n. 30. Iosuë 11. num. 20. 1. Reg. 2. num. 25.)

3. *Reg.* *Non acquienit Rex populo quoniam aduer-*
12. *n.* 15. *satus eum fuerat Dominus,&c, Qui commu-*
Iob 12. *tat labium veracium, & doctrinam senum*
num. 24. *aufert, qui immutat cor principum, vt fru-*
Isaie 63. *stra incedant per inuium: palpabunt quasi*
num. 17. *in tenebris, & non in luce, & errare eos fa-*
Iere. 20. *ciet quasi ebrios.* Isaiæ 63. *Quare errare*
num. 7. *nos fecisti de vijs tuis, indurasti cor no-*
Ioan. 12. *strum, ne timeremus te?* Ierem. 20. *Seduxi-*
num. 40. *sti me Domine, & seductus sum.* Ioann. 12.
Propterea non poterant credere, quia iterum dixit. Isai. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, &c.* & similia alia. Non obest inquam, quod talis desertio significetur per vocabula actionem positiuam
2. *Reg.* significantia, nam 2. *Reg.* 12. dicitur Da-
12. uid occidisse Vriam, quem tantummodo iussit constitui in loco vbi fortissimum esset prælium, ibique eum deserere vt occideretur: sic etiam Deus dicitur obdurare, & obcæcare, &c. Licet hoc non fiat permittendo, & deserendo, vnde *August. Epist.* 105. *ad Sixtum. Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam, &* 1. *ad Simplic. q.* 2. circa medium. *Obdurare Deum, est nolle misereri, nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior, non erogatur.* Et *lib.* 5. *contra Iulian. c.* 3. cum dicitur. *Homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis, atq; consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur.* Et *tract. in Ioan. Sic excæcat Deus, sic obdurat, deserendo, non adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.* Optimáque est ea similitudo, qua vtitur *D. Chrys. homil.* 3. *in Epist. ad Rom.* ducis scilicet qui in bello, ingrauescente prælio, sic retrocedens abscedit, hostibus milites tradit, nos ipsos impellens, verum suo ipsius auxilio destituens, similia habet *Greg. lib.* 25. *moralium, c.* 12. *&* 13. *Damasc. lib.* 4. *de fide, c.* 20. *Isidor. lib.* 2. *de summo bono, c.* 19.

Hinc fit vt Deus nō dicatur causa peccati, licet Dauid causa sit mortis Vriæ nā Vrias innocens erat, nec poterat iustè à Dauide, vel Ioabo occidi; ideóque peccauit cum iussit eum derelinqui, vt occideretur. At si mortem mereretur, potuisset Dauid eum de medio tollere, & licet tunc diceretur causa mortis, non tamen peccaret, neque esset causa peccati; sic etiam Deus cum iusta causa, & iudicio, deserendo tradit in reprobum sensum, excæcat, & indurat, neque peccat, quia iustè deserit, neque est causa peccati, quia non excitat satanam ad tentandum, & hominem ad consentiendum (nisi fortè excitare sit non impedire) sed vtitur nequitia hominis, & satanæ ad puniendum hominem, qui tali pœna dignus est, videndus hac de re latius *Cardinalis Bellarminus, lib.* 2. *de amissione gratiæ, cap.* 14. *art.* 8. *& sequentibus tom.* 4. *Controuers. & Pererius* 1. *tom. in Exod. per decem integras disputationes, ad cap.* 11. *Exod.*

Semper tamen fatendum est Deum voluntate antecedente, & quantum ex se est voluisse concurrere ad peccatoris conuersionem, non tamen omnino efficaciter, & absolutè, sed si ipse vellet, est enim semper in hac vita, secundum communiorem sententiam parata sufficiens gratia ad pœnitentiam agendam, nullis exceptis culpis, vel personis quantumvis peccent, vt plura ostendunt loca Scripturæ
Ezech. 18. *num.* 28. *& sequentibus, &* *Ezec.* 18.
cap. 33. *num.* 11. *Nolo mortem impij, sed vt* *n.* 28. *&*
conuertatur à via sua, & viuat. Aduertit *cap.* 33.
autem *D. Hieronym.* ibi hoc dictum esse *num.* 11.
ad tollendam desperationem, quia Deus ex se semper est paratus ad vitā præstan-
dam, videndus etiam hac de re *Ierem. c.* 3. *Iere.* 3. *&*
& Isaia c. 49. vnde, & concilia absolutè, *Isaia* 49.
& sine limitatione definiunt, semper in hac vita dari locum pœnitentiæ agendæ, vt patet ex *Concilio Later. cap. firmiter, & sumitur ex Tridēt. tota sessione* 14. *& sess.* 6. *cap.* 14. Idem habet *Cyprian. lib.* 4. *Epist.* 2. Quantumuis magnus peccator sis, &c. *& ad Demetr.* tantum post hanc vitam, &c. quibus habet similia *Chrysost. homil.* 4. *de Lazar. & in parenæsi de pœnit. & homil.* 2. *in Psal.* 50. vbi ait. Adhibe tibi curam dum viuis, dum spiras, etiamsi dici potest exanimans, vt iam de hoc mundo exeas. Pœnitere: non impeditur temporis angustia misericordia Dei, &c. *August. lib. de pœnitentia medicina, c.* 5. ait. Adhuc in hac vita es, &c. *& Epist.* 49. *quæst.* 2. voluntas Dei nunquam in hac vita defuit iustitiæ, pietatique mortalium, & in specie nostri textus *Origen. lib.* 7. *in Epist. ad Roman.* ait etiam Pharaoni non defuisse sufficiens auxilium, quod etiam habetur apud *August.* & nomine ipsius *libr. de prædestinatione, & gratia, c.* 15. multa habet *Fulg. Epist.* 7. vbi *in cap.* 7. ait. Si diuturnitas peccatorum Dei vinceret misericordiam, non in ætate mundi nouissima Christus veniret, vt peccatum mundi pereuntis auferret, *& cap.* 9. ait. Semper delectatur conuersione nostra, nec tempus huiusmodi quandiu in hac vita est, posuit, quo propitiari conuerso non possit, *& cap.* 10. Si aliquam ætatem iudicaret Deus cōuersionis remedio

remedio ineptam, non diuersis temporibus vocaret operarios ad vineam suam, & cætera, quæ prosequitur. Videndus denique *Prosper. responsione ad art. falso impositos August. ad 15. & in responsione ad obiectiones Vicentian. Gregor. 17. moralium, cap. 4.* qua de re plura apud Theologos scholasticos, tum in materia de gratia, tum in materia de pœnitentia.

Mat. 20.

Ex quibus omnibus patet Deum non defuisse Pharaoni, & suis quanquam extraordinario modo non concurrerit cum eis, nec efficaciora auxilia tribuerit in pœnam rebellionis omnium, qui contra Dei mirabilia, & suæ misericordiæ ostensionem aperto veluti Marte pugnare statuerunt, neque ab huiusmodi prælio desisterent nisi simul perirent.

ANNOTAT. II.

Ostenditur naturalis Dei misericordia, & benignitas, ira verò extrinseca, & à nobis prouocata.

ANsam præbent præsenti argumento sancti Patres *Hieronym. & Basil.* ille enim *in c. 16. Ezech.* ibi: *Ergo & tu confundere, &c.* de diuina ira sic philosophatur: *Perspicuum est non esse naturalem irã Dei, sed nostris vitijs clementissimum Deum ad iracundiam prouocari*, dixit *Apostol. An diuitias bonitatis eius, & sustentationis, & patientiæ contemnis? Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te prouocat? Secundum duritiem autem, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram, quam Deus naturaliter non habet. Vnde, & in alio loco scriptum est: misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam: quod enim cõiunctum est, & in vno corpore copulatum, mitti non potest: sed illud, quod intra corpus, v.g. lãcea, telum, sagitta, gladius, &c. Hieronymo* accinit *Basil.* iisque suffragatur *Didym. in Psal. 6.* Indéque ad nostram eruditionem, innatam, & connaturalem Deo esse misericordiam, illique intrinsecam, non sic verò iram, quæ in Deo propriè, & formaliter non reperitur, & ideò veluti aliquid extrinsecum accedit, dum coram eo nostræ ascendunt iniquitates, & insuper velut quid adiacens vocatur, & mittitur.

Rom. 2. num. 4.

Primum probat, ac secundum simul locus ille *Micheæ, cap. 1.* vbi dictutus Propheta quæ supplicia, & mala ventura erant super populum Israël, vt comprehendit vtrumque regnum, Israël scilicet & Iuda, sic præmittit: *Ecce Dominus egredietur de loco sancto suo*, vbi *Ribera* sic habet: egredi Dominus dicitur, cum supplicium magnum de aliquo sumere parat. Sed pro maiori intelligentia istius loci videndus est *Hieron.* ibi, *in cap. 26. Isaiæ.* vbi Propheta ait, *Ecce Dominus egredietur de loco sancto suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum*, vult enim *Hieron.* sensum esse: Egredietur ex seipso, & quasi naturam suam relinquet, hoc est, puniet, quod alienum est ab eius ingenio, sic verò ait: *Dominus, qui natura benignus est, vestris peccatis cogetur personam, quam non habet crudelitatis, assumere.* vt Isai. 26. *Ecce nunc Dominus egredietur de loco sancto suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum*, Psal. 43. *Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris, id est, cum exercitus nostri pugnauerint, non exibis simul cũ eis, vt ostendas potentiam nostram contra inimicos nostros, & eodem modo intelligi videtur illud*, Psal. 67. *Deus cum egredereris in cõspectu populi tui, vt scilicet perderes eius aduersarios*, sic *Hieron.* ostendit adeò naturale esse Deo misereri, parcere, & benefacere, vt cum mala alicui, etiamsi iustè inferenda sunt, dicatur egredi de loco sibi connaturali, & veluti extra se ferri, in quam sententiam maximè faciunt ea verba quæ apud *Michæam* sequuntur: *Et descendet, & calcabit super excelsa terræ*, vbi per descensum Dei intelligit; *Moyses Ægyptius lib. 1. directoris dubiorum, cap. 10. & lib. 2. cap. 3.* pœnas, quas de peccatoribus sumpturus est: & certè cum Deus in altissimis habitet, imo & misericordia sit super omnia ipsius opera, quando secundum illam non operatur omnibus benefaciendo, sed potius iuxta nostra demerita puniendo, veluti descendere videtur.

Mich. 1. num. 3.

Isaiæ 26. num. 26.

Psal. 43. num. 10.

Psal. 67. num. 8.

Quia verò naturalis admodum est Deo misericordia primam viam ad eam exercendam cõfecit Filius Dei in carne, quando Ægyptum petiit, antequam facere posse videretur, vt miseram eam prouinciam per benignitatem ad se traheret, quam minimè flectere potuit olim multis adhibitis signis, & repetitis suppliciis, quod eleganter prosequitur *Chrysost. homil. 2. ex varijs in Matth. tom. 3.* vbi ait. Post Ægypti olim graue delictum, post multiplices in eam plagas diuinitus irrogatas, Deus pater omnipotens pietate commotus, Filium suum misit ad Ægyptum, vt quæ iam dudum sub Moyse debitas sceleris sui

Matt. 2. num. 13.

pœnas expenderat, nunc suscipiẽdo Chri-
stum, spem salutis acciperet: quanta est
Dei misericordia, quæ per aduentum Fi-
lij eius ostensa est? Hæc Ægyptus, quæ
olim sub Pharaone in Deum contumax, &
rebellis extiterat, nunc susceptaculum, &
habitatio fit Christi: talis misericordia
Domini circa Ægyptum. Sic *Chrysost.* cui
addendus *Author operis imperfect. in Matt.*
hom. 2. vbi agens de fuga Christi in Ægy-
ptum ait. *Quare vadit in Ægyptum, nun-*
quid alia terra defecit? Semper enim ad-
uersus populum eius Ægyptus extitit inimi-
Psal. 84. num. 6. ca. Psalm. 84. *Sed etiam recordatus Domi-*
nus, qui non in finem irascitur, nec in æter-
num indignatur, quanta mala fecerit su-
per Ægyptum: ideo mittit Filium suum in
eam, & dat illi magna reconciliationis
signum, & perpetuæ amicitiæ, vt decem pla-
gas Ægypti vna medicina sanaret. O com-
Psal. 76. num. 11. *mutatio dexteræ excelsi!* Psal. 76. *Vt populus*
qui ante fuerat persecutor populi primogeni-
ti, posteà fieret custos vnigeniti Filij, vt qui
illi populo violenter dominati sunt, isti cum
deuotione seruirent, vt iam non irent ad
mare rubrum demergendi, sed vocarentur
ad aquas baptismatis viuificandi, sic ille.

Meritò quis inquiret cur in extremo
iudicio prius boni ad præmia vocãdi sint,
quam mali ad supplicia relegandi, vt pa-
Mat. 25. num. 34. & 41. tet ex *c.* 25. *Matth.* Vbi prius bonis, quam
malis sententia sua pronunciatur, cui
quæstioni respondet *Chrysost. imperfectus*
homil. 54. dicens, quia paratior est Deus
ad benefaciendum semper, quam ad malè
faciendum, nam bona bonis secundùm
propositum suum præstat, quia bonus est,
malis autem mala contra propositũ suum
facit inuitus, quia iudex est, quidquid
autem homo contra naturam suam agit,
pigrius agit, &c.

Probat etiam apertè beneuolam, ac
misericordem Dei naturam Dei Filius in
carne quando oblati sunt ei paruuli, vt
manus eis imponeret, discipuli autem in-
Matt. 19. num. 13. crepabant eos, Iesus verò ait illis: *Sinite*
paruulos venire ad me, talium est enim re-
gnum cælorum, & cum imposuisset eis ma-
nus, abijt inde. Etenim cum iam superiori
c. 18. puerorum innocentiam summope-
Matt. 18. num. 23. rè commendauerit dicens: *Amen dico vo-*
bis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut
paruuli non intrabitis in regnum cælorum.
Cum modo discipuli paruulos ab accessu
Christi Domini prohibebant, ipsum veluti
inaccessibilem etiam innocentibus incul-
cabant, qui venerat vtique non vocare
iustos, sed peccatores, proinde discipulos
A reprehendit quasi maculam misericordiæ
suæ inurant, si pueros arceant innocentes,
qui etiam peccatores ad diuinam bonita-
tem deberent conuocare, & inuitare: sic
ferè hunc locum exposuit *Author operis*
imperfect. homil. 32. vbi sic ait: Ante mo-
dicum Christum accipiens puerum dixe-
rat, nisi facti fueritis sicut puer iste, non
intrabitis in regnum cælorum. Et ecce
statim obliti discipuli puerilis innocentiæ
vetabant ad Christum pueros quasi indi-
gnos accedere, ad quorum similitudinem
B ipsi fuerant inuitati, nam quis mereatur
appropinquare Christo, si repellitur ab
eo infantia simplex? Putabant enim se
honorem facere Christo, damnum fa-
cientes gloriæ eius, nam quoddam dam-
num est medico, si subtrahantur infirmi:
sic damnum etiam Christo non habere
quos saluet. Si enim expectans Samarita-
nos peccatores, de quibus ipse manda-
uit quasi de indignis: *In ciuitates Samari-* Matt. 10.
tanorum ne intraueritis, tamen sic de ad- num. 5.
uentu eorum gaudebat, vt diceret: *Escam* Ioan. 4.
C *habeo manducare, quam vos nescitis*; pu- num. 32.
tas quanto magis esuriebat salutem inno-
centium puerorum, &c.

Videndus idem *Chrysostom. homil.* 40. *in*
Matth. vbi explicat verba illa: *Homo qui-* Matt. 21.
dam habebat duos filios, &c. qualis ille, in- num. 28.
quit, nisi Dominus, qui omnes homines
creauit, paterno affectu diligit: qui cum
sit naturæ Dominus, tamẽ magis vult dili-
gi quasi Pater, quam timeri, vt Dominus,
propterea in principio mandatorum non
dixit: *Timebis Dominum tuum ex toto cor-* Deut. 6.
D *de tuo, sed diliges.* Dilectionem enim ab num. 5.
hominibus exigere non est dominij, sed
paternitatis. Sic ille videtur inculcare id
à nobis Deum maximè velle, quod maio-
rem habet proportionem cũ natura ipsius
Dei, qui cum benignus sit, potius à no-
bis vult diligi, vt paterno affectu bona
in nos conferat, quam vt Dominum ti-
meri, cuius proprium potius est punire,
quam benefacere, quod prosequitur idem
Chrysost. homil. 42. *in Matth.* vbi ait. Non
vult Deus, vt timeatur ab hominibus, qua-
E si Dominus, sed vt diligatur quasi Pater,
qui adoptionis spiritum dedit hominibus,
nam si consideremus ab initio creati ho-
minis causam, intelligimus quia Deus
magis se Patrem voluit esse hominum
quam Dominum, non enim dixit tantum-
modo faciamus hominem, sed faciamus
hominem ad imaginem, & similitudinem
nostram, similare autem filiis conuenit
ad patres suos. Tantum ille.

Videndus idem *Chryfoftom homil.*2.*in*
Mat. 18. *c.*18.*Matth.*ad illa verba: *Patientiam habe*
num. 28. *in me,& omnia reddam tibi*, ponderat enim
maximum exceffum, quo Dei miſericor-
dia ſeruum illius ſuperauit petitionē *Dila-*
tionem, inquit, *folummodo temporis, ac pro-*
rogationem quandam feruus poftulauit, ille
autem multo magis quam petijt, videlicet
totius mutui donationem vltro præbuit, ita
patet voluiſſe ipſum, tamen non prius id fa-
cere, quam debitor fupplicaret, vt donū non
modo ſuum, verum etiam petitionis illius
eſſe videretur, quod fecit vt coronam quoq;
feruus conſequeretur, totum tamen ad Do-
minum merito refertur.

Matth.8. Et *imperfectus in Matth.homil.*21.*in c.*
num.2. 8. ponderat illa verba: *Si vis, potes, me*
mundare: dicens: *Non de voluntate Chriſti*
ad omne bonum parata dubitabat dicens: Si
vis, hoc enim dubietatis eſſet de iudicio vo-
luntatis eius, Chriſtus enim cum ſit bonus
nocitua non vult præſtare etiamſi rogetur,
nec enim expedit omnibus corporalis inte-
gritas: quoniam ergo neſciebat vtrum expe-
diat ei curatio illa, nec ideo ambigebat de
voluntate ipſius, quamuis ſciebat eam ad
omne bonum paratam: nam credere quidem
bonum miſericordia Dei, hominis eſt fidelis,
ſcire autem iudicia miſericordiæ eius, non eſt
hominis neque fidelis. Sic ille oſtendit nul-
latenus dubitandum de innata bonitate
Dei ad bona omnia præſtanda, quod ſi
non faciat, proculdubio putandum eſt,
propterea non feciſſe, quia ſic magis no-
bis conducebat.

Neque etiam hoc in loco omittendus
Matth. 4. idem *Author hom.*6.*in c.*4.*Mat.* cum pon-
num. 13. deret illa verba: *Relicto Nazareth habita-*
uit in Capharnaum, vt adimpleretur quod
Iſai. 9. *dictum eſt per Iſaiam Prophetam c.*9.*Terra*
num. 1. *Zabulon, & terra Nephtalim via maris*
trans Iordanem Galilææ gentium. Sicut do-
cet, inquit, hiſtoria, hæ tribus ante omnes
tranſmigratæ ſunt in Babyloniam: conue-
nienter ergo, quos ante omnes ira Dei
percuſſit, ipſos primum Dei miſericordia
viſitauit, & qui primi ducti ſunt in capti-
uitatem corporalem, ipſi prius de ſpiri-
tuali captiuitate reducti ſunt, vbi Author
hic oſtēdit infinitam Dei miſericordiam,
quæ ſicut præſentia ſua voluit Ægyptum
vocare & reducere, ſic & doctrina ſua mi-
ſerabiliores voluit inſtruere, ſola du-
ctus miſeria, quo ſuam maximè oſtende-
ret naturalem miſericordiam.

Hoc etiam videtur dixiſſe illis verbis:
Pſal. 88. *Quoniam dixiſti in æternum miſericordia*
num. 3. *ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas*

A *tua in eis*, vbi miſericordiæ & iuſtitiæ me-
minit Propheta, ſicut notauit *Hieron. &*
Auguſt. attamen illud aduertendum, quod
miſericordia dicitur ædificari à Deo quaſi
proprium opus, & diuinæ naturæ maximè
conſentaneum, & ideò non iuſtitiæ, ſed
miſericordię architectus dicitur Deus, vn-
de quando *Thren.*2. introducitur quaſi Thre.2.
volens deſtruere, & ſolo æquare murum num. 8.
filiæ Sion, adhuc tamen veluti conſtructor
funiculum ſuum tendens aſſeritur, vt
conſter hominum peccatis laceſſitum pu-
B nire, eo tamen animo, vt iam tunc de reæ-
dificatione cogitet, vel in hac vita fa-
cienda, vel in alia, vbi muri ex ſmaragdis
conſtruuntur ad habitationem beatorum,
& ideò *Hieron.* ibi ait. Alibi eſt vrbs, de
qua in *Iſai.* ſcriptum eſt: *Vrbs fortitudinis* Iſai.26.
noſtræ Sion. Saluator ponetur in ea murus, num. 1
& antemurale, & ad prædictum locum
Pſal. ait idem *Hieron.* miſericordiam ſem-
per à Deo ædificari, nec vnquam deſtrui,
& *c.*3. *Thren.* ait. Non ex corde ſuo humi-
liauit, & abiecit filios hominum, vnde
C *Iſai.*28. *Vt faciat opus ſuum, alienum opus* Iſai.28.
eius ab eo, vbi Gloſſa per interrogationem num. 21.
ait: *Iraſcetur, vt faciat opus ſuum?* Quaſi
dicat minimè, non enim opus ſuum eſt
iraſci, & punire, imò alienum & peregri-
num, eodémque modo exponit interlinea-
lis; alij abſque interrogatione legunt, vt
ſit ſenſus, vt faciat quod facere inſtituit
ſcilicet punire Hebræos, alienū opus eius
ſcilicet non ex animo, ſed coactus id fa-
cit, & ideò Pſalmiſta dixit: *Præparabitur*
veritas tua in eis, id eſt ipſi impij, & ini-
D qui homines præparationes, & materiam
ſubminiſtrant diuinæ iuſtitiæ, vt tandem
ad puniendū progrediatur, & fortaſſis ipſa
etiam punitionis fundamenta, quæ impij
ſuis ſceleribus iaciunt per miſericordiam
deſtruis, ita vt promoto miſericordię ædi-
ficio, quod tibi naturale admodū eſt, ipſæ
præparationes ad puniendum deſtruantur.
Sed non omittendus *Chryſoſt. hom.*5. *de*
pœnit. ad medium, vbi Dei miſericordiam
ſic ædificantem egregiè proſequitur in
Dauide dicente, *peccaui*: Verbum vnū, vno 2. Reg.
E momento prolatum vniuerſam contulit 12.
pœnitenti ſalutem. Cernis Deum tardum
ad pœnam, quomodo multo poſt tempore
correctionem intulit. Peccauit, Dauid,
concepitque vtero, geſtauitque mulier, &
peccatum nulla correctio ſecuta eſt: Sed
poſt infantis partum de peccato nati, mit-
titur peccati medicus, quoniā vidit in ipſo
peccati vigore obcæcatam peccantium
animam, & obrutę ſunt peccantium aures.
Cernis

Cernis quod ad salutem velox, tardans ad demolitionem, ad reparationem properans. Accedat exemplo quod in nobis euenit hominibus; quibus multo in tempore ædificia extruuntur, multò in tempore ædificamus domum, & ipsius structuræ quidem multum temporis, parum vero destructionis. E conuerso autem fit in Deo: cum struit velociter struit, cum destruit tarde destruit. Velox Deus struens, tarde destruens: nam quia Domino hæc sibi conueniunt, illud quidem potentiæ, bonitatis illud: potentiæ excellentia velox, multa de bonitate tardus: verborum enim argumentum rerum experientia: sex diebus Deus cœlum, terrámque fecit, magnitudines, lateraque montium, campestria, montes flumina, paradisum visibilem, & qui in eo est ornatum sex diebus consummauit. Hic igitur tam velox in construendo cum ceperit vnius demoliendæ vrbis consilium, inuentus est bonitate tardus.

Vult Hierico demoliri, & dicit Israëlitis. *Circuite eam septem diebus & octaua die cadet murus. Iosu.6.* Nondum vniuersum sex diebus construis, & vnam vrbem septem in diebus soluis? Quid enim tuæ potentiæ impedimento accedit? Quare non repente destruis? Sed ex clementia diutius tolerat. Sic ille. Ideóque in

Apoc.4. num.3. *Apoc.4.* cũ Dominus vt index introducitur, & Ecclesiæ gubernatorem agit, iris in circuitu sedis illius apparet similis visioni smaragdinæ, cum autem iris fœderis, & clementiæ signum sit, quis dubitet misericordiam Dei adumbrare, quæ vndique in Deo relucet, & in operibus eius, etiam quæ à iustitia procedunt, vndequáque nitere conspicitur: Quod mihi probat

Mat. 23. num. 37. locus ille apud *Matt.cap.23.* vbi Christus Dominus simul introducitur dolere, & gaudere in supplicio, quod Iudæis minatur dicendo: *Hierusalem, Hierusalem, qua occidis Prophetas, &c.* vbi præsentis argumenti confirmatio petenda est à *Chrysostom.homil.46.* dum ait. Recordabatur sanguinem Sanctorum suorum, qui effusus erat ab illis, & qui adhuc postmodum fuerat fudendus, sed non tamen dolebat de iniuria Sanctorum suorum, sciens qualem illis gloriã præparauerat morte temporali: sed de illorum interitu flebat, sicut enim benefacientes, non Deo præstamus, sed nobis, Deus autem gaudet non de suo lucro, sed de nostra salute, sic nos peccantes non Deo nocemus, sed nobis, Deus autem tristatur non de sua iniuria, sed de

A nostra perditione, sicut Rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente, ipse mortis sententiam dictat, &c. quæ prosequitur in commendationem diuinæ misericordię, quæ etiam in operibus iustitiæ relucet.

Sicut verò in iride varij colores referuntur, iique pulcherrimi, ita Dei misericordia multiplex nobis apparet, quod dixit David: *Misericordia tua multa Domine, Psalm.118.* Cærulеum colorem licet *Ps.118. nu.156.* agnoscere, cum bona supernaturalia, &

B cælestia impertitur, & de cœlo vbique *Psal. 67. num. 14.* adest opem laturus laborantibus: viridem cum in eo sperantes minimè confundit, sed certo certius subuenit, & subleuat, etiam si dormiat inter medios cleros, id est inter medias sortes, & præsentissima pericula, vt de vobis, & de vita vestra, atque etiam de bonis iaciatur alea, sortésque mittantur, vt apud victores fieri solet: inde gloriosè, & misericorditer eruemini, eritque sicut columbæ operimentum argento coopertum, cuius pennæ

C dorsi, vt aurum obrizum relucent. Vel etiam columba deargentata vobis aduenict, quæ viridem oliuæ ramum ore deferat, referátque diuinam misericordiam præsentem in rebus maximè desperatis. Rubicundum colorem intueri possumũs, cum sui amoris argumenta vbique prodeunt, & vndique occurrunt: intermedios colores cernere est in omnibus occasionibus, in quibus diuina benignitas minimè deest: quod si iridis colores pulcherrimi sunt, de misericordia Dei dixit

D *Ecclesi.cap.35.* Speciosam etiam esse in die *Eccl. 35. num. 26.* tribulationis. Proinde cum totum in Deo sit misericordia, etiam dum iratus est, eam minime continet, quin ad nos naturaliter promanet vnde David dixit: *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* *Psal. 76. num. 10.* Vbi *Theodor.* obseruat verbũ illud, *continebit*, in hoc sensu? non claudit misericordiæ fontes quodam veluti pariete iræ, imo si vnum supplicium infert, duplicem cõfert & largitur misericordiam, sicut rectè pro-

E sequitur *D. Ambros. Orat.de obitu Theodos.* videréque est in supplicio illo, quod Dei monitu Iacob moriens inflixit Leui *Gen. 49. num.7.* ob perfidiam & immanem cædem in Sichimitis factam, quando scilicet diuisit Leuitas in Iacob, & dispersit inter Israëlitas, in qua punitione lucem præclarissimam ex obscuris produxit tenebris, fecitque vt illa dispersio fieret cum summa & amplissima dignitate Leui, & totius Israë-

litici

litici generis maxima vtilitate, neq; enim
illi docere possent legem Dei Israeliti-
cam populum, nisi passim tota regione
dispersi habitassent filij Leui, legimus au-
tem de Solone Salamino, qui suos cine-
res post mortem seminari iussit per vni-
uersam Salaminam inquiens. Ego hanc
prouinciam colo sparsus per omnem vr-
bem, quia scilicet sicut moribus, & legi-
bus optimis eam vrbem ornauerat Solon,
siue prouinciam, sic ad modum salis per
eam sparsus esse voluit: in quam senten-
tiam videndus est *Procop.* ad illa verba:
Quod si inuenti ibi fuerint decem, &c. Exi-
Gen. 18. num. 32. stimat enim paucos viros sanctos disper-
sos per prouinciam aliquam, eam condire
posse, & præseruare à corruptione mo-
rum: sic enim ait: *Pauca salis mica mul-
tam conseruant à putredine carnem.* Simi-
lia habet *Origen. lib. 8. contra Cels. & Cy-
prian. Epistol. 4. & Ambros. ser. 12. in Psal.*
118. *Gregor. homil. 17. Euangelist.* Instar
igitur salis, dum puniendo dispergit Le-
uitas, eos distribuit per omnes tribus, &
vrbes Israël, quo eas doctrina sua condire
possent, & a corruptione morum præser-
uare, sic enim in ira sua, misericordiæ suæ
Deus recordatur, quo loco nullatenus
mihi omittendus videtur *Adricomius in
theatro terræ sanctæ, in tribu Leui.* §. 4. vbi
sic ait. Sacerdotes Leuitici generis, eas
vrbes incolebant, quæ in aliis tribubus in
montibus sitæ erãt, quo commodius tum
sanctissimæ vitæ genere, sine exemplo,
tum salutari disciplina populum vniuer-
sum à secularibus tenebris liberarent, &
cultu pietatis condirent, atque ita omnes,
aut Sanctos, aut minus malos redderent.
Ex quibus verbis apertè colligitur à Deo
iampridem concessam Leuiticis eam præ-
rogatiuam, quam postea Apostolis con-
cessit, licèt illis in figura, his vero in veri-
tate rei, vt sal essent terræ illius, ciuitates
supra montes positæ, quod suis discipulis
Matth. 5. 13. & 14. dixit Christus: *Vos estis sal terræ, vos estis
lux mundi, non potest ciuitas abscondi su-
pra montem posita,* accommodatus est au-
tem locus editus ad alios edocendos, si-
cut aduertit *Dionysius Areopagita de Ec-
clesiastica Hierarchia. c. 3. part. 3. & lib.
de cælesti Hierarch. cap. 13.* Etenim sicut
Sole fulgente, & radiante primæ substan-
tiæ, idest, tenuiores, & limpidiores in-
fluente luce replentur, & sic lucem in
substantias alias transfundunt, ita diui-
nis in rebus fieri oportet, vt Pontifices,
& Sacerdotes, qui Deo sunt similiores, &
coniunctiores sacram doctrinam, veluti

A lucem quandam ipsi primum participent,
& inde verò etiam aliis tradant. Sic etiam
& Deus voluit Leuitas suos cœlo pro-
pinquiores habitare vrbes, & ceteris emi-
nentiores colere ciuitates, vt inde alios
instruere, & docere possent, ac maiori
dignitate præcellere cæteris, multum
enim dignitatis affert publicis homini-
bus loci dignitas, sicut aduertit *Tacitus
lib. 3. annalium.*

Vtque tandem clarius innotesceret,
quantum honoris cumulum diuisis Leui-
B tis voluerit Deus conferre, etiam similes
voluit esse discipulis suis, dum eos totius
gentis illius lucem esse voluit, sicut ad
discipulos dixerat: *Vos estis lux mundi,* Matth. 5. n. 14.
etenim de Leuitis dixit Moyses *Deut. 33.*
Perfectio tua & doctrina tua à viro sancto Deut. 33. num. 8.
tuo. quem locum sic verterunt LXX. *Date
Leui fulgores eius, & veritatem eius viro
sancto.* Quibus in verbis videtur *Procop.*
notasse allusionem ad rationale summi
Sacerdotis, in quo iussit Legislator, vt Exod. 28. num. 30.
scriberetur doctrina, & veritas, seu lux, &
C plenitudo, vel manifestatio veritatis, si-
cut legit *Origen. hom. 8. in c. 6. Leuitici,* &
latè *D. Hieron. in Epist. ad Fabiol. de veste
Sacerd. Philo lib. 3. de vitæ Moysis;* clarius
inter omnes *Theod. q. 44. in Deut. Date Le-
ui manifestos ipsi, & veritatem illius viro
sancto: Humero,* inquit, *Sacerdotis impone-
batur rationale, quod continebat manifesta-
tionem, & veritatem, nam per illud multa
declarabantur.* Voluit ergo Deus ex Leui
genere viros esse lucentes in ea Republ.
& illustres in magisterio, & doctrina po-
D puli sui, & dum illos dispertiit, velut sale
populum Israël condiit, dum in monti-
bus constituit, conspicuos esse voluit, ve-
lut ciuitates, & velut luces illius populi,
salem vtique terræ, lucem populi, & ci-
uitates supra montes positas, quibus re-
bus nihil pulchrius, aut illustrius voluit
reperiri.

Voluit etiam Deus ex sacrarum rerum
prouentu, & ex suo penore Leuitas alere,
cum dicit suum Sacerdotium esse Leuita-
rum hæreditatem, etenim de Leuitis ait
E diuinum oraculum. *Non habebunt Sacer-* Deut. 18. num. 1.
*dotes, & Leuitæ, & omnes, qui de ea Tribu
sunt partem, & hæreditatem cum reliquo
populo Israël, quia sacrificia Domini, &
oblationes eius comedent, & nihil aliud ac-
cipient de possessione fratrum suorum: Domi-
nus enim ipse est hæreditas eorum,* quod la-
tius explicauit *Iosephus lib. 1. antiquit. c. 1.*
vbi ait. Moyse posteaquam Leuiticam tri-
bum consecrauit diuino cultui, & immu-

nem reddidit à malitia, ne fortè in parandis ad vitam necessariis negligentius sacra tractarent, mandauit vt post acquisitam Cananæam armis, & Dei fauore, ex oppidis eius quadraginta octo bona, & pulchra distribuerentur eis, & decimas annui fructus à toto populo exegit Leuitis conferendas, atque hi fuerunt solemnes redditus Leuiticę gentis. Ita Iosephus. Similia dixit *Theodor. quæst.44. in Deuter.* Propterea, inquit, nullam ei dedit hæreditatem, nec per legem concessit, vt ei possessionem habere liceret, sed cauit vt ab B omni populo primitiæ, & decimæ ei præstarentur, vt accuratius perficerent ordinationem sanctificationis.

Pro qua re videndus *Basil. serm. 1. exercitatur. pietatis* cum explicat verba illa
2. Christi Ioan. 12. *Si quis mihi ministrat me*
.6. *sequatur, & vbi ego sum, ibi sit & minister meus.* Sic enim ait. *Vbi est Christus Rex? in cælo, videlicet, eo te cursum facere maxime conuenit, obliuiscere omnis in terra quietis, nullus miles domum construit, neque agrorum possessiones assumit, neque mercimo-* C *nijs varijs ad acquirendas pecunias implicatur.* Est autem summa similitudo inter militiam, & Ecclesiasticam vitam, vnde
2.Tim.2. Paulus 2. *ad Timoth. 2.* dixit. *Nemo mili-*
num.4. *tans Deo immiscet se negotijs secularibus,* liberi enim debent esse Sacerdotes, & Ecclesiastici viri, qui Deo ministrant à negotiis huius seculi, vt melius possint di-
Num.8. uina tractare, vnde Moyses *Numer. 8.* vbi
num. 24. nostra vulgata habet *Hæc est lex Leuitarum à 25. annis & supra ingredientur, vt ministrent in tabernaculo fœderis*, veritas D Hebræa, si ad literam transcribatur, ita prorsus habet *Ingredientur vt militiam exerceant in tabernaculo fœderis*, ac proinde sine hæreditate, vel possessione merito relinquuntur filij Leui in terra, quibus hæreditas factus est ipse Deus, vt nobiliores eos redderet sic dispersos, vt expeditores etiam essent ad sacra munera obeunda, quasi contagium esset manibus sacra tractantibus, terrena, & temporalia contrectare, quæ fuit ratio cur *Cyprian. lib. 1. epistolar. epist. 9.* iusserit ne sacrifi- E cium offerretur pro defuncto quodam, qui rerum temporalium procuratorem reliquerat Sacerdotem, & reddens huius rei causam, ait. *Qui non est dignus, vt pro eo sacrificetur, qui Sacerdotem Dei ab altari subtraxit*, intuitu scilicet, temporalium bonorum, quæ potius contemptui esse debent viris, quibus Deus est pars hæreditatis.

A Vnde non legitima hæreditatis portione defraudatos se esse possunt queri Leuitæ per totum Israëlem sic dispersi, imo dispersio, & exhæredatio, quatenus ignominiosa erat: vbique dissimulatur, quatenus verò gloriosa ostentatur, non solum large & liberaliter eos ex sacrificiis atque sacris oblationibus, tanquam è sua mensa alens, quod plurimis, seuerissimisque constitutionibus sanciuit, adeò vt sibi surripi dixerit, quæcunque defraudarentur Leuitæ, pœnamque capitalem esse tulerit, si B quis sanctitates Israëlis pollueret. Videat
Num.18. si potuit vtilius, honoratiùsque suppli-
num.vlt. cium posteris Leui contingere, quam hæc honoratissima dispersio, sic enim solet diuina misericordia condire supplicia, quæ contra suam innatam bonitatem, sed pro nostra impietate infligit.

Malac.1. Sic etiam & Malach. 1. dicit diuinum
num. 10. oraculum, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen* C *meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, &c.* Quibus in verbis diuinum oraculum minatur quasi extremum malorum, mutandum esse Sacerdotium, nec accipienda esse amplius sacrificia Iudæorum, sed potius abiicienda, eorúmque loco substituendum nouum sacrificium, ídque Deo gratissimum: Elegantissima enim est antithesis, quâ contraria contrariis opponuntur, contentióque proponitur, sicut de antithesi dixit *Quintilian.* ac si dicat. D Vos offertis victimas claudas, & languidas, veniet tempus, quando integrum, & mundissimum sacrificium, corporis, scilicet, filij mei vos offeretis in Iudæa, mihi autem eo tempore sacrificabitur per totum orbem, vos nunc estis populus meus, sed eo tempore ex toto orbe mihi fiet populus: ita hunc locum Prophetæ intelligit *D. Thom. 2.2. quæst. 84. art. 3. ad 1.* &
Ioann. 4. explicat per illum *Ioann. 4. Venit hora, &*
num. 23. *nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate,* vbi Cyrill. E Alexand. ait. *Præsens aduentus sui tempus significat, in quo figuram legis in veritatem, & vmbram in cultum spiritualem per Euangelicam doctrinam transmutari insinuat*, neque enim Christus Dominus ibi sanctum templorum vsum tollere voluit, cùm per sensibilia necesse sit mentem nostram ad cælestia eleuari: sed tantum voluit Religionem, & cultum suum iam non esse addictum certo loco, aut cæremoniis Iudaicis,

Iudaicis, vt videtur ex eo loco colligere A
Theophil. & *August. tractatu 5. in Ioan.* &
lib. 88. quæst. q. 20. & *Tertullianus lib. con-
tra Iudæos cap. 5.* Malachiam item sic in-
terpretantur omnes nouiores interpretes,
vno Montano excepto, ita *August. lib. 1.
cont. aduers. legis, cap. 19.* & 20. vbi ita ha-
bet. *Vnde alius Propheta dixit, scilicet, Ma-
lach. ad eum, qui carnaliter est Israël: non
est mihi voluntas in vobis, & hostiam non
accipiam de manibus vestris, quia in omni*
Psal. 49. *loco offertur hostia pura nomini meo, quem*
num. 2. *locum exponit per alium ex Psal. 49. Deus,* B
*qui vocauit terram à Solis ortu vsque ad
occasum, vt dicitur in Psalm. Cui terra, cui
populo diceret diffuso ab ortu Solis vsque
ad occasum. Non accipiam de domo tua vi-
tulos, immola Deo sacrificium laudis, quod
est autem sacrificium sacratius, quam in
actione gratiarum? Et vnde maiores sunt
Deo agendæ gratiæ, quam pro ipsius gratia
per Iesum Christum Dominum nostrum,
quod totum fideles in Ecclesia sacrificio
sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia sacrifi-
ciorum genera?* Sic ille. Quo etiam pacto C
Chrysost. exponit homil. super eundem
Psalm. Similia habet *August. lib. 18. de ci-
uitate Dei, cap. 35.* Et *Euseb. Cæsar. lib. 1.
de monstrat. Euang. cap. 1. 6. & vlt. Irenæus
lib 4 cont. Valent. c. 32.* ad eum videtur al-
ludere, *D. Martial* contemporaneus Apo-
stolis in *epistola ad Burdigal. cap. 3* apertè
exponit *Damasc. lib. 4. fidei cap. 4.* & *Cli-
ctoueus* ibidem plura refert per suas æta-
tes *Ioan. Guaret. lib. de veritate Christi
corporis in Sacramento altar. centen. 1.* pul-
chrè exponit *Alan. lib. de Eucharist. cap. 4.* D
& 5. Denique *Concil. Trid.* exposuit hunc
locum *Malach. sess. 22. cap. 1.* Hæc quidem
illa munda est oblatio, quæ nulla indigni-
tate, aut malitia offerentium inquinari
potest, quam Dominus per Malach. nomi-
ni suo, quod magnum futurum erat in
gentibus, in omni loco mundam offeren-
dam esse dixit. Vnde *Lactant. Firmian.
lib 4. c. 14.* Iesum Sacerdotem confecisse
sibi templum magnum & æternum, idest
Ecclesiam, in quo æternum habeat Sacer-
dotium secundum ordinē Melchisedech, E
& *Arnob. in Psal. 109* Per mysterium, in-
quit, panis & vini factus est Sacerdos in
æternum, ita, vt in cruce innocentis Abe-
lis sacrificium complecteretur in Sacramen-
to altaris secundum ordinem Melchise-
dech. Et *Chrysost. in cap. 9. epist. ad Hebr.*
ait Hostiam nostram esse inconsumptibi-
lem similia habet *Euseb. Emiss. homil. 5.* &
Cyprian. serm. de Cœna Domini.

A Ex quibus tam diffusè allatis apertè
nobis constat Deum dum Israëlem puni-
uit, affecitque supplicio in defectu, &
ablatione sacrificiorū, maiora bona fuisse
largitum, dum Augustissimum pollicetur
sacrificium, sic enim solet diuina miseri-
cordia, etiam dum mala infert, cumula-
tiora bona largiri, vt rectè probat *Na-
zianz. orat. ad Episcopos* ex illo *Isai. 54. ad
punctum in modico dereliqui te, & in mise-
rationibus magnis misertus sum tui*, quod
etiam copiosius ostendit *Gregor. Magnus*
B *lib. 20. moral. cap. 19.* Videndúsque erit
*August. serm. 16. de verbis Domini secun-
dum Matth.* vbi elegantem pro hac de re
affert similitudinem petitam ab ipsis ani-
mantibus, quæ etiamsi aliquando videan-
tur repellere, & percutere filios, statim ta-
men visceribus amplectuntur, & quærun-
tur si desunt.

Vnde apud *Oseam in cap. 1.* dixit: *Vos non* *Osea 1.*
populus meus, & ego non ero vester Deus, *num. 9.*
& statim addit: *Erit numerus filiorum Is-
raël quasi arena maris, quæ sine mensura*
C *est & non numerabitur, & erit in loco vbi
dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis
Filij Dei viuentis.* Sic enim conuertuntur,
diuina prouidentia disponente, supplicia
in honorem.

Videndus pro hoc argumento *August.
tract. 26. in Ioan.* vbi ponderat Paulum ha-
buisse angelum sathanæ, qui cum cola-
phizaret, id tamen ei cessisse in magnum
bonum. Latissimè hoc etiam prosequitur
Cyrill. Alexand. lib. 5. in Ioan. cap. 5. & hoc
etiam videtur dixisse Dauid, cum ait. *Ma-*
D *gna opera Domini, exquisita in omnes vo-
luntates eius,* vbi videtur Dauid conferre
opera nostra cum diuinis operibus, atque
ex ea collatione colligere nostras actio-
nes angustas, & vnico veluti fine clausas
contineri, cum tamen diuina opera non
ad vnum tantum aliquem finem sint de-
terminata, & addicta, sed multos petant,
& perficiant, ita vt ad singulos eorum vi-
deantur fuisse destinata, & determinata,
quod clarius expressit *D. Hieron.* ita ex
Hebræo vertens. *Magna opera Domini,* *Psal. 110.*
E *exquirenda in omnes volantates eorum,* vt *num. 2.*
sit sensus: quamuis nonnunquam opera
Dei conuenire non videantur cum fini-
bus, quos homines intendunt, & volunt,
tamen in actu, & re ipsa postea inue-
niunt nihil accommodatius posse inue-
niri ad id, quod expetebant, quam il-
lud ipsum, quod illis videbatur à Deo
assumptum ad oppositum finem, sicut pa-
tet in venditione Ioseph, & in vinculis

ipsius, quæ omnia Deus permisit in A
ipsius exaltationem, quam per oppositos
labores ordinauit. Námque Deo ordinan-
Rom. 8. te, *Diligentibus Deum omnia cooperan-*
num. 28. *tur in bonum*, sicut dixit *Paulus*, vbi *Chry-*
sostom. homil. 15. asserit; auxilio sunt illis,
quos Deus diligit, ea etiam, quæ nocu-
mentum afferre videbantur, sicut illis,
qui Deum non amant nocent ea, quæ
auxilium aliis afferre solent, de quibus
Comic. dixit. *Sunt quibus dormientibus &*
omnia conficiunt. Et *Liuius lib. 7. decad.* 1.
In sinum illis victoria de cælo deuolat, quos B
Poëta *Theognis* Græcus eleganter depin-
git dicens.

Multis mens læua est, sed eisdem numina
dextra,
Queis malè quod cæptum est, vertit
& in melius.

Solet enim diuina benignitas, & mise-
ricordia etiam mala pœnæ in bonum con-
uertere, & in commodum eorum quibus
acciderunt, quod etiam prosequitur *Olea-*
Genes. 4. *ster. ad cap. 4. Genes.* in Eua, quam diris
num. 1. addixit suppliciis, & grauibus adstringit C
legibus diuina iustitia, sed statim con-
solatur delectam, tribuendo illi sobolem,
quam à Deo datam esse ipsamet fatetur,
tantique illam fecit, ac si Deus illi ma-
gnam dedisset possessionem, vnde dicitur.
Concepit, & peperit Caim dicens, possedi ho-
minem per Deum.

Notauit hoc *Chrysost. homil.* 25. *in Ge-*
Genes. 7. *nes.* ad illa verba *cap. 7. Facta est pluuia su-*
num. 12. *per terram quadraginta diebus, & quadra-*
ginta noctibus. Ait ergo *Chrysostom.* Iam
quoad quadraginta diebus, & quadra- D
ginta noctibus inductum est diluuium, &
istud ipsum bonitatis maximum genus
est, volebat enim propter magnam mise-
ricordiam etiam aliquos ex eis castigatos
generalem hanc internecionem effugere,
cum ante oculos suos viderent proximos
suos perire, & imminere sibi commune
interitum, verisimile enim est primo die
bonam aliquam partem diluuio periisse,
& secundo die accreuisse aliquid diluuij,
& similiter die tertio, & quarto, & reli-
quis, atque ita in quadraginta dies, & qua- E
draginta noctes produxit, vt omne de-
fensionis prætextum adimeret: nam si vo-
luisset, ac imperasset, potuisset omnia in
vno momẽto perdere diluuio, sed pro sua
misericordia tanta dierum productione
vsus est, vt in ira etiam misericordia re-
luceret, & in suppliciis benignitas cerne-
retur. Vnde *Hieron. in cap. vlt. Isai.* in fine
ait. De vltima sententia, & supplicio mo-
deratam arbitramur, & mistam clemen-
tia sententiam Iudicis.

Videndus idem *Hieron. in c. 3. Ionæ.* vbi
expendit illud. *Misericors, & miserator, &* Ps. 114.
iustus, & Deus noster miseretur. Scimus, num. 5.
inquit, *clementem esse Deum, Nec, qui pec-*
catores sumus crudelitate illius delectamur,
sed legimus misericors, & iustus, & Deus
noster miseretur, iustitia Dei vallatur mi-
sericordia, & tali ad iudicium ambitione
procedit, sic parcit, vt iudicet, sic iudicat, vt
misereatur. Sic ille, quod totidem ferè
verbis habet *D. Ambr. de obitu Theod.* & ad
eundem locum *Psalm.* & velle videntur hi
sancti Patres iustitiam vtrinque inclusam,
& circumdatam misericordia non posse ad
puniendum exire, quin misericordia illi
admisceatur, & benignitatis aliquid ad-
hæreat, vel etiam misericordiam vndique
ambire, & complecti diuinam iustitiam,
ne acrius puniendo sæuiat, & vires suas
in suppliciis exerat, sed potius in ipso
supplicio misericordiam relucere.

Ostendit hoc supplicium illatum im-
pio Ieroboamo, dum extendit manum in
Prophetam: *Et statim extensa exaruit, nec* 3. Reg.
potuit eam retrahere ad se. Ecce igitur in- 13. n. 4.
flictum supplicium meritissimum impio
idololatræ, dum super altare vitulis
constructum thus offert Deo debitum,
sed vide, quid statim dicatur. *Ait Rex ad*
virum Dei: deprecare faciem Domini Dei
tui, & ora pro me, vt restituatur manus
mea mihi, orauitque ait Dei faciem Do-
mini, & reuersa est manus Regis ad eum,
& facta est sicut prius fuerat, quod expen-
dens *Ambros. lib. 2. de virg.* ait. *Tam ma-*
turum in vno & misericordiæ, & indigna-
tionis exemplum extitit, vt sacrificanti su-
bitò dextera adimeretur, pœnitenti venia
daretur, ita porrò Dei indignatio, eius mi-
sericordia temperatur.

Hoc ipsum etiam videre licet in *c. 16.*
Numer. quando post interitum hominum Num. 16.
impiorum, quos terra deuorauit, & quos num. 46.
ignis à Domino egressus absumpsit, facta
est seditio, & murmuratio contra Moy-
sem, & Aaronem, & iterum ignis deuo-
tans, & deuastans mediam multitudinem
desæuiebat, iussitque Moyses Aaronem
fratrem suum, vt tolleret thuribulum, &
ignem de altari, thúsque supermitteret,
pergerétque citò ad populum, vt rogaret
pro eis; vbi inquiteret statim quis poterit,
vnde nouerit Moyses ignem in media
multitudine versari, & populum absumi
incendio, cũ ipse esset in tabernaculo, quo
fuga sibi censuit consulendum pronúsque
iaceret

iaceret in terra deprecans Dominum, & insuper tabernaculum nube densissima esset opertum, vnde neminem conspicere posset. Respondet quæstioni *Abulens.* ibi *q.29.* In hoc, inquit, apparet Dei clementia, qui quanquam puniret populum, tamen reuelauit Moysi, vt ipse oraret pro eis, & Deus sua ab indignatione flecteretur; etenim iustitia Dei, misericordia septa vndique exit in vindictam, & Deus in media ira misericordiæ recordatur, & supplicia benignitate temperat, neque pariter diuina bonitas, vt ira sine maxima mi- B sericordia desæuiat. Simile quid elicit *Exo.32. num. 10.* *Chrysost. serm. de pœnitentia, & confessione,* paulò ante finem, in eo quod Deus dixit Moysi, *Dimitte me, vt irascatur furor meus*, quasi prouocans vt Deum ab infligendo supplicio retardaret. Sic verò habet. Hæc & nos sæpe facimus, & famulos qui peccauerunt dignos suppliciis nolentes punire, neque a supplicij metu liberari, amicos iubemus, vt illos è nostris eripiant manibus, atque vt ita timor illorum in eis crescat, & nostra effugiant ver- C bera. Hoc & Deus fecit, & quod hoc sit verum ex ipsis verbis manifestum est. Dimitte me, inquit, & irascar. Etenim nullus remittit, qui punire vult, tunc enim irascimur: ipse autem dicit, Dimitte me vt irascar; vt scias quod ira in Deo non sit affectio, sed pœna in nos eo vocabulo nominetur. Quando igitur audis Moysem dicentem: Si quidem dimittis peccatum, dimitte: præ seruo Dominum obstupesce: quod ipse sibi ipsi misericordiæ occasiones quærit. Non hic autem solum hoc fe- D cit, sed ad *Hieremiam c.5. & ad Ezechielem*, idem hoc dicit: *Hiere.5. num.1.* *Circuite, & videte in vijs Ierusalem, num sit qui faciat iudicium & iustitiam, & misericors ero eis.*

Mihi autem maius est aliud iudicium diuinæ misericordiæ, quod dicam. Quum enim non inuenit homines viuos, & fiducia præditos, confugit ad defunctos, & per illos inquit se remissurum peccata, quemadmodum *Ezechiæ* dicit: *4. Reg. 19.n.34.* *Protegam ciuitatem propter me, & propter Dauid puerum meum, 4. Reg. 19.*

E Prosequitur hoc argumentum *D. Chrysost. homil. 18. in Genes.* vbi expendit diuinam misericordiam in supplicio illato Adamo, quando eum Deus eiecit è paradiso, & habitare fecit eum è regione horti deliciarum. *Aduerte*, inquit ille, *quod Dominus noster in singulis operibus misericordiæ argumentum ostendit, & singula pœnarum species, benignitate plena sunt, non*

A *enim hoc solum misericordiæ, & largitatis argumentum erat, quod emittebat, & eijciebat, sed & quod contra paradisum illum habitare faciebat, vt ingem dolorem haberet quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem statum se coniecerit, & quamuis grauissimi doloris spectaculum erat, est tamen magnæ vtilitatis occasio, vt doloris continuò aspectu, monitior, & cautior esset in alijs, ne iterum in ea peccata incideret. Itaque quod propriè, & è regione paradisi nos habitare iussit, maxima prouidentia, &* B *nostri curæ signum fuit, vt & spectando memor esset, & inde lucrum faceret.* Sic ille. Cui addendus *Chrysolog. serm. 42.* vbi ait. *Re vera fratres perijsset totum, quod Deus fecerat, nisi misericordia subuenisset: culpa, & vltio, quidquid in hunc mundum venerat auferebant, quia & fragilitas sæpe tendebat in lapsum, & cogebatur ad victimam semper censura iudicantis: hæc est Christi magna larga, sola misericordia, quæ iudicium omne in vnum seruauit diem, & Domini totum tempus ad pœnitentiæ depu-* C *tauit inducias, vt quod diuitijs infantia suscipit, rapit adolescentia, inuadit iuuentus, corrigat vel senectus, & de peccato, vel tunc pœniteat, quando sentit iam tunc non posse peccare, & tunc reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus, faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine*, sic ille.

Hanc etiam singularem Dei naturam, & indicibilem misericordiam prosequitur *Theodoret. in Psalm. 22.* cum ponderat Deum non solum peccatores redeuntes D ad se amicè, ac benignè suscipere, sed ipsos etiam fugientes, & ab ea deuiantes peccando, comitari, ac subsequi, vt resipiscant, sic enim habet ad illa verba dicti *Psalm. num. 6.* Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ: *Psal. 22. num.6.* inexplicabilis benignitas, nostras preces minimè expectans, sed nos veluti fugientes persequens.

Quod si huius rei rationem velimus altius rimari, inueniemus propterea in omnibus Dei operibus misericordiam re- E lucere, quia cum diues sit in misericordia, sicut eum appellauit Paulus *Ephes. 2.* *Ephes.2. num.4.* Inde est quod eam etiam in indignos effundit, & ideò *D. Thomas* Paulum ibi in eo sensu interpretatur, quod Deus vt nos diligat non prouocatur, aut allicitur bonitate nostra; sed amando; nos eam in nobis causat, & ideò diues misericordia Dei nostro minimè indiget merito.

Quam verò intrinseca illi sit misericordia, quod erat præcipuum nostri argumenti intentum, probat locus quem ipse *D.Thom.* affert petitus ab *Isaia, c.63.* *Isaia 63. num. 15.* vbi Propheta ait: *Attende de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo, & gloria tua, vbi est zelus tuus, multitudo viscerum tuorum, & miserationum super me continuerunt se?* Vbi nomine viscerum internam indicat Dei misericordiam, & non extrinsecam, quam commendauit *Paulus*, cum *Col. 3. num. 12.* ait: *Induite vos sicut electi Dei Sancti, & dilecti viscera misericordiæ*, vbi B *Chrysost. & Oecumenius*, non quamcumque intelligunt misericordiam, sed maximè affectuosam, qualis est paterna, quælibet enim alia misericordia facilè potest abiici, cum velut extrinsecè sit apposita, at paterna ex visceribus, & corde videtur oriri, & erumpere. Alij dicunt viscera misericordiæ significare veram, & ex intimo corde misericordiam, sunt enim qui secundum effectum miserentur, quia miseriis indigentium subueniunt, tamen non ex affectu, & cordis misericordia, sed humanis ra- C tionibus ducti misericordiam præstant, sed non misericordiæ viscera habent: at verò Deus non solùm effectu vt in ira, sed etiam effectu, non passionis quidem, qua ratione *D.Thom.2.2.quæst.30.artic.1. & 1.p. quæst.21. art.3.* dixit illum habere misericordiam, qui miserum cor habere potest, quod Deo nequit conuenire, sed affectu simplicis voluntatis misereatur nostri.

Rectè quidem hæc omnia circa *Pauli* verba dicuntur, attamen perfectum, & le- D gitimum sensum mihi nondum videntur explicasse, eniniuerò misericordia, voluntas est subueniendi miseriæ alterius quæ tunc vera, & perfecta est, quando ex dilectione erga eum, cui subuenimus oritur, neque enim semper ex dilectione alterius procedit, sed ex quodam compassionis affectu, quo pars inferior, & sensitiua afficitur ad calamitates alterius, quã quidem mirabili prouidentia Deus dedit hominibus, vt aliis compatiantur, non quod hæc sit per se virtus misericordiæ, E sed vt ea nos impellat ad subueniendum, quia non semper diligimus eos, quorum miseremur, nam si diligeremus non opus esset appetitus compassione; vnde patet cur non dicantur viscera castitatis, iustitiæ, aut humilitatis, sed solius misericordiæ, quia hæc particulari quodam corporeo, & viscerum affectu, & commotione excitatur, quem Deus non habet, vt- A pote, qui sit impassibilis, nec eo indiget, quia nos amat: amor autem est præcipua, & perfectior causa miserendi, & subueniendi, & quod in homine facit cordis compassio, & viscerum commotio, hoc in Deo facit amor, & dilectio eius ardentissima erga nos, illique maximè intrinseca, quia non aliunde petita, neque ab alio prouocata, & ideò *Isaias cap.55.* dixit: *Derelinquat impius viam* *Isaia 55 num.7.* *suam, & reuertatur ad Dominum, quoniam multus est ad ignoscendum*, super quæ B verba sic ait *Fulget. Epist.7. ad Verant. c.4.* *In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors, tanta est autem benignitas omnipotentia, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare conuerso.* Et certè ille perfectè, & verè misericors est, qui omnipotens est, quia quãlibet miseriam conspectam facili negotio pellere potest, & ideò *D.Thomas* dixit. Misericordiam sumptam esse pro expulsione miseriæ (in quo posita est C eius perfecta ratio, & essentia, cum ex dilectione prouenit) & ideò nullibi proprius existere quàm in Deo, propria enim sedes misericordiæ Dei omnipotentia est, is enim, qui aliis inferior est homo perfectam misericordiam non habet, cum omnem miseriam, & imperfectionem non expellit, ille enim ab alio creatus est, ac proinde miser fuit, & ab ea miseria per alium liberatus, videndus idem *Fulgent.c.7.9. & 10.* eiusdem *Epist.* vbi multus est in commendando multam miseri- D cordiam Dei.

Videndus item *Bernard. serm.5. de natali Domini*, vbi diligenter obseruat Deum dici, *vltionum Deum, Psal.93. Patrem vero* *Psal.93 num.1.* *misericordiarum*, nam quod iudicet, & *2. Cor.1 num.2.* condemnet, nos illum cogimus, & longè aliter de corde ipsius miseratio, quam animaduersio generatur, in voluntate enim eius vita, & misericordia, in indignatione vero ira, quia non irascitur, donec nos materiam subministremus. *Rectè igitur*, ait Bernard. *non pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, sed Pater mi-* E *sericordiarum, non modo, quod pater videatur misereri potius, quam indignari, & quemadmodum pater filiorum miseratur timentium se, sed eo magis, quod miserendi causam, & originem sumat ex proprio, indicandi verò, vel vlciscendi magis ex nostro. Sed si propter hoc Pater misericordiæ, quare Pater misericordiarum? Semel locutus est* *Psal. 61 num. 12* *Deus (ait Propheta Ps.61.) duo hæc audiui,* quia

quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Cæterum Apostolus in vno verbo, in filio vno, ipsam quoque misericordiam duplicem commendat dices, non vnius tantum misericordiæ, sed misericordiarum: & Deum non vnius, sed totius consolationis,
2. Cor. 1. num. 3. *qui consolatur nos non modo in hac, vel illa, sed in omni tribulatione: misericordiæ Domini multæ ait quidam Thren. 3.*
Thren. 3. num. 32. *videlicet, quia multæ tribulationes iusterum, & de omnibus his liberauit nos Dominus: vnus est Dei filius, vnum Verbum: sed miseria nostra multiplex, non modo magnam* B *misericordiam, sed & multitudinem quærit miserationum.* Sic ille. Qui etiam videndus est *serm. 1. de Purificatione*, vbi affert verba illa *Psalm. 47. Suscepimus Deus*
Psal. 47. num. 10. *misericordiam tuam in medio templi tui, in medio*, inquit ille, *templi misericordia est, non in angulo, aut diuersorio, quia non est acceptio personarum apud Deum, in communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit.*

Suffragatur *Augustinus, in Psal. 58.* vbi sic afficitur erga Dei misericordiam, vt C Deum appellet misericordiam suam, quasi nihilo magis posset diuinam misericordiam commendare, quam si Deum, & misericordiam, & suam diceret, ait ergo ad
Psal. 58. num. 18. illa verba *Psalm. Deus meus misericordia mea.* Non inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam.

O nomen sub quo nemini desperandum est, Deus meus, inquit, misericordia mea, quid est misericordia mea? Si dicas salus mea, intelligo, quia dat salutem, si D dicas refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum: si dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem misericordia mea quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est, sed promerui te, inuocando te, vt essem, quid feci? vt essem qui te inuocarem, quid egi? Si enim egi aliquid vt essem, iam eram antequam essem. Porro si omnino nihil eram, antequam essem, nihil te promerui, vt essem. Fecisti vt essem, & non tu fecisti vt bonus essem? Dedisti mihi, vt sim, & E potuit mihi alius date vt bonus sim? Si tu mihi dedisti vt sim, & alius mihi dedit, vt bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit vt bonus sim, quam ille, qui mihi dedit vt sim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, à quo accepi vt essem, ab illo accepi, vt bonus essem. Deus meus misericordia mea, sic *August.* ostendit

A multiplicem esse Dei misericordiã, à qua qua bona cuncta procedunt: & ideo non vna misericordia vocatur a Paulo, neque dicitur, Deus misericordiæ tantummodo, sed potius misericordiarum Pater.

Quod si velis amplius agnoscere naturalem Dei misericordiam, memoria recole Deum, tunc tandem requiescere, cum misericordiam exhibet, sicut enim res naturales proprium locum petunt, in illumque tendunt, vt quiescant, & conseruentur, & quandiu extra illum existunt nullatenus conquiescunt, sic primo in Scriptura Deus dicitur requieuisse, cum ad misericordiam peruenit, & miserendi reperit occasionem: nam postquam Deus hominem condidit, tunc dicitur: *Requieuit ab vniuerso opere, quod patrarat*, quæ Gen. 2. num. 2.
verba ponderans *D. Ambros. 6. Hexamer. cap. vlt.* ait. *Gratias Domino Deo nostro, qui huiusmodi opus fecit, in quo requiesceret. Fecit cælum, & non lego, quod requieuerit; fecit terram, & non lego quod requieuerit; fecit solem, lunam, & stellas, nec ibi* C *lego quod requieuerit, sed lego quod fecerit hominem & tunc requieuit, habens cui peccata dimitteret: aut fortè tunc iam futuræ Dominicæ passionis præcessit mysterium, quo reuelatum est, quia requiesceret Christus in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore pro hominis redemptione, secundum quod ipse dixit Psalm. 3. Ego dormiui, & requieui, & exsurrexi quoniã Dominus suscepit me. Ipse enim requieuit, qui* Psalm. 3. num. 7.
fecit. Sic *Ambros.* qui rectè ostendit Deum requieuisse in misericordia veluti natura- D li loco sibi accommodatissimo, dum requieuit in hominis productione, cui per misericordiam demissurus erat peccata, vel per eandem associandus erat, humanam carnem assumendo, & in eadem mortem patiendo pro hominis redemptione, in quo maximè enituit diuina bonitas, & misericordia, proindéque tunc requieuit cum hæc omnia sibi proposuit, & pernenit ad miserendum, quod opus naturalissimum est Deo.

Videndus in hanc sententiam *Oleast. in* E *cap. 25. Exod.* vbi aduertit iussisse Deum Exod. 25.
fibi fieri propitiatorium, & tabernaculum vbi poneretur idem propitiatorium, nusquam verò iussisse sibi fieri domum iustitiæ, quasi propria domus Dei, quam inhabitare dicitur proprius locus ipsius sit propitiationis, & misericordiæ Nusquam legimus, ait *Oleaster*, Dominum instituisse in hoc mundo domum iustitiæ, qua reos puniret, aut saltem iudicaret, quot sunt

ſunt Eccleſiæ, tot ſunt domus propitia-
tionis. Aduertit etiam propitiatorium ſu-
per arcam poſitum eſſe, vt ſi contingeret
alicui peccare in legem, ad manum eſſet
propitiatorium. Si te, inquit, ſeueritas
deterreat, conſoletur propitiatorium. Et
inde eſt, quod Salomon, qui ædificauit
tēplum Domini, in quo miſericors Deus
ſeſe obligauit omnibus afflictionibus ho-
3. *Reg.*9. minum affuturum, vt patet ex 3. *Reg.*9.
*num.*3. *Fecit duos Cherubines qui exteriorem do-*
mum reſpiciebant, ad differentiam eorum,
quos fecit Moyſes qui *verſis vultibus*
erant in propitiatorium. Fecit, ait ſacer
*Exod.*25. text 3. *Reg.*6 *in oraculo duos Cherubin de*
num. 20. *lignis oliuarum*. oliua autem apertiſſi-
3. *Reg.*6. mum miſericordiæ ſymbolum eſt, vt ipſi,
num. 23. qui miſericordiam Dei redolebant, &
adumbrabant exteriorem domum reſpi-
cientes viderentur miſericorditer pecca-
tores reſpicere, & ad propitiationem,
quam præ manibus veluti habebant con-
uocare, ſicut in exteriore domo negantem
Petrū propitiaturus Dominus reſpexit, &
*Luc.*22. ad ſe vocauit, dum *amarè fleuit*. Et ne quis
num. 61. ab ingreſſu ad propitiatorium videretur
retardari, in ingreſſu oraculi, vt eodem
3. *Reg.*6. *c.*6. dicitur *&* 3. *Reg.*6. *num.* 31. *Fecit*
num. 31. *duo oſtiola de lignis oliuarum, & ſculpſit*
in eis picturam Cherubin, & palmarum
ſpecies, vt eoſdem velut oſtiarios in miſe-
ricordiæ porta (cuius oſtiola, de oliua iti-
dem erant) inueniret peccator ad ſui in-
troductionem, quos vocantes ad miſeri-
cordiam viderat: erantque ibi palmarum
ſpecies, vt certo ſcirent, miſericordiam
palmam quidem laturam de peccatis ho-
minum. Denique, vt in domo Dei totum
agnoſceremus miſericordiam ex Oliua-
rum monte aſcendit Chriſtus in cælum,
vt poſtquam agnoueramus domum Dei
miſericordia conſtare, inſuper, & ſcire-
mus viam ad eandem, miſericordiam
etiam denotare.

Neque verò omittendum eſt in com-
mendationem diuinæ benignitatis, quod
Deus armat contra inſenſatos peccatores
omnes ferè creaturas, quibus ipſe facilè
miſeretur, quaſi velit, vt eorum nulla
creatura commiſerationem peccantis ho-
minis habeat, quo magis inter aduerſan-
tes creaturas reluceat creatoris miſeri-
cordia, quod præclarè oſtendit miſericor-
dia illa, quam Saul exhibuit Regi Ama-
lecitarum, cum illi pepercit, inſuperque
peperit populus melioribus ouibus, & ar-
mentis, pro hac enim miſericordia, diui-
nam in ſe ſentit animaduerſionem, & iu-

A ſtitiam Saul, & diuinam ſententiam audi-
uit dicentem: *Abiecit te Dominus ne ſis*
Rex. Vbi *Theod. quæſt.*34. ait. Oportebat 1. *Reg.*
ſtultum intelligere quod vna gutta diuinę 15. *n.* 15.
benignitatis, & clementiæ vincit omnium
hominum benignitatem, &c. quaſi velit
Theod. oportebat, vt intelligeret Saul ni-
hil tam ægrè ferre diuinam benignita-
tem, & clementiam, quam ſiquis velit
eam ſuperare parcendo, vel adæquare mi-
ſerendo: cum enim Dei miſericordia ſu-
pereminęat vniuerſis, & ſit ſuper omnia
B opera Dei, ſicut alibi profeſſati ſumus, in-
ter eminet veluti triumphatrix, quid igi-
tur Saul, & populus pepercit, cum ſolius
Dei proprium ſit miſereri, & parcere, &
cum ipſe iuſſerit vt omnia, quæ ad Ama- 1. *Reg.*
lech pertinebant demoliretur? *Vade*, in- 15. *nu.*3.
quit, *& percute Amalech, & demolire*
vniuerſa eius, non parcas ei, ſed interfice,
&c. Cum vero Saul & populus peperce-
rint, & miſerti fuerint Regis, & cætera-
rum rerum præcipuarum, triumphum ve-
luti agebat humana miſericordia de di-
C uina parcendo his, quibus hæc deſtructio-
nem moliebatur, ſed diuina miſericordia,
quæ victrix, & triumphatrix eſt, id mini-
mè paſſa acriter, & irremiſſibiliter in Sau-
lem animaduertit, & quaſi rationem hu-
ius ſupplicij reddens ait Samuel: *Porro*
triumphator in Iſraël non parcet, & pæni-
tudine non flectetur, vt ſcilicet, tui miſe-
reatur, qui iniuriam parcendo, diuinæ
miſericordiæ intuliſti, quæ ſola trium-
phum ducere ſolet, & nulli penitus cede-
re: etenim triumphator hoc in loco dici-
D tur ſecundum expoſitionem *Abul.* ratione
miſericordiæ, quæ de aliis Dei operibus
triumphare ſolet, & ideo tunc ſolum
triumphator dicitur Deus in ſacris lite-
ris, cum ſermo eſt de miſericordia: quid
igitur parcere volunt, Saul, vt aliquid di-
uinæ bonitati detraheret, quando ipſa
parcere minimè decreuit? Imo potius tūc
miſeretur quando cæteræ creaturæ contra
inſenſatos peccatores armatæ deſæuiunt.

Oſtendimus hoc inſuper ex alio ſimili
loco, qui nobis non vtcumque, ſed præ-
E clarè diuinam probat clementiam, etenim
*Theod. quæſt.*47. *in* 1. *Reg.* admodum ſoli-
citus inquirit rationem ſupplicij à Deo
illati populo enumerato à Dauide, de quo
2. *Reg.*24. aitque imprimis id fuiſſe incita- 2. *Reg.*
mentum diaboli, quod probat ex 1. *Pa-* 24. *nu.*1.
*ral. cap.*21. vbi dicitur: *Conſurrexit Sathan* 1. *Paral.*
contra Iſraël, & incitauit Dauid, vt nume- *c.*21. *n.* 1.
raret Iſraël, quod 2. *Reg.*24. dicitur: *Ad-* 2. *Reg.*
didit furor Domini iraſci contra Iſraël, 24. *nu.*1.
commouit

commonitá, Dauid in eis. Cur ergo sathan
hanc populi numerationem suaserit, ele-
ganter explicat *Theodor.*dicens : *Quoniam
ergo diuinis promissionibus erat contraria
eiusmodi numeratio: Abrahamo enim dixe-*
Gen.15. *rat Deus vniuersorum,Gen.15.& 26. Fa-*
num.5. *ciam semen tuum sicut arenam , quæ est in*
Gen.26. *littore maris, quæ non numerabitur propter*
num.4. *multitudinem, ea de causa nominauit eam
sathanæ cogitationem, vt quæ sit contraria
promissioni.* Si ergo Deus adeo ægrè tulit
populi enumerationem, quatenus aliquid
videbatur detrahere de diuina bonitate,
dum redigere ad numerum voluit Dauid,
quod Deus absque numero promiserat,
quid mirum,si ægrè etiam tulerit Saulem
voluisse parcere, quando ipse punire præ-
cepit , quod defectum aliquem in diuina
benignitate innuebat , quæ tamen omnes
superat misericordias , & de omnibus
triumphum agit.

Hinc est , quod puniturus Dominus
Hierusalem , promittit se nullatenus ad-
missurum orationes Moysis , & Samuelis
preces,quorum vterque maximam popu-
li curam , & commiserationem habuit,
deinde vero addit : *Quis miserebitur tui
Hierusalem? aut quis contristabitur pro te,
aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?*
Cuius interrogationis causã reddit *Hie-*
Ierem. *ronym.* ibi : *Nullus enim potest , offenso*
15.n.5. *Deo , pro flagitiis rogare peccantium , quia
nec tam clemens potest creatura,quam con-
ditor esse , nec ita alienis externis quomo-
do Dominus suis parcere , & ideo cum Do-
minus non miseretur, nullius alterius com-
miserationi locus adesse potest* , neque id
patietur benignus Dominus , nam mise-
ricordia eius super omnia opera eius,imò
& ante omnia opera,quia magis illi con-
naturalia sunt misericordiæ opera quam
iustitiæ.

Videndus pro hac re *Philo,lib. de Abra-*
Gen.18. *ham,*vbi ponderat tres Angelos apparuis-
num.2. se Abrahamo in conualle Mambre , duos
Gen.19. vero tantummodo venisse Sodomam ve-
num.1. sperè,sedente Loth in foribus ciuitatis,vt
eam incenderent,& euerterent, existimat
vero *Philo* , cum qui non interfuit exci-
dio Sodomorum fuisse ipsum bonum, seu
ipsum Deum , duos autem adiunctos , &
collaterales fuisse Dei ministros , æquum
scilicet iudicans misericors Deus,vt bona
per se ipsum largiretur, contra vero sup-
plicia suis potentiis exequenda relinque-
ret,vt sic solorum bonorum Author præ-
cipuus , mali vero nullius existimaretur,
quod etiam dixit *lib. de congressu quærend.*

A *erud. grat. his verbis.* Non est decorum,
vt ipse Deus puniat cum sit primarius Le-
gislator optimus , sed per alios animad-
uertit in homines noxios,non per semet-
ipsum,conuenientius enim est,vt gratias,
beneficia , munera porrigat ipse suapte
natura bonus,ac munificus,supplicia vero
non sine eius iussu. Et *lib. de profugis* ait.
Conuenientius est , vt gratias , beneficia,
munera porrigat ipse suapte natura bo-
nus, ac munificus:supplicia vero non sine
iussu eius , qui regnum sempiternum te-
B net,per alios tamen exigantur,quos decet
tale ministerium. Vbi ostendit *Philo* sup-
plicia mediate quidem à Deo procedere,
quia extrinseca illi est indignatio , bona
vero immediate ab eo promanare , cui
naturalis admodum est misericordia , &
propitiatio.

Neque vero solus *Philo* hoc asseruit,
sed etiam alij apud *August. 16. de ciuit.
c. 29.* qui dicunt ex tribus , qui ad Abra-
ham venerũt duos solummodo fuisse An-
gelos,tertium vero personam Verbi, siue,
C vt aiunt , Christum Dominum idque in-
nuere verba Abrahæ,qui cum tres viderit,
vnum tantummodo allocutus est , dicen-
do:*Domine si inueni gratiam in oculis tuis,* Gen.18.
at vero *Cyrill.& Eusib.in catena,*asserunt num.3.
ternario numero Deum trinum , seu bea-
tissimæ Trinitatis personas significari,
quæ ad Abraham venerunt , non sic vero
Sodomam , sed duo tantum scilicet duo
Angeli sunt missi,vt Græca glossa elegan-
ter ait,illud notandum est, vbi Dei bene-
ficia explicantur , illic Deum adesse , vbi
D vero supplicia exercentur Angelos mitti,
vt sciamus Deo benigna facere per iu-
cundum , vlcisci vero illi esse ingratum,
eiúsq; quodammodo à magnitudine alie-
num,qui præcipua sua,se vult apud homi-
nes misericordia commendari, vbi etiam
illud aduertendum est, ad infligenda sup-
plicia plerumque à Deo assumi , non de
beatis Angelis,sed de damnatis,qui enim
similes sunt in beatitudine Deo , imitari
etiam debent diuinam benignitatem , vt
potius nostri misereantur,nostræque mi-
E seriæ subueniant,quam plagas inferant &
supplicia. Hinc est, quod *Ezech. cap.30.* Ezec.30.
dixit : *Cessare faciam multitudinem Ægy-* num. 10.
*pti in manu Nabuchodonosor Regis Baby-
lonis : ipse,& populus eius cum eo fortissimi
gentium adducentur ad disperdendum ter-
ram, & euaginabunt gladios* , vbi LXX.
teste *Hieronym.* habent. *Pestilentes , qui
de gentibus missi sunt ad perdendam ter-
ram.* Deducit vero *Hieron.* post medium

commentarij rem ad Angelos, qui ministri sunt diuinæ iustitiæ, deinde vero ait: *Super multitudinem Ægypti adducentur fortissimi gentium, vt disperdant terram, pro quibus LXX. pestilentes interpretati sunt, quod nescio quomodo conueniat his, qui adducuntur à Domino, nisi forè iuxta illud exemplum, immissionem per Angelos pessimos: qui euaginabunt gladios suos*

Psal. 77. num. 44.

super Ægyptum, & implebunt terram interfectis, siue vulneratis, vt occisos vulneratosq; esse se sentiant, & tradantur in manus pessimorum, qui eos torqueant: & plenitudo terræ Ægypti, qui male creuerat doleatur in manu alienorum à Deo: neque enim boni, sed mali Angeli tormentis præpositi sunt: sicut enim diuinam bonitatem dedecere videtur, si non potius mittat iram suam ad profligandos impios, sed ipse veniat ad hoc exequendum, sic ij, qui *ministratorij* sunt *spiritus* ad nostram salutem, quorúmque in cœlo magnum est *gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente*, quantum in ipsis est, potiùs vellent nos seruare, vt faciunt quam punire, quod nouerunt repugnantiam aliquam habere cum diuina bonitate, quam ipsi imitari maximè curant.

Hebr. 1. num. 14. Luc. 15. num. 7.

Quod si à Deo mittantur ad malos puniendos, vide qualiter tandem accedant, & quomodo exequantur. In illo incendio vrbis Hierosolymitanæ, quod portendebant prunæ, quas Deus iussit assumi, & dispergi super ciuitatem apud *Ezechiel. 10. num. 2.* vbi habetur: *Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubin, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effunde super ciuitatem*, quæ verba, vbi notauit *Maldonat.* denotant vrbis incendium, non casu, aut hominum consilio, sed Dei prouidentia, imperióque futurum esse. Cæterùm necessario notandum est, quod pius ille, & benignus iustitiæ Dei minister, homo in primis nominatur, non Angelus, cum certè Angelus fuerit, vt idem Author colligit, & probat præcedente cap. vt habitus candidus significat, & probat officium signandi eos, qui liberandi essent, etenim in *Apoc. cap. 7. num. 4.* Angelus vnus signauit in fronte prædestinatos, nominatur ergo homo, non Angelus, quasi potiùs ad naturam, & indolem hominis hoc pertineret, quam Angeli, &, vt morem gereret ipsi Angelo sacer Vates, qui nouit ipsum non libenter ad infligendas pœnas, sed iussum tandem accessisse, deinde notandum, quod non statim ad

Ezec. 10. num. 2. Apoc. 7. num. 4.

A caminum, & accensos carbones, qui in medio rotarum erant accessit, neque manum misit, quod ei iniunctum fuerat per illa verba; *Imple manum tuam prunis*, sed ingressus stetit iuxta rotam, vbi pulchrè *Hieronym.* aduertit stetisse, nec progressum fuisse ob tristitiam puniendæ Hierusalem, manum ad ignem ipse non misit, sed vnus de Cherubin misit manum, & tulit ignem, & dedit in manum eius, qui accipiens egressus est, & tamen sacra Scriptura non dicit egressus quid fecerit, vt
B tristis rei narrationem intelligentiæ nostræ potius relinqueret, quam oculis subiiceret, quæ omnia ostendunt non quidem refragatum aut refractarium extitisse Angelum diuinis iussionibus, sed satis inuitum ad exequendum diuinum Imperium accessisse.

Sed memineris hoc loco alterius illius Cherubini, qui volauit ad Isaiam, vt ipsum purgaret: *Tollens calculum, quem forcipe tulerat de altari*, memineris insuper intelligendum esse *Hieron.* hoc in
C loco non quasi Angeli tristentur, cum enim beati doloris, & mœstitiæ sint incapaces, vt prosequitur *August. lib. 83. quæst. quæst. 67.* Sed, vt nobis explicent naturam sanctorum Angelorum, qui vellent potius Deum nostri misereri quam punire, si ita Deo placeret, quo sensu etiam exponi debet, & intelligi doctrina *D. Ambros. Epist. 21. & Epist. 22.* atque etiam ad *Roman. 8.* vbi cum *Theodor.* & *Origen.* intelligit ea verba Pauli: *Scimus, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc*, de sanctis etiam Angelis, vt sit sensus Angelos etiam sicut gaudent super peccatores pœnitentiam agentes, ita dolere etiam in ipsorum malis, ideóque ingemiscere nunc illos dici, vnde *Ambros. dicta Epist. 22.* ait, aut ipsos quoque Angelos, qui in istius mundi laboribus diuersa sustinent ministeria, sicut in *Apoc.* legimus non ingemiscere credimus, cum adhibentur excidiorum, & pœnarum ministri, qui habentes vitam beatam mallent vtique eam in illo superiore
E tranquillitatis statu cuttere, quam nostrorum peccatorum pœnis vltricibus interpollari, ingemiscunt propter nos, & nobis ex charitate condolent, quæ verba, vt dixit, & ibi aduertit *Card. Tolet.* intelligi debent per figuram ad exprimendum vehemens desiderium, quod beatis non repugnat, nam animæ sanctæ desiderant vehementer corporum propriorum resurrectionem, imò, & ipse

Isai. 6. num. 6. Rom. 8. num. 22.

Spiritus

Rom. 8. Spiritus sanctus dicitur: *Postulare gemi-*
num. 26. *tibus inenarrabilibus*, quod quidem per
figuram intelligendum est, & Deus ipse
Genes. 6. *Genes. 6.* dicitur: *Tactus dolore intrin-*
num. 6. *secus*, nec tamen doloris capax est, sed
sunt figuratæ locutiones, secundum quas
dicuntur sancti Angeli tristari in malis
nostris, & ingemiscere in nostris afflictio-
nibus, qui mallent potius nos omnibus
iis carere, & summis, ac pluribus bonis
abundare.

Et, vt magis hanc Dei missionem ad
puniendum intelligamus, illud etiam re- B
colendum est, propterea posse dici Deum
ad nos venire, vt beneficia largiatur, mit-
tere veró, vt puniat, quia bona ipse ex se
largitur, qui diues est in misericordia, ma-
la vero non infligit nisi à nobis irritatus,
Matt. 13. & compulsus. Probat hoc *D. Chrysost. ex*
num. 3. *cap. 13. Matth.* vbi ille Pater familias, qui
Dei personam gerebat exiit ipse semina-
re semen suum, neque enim ineptum est,
si quis per seminis effusionem Dei largi-
tionem intelligat, maximé cum eo in lo-
co asseratur partem seminis *cecidisse secus* C
viam, aliam super petras, vbi non habebat
terram multam, aliam cecidisse in spinas,
&c. Simili namque modo video Dei be-
neficam liberalitatem descriptam apud
Philonem lib. 1. legis allegor. vbi sic ait. Be-
nignus cum sit Deus, largitur bona omni-
bus, etiam non perfectis, inuitans eos, vt
æmulatores virtutis, atq; participes fiant,
ostentánsq; immensas diuitias suas, quod
sufficiant etiam his, qui non magnam vti-
litatem inde capiant, hoc autem etiam
aliis rebus declarat manifestissimè: quo- D
ties enim pluit in mare, fontes producit
in locis desertissimis, tenuem, & asperam,
sterilémque terram rigat inundans flumi-
nibus, quid aliud exhibet, quam nimieta-
tem diuitiarum benignitatis suæ? Sic ille.
Matt. 13. Ecce igitur Pater familias, *qui exyt semi-*
num. 41. *nare semen suum*, & *eodem, cap. num. 41.*
dum loquitur de vindicta sumenda, sup-
pliciisque inferendis ait: *Mittet Filius ho-*
minis Angelos suos, & colligent de regno
eius omnia scandala, & eos, qui faciunt
iniquitatem, & mittent eos in caminum E
ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Id
igitur eleganter aduertit *Chrysost.* Deum
scilicet per se venisse, & seminasse; at vero
pœnas, & supplicia per Angelos, & mi-
nistros suos, vt quid à natura sua alienum
intulisse, sic enim habet *homil. 48.* in hæc
verba. Tu considera ineffabilem eius mi-
sericordiam, & quod ad benefaciendum
quidem pronus est, à desiderio autem

A puniendi alienus: nam quando seminat
per se ipsum id peragit, supplicia vero
per alios infert: mittet enim, inquit, An-
gelos suos, &c.

Prosequitur hoc argumentum, *Bernard.*
serm. 5. citat. de Natiuitate, vbi affert illud
Pauli 2. Corinth. 1. *Benedictus Deus, &* 2. Cor. 1.
Pater Domini nostri Iesu Christi Pater mi- num. 3.
sericordiarum. Benè, inquit ille, *Pater mi-*
sericordiarũ, cui proprium est misereri sem-
per, & parcere, sed fortè quis dicat, quomo-
do illi proprium est misereri, cuius iudicia
B *abyssus multa? Neque enim dicitur omnes*
viæ eius sola misericordia, Sed misericordia,
& veritas. Psalm. 24. *Non minus iustus* Psal. 24.
quam misericors est, eius misericordiam, & num. 10.
iudicium comitatur, verum id quidem, cui Ps. 100.
vult miseretur, & quem vult indurat, sed num. 1.
quod miseretur proprium illi est, ex se enim Rom. 9.
sumit materiam, & velut quoddam Semi- num. 16.
narium miserendi, nam quod miseretur pro-
prium illi est, quod iudicat, & condemnat
nos eum quodammodo cogimus, vt longè
aliter de corde ipsius miseratio, quam ani-
C *maduersio procedere videatur: ipsum audi*
dicentè: Nunquid voluntatis meæ est mors Ezec. 18.
impÿ, dicit Dominus, & non magis, vt con- num. 23.
uertatur & viuat? Rectè igitur non Pater
iudiciorum, & vltionum dicitur, sed Pater
misericordiarum, non modo, quod Pater vi-
deatur misereri potius, quam indignari, &
quemadmodum Pater filiorum misereatur
timentium se, sed eo magis, quod miserendi
causam, & originem sumat ex proprio, iu-
dicandi, vel vlciscendi magis ex nostro. Sic
Bernard. Cui addendus *Chrysolog. serm. 3.*
D vbi ponderat verba illa patris prodigi, qui
ad aduentum filij clamauit: *Cito proferte* Luc. 15.
stolam primam: Pater hic, inquit ille, *qui in* num. 22.
secundis non passus est peccatorem, plus de
venia, quam de iustitia gaudium vult ha-
bere: non dixit vnde venis? Fuisti vbi? Vbi
sunt, quæ tulisti, quare tantã gloriam, tan-
ta turpitudine commutasti? Sed citò profer-
te stolam primam, & induite illum. Videtis,
quia delicta non videt vis amoris? Tardam
misericordiã pater nescit, delicta, qui discu-
tit, perdit. Sic ille. Et *serm. 4.* ibi: *Nunquam* Supra n.
E *mãdatum tuum preterini*, ait, hoc tibi non 29.
tua innocentia, sed patris venia dedit, quia
multa charitate delicta filij maluit tege-
re, quã nudare, at ille dixit: *Fili tu semper*
mecum fuisti, &c. O quid facit vis amoris!
Quamuis malo filio non nescit esse, non
esse non potest pater. Videt filium dene-
gasse animo, videt paternæ pietatis pater-
ni generis nihil habere, & tamen nuncu-
pat filium, suadet affectum, ad gratiam,

vel spem reuocat largitatis dicendo: *Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt;* quod ideò fecisse videtur pater ille, vt paterna viscera sic miserendo maximè manifestaret. Quod etiam prosequitur *Bernard. serm. 9. in Cant.* vbi duo sponsi vbera expendit, & ait duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pænitentem: pulchre Dauid vtrumque paucis comprehendit dicens:

Ps. 102. num. 8. *Longanimis, & multum misericors,* & *serm. 5. de verbis Isaiæ*

Isaia 6. num. 2. agens de Seraphinis, qui velabant alis suis, & caput, & pedes Dei sedentis super thronum excelsum, & eleuatum, medietate verò corporis conspiciendam exhibebant, per quam ipse intelligit Dei longanimitatem, & misericordiam: namque viscera, & cor medium corporis obtinent, iam verò misericordia viscera in Deo dicuntur. Ait ergo *Bernard. Non est corporalis diuina substantia, nec in formam hominum membris distincta corporeis, spiritus est Deus, & quæ de eo dicuntur spiritualiter vestiganda. Itaque secundum hunc sensum caput eius, maiestas eius: potestas eius, sempiterna virtus, atque diuinitas.*

Psal. 35. *Caput eius iuxta illud Propheticum: Iustitia tua sicut montes Dei, nempe, quod sequitur, Iudicia tua abyssus multa, non incongruè fortè videbitur pedum posse appellatione signari, sunt enim veluti quidam pedes eius, inuestigabiles viæ eius, inscrutabilia iudicia eius, profundum sapientiæ, & irreprehensibilis quædam, sed incomprehensibilis dispositio eius, ad hos pedes ipsum quoque Dominicæ Incarnationis mysterium specialiter cognoscitur pertinere, & omnis pariter operatio nostræ salutis: certe est, quam sit iustitia illa sublimis, quam sicut montes Dei Propheta esse miratur.* Sic *Bernard.* Et post multa rem concludens sic ad præsentem nostram ait. Sanè mediam quasi quidam longitudinem nudam, visibilémque relinquunt, longanimitatem Dei, & benignitatem ad pœnitentiã homines inuitantis, omnibus enim certe est quemadmodum solem suum super bonos, & malos oriri faciat, & pluat super iustos, & iniustos, hac nimirum charitate verus ille Salomon, quasi quadam media sua constrauit propter filias Hierusalem.

Cant. 3. num. 10. Ex quibus liquidò constat internam, & maximè intrinsecam esse Deo misericordiam, cum tamen illi ex opposito extrinseca sit ira, & ideò in hoc sensu velut Dominus punit, & velut Pater miseretur, vt videre est apud *Ierem.* vbi idem Dominus ait: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, ergo saltem modo vocat me: pater meus, dux virginitatis mea tu es,* *Iere. 3. num. 3.* idest, qui me à pueritia mea educasti, atque instituisti, & rexisti: vbi notandum necessario est offensum Deum præ multitudine misericordiæ suæ ad postulandam veniam inuitasse impiam synagogam, quia verò & ipsa sponsa erat Dei, ne timore perterrita ad sponsum nollet reuerti memor zeli, qui sponsis adesse consueuit, cósque accendere, vt contra adulteras ad internecionem, vsque desæuiant, iuxta illud *Ezech. 16.* vbi sponsus offensus dicit: *Nudabo ignominiam tuam coram amatoribus tuis, & videbunt omnem turpitudinẽ tuam, & iudicabo te iudicijs adulterarum, & effundentium sanguinem, & dabo te in sanguinem furoris & zeli,* *Ezec. 16. num. 37.* idest crudeli, & truculenta morte puniam te, sicut solent mariti furore, & zelotypia incensi adulteras vxores occidere, eisque nequaquam parcere. Nè igitur sponsa adultera vereretur ad Deum sponsum offensum accedere memor zeli, & indignationis, quæ solet in sponsis furere, inuitat, vt accedat, non vt sponsa; sed, vt filia ad patrem, qui nunquam solet misericordiæ obliuisci, sicut probauimus in patre perditi filij obuiam illi procedente, & amplexante, & probatur etiam Dauide, 2. *Reg.* 18. cum paterna misericordia commotus dicebat: *Seruate mihi puerum Absalon,* vbi sicut *D. Ambr.* *2. Reg. 18. n. 5.* puerum appellauit, vt crimen minueret. Rectè autem pater vult appellari, qui, vt pater non solum venienti processit; sed adulterantem, & delinquentem vocauit semel, atque iterum, quod prosequitur *Hieron. in c. 16. Ezech.* vbi expendit Deum *Ezec. 16. num. 6.* vidisse synagogam conculcari in sanguine, idest, ream mortalium criminum, & tamen eam prouocasse ad pœnitentiam, & quasi non sufficeret, semel transiisse, iterum eam adiisse, & visitasse, vt reduceret, & ad se attraheret. Quanta clementia, inquit *Hieronym.* non sufficerat semel vidisse eam conculcatam in sanguine, & ad pœnitentiam prouocasse: sed peccantem rursum inuisit, & quia erat nuda, & confusionis plena, rursus venit, & visitat? Et ecce tempus eius, tempus amantium, siue iuxta LXX. Interpretes diuertentium, attamen misericors Deus expandit alas suas, & suscepit eos, & in humeris suis portauit eos, non sufficit ei lauare aqua, mundare sanguine, nisi oleo quoque vnxerit, quo magis misericordia eius eniteat, qui cum paternè diligat, vt Pater

vocat,

vocat, & à nobis vult vocari, quando misericordiarum Pater est.

Vnde iam intelligere possumus, cur in præsentiarum velut quid extrinsecum dicatur mittere iram suam, idque ab ipsis prouocatus & lacessitus à peccatis nostris, quod in primis videre est in fratricida Caim, quem Dominus puniturus conuenit, & ait: *Gene∫. 4. num. 10.* *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, quæ verba sic explicat *Chrysolog. serm.* 125. vt asserat, Tunc tandem Deum venisse quando terra clamans accusabat Cainum, diuinamque proclamabat iniuriam, cum interim diuina misericordia omnia perspicuè agnoscens offensam commissam velatam haberet donec terra clamans fratricidam proderet, quod etiam ostendit fecisse Dominum quando vocauit villicum, vt redderet rationem villicationis suæ, quam vocationem præcesserat diffamatio eiusdem apud Dominum, vt patet ex *Luc.* 16. Ait itaque *Chrysolog. Ergo ille famæ credidit? Fama nunciante cognouit? Absit. Sed quia illa quæ nouerat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Clamabat terra, clamabat cælum, dolebant Angeli quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Sic ille rectè ostendit tunc tandem venisse clementissimum Dominum ad puniendum Cainum, quando sanguis de terra clamabat, imò, & ipsa terra diuinam iustitiam compellabat.

Neque omittendum id, quod aduertit idem *Chrysolog.* ad illa verba Domini ad villicum. *Quid hoc audio de te? Cognita*, inquit, *ille, velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam, & conuictum penes se, velut accusatum continuit, qui iudicium gestit venia sit praire. Redde rationem: rationem petit, non vt exigat, sed relaxet: petit, vt petatur, petit hic, ne petat ibi: petit in sæculo, ne petat in iudicio, petit citò, ne pœnarum tempus, tempus sanctificationis excludat.* Sic ille.

Hoc etiam videre possumus in Sodomorum excidio, ad quod priusquam Deus *Gen. 18. num. 20.* iram suam mitteret, dixit Abrahæ: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis*, vt quando ira ad illos delendos mittenda erat, prius significaretur ab eisdem vocata, neque vno tantum clamore, sed repetitis vocibus, quandoquidem multiplicatus clamor asseritur, super quæ verba sic ait *Saluian. libr. 1. de prouident.* Grandis

A quippe clamor peccantium est, qui à terra scandit ad cælum: quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? Quia cædi aures suas Deus dixit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium, & verè clamor, & grandis clamor est, quia pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccatores punire cogatur. Ostendit ergo Deus, quam inuitus puniat etiam grauissimos peccatores dicens. Quod clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum ad se ascenderit; quo in

B loco non omittendus *Chrysost. homil. 5. de prouident. tom. 5.* vbi sic ait. *Neu ita simpliciter in eos ignem demisit, sed quid agit? Auditur Sodomorum, & Gomorrhæorum clamor, & nihil adhuc agitur. descendit vt videat, neque sic subsistit, sed mittit Angelos, qui tibi ostendant malitiam inhabitantium ciuitatem, quo nulla relinquatur occasio blasphemandi Deum, qui tam benigno, misericordique Deo æquale? Nos vindicari sæpe dedignamur rationem reddere: ipse autem nisi te prius docuerit, ni-*

C *si prius te admonuerit, nisi rationem à te acceperit, vt iustè pœnam irroget, non animaduertit in eos, qui iam olim meruerunt pœnas, paratus vbique rationem reddere, & non dedignatur iudicari.* Sic ille, qui similia habet *homil. 30. in Genes.* vbi inter alia sic ait. Dei mos est, vt puniturus prius iudicet quam magna sint peccata, & quasi expostulans etiam ipse satisfaciat nobis, ac tunc tandem corripere incipiat, & cætera, quæ prosequitur in hanc sententiam.

D Quam etiam confirmat locus ille *Genes. 6.* vbi Deus dixit ad Noë: *Finis vniuersæ carnis venit coram me*, quæ verba indicant ipsum promeritum supplicium sese vltro obtulisse, & proposuisse Deo, minimè quærenti, aut volenti illud, nec de hominum pœnis inquirenti. Notauit hoc *Heracla* ibi, cum ait. Ipse finis vniuersæ carnis venit coram me, scilicet oblatus, non à me quæsitus, qui nolo mortem peccatoris, sed, vt magis conuertatur, & viuat: tam aperta sunt hominum flagella,

Genes. 6. num. 13.

E vt ipsa se meis oculis passim ingerant, & offerant. Quærunt itaque peccata nostra Deum offensum ad vltionem, & dum misericors Dominus dissimulare vult in quãcumque se partem vertat in ipsa velut impingi.

Et in hanc sententiam videtur adduci posse per accommodationis sensum illud ex *cap. 24. Numer. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël.* Etenim si *Cap. 24. Num. 17.*

A aduertamus per Iacob potest intelligi
Deus, & Christus Dominus, & certè per
Iacob mittentem filium suum Ioseph ad
cæteros filios intelligit *D. August. ser.* 81.
Gen. 37. *de tempore*, Deum Patrem, sic enim ait.
num. 13. Iacob misit Filium suum, vt de fratribus
Gen. 34. suis solicitudinem gereret, & Deus Pater
misit vnigenitum suum, vt genus humanum
peccatis languidum visitaret, &c. quæ
prosequitur. Iacob etiam dissimulans stuprum
Dinæ typum gerit Dei dissimulantis
peccata hominum. Iacob insuper figura
B est Christi Domini, vt videre est apud
*Hieronym. ad Damasum, q. 3. & in c. Isaiæ
49. Ambr. lib. 2. de Iacob, c. 5. August. ser. 79.
& 80. Gregor. 30. moralium, c. 31.* At verò
Israël significat in Scriptura homines,
nunquam verò Deum, imò impios homines
significat, nempe decem tribus, quæ
separatæ sunt à Iuda & Beniamin, quæ
etiam hæreticorum figura sunt, vt videre
est apud *Hieron. in cap. 5. Oseæ, & in cap. 1.
Malach. & in c. 3. Ierem.*

Hoc igitur posito iam possumus eliccre,
C quod intendimus: stella quidem oritur
ex Iacob, diuinitas scilicet communicata
est naturæ humanæ ex mera liberalitate,
& bonitate Dei. Sic enim *Orig. homil.* 18.
in Numeros, intelligit per stellam diuinitatem:
vel stella oritur ex Iacob, idest
virtutes, seu dona Spiritus sancti, sic enim
D. August. 3. confess. c. 18. Stellas interpretatur,
at verò virga, seu supplicium ex Israële
consurgit, ex iniquo scilicet populo
à quo consurgit & crescit, vsque ad
conspectum Dei, cui proponitur à nobis
D virga, qua nos cædat, & puniat, cum ab
ipso in nos diffundantur omnia bona, vtpote
qui sit Pater luminum, cuius radij in
nostri illustrationem, decorem & iustitiam
descendunt.

Hoc etiam deducit eleganter *D. Hier.*
Ezech. 7. *in c. 7. Ezech.* ex illis verbis Prophetæ: *Ec-*
num. 10. *ce dies, egressa est contritio, floruit virga,
germinauit superbia*, vbi pro eo, quod nos
habemus contritio, Hebraïcè habetur *contractio*,
tunc ergo ait *Hieron.* Contracta
est dies, & abbreuiata, instárque vicina
E captiuitas, floruit virga, quæ multo vobis
tempore minabatur, & de flore fructum
plagarum parturiit: superbia vestra germinauit,
quod merebamini, quasi dicat
Hieron. peccata vestra crescere, florereque
fecerunt virgam diuinæ iustitiæ, & ad maturitatem
venire fecerunt fructum, plagas
scilicet & supplicia, quibus modo vos
cædit, & peccatis vestris, quasi aquis irrigatæ
prodierunt virgæ, quæ fructum

A plagarum, & verberum proferunt, non ex
Iacob quidem à quo bona cuncta, & illustrationes
procedunt, sed ex Israël consurgit
virga, cuius fructus verbera sunt, quæ
impietatibus vestris acquisiistis & aluistis,
vt crescerent vsque ad conspectum, &
ad manus Dei, quæ ab ipsa virga prouocatæ
eam tandem assumpsere, vt nos cæderent.
Vnde iam intelligetur quare Deus
velit hominibus proponere commissa scelera,
quibus illam promeruerunt, & diuina
irritarum supplicia, vt magis con-
B stet prouocatum puniuisse, quam spontè
ad verbera accessisse.

Idcóque *Amos in cap.* 4. ait. *Venite ad* Amos 4.
Bethel, & impiè agite: ad Galgalam, & num. 4.
*multiplicate præuaricationem, & offerte
manè victimas vestras, tribus diebus decimas
vestras, & sacrificate de fermentato laudem,
& vocate voluntarias oblationes, &
annunciate: sic enim voluistis filij Israël dicit
Dominus Deus*, vbi *Hieron.* sic ait. *Primum
historiæ fundamentum iaceamus, ô Israël
miserabilis iam tibi vicina captiuitas,
C iam Assyrius instat exercitus, fac quodlibet,
age impiè, cum idolis liberè fornicare: vt
quanto tu fueris impudentior, tanto mea
super tormenta tuis iustior videatur sententia.
Venite, inquit, in Bethel, in qua aureum
posuistis vitulum, & impiè agite in Deum,
venite ad Galgalam locum idololatriæ*, de
qua per Oseam locutus sum, cap. 9. *Omnis* Osea 9.
malitia eorum in Galgalis, & rursum in num. 15.
eodem c. 12. *Frustra erant in Galgala bo-* Osea 12.
*bus immolantes. Cumque veneritis ad Galgalam,
multiplicate præuaricationem, quid-
D quid enim ibi egeritis, præuaricatio contra
Deum est, & afferte victimas, ne in scelere
sit vlla dilatio, cumque hoc feceritis impietatem
vestram omnibus nunciate, vt non
solum fecisse, sed & alios docuisse videamini,
hæc autem præcipio, & imperatiuo modo
loquor, vt vestræ satisfaciã voluntati, quia
sic egistis, & sic voluistis, quapropter ego dedi
vos in stuporem gentium*, vt LXX. transtulerunt,
*& feci indigentiam panum. Cumque
hoc fecerim non puniens, sed occasionem
tribuens pœnitentiæ, nec sic quidem
E estis reuersi ad me, quæ vniuersa feci non ob
crudelitatem, & sæuitiam, sed, vt conuerteremini
ad me iuxta illud, quod scriptum
est Ierem. 2. Frustra percussi filios vestros,* Ierem. 2.
disciplinam non recepistis. Sic ille. Ex quo num. 30.
loco duo colliges, primum quidem permisisse
Deum liberè per omnia scelerum
genera euagari Israëlem, idque notum voluisse
Deũ, vt omnibus pateret iustè fuisse
punitos, & Deum sceleribus prouocatum,
non

non vtcunque, sed ad multam iracundiam, & districtam iustitiam, deinde vero ea mente Deum talia supplicia inflixisse, veluti inuitum & irritatum, vt filij Israël resipiscerent, & ad meliorem mentem redirent, agerentque pœnitentiam, non vero vt eos destrueret & perderet.

Est optimus pro hac re locus apud aliud Canticum Moysis, vbi sic ait: *Si acuero, vt fulgur gladium meum, &c.* *Deut.32. num.41.* Loquitur vero in persona Dei, & eleganti similitudine nobis ostendit quis illi gladium subministret vt in nos sæuiat, dum illum fulgur vocat, quo si Philosophos consulamus apud *lib. Meteororum in curs. Conimb. tract.2.cap.4.* inueniemus fulgur non esse aliud quam exhalationem in nube accensam, & igneo colore tinctam, quę accensio potissimum fit vehementi spiritus collisione, non semper autem hæc deflagratio contingit, quia non semper materia ad ardorem concipiendum idonea est, quare nec semper ante tonitruum nubes fulgurant: materiam itaque fulguri subministrat terræ siccitas, exhalationem sursum mittendo, vt accendatur, sic itidem & gladio Dei quem ipse fulgur appellat materiam subministrat terræ iniquitas, & hominum malitia, quæ ipsum cælum petit, Deum prouocat, & diuinam iustitiam compellit; illud vero annotandum est, quod licet cælum petant peccata nostra, gladiúmque ad nostram punitionem subministrent, non tamē illum statim arripit diuina iustitia, sed potius claudit, aut recludit in thesauris suis, vt tandem velut inuitus arripiat, hoc enim videtur significare Metaphora thesauri, qua in hac materia sæpè vtitur Scriptura, præsertim vero *Rom.2.* vbi dicitur: *Thesaurizas tibi iram in die iræ.* *Rom.2. num.5.* Circa quæ verba, *Gregor. homil.13.in Ezech.* ponderat significari ibi Dei patientiam, & longanimitatem, qua nos peccatores expectat, vt tandem conuertamur, & resipiscamus, quod optimè prosequitur *Philo* ponderans illa verba *Deut. Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* *Deut.32. num.34.* Vbi ostendit Deum clausa habere multa nostra peccata, ne contra nos exeant in nostri punitionem, at vero libenter & ex propria bonitate sua aperire thesauros beneficentiæ suæ, sic enim habet *lib. leg. alleg. ante medium.* Pulchram, conuenientémque precationem vnà cum Moyse precabimur, vt nobis Deus aperiat suum thesaurum sublime illud refertúmque diuina luce verbum, quod supra vocauit cœlum, in quibus autem mala reconduntur, occludat, sunt enim, vt bonorum, ita etiam malorum thesauri apud Deum, sicut habetur in magno Cant. Nonne hæc collecta sunt apud me, & obsignata in thesauris meis, in die vltionis, quando lapsus fuerit pes eorum, vides thesauros esse malorum? Et bonorum quidem vnicus, quoniam enim Deus vnus, etiam thesaurus bonorum vnus, multi vero malorum, quia & peccatores immenso numero, sed hic quoque considera, eius, qui est bonitatem bonorum quidem thesaurum aperit, contra malorum claudit, astringitque: est enim Dei proprium bona offerre, & præuenire nos liberalitate, mala vero non facilè immittere. Moyses vero exaggerās etiam Dei liberalitem, & gratificandi studium non solum reliquo tempore ait. Thesauros malorum obsignatos, sed, & cum omnia lapsa fuerint in via rectæ rationis, quando merito pœna digna videri poterat, ait enim in die vltionis obsignatos malorum thesauros: docente diuino eloquio, quod ne in peccantes quidem confestim Deus animaduertit, sed indulget tempus ad pœnitentiam, & errati curationem. Sic ille, qui eleganter ostendit subministratum Deo à nobis districtum gladium in nostri occisionem, à diuina bonitate non solum vagina recludi, sed etiam in thesauris recondi ne contra nos exeat, solúmque beneficentiæ thesaurum perpetuo patere, vt inde etiam nobis nolentibus bona decidant, & proueniant.

Neque vero omittendum est hoc in loco, quod Deus vltrò miserias nostras misericors ipse quærit, vt alleuet, & à peccatis nostris quæsitus, & prouocatus inuitus tandem venit. Pro qua sententia videndus *Chrysolog. ser.18.* vbi quærit à quo inuitatus fuerit Christus Dominus, quando venit in domum Petri febricitāte eiusdem socru, & iacente in lecto, dicitque morbum, & miseriam ægrotantis mulieris ipsum inuitasse, & adduxisse, *Vidit,* inquit, *socrum eius iacentem, & febrientem.* *Matt.8. num.14.* *videtis quæ res ad domum Petri inuitauerit Christum, vtique non discumbendi voluptas, sed iacentis infirmitas, non prandendi necessitas, sed salutis occasio: in domo Petri non vina, sed lacrymæ fundebantur: turbabat ibi familiam non cura conuiuij, sed cura languentis, vnde illuc non epulas percepturus, sed vitam redditurus intrauit.* Sic ille.

Similia habet *Cyrill. lib.2. in Ioan. c.124.* *Ioann.5. num.6.* vbi ponderat Deum in carne quæsiisse

para

paralyticum, & ei vltrò obtulisse sanitatem non aliunde prouocatum, quàm à miseria iacentis hominis tandiu in lecto, qui igitur tam misericors nostras quærit, vt curet miserias, à nostris iniquitatibus quæsitus diu expectat vt parcat: sæpe prouocat vt indulgeat, clauditque ne tandem puniat.

Vnde cum Deus misit Ionam prædicaturum Niniuem, quasi assignans causam, & materiam subuersionis proponendæ, vt ab ipso Deo intentam ait illi:

Ionæ 1. num. 1.

Prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me, quasi Deum nihil minus cogitantem quam de pœna, & supplicio, scelera à Niniuitis patrata in eorum vindictam excitauerint, & impulerint; cunctatur enim numinis natura ad pœnas sicut dixit *Plutar. lib. de sera numinis vindicta*, quod etiam præclarè ostendit Deum contra naturam suam supplicia, & mala hominibus inferre, quæ enim contra naturam mouentur, tardius cientur, quam, quæ motu naturali, & ideo cum Deus velox sit in miserendo, & benefaciendo, tardus nimis est in puniendo.

Primum illud notauit *Bernard. serm. 3. super missus est*, vbi ponderat ea verba Angeli,

Luc. 1. num. 28.

Dominus tecum. Ita ne, ait ille, velocior Angelo fuit Deus, vt festinante nuntio velocius ipse præueniret ad terram? Etenim cum diuina misericordia miseris hominibus in peccato iacentibus vellet succurrere, tanta celeritate ad assumendam carnem nostram descendit de cælo, qui nusquam deserit cælum, vt ipsum Angelum præuenerit, ideo præsentem inuenit, & dicit iam Angelus per illa verba, *Dominus tecum.*

Prosequitur acutè sanè eandem sententiam idem *Bernard. serm. de conuers. Pauli*, vbi ponderat ea verba *Actor. 9.* vbi Luc.

Actor. 9. num. 3.

ait: *Subito circumfulsit eum lux de cælo*, quæ verba summam indicant celeritatem cælestis lucis, quæ quia nondum ingressum inuenerat ad illustrandum animam Pauli, corpus saltem ambiebat, vt vbi primum assensum ipse præberet vocanti Deo, secum inueniret diuinæ gratiæ illustrationem. *O verè*, inquit *Bernard. inæstimabilis diuinæ dignatio pietatis. Illustrat cælesti fulgore vel à foris, intus adhuc luminis incapacem, qui necdum infundi poterat, diuina saltem circumfunditur claritate. Verè deprehensus est Saulus, non est dissimulandi locus, non est facultas vlla negandi.* Sic ille. Etenim propitiatio diuina, & Dei nostri misericordia super Cherubinos sedet, qui expansas habent alas, vt subueniant,

A & ante adueniant quam accipientur, ac præ foribus præstolatur diuina misericordia, vt in animæ domo recipiatur.

E contra verò ad puniendum iustitia diuina tardo, ac lento gradu procedit, quod probat *Philo*, si tamen rectè ei licetur *lib. quod Deus sit immutabilis*, vbi non veretur dicere antiquiorem esse Dei misericordiam ipsa Dei iustitia, non quod in Deo vnum esse possit alio antiquius, sed quia Deus ita celeriter miseretur, & tarde punit, vt quando iustitia in pœna cerni- B tur antiquissima iam videatur Dei misericordia, quæ in diuinis beneficiis apparet, qua quidem tarditate Deus ostendit se punire noluisse, qui enim tarde punit, diu noluit, & prouocatus accedit, quod eleganter probat *D. Greg. 9. moral. cap. 12.* vbi explicat illa verba Isai. 42. *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar,* Isai. 42. num. 14 *dissipabo, & absorbebo simul.* Ait ergo *Greg.* parturiens cum dolore eiicit, quod diu in abditis cum pondere portauit: post longum ergo silentium sicut parturiens C Dominus loquitur, quia quod apud se tacitus tolerat, in vltione quandoque iudicii, quasi cum dolore manifestat, vbi *Greg.* ostendit prinsquam Deus puniat diu silere, tolerare, & dissimulare, donec tandem iustitiam exerat, & supplicium inferat, qua de re plura habet *Chrysostom. tom. 5. hom. 29. & 35.*

Et pro eodem argumento facit id quod Deus de Salomone dixit parenti suo Dauidi, 2. *Reg. 7. Si inique aliquid gesserit,* 2. Reg. 7. num. 14. *arguam eum in virga virorum, & in plagis* D *filiorum hominum*, vbi Hebraice habetur, *in virga orezim*, hoc est hominum languidorum, seu imbecillorum, seu senum, qui propter infirmitatem vix incedere, ambulare, virgamve manu tenere possunt, aut quempiam tangere, nedum verberare. Ideóque olim ciues Bethuliæ Deum sic deprecabantur: *Tu, quia pius es miserere no-* Iudit. 7. num. 20. *stri, in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te.* Iudicabant enim Dei flagellum mitius, quam hominum, & propte- E rea illo potius, quam hominum feriri precabantur, quod nos etiam postea prosequemur.

Quod si tandem ad puniendum Deus lento gradu procedens accedat in ipsa discussione, intelliges potius velle parcere, quam punire. Multa quidem in Adæ peccato ipsum maximè aggrauabant, etenim *D. Bonauent. & Scotus in 2. d. 21. & 22.* existimant fuisse inordinatum amorem

rem erga coniugem, D. Thom. 22.q.163. docet fuisse superbiam iuxta Ecclesiast. c. 10. & Tobiam c.4. quam etiam sententiam tenet Aug. 14. de ciuitate Dei cap. 138. de Gen. ad literam c.53. & lib. 11. c.30. & in Enchirid. cap. 45. & Basil. orat. quod Deus non sit Author malorum, & Chrysost. hom. 16. in Gen. Leo serm. 5. de Natiuit. Prosper. 2. de vita contemplat. c.19. Fulg. 2. de incarnat. & grat. Christi c.22. Gregor. 4 moral. c.9. & post superbiam incidisse in infidelitatem cõmunis sanctorum Patrum sententia est, quos congerit. Card. Bellar. lib. 3. de amissione grat. & statu peccati c. 6. tom. 4. vbi multus est pro hac sententia; interuenisse etiam ibi inobediẽtiam probationem non indiget, cum ergo hoc ita sit, Deus vocans ad iudicium Adamum, id tantum protulit, quod in peccato leuius videbatur: *Quis*, inquit, *indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod de ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* Vbi videndus Caietanus qui sic pro re nostra habet. Aduerte, quod quum notitia nuditatis potuisset ex diuersis peccatis causari, non interrogauit in specie de quocũmque grauiori peccato, sed de minimo, omissis enim peccatis contra ius naturae, & contra credenda, interrogauit tantummodo de peccato contra ius positiuum vnicum, quod tunc erat latum, &c.

Genes. 3. num. 11.

Prosequitur hoc argumentum *Chrysostomus homil. 7 ad populum.* vbi inter alia, quę mox dicemus ita habet. Ipsum prior, ipse vocauit, anxietatis multum appellationi recidens, & expellens timorem, osque per hanc aperiens appellationem, & considera curam, non Euam vocauit, non vocauit serpentem, sed qui omnium leuissime peccauerat, hunc iudicio primum accersit, vt ab eo incipiens, qui aliqua potest venia potiri, etiam in eam, quae multum peccauerat mitiorem ferat sententiam, nec hoc tantum est admirabile, sed etiam quod commissa corrigit. Haec ille. Ex quibus iam inferes quam remissè, lenter, & veluti contra innatam bonitatem Deus ad puniendum accedat, qui tandem ad nos sagittas irae suae immittit, quia nos ad ipsum irritandum prius mittimus innumera peccata, quae contra ipsum committimus.

Nisi fortè ideò dicitur Deus misisse iram suã, quia cum Pharaonem, & totum exercitum suum extinxit, id potius voluit irae veluti iustitiae suae instrumento tribuendum, quam Deo ipsi immediatè,

A qui in mediis suppliciis misericordiae recordatur, nec patitur diuina misericordia vsque ad internecionem omnino saeuire, ideoque dicitur ita missa, non Deus abiisse, qui in mediis suppliciis, non continet misericordias suas, sed misericordiae recordatur, & fortè hoc subnotauit idem Dominus in idolis, quando vt homines ab eis auerteret dixit. *In similitudinem palmae fabricata sunt*: Pulchram palmę descriptionem habes apud Aul. Gell. lib. 3. c. 6. vbi ex Aristot. in 7. problemat. ex Plut. B in 8. sympos iacorum, sic eius naturam refert. Si palmae arboris ligno magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, onerésque, vt magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec intra flectitur, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur, recuruaturque. Propterea, inquit Plut. in certaminibus palmam signum esse placuit victoriae, quoniam ingenium eiusmodi ligni est, vt vrgentibus, opprimentibusque non cedat. Ecce palmae natura, & ingenium minime C cedere, aut flecti aliqua re super posita: hanc naturam induunt idola, quae minime flecti possunt precibus nostris, calamitatibus nostris, nostrisque aerumnis propositis, & ideo neque Dij sunt, Deus enim vel inflicto supplicio condolet, vel audito gemitu consolatur, vel conspecto vulnere medetur, ligat, ac fouet.

Ierem. 10. n. 5.

Quod vero haec nostra expositio textui admodum conueniat probat, & LXX. dum habent. *Argentum tornatile sunt.* Et Chaldaeus Paraphras. dum sic legit. D *Opere ductili exiguntur*, argentum vero neque flectitur: neque blanda viscera habent, quae ductili opere constituant, quod magis explicat *Brixian.* dum ait: in similitudinem palmae regida stant. Solus proinde verus Deus flectitur, & supplicio inflicto commouetur, ne vlterius saeuiat, & vt quam citissime medeatur.

Vide igitur qualiter commotus fuerit dum primis parentibus supplicium infert, & orbis monarcham pellitum veluti E metallo tradit poenae, vt enim ipsum vidit statim dixit. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis*, quae verba non sarcasmum continent ex sententiã *Tertull.* sed commiserationem, & supplicij leuamen, sic enim habet *lib. 2. contra Marc.* spes ei salua est de futura, scilicet adiectione hominis in diuinitatem, quasi dicendo, Ecce Adam quasi vnus ex nobis illi ab honore deiecto promiserit futurum honorem, & ele-

Genes. 3. num. 22.

Mm uatio

uationem humanæ naturæ, vsque ad consortium diuinæ naturæ, cui vnita est in vnitate personæ Verbi, per quam Verbum factum est caro, & homo factus est Deus, & *lib. de resurrectione carnis, c. 63.* Iterum eandem expositionem affert cum dicit. Vt rursus ex illa (scilicet terra) repræsentetur Adam auditurus à Domino. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*, vere tunc compos mali, quod euasit, & boni, quod inuasit; non instar palmæ immobilis permansit verus Deus, dum in primum peccatorem fremit, sed visa eius miseria flectitur, vsimque ad diuinitatem vsque promissum eleuat, flectitur vt iacentem naturam ad diuinam Verbi personam erigat, & licet hominem eiecerit e paradiso, tamen vestiuit, & obtexit pelliceis vestibus, siue vestimento honoris, vt habet Chaldæus, remouens ea perizomata, quæ ipse sibi ex deformibus ficulneæ foliis consarcinauerat, vbi *Oleast.* ait. Docet locus iste prælatos non solum castigare subditos suos, sed etiam amoris signa castigatis ostendere, nam etsi peccator puniendus est, homo tamen fouendus & honorandus, &c. Videndus *August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 14.* vbi ait, quemadmodum medici cum alligant vulnera, non incomposite, sed apte id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiam consequatur, sic medicina sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, &c.

Denique is, qui filij nuditatem non sustulit, cum sustulerit eius crimina, sicut notauit *Chrysolog. serm. 3. de prodigo*, vbi ponderat patrem prodigi dixisse seruis.
Luc. 15. num. 22. *Citò proferte stolam primam*, & qui ante vestiri voluit filium, quam videri, & appositis brachiis visceribus pietatis induir, dum intimo corde, ac pectore recondere nititur, quomodo posset videre pellibus indutum, perpetuis laboribus addictum hominem, quin illi subueniret, & hanc veluti consolationem sibi inueniret dum miserum subleuaret, & supplicium supremi beneficij promissione condiret, ac dilueret.

Hanc ipsam Dei flexibilitatem, & pronitatem ad miserendum ostendit Filius Dei in carne, ad quem cum adducerent mulierem comprehensam in adulterio,
Ioann. 8. num. 6. nihil prorsus respondit, sed *inclinans se digito scribebat in terra*, quibus omnibus alienum à cædibus animum afferebat, neque enim ad iudicandum paratum se exhibebat Filius Dei inclinatus, sed ad mi-
A serendum: notauit hoc eleganter *Chrysolog. serm. 93.* in eo, quod peccatrix mulier tunc *accessit retro*, ad impetrandam peccatorum absolutionem, cum accubuisse cognouit Christum seruatorem in domo Simonis. Non ad stantem, inquit ille, non ad sedentem audet venire peccatrix, Deus cum stat corripit, cum sedet iudicat, prostratis coniacet cum decumbit, vt cognouit quod accumberet Dominus in domo Pharisæi inclinem ad miserandum supernam didicit maiestatem, & ideo credidit Luc. 7. num. 37
B quod esset ad veniam sibi promptus, qui Pharisæi venerat tam promptus ad mensam: etenim inclinati tunc, & recumbentes prope mensam adorant conuiuæ, & ideo inclinatum adit peccatrix Dominum veluti sibi accommodatum.

Et hæc videtur fuisse mens Iacobi, cum de eodem Messia seruatore verba faciens dixit *Genes. 49. Catulus leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti*, sed nondum prædam ab eodem captam decantat, at vbi accubuit, & inclinatum prædicat tunc Gen. 49. num. 9.
C cætera bona proponuntur: *Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit te?* Tunc enim prædam eripuit à faucibus leonis, cum leo de tribu Iuda accubuit inclinatus, *Et inclinato capite emisit spiritum.* Ioan. 19. num. 30.

Prostratum iacebat miserum genus hominum, at surrexit à peccato, cum Filius Dei in carne, & verus leonis catulus de tribu Iuda, vt mansuetus agnus sese inclinauit ad subeunda tormenta, & inclinato capite animam suam pro nostris liberandis emisit, quod suo modo percepisse
D etiam visi sunt ethnici apud quos diuinitatis insigne semper extitit fulmen, vnde olim nullum manifestius signum extitit, vt Iupiter cognosceretur, quam fulmen eius manu prætentum, vt ostendit *Pier. Valer. lib. 43. tit. de fulmine*, quod igitur diuinitas inclinata post carnem assumptam pietatis, & clementiæ signum fuerit, ostendit idem auctor cum ait. In Antonini Pij, atque etiam in aliquot Neruæ nummis cernere est fulmen in thoro col-
E locatum, quod manifestum, & pulchrum admodum est clementiæ signum, arguit enim offendendi potestatem penes ipsum Imperatorem esse, verum ob eius clementiam, quiescere.

Vide igitur quid aliud voluerit protendere diuina bonitas, cum ablata muliere, vt de ea ferret sententiam se se inclinauit, nisi parcendi indolem, & procliue ad indulgendum ingenium Christi Domini, qui

qui non instar palmæ rigidus, & immobilis staret, sed miseraturus flecteretur, vnde D. Thom. ibi ait. Ideo id fecisse, vt significaret mollitiem, & dulcedinem nouæ legis per eum traditæ, terra enim ad quam se inclinauerat Dominus, mollis est, sed lex vetus in lapideis tabulis scripta erat, nam vt habetur *Hebræorum* 10. *Irritam, quis faciens legem Moysi absque vlla dubitatione occidebatur.* Digito autem sententiam exaratam, & in terra nostræ fragilitatis, & flexibilitate digiti non posse non esse benignitate plenam ostendebat.

Hebr. 10. num. 8.

Sed audiamus *Ambros. epist.* 76. vbi sic ait. Vide lector diuina mysteria, & clementiam Christi, cum accusatur mulier, caput Christus inclinat, eleuat autem vbi defecit accusator, ita nullum damnari vult, absolui omnes, &c. Sed & *Caiet.* ait ibi. Officium iudicis recusauit exercere, quia non venit, vt iudicet mundum, officium verò Saluatoris exercet monens, vt amplius non peccet. Quodque magis hac in re notandum censeo non fuisse inclinatum precibus, aut lacrymis mulieris, sed se ipsum inclinasse mulieris fragilitate, veluti pondere superposito, vt parceret, idque eo libentius, quo statim ad terram, & puluerem nostræ mobilitatis symbolum descendit, vt ibi facilius inueniret vnde illius misereretur. Quid mirum proinde si palmam ducat de fugientibus accusatoribus inclinata misericordia Dei, quæ falsos Deos ostendit, quos Gentilitas colit, cum instar palmarum rigidi, & inflexibiles persistant, neque vnquam inclinentur?

Quoniam vero Dauid factus est secundum cor Dei, ab eo veluti in figura, & vmbra possumus Dei nostri naturam, & indolem hac in re indagare, is igitur congregato exercitu aduersus rebellem, & execrandum filium, *Dedit tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai, & tertiam partem sub manu Ethai. Dixitque Rex ad populum: egrediar, & ego vobiscum. Et respondit populus, non exibis, siue enim fugerimus, non magnopere ad nos de nobis pertinebit, quia tu vnus pro decem millibus computaris; melius est igitur vt sis nobis in vrbe præsidio*, at vero *Theodor. quæst.* 34. *in* 2. *Reg.* aliò rem diuertit, asseritque ducem exercitus prohibuisse Regem ne belli socius esset. Anxius, inquit, ne si vicisset misereretur tyrannis, scilicet Absalonis, quantumcumque enim improbus, inobediens, fratricida, & parricida esset filius, is tamen qui

2. Reg. 18. n. 2.

A secundum cor Dei factus erat, si filium vicisset, victumque vidisset, offensarum penitus oblitus in oscula potius rueret, quam in vulnera, & pro laqueo brachia in collum porrigeret, quod probat luctus patris post mortem inobedientis filij. Facit pro hac sententia locus ille, vbi Elias in cælum ascensurus dixit Eliseo. *Postula, quod vis, vt faciam tibi antequam tollar à te.* dixit Eliseus, *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus, qui respondit, rem difficilem postulasti, attamen si videris me quan-* B *do tollar à te erit tibi quod petisti.* Difficultas in eo esse videtur, quod cum facilem optionem petendi proposuerit magister, *postula quod vis*, difficilem statim reddit petitionē de duplici spiritu, & licet multi multa hac in re dicant, placet in præsenti *Theodor. quæst.* 7. *in* 4. *Reg.* vbi pro eo, quod habemus *rem difficilem postulasti*, legit, *obdurasti, vt peteres*, quasi durum quid, & acerbum petierit Eliseus, & hoc difficilem reddiderit petitionem, ait deinde *Theod.* Hoc dixit non inuidens gratiam discipu- C lo, sed curam gerens aliorum hominum, nam quia tribus annis, & sex mensibus impiè se gerentes fame castigauit homines: necesse autem erat, vt qui duplicis erat hæres gratiæ, res efficeret duplo maiores, ex iis autem erat pœna, quæ erat irroganda per famem ei parcens dixit: *Obdurasti vt peteres*, hoc autem discimus etiam ex historia, nam septem annis illatum fuit supplicium per famem. Sic ille, qui eleganter duplicem spiritum petitum ab Eliseo ponit in duplici, & maiori vir- D tute, & potestate puniendi, & sicut Elias tribus annis, & sex mensibus clausit cælos, ne pluerent, vt patet. 3. *Reg.* 17. & 18. sic Eliseus inducere famem duplo maiorem scilicet, septem annis 4. *Reg.* 8. hoc igitur difficile arbitratus est Elias à piissimo Deo impetrare, induratumque vocauit Eliseum dum spiritum duplum, qui ad hoc supplicium referri posset, postulauit.

4. Reg. 2. num. 9.

3. Reg. 17. n. 1. & c. 18. num. 45.

Sed ne defectus aliquis in verbis Prophetæ reperiretur, & duram petitionem aliqua ex parte leniret, & temperaret, iussit E Eliseum sursum aspicere in cælum in sui eleuatione, vt inde à misericorde Deo benignitatem aliquam acciperet, qua duplicem spiritum puniendi emolliret: *Si videris me, quando tollar à te*, & meminerit non in spiritu grandi, & forti subuertente montes, & conterente petras esse Dominum, non in commotione Dominum, non in igne Dominum, sed in sibilo auræ tenuis, vt mihi apparuit 3. *Reg.* 19. quod cæli

3. Reg. 19. n. 11.

A explicans idem *Theod.q.57. in 3.Reg.* ait. Per hæc ostendit, quod lenitas, benignitas, clementia sola Deo grata est, qui facilè flectitur, & propterea iram mittit, vt puniat, sicut habet noster textus, ne si ipse adesset, & veniret sicut Dauid, penitus non puniret, sed totus in misericordiam effusus parceret, ac dimitteret.

Cum olim Deus immiserit pestilentiam in Israel de manè vsque ad vesperam, idque per manum Angeli iustitiæ diuinæ ministrū. *Cum extendisset manum suā Angelus Domini super Hierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti. Sufficit: nunc contine manum tuam*, in Hebræo

B

1. Reg. 24. n. 18. habetur, *Consolatus est Dominus*, quæ verba sicut notauit *Abul. ibi q.33.* referuntur ad ipsum Deum, quasi ipse consolatus sit in se, neque enim magis poterat diuina benignitas commendari, quam si eiusdem consolatio & leuamen in supplicij cessatione consisteret. Quomodo verò posset ad extremum desæuire, qui consolatus est dum Angelus continet manum, ne vlterius plectendo progrediatur.

C

Et in hoc sensu pulchrè dictum existimo iam olim à *Platone in symposio, primo dialogo de amore ex sententia Socratis diuino numine afflati*, vt ille aiebat. Amor eo die dicitur genitus ex paupertate, quādo alma Venus inter deos orta est. Pro cuius proloquij intelligentia illud aduertendum est veteres in ea fuisse sententia, vt nefas esse iudicarent naturæ arcana in vulg. proferre, qua de causa alij fabularum tegumentis, vt prisci illi suo modo

D

Theologi, inter quos nominatur Orpheus, & Musæus, alij ænigmatibus, vt Pythagorici, & Academici loquebantur secuti Babylonios, & Ægyptios, vt refert *Clemens Alex. lib.5. Stromat. & Aristot. lib.14. de sacratiori parte diuinæ sapientiæ*, si tamen is liber est *Arist. Pythagoras* quoque & post eum *Plato* data opera suam doctrinam occultarunt & ipse etiā *Arist.* multa Mathematicis collationibus, & exemplis reddidit obscuriora, quem morem inter nostros ac veteros Theologos se-

E

cutus est *Dionys. Areopag. in suis operibus*, cum deniq; communem esse inter Theologos, & in Scriptura docet *D. August.*

Apoc. 10. *lib.83.q. q.68.* super illa verba *Apoc.10. Signa, quæ audita sunt septem tonitrua noli scribere.* vbi *August.* Non veretur dicere, quædam in diuinis Scripturis obscurè dicenda esse, vt magis aliqui obtundantur, ne passim omnibus pateant mysteria Dei, qua de re videndus idem *August. lib.4. de doctrina Christiana, c.8. & l.2.c.6.*

Sic proinde *Socrates apud Platonem*, vel *Plat. ex Socrate* videtur nobis obscurè sed optimè enucleasse qualiter diuina bonitas, misericordia, & amor circa nostra mala, quæ patimur soleat affici, & compati, cum asseruit paupertatem amorem genuisse eo die, quo alma Venus edita in cælis est, neque enim existimandum est sapientissimum Philosophum talem de amore habuisse opinionem, vt existimauerit eum non fuisse venustissimum, & vetustissimum, id quod notauit *Mersil. Fecin.* ad principium eiusdem conuiuij, sed potius putauit eo die, quo vniuersa pulchritudo, cum Deo fuit (fuit autem semper) amorem etiam fuisse, quo Deus se pulchrum, & bonum perpetuo diligit, verum quoniam amor tunc maximè sentitur, vt docet *Aug. lib.10. de Trinitat.* cum eum prodit indigentia, & egestas, nostra equidem egestas miseria, labor, & indigentia diuinum generat in eo sensu amorem, & genuit etiam in cælo, quia diuina bonitas sic circa nostras afficitur miserias, vt de illarum remedio, cura, & auxilio, statim ac videt quam citissimè curet, neque possit ad illarum præsentiam continere viscera misericordiæ.

Qua de re videndus *August. serm.9. de verbis Apostoli*, vbi celebrem eum locum affert, quem celebriorem reddit summa auctoritas *D.Thom.3.p.q.1.art.3.* pro sua opinione de incarnatione diuini Verbi, qui sic habet, nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa, & in hanc sententiam rectè Rabbi Moyses *lib.1.* ductoris mihi dixisse videtur omnes creaturas in amorem tanquam in parentem referendas esse, sic enim habetur quoties in *c.1. Genes.* habetur, & *dixit Deus fiat lux*, v.g. & sic de cæteris per voliriones sunt ea imperia explicanda, namque à voluntate diuina, seu ab amore diuino omnia bona deriuantur, tanquam à principio, hunc autem amorem Dei veteres vocarunt cœlestem Venerē, vt testatur *Pier. Valer. lib.35. tit. Venus genitrix.* & sic intelligendus est *Socrates.* Nascitur itaque in hoc sensu, eo quod facile sese prodit, & accingit in nostrum remedium diuinus amor ex nostra indigentia, & miseria, cui statim diuina misericordia occurrit potius, vt auferat, quam denuò inferat, quod si forte coactus punit seipsum consolatur diuinus amor, dum

dum iustitiæ manum cessare facit, imò à punitione contrahit, bona plura larga manu largiendo.

Hallucinati sunt profectò, Scribæ, & Pharisæi dum mulierem, de qua proximè diximus in adulterio deprehensam ad Christum adducunt, vt suam proferat sententiam. *Ioan. 8. num. 5.* *Tu ergo, quid dicis? Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Vbi *Chrysolog. serm.* 115. ait. Auertit faciem suam, & declinauit in terram ne crimen cerneret, quod puniret, & maluit fratres, in puluere scribere, quam da- B re in carne sententiam; qui iudicis officium, vt damnet videtur recusare, cóque solum fungi cum bona potest largiri: in quam sententiam notandus venit locus ille *Luc.* 12. cum quidam de turba *Luc. 12. num. 13.* dixit Christo Domino. *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, at ille dixit ei. Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Super quæ verba *Tertull. contra Marc. c. 28. ex Marc.* referens ait. Ecce planè diuersum exemplum Moysis, & Christi: Moyses rixanti- C bus fratribus vltrò intercedit, & iniuriosum increpat, *Exod. 2. num. 14.* *Quid proximum tuum percutis?* Et reiicitur ab illo: *Quis te constituit iudicem super nos?* Christus verò postulatus à quodam, vt inter illum, & fratrem ipsius de diuidenda hæreditate componeret, operam suam, & quidem tam probæ causæ denegauit. Sed enim optimi, & non Iudicis Dei Christus. *Quis me*, inquit, *Iudicem constituit super vos?* Aliam vocem excusationis inuenire non potuit: quasi Christus Dominus noluerit esse Iudex ad D diuisionem, qui solus venerat ad vnionem, neque ad exercitium iustitiæ, qui solam misericordiam curabat impendere, & bonitatem ostendere.

Vel etiam hoc respondit Christus Dominus vt ait *Cardin. Tolet. annotat.* 27. vt instrueret hominem petentem, & conuerteret illum ad ea petenda, quæ præcipuè à Christo petenda erant, salutem, scilicet, ac vitam corporalem, & spiritualem, & ideò noluit se ingerere in hæc, quæ ad officium Iudicis pertinebãt, etiam- E si summam ad id haberet potestatem, & præcipuum finem, bona scilicet, largiendi, & ministrandi, in quem missus erat, vel minimum obscuraret. Et licet aliò tendat id, quod *Tertull.* eodem loco asserit, nempe ex responsione data à Christo Domino colligi eũdem esse Deum vtriusque testamenti, in hoc sensu potest intelligi, quia Filius Dei; qui Iudicis officium A exercere recusauit in vtroque casu à nobis relato, dum in carne mortali vixit idem certè cum Patre olim iudicis munus exequitur, vt bona conferat, & vt benignitatem exerceat.

Notandus pro hoc asserto est locus *Genes.* cum Eua postquam peperit Seth dixit? *Genes. 4. num. 25.* *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Caim.* vbi nomini, Deus respondet in Hebræo nomen Iudex, aduertendumque insuper est in toto capite citato, vbi de supplicio illato Caino ob ne- B cem innocentis fratris iniustissimè patratam sermo est, nusquam nominari Deum sub Iudicis nomine, cum tamen iudicium & munus Iudicis exerceret, sed tunc solum Iudicem dici, cum bona largitur, & cum alterum filium concedit loco illius, quem iniquus frater abstulerat: huius rei rationem si petas, reddit *Caiet.* ibi, quia scilicet, in punitione Caim tam parum tributum est iustitiæ, vt meritò tacitum fuerit Iudicis nomen, hoc autem in loco distributiuę iustitiæ actus subrogantis pa- C rentibus Seth pro Abele commendatur, vt hinc perpendatur, promptissimum esse Deum ad exercitium iustitiæ rependendo bonum, clementissimum autem inferendo aliquod malum pœnæ. Tantum ille, qui ex eo censet omissum fuisse nomen Iudicis in supplicio Caini, quia citra condignum multo, pœnam intulerat, non qualem exigebat culpa, & dum in hoc iudicio nusquam Iudicis nomen, & nota apparet, statim subditur dum beneficium filij suffecti loco defuncti, & ablati recen- D setur, quo nihil melius misericordem Dei naturam potuit ostendere.

Id tamen suo modo ostendit locus ille *Psalm.* vbi dicitur. Deus stetit in sy- *Psal. 81.* nagoga deorum, in medio autem deos *num. 1.* diiudicat, vbi Deus introducitur iudicans Iudices orbis, qui singuli indigent discussione, & diuinum contra se prouocant acerbissimum iudicium, vtpote qui causas pupillorum, & viduarum non iudicant, nec ingrediuntur apud illos, qui reos iniustè absoluunt, & innocentes ma- E lignè plectunt, & qui cum impio Pilato existimant potestatem habere pro libito *Ioan. 19.* dimittendi, & absoluendi, quem velint. *num. 10.* Cur ergo discussurus Deus causas Iudicum, introducitur stans, non sedens? Nam ex Scriptura nobis constat Iudices sedere, eos verò, qui sententiam præstolantur stare, *Altera die sedit Moyses, vt iudicaret. Exod.* 18. Et Debora *sedebat sub pal- Exod. 18. ma, ascendebántque ad eam filij Israël in num. 13.*

omne iudicium, & in porta dicuntur ſede-
Iud.4. re Iudices *Pſalm.68.* & cum Deus intro-
num.5. ducitur iudicaturus orbem in extremo iu-
Pſal.68. dicio dicitur, *Sedebit ſuper ſedem maieſta-*
num.13. *tis ſuæ*, quod verò, qui ad iudicium addu-
Mat.25. cuntur, ſtent, probatur ex eodem loco
num.31. *Exod.* cum Iethro ait genero ſuo Moyſi,
Exod.18. *Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſto-*
num.14. *latur de mane, vſque ad veſperam? Hebr.*
Leuit.19. habetur, *Et omnis populus ſtat, & non eris*
num.16. *criminator, nec ſuſurro in populo, non ſtabis*
contra ſanguinem proximi tui, quæ verba
poſtrema continent Hebraiſmum, prohi-
béntque non ſolum, vt non occidat quis
proximum, ſed neque etiam ſit cauſa mor-
tis illius in iudicio nequiter procurando,
Abdias & *Propter interfectionem, & iniquitatem in*
num.11. *fratrem tuum Iacob in die cum ſtares ad-*
uerſus eum, vbi explicat cauſam ſecun-
dam vaſtitatis Idumæorum, propter ini-
quitatem in fratrem ſuum Iacob, de qua
multos ante annos à Dauide dictum fue-
Pſal.13. rat, *Memor eſto Domine filiorum Edon in*
num.67. *die Hieruſalem, qui dicunt exinanite, exi-*
nanite, vſque ad fundamentum in ea. Ita-
que ſenſus Abdiæ deductus ex verbis Da-
uid eſt, tu cum deberes opitulari Iacob,
contra eum velut contra offenſorem iuſti-
tiam proclamabas ſtans aduerſus eum.

Sedent itaque Iudices, ſtant verò iudi-
candi, & qui in iudicio quomodolibet
conueniunt, ſolus Deus dum impios Iudi-
ces iudicat, ſtat, non ſedet, vt obiter vi-
deatur exequi officium ſuæ benignitati
oppoſitum, ſtat quaſi inde quam citiſſimè
profecturus, ſtat potius auxiliaturus vt
miſericors Pater, quam puniturus vt Iu-
dex, ſtare enim ſignum iuuantis eſt, vt no-
tauit *Ribera in c.8. Amos n.1.* & ex *Gregor.*
probat, qui ſic interpretatur illud, cum
Stephanus, *vidit Filium hominis ſtantem*
à dextris virtutis Dei, qui etiam viden-
Actor.7. dus eſt hac de re *lib.1. in c.1. Reg.* vbi ait.
num.56. Patiente Stephano apertis cælis Ieſum
ſtetiſſe, quoniam ſtare eius, compati eſt, &
Bernard. ſerm.5. ſuper verba Iſaiæ Vidi Do-
minum à ſedentem, ait. Stabat Chriſtus ad-
iuuans illum, Stephanus ſtantem vidit,
quem habuit adiutorem, ſic Propheta in
adiutorium cum ſeipſe precatur, cum
Pſal.43. ait; *Exurge Domine, adiuua nos*; & Ange-
num.23. li ſtare dicuntur, ſic etiam Moyſes in
confractione in conſpectu Domini ſtetit,
vt auerteret iram Deus.

Neque verò inauditum erit, ſi Deum
propterea ſtantem in iudicio cernamus,
quia celeriter, & obiter ſupplicia infert,
ſi aduertamus ſupplicia à Deo illata in

A Scriptura per tranſitum nobis ſignificari,
& proponi, quod notauit *D.Hier. in c.10.*
Oſeæ, vbi ait verbum tranſire maximè
cum à Deo profertur ſemper plagas ſigni-
ficare: Denique, inquit ille, & extermina-
tor in Ægypto tranſiiſſe memoratur, &c.
idémque notat in *cap. 8. Amos* ibi. *Quia* Amos 5.
tranſibo in medio tui, & certè illud, *Ego* Oſeæ 10.
tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius, ad num.11.
ſupplicium refertur, vnde *Theod.* ibi ait.
Ego collum eius ſuperbum, & contumax
domabo, & *Ribera* explicat de plagis, quas
B Iſraël ab Aſſyriis recepit tépore Zachar.
Regis, de quibus *4.Reg.15.& 16.& 2.Pa-*
ral. cap.30. rémque conficit locus ille,
Exod.12. vbi Dominus iuſſit aſſumi faſci- Exod.12.
culum hyſſopi tinctum in ſanguine agni num.22.
Paſchalis, & aſpergi ſuper liminare, &
vtrumque poſtem, item vt nullus egrede-
retur oſtium domus ſuæ vſque manè ad-
ditque, *Tranſibit enim Dominus percutiens*
Ægyptios, ſuper quæ verba *Rupert. libr.2.*
in Exod. cap.3. duo aduertit: in primis
ſcilicet Angelum fuiſſe percuſſorem, non
C ipſum Deum, deinde tranſeundo percuſ-
ſiſſe, deinde ait.

Non per ſemetipſum percutit, ſed po-
teſtatem dat Angelo percutienti malo,
ſicut *Pſalmiſta* teſtatur, cum dicit: Mi- Pſal.77.
ſit in eos iram indignationis ſuæ, indi- num.49.
gnationem per Angelos malos. Ergo nec
in ſubita Dei, ſed miſſa in eos ira indi-
gnationis eius, quæ tranſit: Ecce mini-
ſter iuſtitiæ non ſedendo iudicat, non
permanenter percutit, ſed tranſeundo
occidit, & veluti obiter ſtatim inde pro-
D fecturus.

Ex quibus fit conſequens, quod ſi Deus
ſtat in iudicio veluti obiter, & per tran-
ſennam id facturus, ſi dum punit, & ſup-
plicia infert, id tranſeundo, ſeu per tranſi-
tum facit, ne conſulto, & lentè id facere
videatur, propterea que mundi nem ſuam
ad deuorandos Ægyptios dicitur, ne forte
eorum miſereretur dum pœnas cerneret,
ipſiſque opitularetur dum puniret, & qui
tranſit dum percutit, quomodo ad percu-
tiendum proficiſceretur?

E Quod ſi obiicias Deum ad Adam poſt
peccatum veniſſe, vt morte damnaret, vt
pœnas infligeret, vt perpetuò totius vitæ
adſtringeret ſupplicio, abſconditumque
quæſiiſſe, & ad iuſtitiæ tribunal vocaſſe
puniret. Aduertat in primis id quod ſacer
textus habet *Geneſ.3.* Deambulantem ac- Geneſ.3.
ceſſiſſe lento gradu, non volantè, aut præ- num.8.
cipiti curſu cucurriſſe, deinde poſt meri-
diem, ſeu ad veſperam iam ferè, non manè
aut

aut diluculo, tandem ad auram, seu, vt est in *Hebraor.* contra ventum, vt venti violentia eius impetum retardaret, vel certè vt conceptum irę ardorem lenis aura ventilaret, deinde etiam, audiat *Chrysost.* vbi, & altero loco multis omissis sic dicentem. Et in primis *hom. 7. ad populum*, postquam Adam peccauit, nunquid ipsum omnino perdidit? Et quidem iustitiæ ratio hoc exigebat, non facit Deus, sed ad ipsum venit, sicut ad ægrotum medicus, & cogita quale est, nec Angelum, nec Archangelum, vel vllum alium illius conseruorum misisse, sed ipsummet Dominum, ad collapsum descendisse, & iacentem releuasse, & solum ad amicum malefacientem, & in magna constitutum procella deuenisse, non dixit sicut par erat iniuriam passum dicere. O scelerate, & scelestissime, &c. à prima voce ipsum statim erexit, & iacentem, timentem, & trementem confidere fecit, prior eum vocans ipse, & non tantum prior vocans, sed ex suo nomine Adam vbi es? Non sicut odio habentes, nec nomina eorum, qui se læsere tolerant nominari; ideò Saul non dixit, vbi est

1. Reg. 20. n. 27.

Dauid: *Sed vbi est filius Isai* à patre ipsum vocans, & Iudæi in Christo idem faciunt, quoniam ipsum oderant, non dicunt vbi

Ioann. 7. num. 11.

est Christus, *sed vbi est ille?* Sed Deus in hoc demonstrare volens, quod nec peccatum amorem extinxit, nec ob inobedientiam suam in ipsum beneuolentiam sustulit ait, *Adam vbi es?*

Similia hac de re habet *homil. 17. in Genes.* vbi inter alia sic ait: *Vide in breui hac dictione, Adam vbi es? Quanta vis recondita sit, nam & ipsum vocare magna, & ineffabilis est misericordia, tum ob benignam interrogationem, quâ erubescentem, & neque os aperire, nec linguam mouere audentem, animabat: tum quod ipsum dicere, vbi es? plurimam habet misericordia vim. significat enim, quasi ita diceret ad illum, Quid factum? In alio te loco reliqui, in alio te inuenio: alia gloria vestitum te reliqui, nunc in nuditate te inuenio. Vnde tibi hoc accidit? Quis te in tantam induxit vicissitudinem? Quæ repentina hac mutatio? Vide excellentem misericordiam, & patientiam Domini, nam cum poterat ne responso quidem dignare eum, qui peccauerat, sed statim pœnam illam infligere, quam prius statuerat preuaricaturo: longanimis tamen est, & suffert, & interrogat, & responsum accepit: & iterum interrogat, quasi ad defensionem eum prouocans; vt arrepta occasione etiam post tantam preuaricationem, suam erga illum misericordiam declararet.* Sic *Chrysost.*

Cui addendus *Masius in cap. 7. Iosue*, vbi aduertit moras, quas Deus fecit, & circunstantias, quas permisit in puniendo Achan, & tandem ait. Si quis existimet ideò gradatim vniuersitatem ad pauciores contrahi voluisse Deum, & postremò deduci ad singulos, vt is, qui in noxia se esse non ignorabat, cum se continuò peti, primum in tribu, deinde in gente, mox etiam in familia, neque iudicium diuinum vlquam abertare videret, vltrò se ipse supplex proderet, priusquam à sorte nominatim proderetur, veniámque oraret, cui etiam tum planè fuisse locus: illi ego non repugnauero, quippe qui nulla re magis, quam misericordia Dei per omnem occasionem prædicanda delecter: qua, vt mortales omnes, ita ego in primis maximè opus habeo. Sic ille.

Et pro huius rei complemento videndus *Clemens Alexand. orat. exhortat. ad gentes*, vbi similitudinem affert petitam ab auibus quibus si pullus è nido, casu aliquo decidat statim ad ipsum auolant, & toræ, veluti ad causam filij contremiscentes minimè quiescunt, donec scapulis etiam suis deferant ad locum pristinum vnde exciderat. Ita Deus, inquit ille, suum quærit figmentum, & ei, quod lapsum est medetur, & fetam persequitur, & pullum in nidum recipit, iniuriæ acceptæ obliuiscitur, & adhuc miseretur, adhuc postulat pœnitentiam, & dum in illud iustum exerit iudicium, & promeritam fert sententiam magnam sanè conditam cernes benignitate, ait enim, *puluis es, & in pul-* Genes. 3.
uerem reuerteris, quibus verbis, & finem num. 19.
prædicit malorum, quibus amissa originali iustitia addictus remanebat, ne tandē desperationis incurreret naufragium, si ea perpetua recoleret, & reputaret, deinde, & collyrium adhibet cæcitati, quæ ex peccato aduenerat Adamo, quantum- Genes. 3.
cunque ei oculi aperti essent, nempe num. 7.
principium suæ conditionis ex terra, ne fortè eleuaretur, & posteà grauiori rueret lapsu, vnde & *Bernard. serm. de Sancto Martino*, expendens prædicta verba ait. Grauis equidem sententia, sed non sine grandis misericordiæ temperamento: dura admodum sed merita pensis, indulgentiæ plena, siquidem non minus iustè peccanti diceretur terra es, sed ex hoc sub terram ibis. Sic ille.

Denique dum Adamum eiicit è para- Genes. 3.
diso voluptatis addunt LXX. & collocauit num. 23.
eum

eum ante paradisum voluptatis, seu, vt legit *D. Chrysost.* & habitare eum fecit è Regione horti delitiarum, rationémque reddens huius rei ait, *homil.18. in Genes.* Animaduerte, inquit, quod Dominus noster in singulis operibus misericordiæ argumentum ostendit, & singulæ pœnarum species bonitate plenæ sunt, non enim hoc solum misericordiæ, benignitatis argumẽtum erat, quod eiiciebat, sed etiam, quod contra paradisum illum habitare faciebat, vt iugem dolorem haberet quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem statum se coniecerit, & quamuis grauissimi doloris spectaculum erat, est tamen magnæ vtilitatis occasio, vt dolens continuo aspectu, munitior, & cautior esset in aliis, ne iterum in eadem peccata incideret.

Similia habet *Theod. quæst. 24. in Genes.* vbi ait. Deus voluit illum cognoscere beneficia diuina, vt his priuatus odio graui prosequeretur peccatum, per quod tantis bonis careret, nisi fortè eum è regione paradisi collocauit, pellibus vestitum, terram miserè, & ærumnosè proscindentem, vt illi citiùs misericordiam impertiret, & à peccato subleuaret, sic enim facere consueuit diuina misericordia, ad extremam vsque miseriam peccatores deiiciendo, vt ipsa illum ad misericordiam citiùs euocet & alliciat.

Populo idololatræ misereri constituerat Deus ab eodem maximè offensus, quæsiuit autem motiuum aliquod miserendi, *Exod. 33. num. 5.* dum illi dixit: *Depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi.* Quis hoc à Deo audiret, qui non verbera iam infligenda arbitraretur? Sed eò planè hæ minæ tendunt vt populus ipsum Deum ad misericordiam prouocaret, quod optimè notauit *Oleast.* ibi cum ait. Volebat Deus, vt Israël nudum, & spoliatum vestibus se illi verberandum obiectaret, vt videns eum sic paratum, misericordia motus condonaret peccatum, sic proinde misericors Deus voluit è regione paradisi à quo eiecerat Adamum eum collocare, vt ipsius miseria inde magis elucens misericordem Dominum ad miserendum magis alliceret.

Ex quibus inferes Deum non potiùs ad supplicium infligendum venisse ad Adamum, neque primario vt puniret, sed, vt eum iacentem erigeret, eius mœstitiam leuaret, eius confusionem aperiret, peccati confessionem eliceret, & propriæ miseriæ, quam per peccatum incurrerat

A cognitionem immitteret, vt sic tandem mitius ac lenius, quam meruerat sententiam in illũ proferret, etenim si ad ipsum misisset Deus iram suam, sicut ad Pharaonem, sicut ignis stipulam deuorat, & sicut Pharaonem cum exercitu suo penitus extinxit, sic Adamum ad nihilum fere redegisset, vt tamen reduceret venit ipse, vt pateceret, vocauit, vt misereretur interrogauit, idque nullo prorsus interueniente deprecatore, aut precante mediatore, aut rogante aduocato, quod ineffabilem ex- B aggerat benignitatem, mittit enim Deus iram suam nostris irritatus peccatis, & offensis, venit autem, vt succurrat nullo rogante, vnde per admirationem dixit *Euseb. Emiss. homil. in Litanijs*; quæ hoc manus agit, quod magnificus Dominus rerum, cum à nobis ad iracundiam visibiliter prouocatur, inuisibiliter ad clementiam temperatur? Quis hoc miseris tribuit, quod furor nescit irasci; Et nouo genere scit victor sine intercessione misereri? Facilis interrogationi respõsio si dica- C mus intus habere vnde misereatur, diuitias scilicet bonitatis suæ, & dilectionis, quæ inopes quærunt vt ditent, exteriùs vero illi iram aduenire, quam ideo mittit vt sæuiat, quia illi intrinseca omnino est.

Et hæc est ratio cur misericors Dominus non solum, quos per peccatum amittit seruos quærit, & in pristinam prouocat amicitiam, sed babaros etiam, & impios idololatras omnibus modis per viscera misericordiæ suæ visitat, illuminat, & vocat, quod prosequitur *Theod. quæst. 3.* D *in Danielem,* expendens visionem statuæ, quam in somno Deus ostendit Nabuchodonosori *Dan. 2.* sic ergo habet *Theod.* *Dan. 2.* Operæ pretium est admirari Authoris omnium rerum Dei erga omnes homines curam, neque enim impiè viuentes propria destituit prouidentia, sed ipsos etiam omni diligentia dignatur, sicut denique barbarum illum agrestem, & impiũ haud reliquit, neque neglexerit, sed primum per ea, quæ ipsi reuelauit præsentis ei vitæ fœlicitatem fluxam ostendit, & cadu- E cam, regnúmque ipsius celerrimæ mutationi obnoxium, ac nihil quod ad humanam tranquillitatem pertineat stabile, quæ instar florum siue liliorum arescit, & extinguitur: atque hæc idonea erant ad illius arrogans, & superbia inflatum supercilium sedandum, eique persuadendum, vt humana cogitaret, vitæque & regni finem expectaret, quibus similia habet *Oratione 4.* vbi persistens in eodem

argu

A argumento ait. *Author rerum omnium Deus, ad pietatem ducere volens Nabuchodonosorum, multa ei sæpè salutaria adhibuit remedia, deterret ipsum somnio prius, deinde per Danielem quæ somnium significabant ei patefecit, & nec sic quidem statim infert supplicium, sed consilium ei affert, admonetq; per Danielem, annumq; totum longanimitate tollerat expectans eius pœnitentiam, vbi vero nullum remedium ex illius lenitate, ac longa patientia decerpere voluit, quæ minatus fuerat infert, ac* B *punit ipsum non simplici pœnarum genere, sed superbam mentem illam, quæ ea somniauerat, quæ sunt supra naturam dementia percutit, & insania, deinde ferinum affectum curat expellendum, ita, vt deserta diuturno tempore loca incoleret: tum illud quoque molitur, vt malorum quibus premebatur sensum acciperet, ita sublatis oculis ille celerrimas vitæ mutationes agnoscit, lamentatur autem, & luget propriam stultitiam, confiteturq; Dei regnum successione carens in omnia sæcula permanere, vnde* C *experientia doctus pietatis magister euasit, & mala, quæ sibi acciderant, omnibus hominibus proponit in Epistolam, quam ad omnes gentes scripsit.* Sic *Theod.* ostendit, qualiter benignus Dominus potiùs quærat offensores suos, quam in illos iram mittat, etiam dum punit.

Neque etiam est contra nostram resolutionem, quod Deum iudicem potiùs constituerimus in beneficiis conferendis, quam in pœnis infligendis, nam cum Christus Dominus similitudinem ponit, *Matt.18. num. 23.* D *hominis Regis, qui voluit rationem ponere, cum seruis suis,* in eodem textu etiam constat voluisse rationem ponere potiùs, vt absolueret, quam vt puniret, vnde ex se debitum demisit, & condemnauit prouocatus crudelitate iniqui serui, qui conseruum suffocabat, & mittebat in carcerem, quod magis explicari potest ex Doctor. *Euseb. Emissen.* cum hanc parabolam exponens ait. Quare Dominus rationem prius ponere voluit, nisi, vt huius exemplo cæteri intelligerent quid in suis responsionibus responderent, & quantam spem E habere potuissent? Si enim ei, qui plus cæteris debebat Dominus dimisit omne debitum, quia se humiliauerat, quanto magis aliis, qui non tantum peccauerant, si dignè pœnituerint, omnia peccata dimittet? Ideò enim decem millia talenta posuit, quia hoc debito nullum aliud debitum maius est, omnes enim numeri in hoc numero continentur, quoniam ex denis A numeris multiplicantur; cuius vnaquæque pars tam perfecta est, vt replicari quidem possit, crescere vero non possit. Iudicis quidem tribunal positum est dum [illegible]ationem ponit cum seruis suis, & fort[illegible]mus iudicandus oblatus est, non quæsitus, nec compulsus, suppliciúmque illi minitatum, non illatum, & nihil soluit, statim vero dimittitur, totum vero iudicium, & mens iudicis eò vergit, vt viam debitoribus aperiat soluendi, dum tantum pœnituerint, neque credendum est voluisse B acerbum infligere supplicium, qui facilem docuit solutionem in sola postulatione, & pœnitentia collocatam aperiens nobis viam, vt debitum quodcumque nobis dimittatur si petamus, & si confratribus dimittamus.

Offenderat maximè Deum Dauid in enumeratione populi, quem innumerabilem promiserat Deus, vt iam notauimus, ex *Genes.* 15. & 26. Misit Deus Gad Prophetam ad Dauid, tres illi offerens punitiones, aut scilicet famem, quam tres C anni demeterent, aut irruptionem hostium tribus mensibus per vim vincentium, & persequentium, aut mortem ex peste, quæ duraret tribus diebus, quæ cum dixisset Propheta properauit, vt à Rege acciperet responsum, Rex vero cogitans, quod ipse posset famem effugere, cum Regi frumentum non desit, & in solos pauperes grassatetur supplicium: insuper & in bello posset effugere manus hominum, primum quidem, vt qui arces haberet munitissimas, & validissima præ- D sidia, & deinde stiparetur viris fortissimis, proinde non æquum esse existimauit, vt suæ salutis curam gereret, sed, vt etiam castigationis esset particeps cum populo, mors autem eiusmodi, pauperis, & diuitis non nouit discrimen, neque timidi, & fortis, neque serui, & domini, neque priuati, & Regis, sed omnes pariter inuadit, & ideò hoc supplicium sibi cum aliis commune cæteris præposuit, attamen considerandà maximè venit pietas, & misericordia Dei, qui optionem dedit Dauidi in E supplicijs, insupérque, & cum Dauid dixerit: *Melius est mihi incidere in manus Dei, quoniam valde multa sunt eius miserationes,* cum Deus trium dierum mortem minatus fuerit, sex tantum horis mortem intulit; aduertit autem *Theodor. quæst.* 47. *in* 2. *Reg.* quod si tres dies numerentur cum noctibus inuenitur pars solum duodecima minarū illata populo, cui minatus fuerat Deus, ita benignus, & clemens

2. Reg. 24.n.1.

Nn Domi

Dominus longioribus vsus est minis, longè autẽ minora infert supplicia, ex octingentis enim millibus, qui erant ætatis militaris, exceptis scilicet, & qui eam ætatem nondum attigerant, & qui excessetant, & præterea mulieribus, & Leuitis, & tribu Benjamirica, nam cum pœnitentia motus esset Dauid, non sunt annumerati, interempta sunt solum septuaginta millia, idque cum potuissent omnes perimi momento temporis, neque enim tempore egebat vltor Angelus: momento enim temporis peremit, & primogenita Ægyptiorum, & centum octoginta quinque millia Assyriorum. Tempus ergo est benignitatis, non autem impotentiæ indicium, protinus ergo super Hierusalem visus est Dauidi Angelus Domini nudum habens gladium, vt peteret ille à Deo veniam, exaudita autem supplicatione bonus Deus iussit in illo loco extrui altare, in quo supplicium diuina prohibuit misericordia. Sic *Theodor.* ostendit in vnico supplicio multiplicẽ Dei misericordiam, dum scilicet eligendum proponit supplicium è tribus, dum minimum tempus applicat, ex eo quod promiserat, dum minimam partem plebis percutit, & dum se videndum, & exorandum pro oblatione supplicij exhibet, vt ostenderet multam misericordiam, & minimum supplicium, & insuper, vt hoc monimentum diuinæ benignitatis perduraret exaudita supplicatione ait *Theodor.* Bonus Deus iussit in illo loco extrui altare: sciendum est autem quod in illo loco templum ædificauit sapiens Salomon, voluit enim Deus celebrem esse suæ misericordiæ manifestationem.

Quia vero naturale Deo est misereri, & parcere, ne tandem ad infligendum supplicium à nobis prouocatus accedat, prius minari solet, vt caueamus, & diuinam punitionem per nostram correctionem effugiamus, notauit hoc *D. Ambros. lib. de Noë & arca, cap. 27.* cum ponderat arcum illum cœlestem, quem Deus in nubibus posuit pro signo fœderis cum hominibus initi. *Genes. 9. num. 13.* *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Non sagittam, inquit *Ambros.* arcus enim instrumentum est sagittæ iaculandæ, itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta, & ideò Dominus in nube arcum magis, quam sagittam ponit, id est, non illud, quod vulnerat, percutit, & occidit, sed quod terrorem incutit, vulnus indicit, vt caueatur mo-

A net, vt declinetur hortatur, vnde dicitur: *Dedisti metuentibus te significationem; vt fugiant à facie arcus*, *Psal. 56. num. 6.* vbi *August.* ita ait. Per tribulationes temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni, arcus enim est extensus adhuc in comminatione, & videte, quid sit in arcu, nonne sagitta in priora mittenda est, neruus autem retrò extenditur in contrariũ, qua de re plura habet *Gregor. 19. moral. cap. vltimo* ante finem, vbi eundem locum *Psal.* explicat, & præsens tempus appellat mi-B sericordiæ, quando Deus minatur pœnas, vt eas caueamus, & emendemus nosmetipsos: *Arcum suum*, inquit, *tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis*, *Psalm. 7. num. 13.* arcum, namque suum Deus tetendit, quia cunctis peccatoribus, per sacram Scripturam minus exhibuit, in quo arcu vasa mortis præparauit, quia secundum eloquij sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat, in quo etiam sagittas suas ardentibus fecit, quia in eos, quos per terrorem corrigit, accen-C sas verborum sententias emittit. Ideò igitur minatur priusquam puniat, quia & inuitus punit, & nostram correctionem maximè intendit.

Quod argumentum prosequitur *August. serm. 38. de sanctis*, vbi ait. Si nos Deus noster vellet punire, non nos ante tot sæcula commoneret: inuitus quodammodo vindicat, qui quomodo euadere possimus multò ante demonstrat, non enim te vult percutere, qui tibi clamat obserua, & *serm. 109. de tempore* post prin-D cipium ait. *Propterea se iudex venturus minatur, vt non inueniat quos puniat cum venerit: propterea illud cantant Prophetæ, vt corrigamur. Si damnare vellet non taceret totum fratres, quod audiuimus per scripturas vox est Dei dicentis obserua. Et totum, quod patimur tribulationis in hac vita flagellum Dei est corrigere volentis, ne damnet in fine, quasi dura sunt, molesta sunt, horrent quando narrantur, quæ quisque grauia patitur in hac vita, in comparatione autem æterni ignis, non parua, sed* E *nulla sunt. Siue ergo nos flagellemur, siue cum alij flagellantur admonemur à Domino, & admonitiones sunt, & stimuli correctionis nostræ; non est, quod in fine dicatur Domino: non ostendisti, quid appeterem, quid vitarem, videte, quia non tacet, videte, quia differt, videte, quia blanditur, hortatur, minatur, non est qui iam dicat: nesciui, non audiui: impletur, quod dictum est.* *Psal. 18. num. 7.* Psalm. 18. *Nec est, qui abscondat à calore*

eius,

eius, modo ergo calor eius in verbo eius est, imitare modo à calore eius, & non defflues sicut cera ab igne, sic *August.* cui addendus *D.Thom. initio comment. in Epist. Pauli*, vbi rectè obseruat propterea in Ecclesia Dei semper Psalmos Dauidis proponi, & decantari, atque etiam *Epist. Pauli*, vt mala vitemus, & bonam de diuina misericordia spem concipiamus.

Probat insuper, & inuitum Deum accedere ad puniendum id, quod contigit in supplicio primo ab eodem illato hominibus, etenim puniturus accedens dixit ad serpentem : *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, vbi *Chrysost. homil.* 7. ait. Est & hoc ineffabilis misericordiæ Dei opus, nam sicut clementissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, & gladium, & ensem, per quæ filius occisus est destruit, & in multas partes diuidit, eodem modo, & Deus egit: quippe serpens, quasi gladius quidam diabolicæ seruiuit malitiæ; vnde & perpetua ipsi pœna intenta est, deinde etiam ostendit suam bonitatem Deus in totius orbis supplicio, quando ascendit malitia multa hominum coram eo, & *Tactus dolore cordis intrinsecus dixit, Delebo hominem, quem creaui à facie terræ*, vbi Hebraicè habetur: *Dolere affectus erga cor suum*, scilicet hominem, quem in corde gestat, & veluti cor diligit, & erga quem ipse apponit cor suum, vt ostendat ipsum habere hominem in sede misericordiæ suæ, in corde scilicet ac visceribus, vt potiùs misereatur quam affligat : vnde antequam puniat veluti tristatur, & ideò ne puniat comminatur, & in eiusmodi minis plus cernere est misericordiæ, quam iustitiæ. Scita est illa Dei comminatio ad Niniuitas : *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: vbi ex misericordia Deus terminum non affixit, sicut etiam eum Paulus de medio tolli iubet fornicatorem, neque expectare sinit suum aduentum, neque vt excusationem comminiscatur expectat, sed ait : *Iam iudicaui vt præsens cum virtute Domini Iesu eum, qui sic operatus est tradere satanæ, &c.* vbi *D.Chrysost. homil.* 15. post principium quærit, cur Paulus tradiderit satanæ fornicatorem, cum quo loquebatur in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi, videbatur enim potius dicendum, sin autem, vt par est, pœnitentiam egerit, confirmabimus in eo charitatem, si hoc dixisset ab initio soluisset eius metum, non enim dedit fornicatori spem veniæ, sed iubet eum tota vita esse in pœnitentia, ne promissione veniæ redderet socordiorem, & ideo non dixit, tradite eum satanæ, quoadúsque pœnitentiam agat, vt cum pœnitentiam egerit tradatur Ecclesiæ, sed quid dixit? Vt saluus sit in extremo die. Benè eis, inquit *Chrysost.* & opportunè diem illum commemorat, vt, & promptius medicinam exhibeant, & ille magis suscipiat, non tanquam iracunda verba, sed curantis spiritus prouidentiam, itaque curantis salutem hoc potius est, & medentis, quam incidentis simpliciter, atque vlciscentis frustra nulla adhibita ratione.

Genes. 3. num. 14.

Genes. 6. num. 6.

Iona 3. num. 2.

1. Cor. 5. num. 5.

Sic etiam, & Propheta absque vllo termino, & conditione dixit, *Adhuc quadraginta dies, &c.* ne securos redderet, quos statim volebat pœnitentes, quod etiam argumentum prosequitur idem *Chrysost. homil.* 14. *in Epist. ad Roman.* vbi ita ait. Quemadmodum Niniuitis sententia indefinitè pronunciata, ac nulla bona spe ostensa magis terruit, & ad pœnitentiam egit, ita Deus plerúmque solet extrema minari, vt ad pœnitentiam adducat, quare *Exod.* 32. dixit Moysi : *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam*, quod factum est vt Moysem adduceret ad suscipiendas pro illis supplicationes, quibus similia habet *Orig. homil.* 1. *in Ierem.*

Exod. 32. num. 10.

Ex quibus constat Deum totam diligentiam ponere antequam puniat, ne tandem ad puniendum inuitus, & irritatus accedat, quod etiam probat *Chrysost. homil.* 25. *in Genes.* vbi Deus antequam diluuium adduceret super terram minatur dicens : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntq́; dies illius centum viginti annorum*, & in cap. sequenti dicitur : *Erat Noë sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt super terram.* Ait ergo *Chrysost.* super hæc verba. Non absque causa annorum Noë numerum nos docuit, neque, vt illuc ipsum discamus, quot annorum fuerit iustus, sed quia prius nos docuit Scriptura dicens : *Noë autem erat annorum quingentorum*, & postquam nobis annorum manifestauit numerum, tunc narrauit immodicam hominum in malum propensionem, & quia incumbebat cogitatio hominum diligenter in mala à iuuentute, ideò dixit Deus : *Non permanet spiritus meus in hominibus istis*, deinde vt daret

Gen. 5. 4 num. 3.

Genes. 7. num. 6.

Dominus longioribus vsus est minis, longè aute minora infert supplicia, ex octingenris enim millibus, qui erant ætatis militaris, exceptis scilicet, & qui eam ætatem nondum attigerant, & qui excesserant, & præterea mulieribus, & Leuitis, & tribu Benjamitica, nam cum pœnitentia motus esset Dauid, non sunt annumerati, interempta sunt solum septuaginta millia, idque cum potuissent omnes perimi momento temporis, neque enim tempore egebat vltor Angelus: momento enim temporis peremit, & primogenita Ægyptiorum, & centum octoginta quinque millia Assyriorum. Tempus ergo est benignitatis, non autem impotentiæ indicium, protinus ergo super Hierusalem visus est Dauidi Angelus Domini nudum habens gladium, vt peteret ille à Deo veniam, exaudita autem supplicatione bonus Deus iussit in illo loco extrui altare, in quo supplicium diuina prohibuit misericordia. Sic *Theodor.* ostendit in vnico supplicio multiplicē Dei misericordiam, dum scilicet eligendum proponit supplicium è tribus, dum minimum tempus applicat, ex eo quod promiserat, dum minimam partem plebis percutit, & dum se videndum, & exorandum pro oblatione supplicij exhibet, vt ostenderet multam misericordiam, & minimum supplicium, & insuper, vt hoc monimentum diuinæ benignitatis perduraret exaudita supplicatione ait *Theodor.* Bonus Deus iussit in illo loco extrui altare: sciendum est autem quod in illo loco templum ædificauit sapiens Salomon, voluit enim Deus celebrem esse suæ misericordiæ manifestationem.

Quia vero naturale Deo est misereri, & parcere, ne tandem ad infligendum supplicium à nobis prouocatus accedat, prius minari solet, vt caueamus, & diuinam punitionem per nostram correctionem effugiamus, notauit hoc *D. Ambros. lib. de Noë & arca, cap. 27.* cum ponderat arcum illum cœlestem, quem Deus in nubibus posuit pro signo fœderis cum hominibus initi. *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Non sagittam, inquit *Ambros.* arcus enim instrumentum est sagittæ iaculandæ, itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta, & ideò Dominus in nube arcum magis, quam sagittam ponit, id est, non illud, quod vulnerat, percutit, & occidit, sed quod terrorem incutit, vulnus indicit, vt caueatur monet, vt declinetur hortatur, vnde dicitur: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*, vbi *August.* ita ait. Per tribulationes temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni, arcus enim est extentus adhuc in comminatione, & videte, quid sit in arcu, nonne sagitta in priora mittenda est, neruus autem retrò extenditur in contrariũ, qua de re plura habet *Gregor. 19. moral. cap. vltimo* ante finem, vbi eundem locum *Psal.* explicat, & præsens tempus appellat misericordiæ, quando Deus minatur pœnas, vt eas caueamus, & emendemus nosmetipsos: *Arcum suum*, inquit, *tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis*, arcum, namque suum Deus tetendit, quia cunctis peccatoribus, per sacram Scripturam minus exhibuit, in quo arcu vasa mortis præparauit, quia secundum eloquij sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat, in quo etiam sagittas suas ardentibus fecit, quia in eos, quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit. Ideò igitur minatur priusquam puniat, quia & inuitus punit, & nostram correctionem maximè intendit.

Genes. 9. num. 13.

Psal. 56. num. 6.

Psalm. 7. num. 13.

Quod argumentum prosequitur *August. serm. 38. de sanctis*, vbi ait. Si nos Deus noster vellet punire, non nos ante tot sæcula commoneret: inuitus quodammodo vindicat, qui quomodo euadere possimus multò ante demonstrat, non enim te vult percutere, qui tibi clamat obserua, & *serm. 109. de tempore* post principium ait. *Propterea se iudex venturum minatur, vt non inueniat quos puniat cum venerit: propterea illud cantant Prophetæ, vt corrigamur. Si damnare vellet non taceret totum fratres, quod audiuimus per scripturas vox est Dei dicentis obserua. Et totum, quod patimur tribulationis in hac vita flagellum Dei est corrigere volentis, ne damnet in fine, quasi dura sunt, molesta sunt, horrent quando narrantur, quæ quisque grauia patitur in hac vita, in comparatione autem æterni ignis, non parua, sed nulla sunt. Siue ergo nos flagellemur, siue cum alij flagellantur admonemur à Domino, & admonitiones sunt, & stimuli correctionis nostræ, non est, quod in fine dicatur Domino: non ostendisti, quid appeterem, quid vitarem, videte, quia non tacet, videte, quia differt, videte, quia blanditur, hortatur, minatur, non est qui iam dicat: nesciui, non audiui: impletur, quod dictum est.* Psalm. 18. *Nec est, qui abscondat à calore eius,*

Psal. 18. num. 7.

A *eius, modo ergo calor eius in verbo eius est, mutare modo à calore eius, & non destues sicut cera ab igne,* sic *August.* cui addendus *D.Thom.initio comment.in Epist. Pauli,* vbi rectè obseruat propterea in Ecclesia Dei semper Psalmos Dauidis proponi, & decantari, atque etiam *Epist.Pauli,* vt mala vitemus, & bonam de diuina misericordia spem concipiamus.

Probat insuper, & inuitum Deum accedere ad puniendum id, quod contigit in supplicio primo ab eodem illato hominibus, etenim puniturus accedens dixit ad B serpentem: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ,* vbi *Chrysost. homil.*7. ait. Est & hoc ineffabilis misericordiæ Dei opus, nam sicut clementissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, & gladium, & ensem, per quæ filius occisus est destruit, & in multas partes diuidit, eodem modo, & Deus egit: quippe serpens, quasi gladius quidam diabolicæ seruiuit malitiæ; vnde & perpetua C ipsi pœna intenta est, deinde etiam ostendit suam bonitatem Deus in totius orbis supplicio, quando ascendit malitia multa hominum coram eo, & *Tactus dolore cordis intrinsecus dixit, Delebo hominem, quem creaui à facie terræ,* vbi Hebraicè habetur: *Dolore affectus erga cor suum,* scilicet hominem, quem in corde gestat, & veluti cor diligit, & erga quem ipse apponit cor suum, vt ostendat ipsum habere hominem in sede misericordiæ suæ, in corde scilicet ac visceribus, vt potiùs misereatur quam affligat: vnde antequam puniat veluti tristatur, & ideò ne puniat comminatur, & in eiusmodi minis plus cernere est misericordiæ, quam iustitiæ. Scita est illa Dei comminatio ad Niniuitas: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur:* vbi ex misericordia Deus terminum non affixit, sicut etiam cum Paulus de medio tolli iubet fornicatorem, neque expectare sinit suum aduentum, neque vt excusationem comminiscatur expectat, sed ait: *Iam indicaui vt præsens cum virtute Domini Iesu eum, qui sic operatus est tradere satanæ, &c.* vbi *D.Chrysost.homil.*15. post principium quærit, cur Paulus tradiderit satanæ fornicatorem, cum quo loquebatur in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi, videbatur enim potius dicendum, sin autem, vt par est, pœnitentiam egerit, confirmabimus in eo chari-

Genes. 3. num. 14.

Genes. 6. num. 6.

Iona 3. num. 2.

1. Cor. 5. num. 5.

A tatem, si hoc dixisset ab initio soluisset eius metum, non enim dedit fornicatori spem veniæ, sed iubet eum tota vita esse in pœnitentia, ne promissione veniæ redderet socordiorem, & ideo non dixit, tradire eum satanæ, quoadúsque pœnitentiam agat, vt cum pœnitentiam egérit tradatur Ecclesiæ, sed quid dixit? Vt saluus sit in extremo die. Benè eis, inquit *Chrysost.* & opportune diem illum commemorat, vt, & promptius medicinam exhibeant, & ille magis suscipiat, non tan- B quam iracunda verba, sed curantis spiritus prouidentiam, itaque curantis salutem hoc potius est, & medentis, quam incidentis simpliciter, atque vlciscentis frustra nulla adhibita ratione.

Sic etiam, & Propheta absque vllo termino, & conditione dixit, *Adhuc quadraginta dies, &c.* ne securos redderet, quos statim volebat pœnitentes, quod etiam argumentum prosequitur idem *Chrysost.homil.*14. *in Epist.ad Roman.* vbi ita ait. Quemadmodum Niniuitis sen- C tentia indefinitè pronunciata, ac nulla bona spe ostensa magis terruit, & ad pœnitentiam egit, ita Deus plerúmque solet extrema minari, vt ad pœnitentiam adducat, quare *Exod.*32. dixit Moysi: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam,* quod factum est vt Moysem adduceret ad suscipiendas pro illis supplicationes, quibus similia habet *Orig. homil.*1.*in Ierem.*

Ex quibus constat Deum totam diligentiam ponere antequam puniat, ne D tandem ad puniendum inuitus, & irritatus accedat, quod etiam probat *Chrysost. homil.*25.*in Genes.* vbi Deus antequam diluuium adduceret super terram minatur dicens: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntq; dies illius centum viginti annorum,* & in cap. sequenti dicitur: *Erat Noë sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt super terram.* Ait ergo *Chrysost.* super hæc verba. Non absque causa annorum Noë numerum nos docuit, neque, vt E istuc ipsum discamus, quot annorum fuerit iustus, sed quia prius nos docuit Scriptura dicens: *Noë autem erat annorum quingentorum,* & postquam nobis annorum manifestauit numerum, tunc narrauit immodicam hominum in malum propensionem, & quia incumbebat cogitatio hominum diligenter in mala à iuuentute, ideò dixit Deus: *Non permanet spiritus meus in hominibus istis,* deinde vt daret

Exod. 32. num. 10.

Genes. 4. num. 3.

Genes. 7. num. 6.

eis idoneum tempus, quod sufficeret pœnitentiæ, vt effugerent, & indignationem non experirentur dicit: *Erunt dies eorum centum & viginti*; hoc est adhuc longanimis ero etiam post quingentos illos annos, in quibus iustus iste suo nomine satis admonet, & inducit, siquidem attendere vellent, quo, & à malitia desistant, & virtuti vacent, verum tamen, & nunc polliceor me annos centum viginti longanimem futurum, vt tempore hoc quod intercedet non abutantur, malitiam fugientes, & virtutem amplexantes, non solum contentus fuit centum annorum prouidione, sed iusto præcepit, vt arcam constitueret, quo & ipse aspectus arcæ iis sufficientem memoriam suggereret,& nullus ignoraret inferendæ pœnæ magnitudinem, nam istud ipsum, quod iustus ille, vt qui in summum virtutis peruenerat fastigium, tanto studio struebat arcam, satis esse debebat ad iniiciendum omnibus, quibus mens erat angorem,& formidinem, & persuadendum, vt placent tam mansuetum, misericordem Dominum, quare cum dixerit Dominus centum viginti anni erunt dies eorum,promiseritque se tanto tempore longanimitate vsurum, antequam implerentur anni promissi, cur vniuersale introduxit exeidium? Etiam hoc suæ misericordiæ maximum est argumentum, & indicium: nam quoniam videt incurabiliter eos peccare, & non solum nihil ex indicibili longanimitate sua proficere, sed, & incrudescere vlcera, propterea succidit tempus,vt ne maiora veniant,scilicet maiori pœnæ se obnoxios facerent, vt igitur peccata coaceruantes maioribus se pœnis obnoxios non facerent Dominus misericors, & benignus miseriam eorum videns, tempus quo se longanimem futurum promisit abbreuiauit; nam sicut eis, qui admonitionibus suis promptè parent ob bonitatem sibi peculiarem sententias suas reuocat, & conuersis appropriat, ab imminentibus pœnis eos liberans, ita quoque cum promittit, vel bona aliqua se præbiturum, vel pœnitentiæ tempus, videt autem fieri indignos, etiam tunc quoque suas promissiones rescindit. Quocirca, & per Prophetam dicebat: finem loquar super gentes, & super regna, vt perdam, & effodiam, & si pœnitentiam egerint, agam, & ego pœnitentiam super his, quæ locutus sum, vt faceretem, & iterum: *Finem loquar super gentes;* (Iere. 18. num. 8.) *& regna, vt readificem. Et si pœnitentiam egerit gens illa, pœnitentiam & ego agam super eis, quæ locutus sum, vt facerem eis,* vnde rectè concludit *Chrysost.* qui centum annis conuerti noluerint, quid amplius proficient ex annis viginti, quam quod plura adiicerent peccata? Enimuerò monstrans ineffabilem suam misericordiam, & excellentem bonitatem: non refugit etiam ante septem dies quin prædicet eis diluuium mox inducendum, vt vel angustia temporis correpti conuersionem aliquam ostendant.

Ex quo *Chrysostom.* discursu pro nostro instituto colligimus Deum multoties nobis supplicia, & flagella minitari, vt sic tandem, & benignitatem nobis potius ostendat, quam iustitiam, & iram exerat, quod elegantibus verbis dicit *Chrysostom. Semper enim mos suus est, quoniam nostra salutis curam gerit, predicere quas pœnas sit illaturus, ob hanc tantùm causam ne inferat, quas si inferre vellet nequaquam diceret, sed studiosè pradicit, vt cum nos didicerimus, & timore emendatiores facti conuertamus ipsius indignationem, & sententias irritas faciamus.*

Videndus idem *Chrysost. homil. 5. ad populum*, vbi ita ait. *Niniuitarum ciuitati minatus est Deus, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, quid igitur dic mihi, Niniue subuersa est, & destructa ciuitas? Contrarium totum & exaltata, & clarior facta est, & tantùm tempus prateritum ipsius gloria, gloriam non destruxit, sed omnes eam cantamus, & adhuc quoque admiramur, quoniam portus quidam optimus ex illo tempore peccantibus omnibus extitit, in desperationem cadere non permittens, sed omnes ad pœnitentiam vocans, quis enim non resurgat, eorum exemplũ audiens, etiam si omnium peccantium ignauissimus? Elegit itaque Deus Prophetiam potius suam cadere, quam ciuitatem corruere. Imò verò neque Prophetia cecidit; si enim hominibus quidem in eadem malitia permanentibus, non in opus sententia produxisset, posset quis fortè dicta criminari, si verò mutatis ipsis, & à malitia desistentibus, etiam Deus ab ira destitit, quis amplius Propheticam carpere poterit, & dictorum mendacium condemnare? O nouam rem, & admirabilem! denunciatio mortem minans, vitam peperit sententia postquam lata fuit, tunc inualida facta est, laqueus erat sententia, & munimen ipsam reddiderunt, audierũt quod adificia corruent, sed peccata fugerunt, non discesserunt quisque de domo sua, sed discessit quisque à via sua mala. Hac barbari,* (Iona 3. num. 4.)

&

& nos non confundimur, neque nos abscondimus, illis mores conuertentibus, nos loca permutantes. Dominus nobis irascitur, & nos iram soluere omittentes magna horum quidem hominum virtus, maior autem multo Dei clementia, & hanc ex ipsa minarum magnitudine conspicere licet, ob hoc enim sententia non addidit, si verò pœnitentiam egeritis, parcam, vt indistinctam inferens sententiam, & timorem augens celerius ad pœnitentiam compelleret, & Propheta quidem erubescit, futurum sciens, & coniectãs, quod infecta manebunt dicta, B *Deus autem non erubescit, sed vnum duntaxat hominum salutem quærit.* Sic ille.

Ex quibus omnibus colliges Deum ideò supplicia prius hominibus comminari, quam puniat, vt locum, & tẽpus emendationi relinquat, & magis testatam suam benignitatem ostendat, quod etiam probat tarditas ad puniendum, quam superiùs probatam relinquimus, & ad hunc locum remisimus, etenim Deus dum lento gradu ad supplicia inferenda procedit in eo versari viderur, quod spatium ad resipiscentiam interponit. Hinc est, quod duo illi Angeli, qui Dei iustitiam inferebant, & Sodomam mittuntur, vt funditus euertant, *Gen. 19. num. 1.* tam lento gradu procedunt, & tam tardè gradiuntur, vt non nisi vespere illo deueniant, quod ibi notauit cum aliis, & post multos Honcala, cum tamen non longè distaret illa ciuitas, & possent ad eam quam citissimè peruenire, sed qui ambulat super pennas ventorum, & sedet super alas Cherubin, vt nobis celeriter possit subuenire, ad supplicium non nisi lento gradu procedit, vt ostendat se inuitum, vocatum, ac prouocatum venire, quod probat locus ille, vbi diuinum oraculum *Amos 2. num. 13.* ita ait: *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno*, cuius loci sensus est: me præstante vobis tot beneficia, & educente vos de Ægypto, & interficiente ante faciem vestram Amorrhæorum, vt possideretis terram eius, & suscitante de filiis vestris Prophetas, & de viuentibus vestris Nazaræos, vos inebriabatis Nazaræos meos vino, quibus lex vinum prohibebat, *Numer. 6.* (*Num. 6. num. 3.*) & Prophetis mandabatis ne prophetarent, sicut Amazias mandauit Amos, (*Amos 7. num. 12.*) proinde ego in vobis, & in terra audire faciam magnum stridorem, & molestissimum auribus vestris sonum, quemadmodum stridet, & longè, latéque sonat plaustrum onustum fœno magis, quam si re alia solidiori oneretur, quæ considat, & immobilis incumbat,

A prædicitque eo in loco captiuitatem, & tumultum, atque vlulatum, & clamorem. Chaldæus Parapht. habet: *Ecce ego adducam super vos tribulationem, qua coarctabit vos in locis vestris.*

Scio ego fuisse Deum vsum hac similitudine propter solum stridorem, non verò vt significet se instar plaustri transiturum super eos, vt conterat, sicut voluerunt *Lyran.* & nonnulli ex Hebr. Frustra enim dixisset de curru onusto fœno, imò contra intentũ esset similitudo cum onus B manipulorum, & pallearum minus graue sit, quouis alio onere: sed ad stridorem rectè additum est, onustum fœno, quoniam magis strider plaustrum, cum fœno, aut paleis onustum est.

Cæterùm hæc similitudo plaustri mihi videtur etiam denotare moram, & grauitatem, ac tarditatem, qua Deus ad puniendum accedit, solet enim plaustrum lento gradu à bobus trahi id quod mihi probat Quinquarboreus, qui eum locum vertit: *Ecce ego ægrimoniam contra vos ad-* C *ducam*, vt indicaret ea tarditate ventutum ad puniendum, quà æger macie, & morbo confectus, & vix pedes trahere valens graditur, quod etiam significare videntur illa animalia ostensa Ezech. quorum plantæ erant, *quasi planta pedis vituli, Ezech.* 1. Et certè visio illa, vt rectè coniicit *Maldonat.* ibi magnam tempestatem, *Ezech. 1. num. 7.* & conuulsionem denotat quatuor regnorum, scilicet Chaldæorum, Assyriorum, Ægyptiorum, & Tyriorum, graditur proinde tempestas, commutatio, & ruina illo- D rum regnorum pedibus tardissimi animalis, nempe bouis, incedit vt tardissimè tandem accedat, quod etiã elicio ex eo quod pedes eorum recti dicantur, vbi per pedes intelliguntur tibiæ, & crura, ideóque LXX. Interpretes vertunt. *Et crura eorum recta*, quæ vertebras ac iuncturas non habebant, qualia dicuntur esse elephantis tardissimi etiam animalis; vt ibi notauit *Maldonat.* vt significaret Propheta Deum ad quatuor illarum Monarchiarum euersionem, supplicium, & ruinam E tardissimè descendere, quod etiam significauit proposita illa similitudo plaustri onusti fœno, neque hîc tantum sistendum, sed quod misericors Deus, cum tardissimo accedat gradu, vtpote cuius iustitia veluti plaustro ducitur, & velut ægra iter facit. Cuius etiam vulnera mortifera minimè sunt, tamen citò, & festinanter dicitur venire, quia scilicet, nunquam vellet accedere, & quia si eius naturæ, & miseri-

cordiæ habeatur ratio citius venire semper censet, cum tamen tardissimè veniat, qua de re dolenter conquestus Dominus ait. *Deut. 32. num. 35.* *Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora*, vbi illud in primis notandum est, quod etiam aduertit *Oleast.* Diem perditionis adesse, & tempora festinare, quia festinant mala post malos, non verò ipse Deus, vt mala malis inferat puniendo, imò, quod mala eos non statim inueniant munus Dei est eos a malis suis absconden tis vt interim resipiscant, & B cum tandem post longum tempus venit, vt rationem ponat, & summa cum ratione puniat festinationem, celeritatem, ac velocitatem reputat piissimus Deus.

Ezec. 22. num. 4. Similis est ille alius locus apud *Ezech. c. 22.* cum Hierusalem expostulans illi dicit: *Appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum*, vbi *D. Hieron.* ait. Appropinquare fecisti tempus, quod multo tempore dicebatur, & differebatur vt ageres pœnitentiam: quomodo ergo appropinquauit tempus, quod C multo tempore retinebatur, & dicebatur, nisi quia quantumcumque suppliciũ fuerit dilatum, ac retardatum, & sententia promerita dicta, & prolata contra delinquentes, adhuc tamen dicitur aduenire citiùs, quam pientissimus Dominus secundùm innatam bonitatem suam vellet, qui vult omnes saluos fieri, & omnibus misereri.

Quot annis sustinuit Deus immania scelera eorum, qui terram Hebræis dandam tenebant, & tamen Abrahæ dicit: D *Generatione autem quarta reuertētur huc, necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum, Genes. 15.* *Gen. 15. num. 16.* *Vsque ad præsens tempus*, & quod tardum erat hominibus, citissimè aduenire videbatur Deo, quia in illorum perniciē adueniebat, quod etiam videre est apud *Oseam cap. 1.* vbi idem Dominus ait. *Osea 1. num. 4.* *Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezraël super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israël.* Etenim hæc modicum si ad cessationem regni Israël referatur proculdubio quinqua- E ginta ferè, & sex annorum fuit, si ad pœnas de posteris Iehu sumendas quatuordecim ferè annorum, idque postquam viginti octo annos toletauerat idololatriam Iehu decem & septem Ioachaz eius filij, vnum, & quadraginta Ieroboam, eius nepotis, modicum tamen tam longum, tot annorum spatium clementissimo Domino videtur, quia nunquam vellet punire,

A imò tandiu expectat, vt potius misereatur, sicut dixit *Isaias.* *Isaiæ 30. num. 18.* *Propterea*, inquit, *expectat Dominus vt misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus: Beati omnes, qui expectant eum.* vbi *D. Hieron.* ait. Grandis clementia Dei, vt expectet nostram pœnitentiam, donec nos à vitiis conuertamur, ille potentem contrahit manum ne ferire cogatur, ideò autem miseretur, & parcit, vt exaltetur illius misericordia, & bonitas creatoris nota cunctis fiat. Vnde iusti de B hac Dei tarditate conqueruntur, cum dicunt, *Psal. 93.* *Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur?* Quod licet longissimum videatur hominibus, etiam sanctis, breue quidem iudicatur à Deo, qui nunquam ad iustitiæ executionem peruenire vellet.

Illud autem maximè exaltat diuinam misericordiam, quod cum voluntatem nostram, & desiderium pro opere reputare soleat, sicut prosequitur *Augustinus in Psalm. 120.* & nos alibi latè ostendimus, C vnde Abrahamo dixit *Genes. 22.* *Gen. 22. num. 16.* *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* cum & filio pepercerit à Deo iussus, & non fecerit ab eodem prohibitus: tamen in malis ac demeritis, vt operis grauitatem minuat, & peccati malitiam veluti detrahat, voluntatem tantummodo reputet, & quasi ad exitum res non peruenerit de ea præ magna misericordia loquitur. Vnde de Israële conquestus ait. *Osea 7. num. 15.* *In me cogitauerunt malitiam*, cur verò ait, malitiosè cogitauerunt, non ve- D rò operati sunt, aut peccarunt? quia attenuate vult benignus Dominus iniquorum hominum peccata, licet enim omnipotens Deus corda scrutetur, & in eius oculis impius egerit, quod cogitauit, sicut prosequitur *D. Gregor. lib. 12. Moral. c. 20.* vnde Theologi cum *D. Thom. 1. 2. q. 20. artic. 4.* dicunt opus externum, nihil malitiæ addere super internum; quia tamen communis loquendi modus lenius reputat internum peccatum, quam opere patratum, quæ vulgi opinio funda- E mentum habet in *D. Augustin. lib. 13. de Trinitat. cap. 5.* vbi ait. *Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua male voluntatis desiderium impletur*, ideò igitur Deus, vt culpam hominum puniturus extenuet, cogitatas potius dicit, quam opere completas.

Ex qua doctrina melius innotescet cur sanct. Ioseph. fratribus suis dixerit. *Gen. 50. num. 20.* *Vos cogitastis de me malum, Deus autem*

vertit

A *vertit illud in bonum*, cum à fratribus non voluntate & desiderio tantum mala acceperit, sed te ipsa proiectus in cisternam, ligatus, & Madianitis venditus fuerit, imo, & quæcunque inde secuta sunt mala posset ab eis illata dicere. Memineritis quæso immediatè antea dixisse Iosephum dum fratres præ timore dixerunt, *Serui tui sumus. Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* (Gen. 50. num. 19.) Vbi in Hebræo, est, *quod si loco Dei sum ego?* Ait vero *Caiet.* sensus intentus est, quia ego partes Dei ago: quod in eo sensu accipiendum puto, B quia sicut Deus mala nostra vel excusat, vel extenuat, sic Ioseph vicem Dei gerens fratrum odium, vincula, & venditionem, solam cogitationem dicit, vt attenuet, quæ iam antea excusauerat, in Deum rem totam refundens in diuinam permissionem, quæ mala dum permittit, solet elicere bona. *Non vestro*, inquit, *consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis*, (Gen. 45. num. 8.) vbi *Oleaster* ostendit pios, & iustos viros didicisse à Deo excusare aliorum defectus, C quando vero iudex illorum quos iudicaturus est culpas excusat, vindictam minimè intendit, sed potius ad miserendum, & absoluendum viam perstruit, munit, ac parat.

Ex quibus tam multipliciter dictis constare potest, quanta cum ratione Deus iram suam in alios profligandos mittere dicatur, qui iudex est vt beneficia conferat, & vt offensas, & debita dimittat: reos conuenit, & quærit, ac venit potius ad consolandos, & reconciliandos sibi of- D fensores quam ad deuastãdos. Hinc etiam est, quod cætera supplicia, & plagas, quas Dominus in Pharaonem, & Ægyptios miserat in Ægyto misericordia temperauit, non sic vero quando misit iram suam, quæ potius sicut stipulam deuorauit eos, notauit hoc *Diuus Augustin. quæstione 33. in Exod.* (Exod. 9. num. 18.) cum Dominus per Moysem dixit Pharaoni. *An pluam cras grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, mitte ergo iam nunc, & con-* E *grega iumenta tua, & omnia, quæ habes in agro, homines enim & iumenta, & vniuersa morientur, si ceciderit, super ea grando.*

Ait ergo ad hæc verba *August.* Quid est quod mandauit Deus Pharaoni cum se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinet congregare pecora sua, & quæcunque illi essent in campo, ne grandine intereant? Hic enim non tam indi- A gnanter, quam misericorditer videtur admonere. Ita *Augustin.* Similia habet eodem loco *Theodoret.* cum ait Propterea quod Deus benignus est, idcirco pœnas misericordia temperat.

Illud insuper in hac pœna notandum restat, quod licet grando, & ignis, quæ mista pariter ceciderunt, percusserint cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vsque ad iumentum, cunctámque herbam agri, & omne lignum regionis, triticum, & far non sunt læsa, vbi *Oleast.* ait *Cùm iratus fueris Domine misericordiæ recordaberis.* (Habac. num. 2.) B Semper post se relinquere solet pius Dominus misericordiam, ne Ægyptij perirent reliquit triticum, & quod minus nobile erat destruxit, scilicet, linum, & hordeum, & in hoc sensu possumus rationem reddere cum Moyses tot lacessitus iniuriis, tot fallaciis deceptus, tot mendaciis delusus à Pharaone, (Exod. 7. num. 1.) dum quotidie promittit dimittendos filios Israel, quos semper retinebat, pro plagis auferendis ab eo Deum enixe precatur, idque vt fa- C ciat facili negotio adducitur, neque vsque ad interecionem deseuit, nempe constituerat eum Dominus Deum Pharaonis: & proinde Moyses cõstitutus Deus Pharaonis debebat Dei naturam imitari, qui in media ira misericordię recordatur, & visis pœnis, ac conspectis suppliciis, præ misericordia commotus miseretur, eaque leuat, & diluit, vnde quando Pharaonem exercitu suo omnino delere constituit, nec ipse venire dicitur, qui iudicium sine misericordia exercere non consueuit, sed D veluti aliunde vocatam extrinsecam sibi iram misit, vt eos ad nihilum redigat, id minimè facturus misericors Deus, si afforet.

ANNOTAT. III.

Quomodo Deus inimicos nostros suos ducat, & de amicitia in veteri ac nouo Testamento.

E NOn duximus omittendum id, quod varietas lectionum ad nostram eruditionem, non vtcunque, sed satis accommodatum hoc in loco offert, pro eo enim quod nos legimus: *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos:* plerique codices habent: *Deposuisti aduersarios meos*, & magna profecto ratio, cur Pharao, & Ægyptij dicantur Dei aduersarij, & inimici, in eo videtur consistere, quod

quod inimici essent Iraëlis, quem vt filium Deus diligebat, vnde ait Populum
Deu.3. istum custodiuit, *quasi pupillam oculi sui,*
num.10. qua etiam similitudine vtitur, vt demonstret, quam sibi cari sunt homines, quantaque illos cura, & solicitudine prosequa-
Zach.2. tur, cum ait. *Qui tetigerit vos, tangit pu-*
num.6. *pillam oculi mei.*

Neque vero intentum minus efficaciter probat si ibi legamus, vt constat ex Hebræo, Græco, Chaldæo, ex *Hieron.* & multis Latinis exemplaribus, *tangit pupillam oculi sui*, sensus enim est, qui nobis nocet, sibi potius nocet quam vobis, quoniam grauiter à me punietur, cum ego inimicos vestros meos, ducam, ita intellexit hunc locum *Cyrill. Vatabl.* & alij, alter vero sensus ex *Hieron. Theodor.* & plurimis est, *qui vos tangit, tãgit pupillã oculi ipsius Dei*, id est, vehemẽtissime Deum offendit, qui vos admodum diligit, diligit & custodit, ea custodia, quæ potest intelligi per illam, quam oculus præstat pupillæ, vt notatunt *Theodoret.* & *Euthym. in Psal. 16. Ambros. 6. hexamer. c. 9.* & *Basil. homil. 11. hexamer.* nam tunica super tunicam, & alia quædam regumenta, eam muniunt, quorum alia tenuia, & transparentia, alia exterius crassiora, vt palpebrarum tunica, quæ duobus est semicirculis distincta, ad pulueris, & aëris læsionem, ac patrula quædam animantia repellenda, vnde diuina prouidẽtia tutam, solicitãmque custodiam, & æstimationem indicat, cum populum illum pupillam suam appellat, vt etiam fert communis loquendi modus.

Hanc etiam dilectionem probat locus ille; vbi postquam Deus per Natham Prophetam multa, & præclara bona promisit
2. Reg. 7. Dauid, & filio eius Salomoni, ac posteris.
num. 28. *Ingressus est Rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam Domine Deus. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid vt loquatur ad te?* Super quæ verba sic habet *Abul. q. 11.* hic accipitur Adam pro nomine communi, scilicet, pro homine, & est sensus ista est lex, quasi dicat, talis est lex hominis, idest, nihil magis homo facit pro se ipso, quam tu facis pro eo: nam homo solicitus est semper pro statu suo, & posterorum suorum, nec se putat plene felicem, nisi filios quoque futuros felices putauerit, ita vt fecisti mihi; vel aliter

A legitur interrogatiuè. Ista est lex Adam? id est, nunquid ista est lex quam tu Domine Deus habes cum homine, vt tantum pro eo sollicitus sis, quasi dicat, istud ad magnam benignitatem tuam pertinet. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid vt loquatur ad te, quasi dicat, nihil manet, quod ego petere possim. Vide igitur, si Deus vt pupillam oculi sui suos omni prouidentia protegit, omni curat diligentia, omni diligit amore, quid mirum, si eos, qui populum suum insequebantur
B Moyses inimicos Dei appellet? Solent enim amicorum omnia communia esse, non bona tantum, sed etiam mala.

Cæterum videtur obstare ex *Platone in Phedro* cum ait, amicitiam æqualitatem esse, & idem Plato in Lyside docet eos, qui ad inuicem amici sunt natura quodammodo propinquos esse, & maximè, & *l. 6. de leg.* vetus, inquit, verbum est, & rectè, & scitè dictum: æqualitas effecit amicitiam, vnde Poëta dixit: *Exige amicitias, & tibi iunge pares, &c.* Quare *Arist. 8. ethi-*
C *corum cap. 7.* amiticiam non admittit inter Reges, ac Deos, sic verò ait. Quod si maximus sit excessus, qualis est inter homines, & Deum amicitia non est, est enim inter eos maxima distantia; neque vero inferiores se audent appellare amicos Regum, aut homines amicos deorum, & *c. 5.* eiusdem libri ait. Nihil ita proprium est amicitiæ, quam conuiuere amico. Cum infinita distantia sit inter creaturam, & creatorem, inter supremum Dominum, & infimos, ac inutiles seruos, qui fieri po-
D test, vt inter Deum, & homines vera amicitia intercedat, & ex eo capite dicantur Dei aduersarij, qui homines persequuntur, sicut hoc in loco habet Moyses?

Nullatenus tamen negandum est veras amicitiæ leges inter homines, & Deum reperiri, fierique homines per charitatem Dei amicos, vt resoluit *D. Thom. 2. 2. q. 20. art. 1.* vbi duo affert requisita ad rationem amicitiæ, primum ex *Aristot. 8. ethicorum*, amorem, scilicet beneuolentiæ, quando nempe amamus aliquem, vt ei
E bonum velimus, secundam quandam redamationem, seu mutuum amorem, quia amicus est amico amicus, & talis mutua redamatio fundatur super aliquam communicationem, quæ omnia inter Deum, & homines datur, qui nos diligit, bonáque communicat, vnde Paulus ait: *Fidelis* *1. Cor. 1.*
Deus per quem vocati estis in societatem *num. 9.*
filij eius Iesu Christi Domini nostri, ex quibus solutæ sunt obiectiones, quæ suppo-
nunt

nunt in iis,qui negant ignorantiam summæ Dei beneuolentiæ, & negant maximam supernaturalis charitatis, & gratiæ cum Deo coniunctionem, cum tamen ratione illius homines fiant diuinæ consortes naturæ, est enim charitas, & gratia, qua in Deus effudit in nos abundè participatio quædam illius.

Sed vt magis rem ostendamus, eam probat Christus Dominus, cum ait: *Vos*
Ioan. 15. *amici mei estis*, & statim subiungit, *Iam,*
num. 14. *non dicam vos seruos, quia seruus nescit*
& 15. *quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo,nota feci vobis.* Aduertit autem eo in loco *D. August. tract.* 83. quod licet Christus dixerit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*, & mandata, ac præcepta implere seruorum esse videatur,tamen seruitus, quæ oritur ex timore filiali non obest amicitiæ.

Alij eò rem deflectunt,vt dicant homines ita esse amicos,vt aliquando serui dicantur, sicut quando Deus iussit Iacobo,
Gen. 32. dicens. *Nequaquam Iacob vocabitur no-*
num. 28. *men tuum, sed Israël*, & tamen postea vocatur etiam Iacob, & ideo *August.* addit. Magna dignatio cum seruus bonus esse non possit,nisi præcepta Domini sui fecerit,hinc amicos suos voluit intelligi, vnde serui boni possunt probari,&c.

Cant. 2. Sponsus etiam *Cantic.* 2. ait: *Surge pro-*
num. 10. *pera amica mea*, & ipsa sponsa Ecclesiæ
Cant. 5. *Cantic.* 5. dixit. *Et ipse est amicus meus,*
num. 16. qua de re videndus est *Bernard. serm.* 59. *in princip.* cum ponderat illa verba Sponsi
Cant. 2. *Cantic.* 2. *Vox turturis audita est in terra*
num. 12. *nostra*, vbi ita habet minime iam dissimulare queo quod ecce secundo is, quis de cælo est,de terra loquitur, vtique tam dignanter, tam socialiter, quasi vnus è terra:aduerte quantæ suauitatis sit Deum
Ps. 125. cæli dicere in terra nostra: *Magnificauit Dominus facere nobiscum*, multum illi cura terra, multum cum sponsa, quam de terris sibi adsciscere placuit, in terra, inquit, nostra non plane principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem: tanquam sponsus loquitur, non tanquam Deus. Quid? Conditor est, & consortem se reputat? Amor loquitur, qui Dominum nescit, amat Deus neque aliunde habet, sed ipse est, vnde amat. Verum quo amat amicos habet, non seruos: ita est fratres neminè suspicit amor, sed nec despicit quidem, omnes ex æquo intuetur, & in se ipso celsos, humilésque contemperat, nec modo pares, sed vnum cos facit, similiáque habet *serm.* 83. vbi ait. Nec verendum est,ne disparitas personarum claudicare in aliquo faciat conuenientiam voluntatum,quia amor reuerentiam discit, ab amando nempe, non ab honorando denominatur, honoret sane qui horret, qui stupet, qui metuit,qui miratur, vacaur hæc omnia penes amorem, amor sibi abundat, amor vbi venit omnes in se traducit, & captiuat affectus: adde quod ipse sponsus, non modo amans, sed amor est, numquid honor? Contendat quis esse,ego non legi,legi autem, quod Deus charitas est, non quod honor est, aut dignitas, non quia honorem non vult Deus, &c.

Plura habet idem *Bernard. epist.* 12. in præsentis veritatis confirmationem pro qua videndus *August. in Manuali* præsertim in *cap.* 20. cum ait. Anima amans fertur votis, trahitur desideriis, dissimulat merita, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, quod aliis verbis dixit *Gregor. lib.* 6. *epistolar. epist.* 24. vbi ait amorem, & potestatem ex æquo præsumere, vt scilicet, potestas ad thronum suum velit extollere humilem amicum, amor verò è solio detrahat in puluerem amicum coniungendum pauperi, quem diligit, vt æqualitas amicorum cernatur. Videndus item *D. Thom.* 3. *cont. gent. cap.* 151. vbi ait. Conformitas voluntatis est proprius effectus dilectionis, & idem velle, & nolle. suffragatur *August. tract.* 8. *in Epist. Ioan.* vbi ait. Charitatem velle omnes sibi esse æquales.

Et Philo lib. de Gigantibus, in nostram sententiam aduertit Deum dixisse Abrahæ. *Ego sum Deus tuus*, atque. Quod Gen. 26.
si vnius totius mundi Deus ob priuatum num. 24.
affectum dicitur huius viri Deus necessario ipse quoque Dei erit. Sic ille videtur ostendere propterea Deum se affectu dilectionis tradidisse Abrahamo, vt maiori cum ratione esset Deus illius, proindeque eum obligaret, vt redamando etiam totus Dei amicus esset,& inueniretur iuxta mutuum illum amorem, quem ad rationem amicitiæ *D. Thom.* supra relatus exigit.

Sed pro maiori adhuc explicatione huius amicitiæ cum Abrahamo contractæ videndus omnino est *D. Chrysost. homil.* 52. *in Genes.* cum ponderat illa verba Dei ad Isaac,cum illi apparuit in Bersabee, & dixit: *Ego sum Deus Abraham patris tui*, sic igitur habet. *Considera Dei solicitudinem, vt illum refocillet, ac fidentiorem fa-*

eiat, apparet ei, considera Dei misericordiam: nam cum dixisset, Ego sum Deus Abraham patris tui, ostendit quomodo sibi vendicauerit & proprium fecerit Patriarcham, & ita dignatus est Deus se vocare Deum Abrahæ. Et Dominus orbis, ac conditor, vnius hominis Deum se dicens non concludit, & abbreuiat cum Patriarcha appellatione suum dominium, sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat. Ita, inquit, *eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tantus, quanti alij omnes.* Sic ille.

Quid mirum igitur, si amicus asseratur Deus vnius Abrahæ, cuius solummodo Deus esse, & dici voluit, non cæterarum rerum, aut reliquorum hominum, vnicum istum tanti faciens, vt cæterorum mentionem non faciat, cum tamen Deus, & Dominus sit cæterorum hominum? Neque vero cum solo Abrahamo contraxit Deus hanc amicitiam & necessitudinem, sed cum filio Isaac, & cum nepote Iacob, quod ex eadem nomenclatura recte deduxit *Philo lib. de Abraham*, vbi de illis loquens ait. Omnes amici, carique Deo, amantes verum Deum, & redamati ab illo, qui dignatus est, sicut indicant oracula propter vitam ipsorum probatissimam communem cum eis appellationem habere, suum enim coaptauit cum illorum nominibus, è tribus compositum vocabulum sibi vendicans. *Hoc*, inquit, *nomen meum est æternum, Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, relatiuum pro absoluto, & meritò, Deus enim non habet opus nomine, attamen generi suum nomen largitus est, vt habentes refugium ad preces, & supplicationes à spe bona non excluderentur, cum enim inuocarent Deum sibi tanta familiaritate deuinctum, qui ab ipsis nomen sumere dignatus est, vt mutua relatio signi indicaret etiam, & mutuam amicitiam, & fidenter ipsius opem implorare possent, qui pariter cum suis pro ratione amicitiæ laborare debebat, si capax laboris esset, vel cos è periculis liberare cum posset, vt pote & omnipotens, & Deus ipsorum nominatus.

Hebr. 2. num. 16. Deductus est hic amor ad semen Abrahæ, sicut dixit Paulus, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, vbi communis expositio Pattum Græcorum, & Latinorum est; non assumpsit naturam angelicam, sed humanam, eamque ex Abrahamo. Quod si quis velit vim Græci textus expendere inueniet verbum, pro quo nostra vulgata habet, apprehendere, significare manum in rem iniicere,

A sicut iniiciunt ij, qui pignora à debitoribus non soluentibus capiunt, aut tenere, siue apprehendere, vt cum fugientem hominem apprehendimus, aut occasionem, ne elabatur tenemus, & tunc sensus est: alienati erant à Deo Angeli per peccatum, nec tamen vnquam vidimus Deum manus in eos iniicere, vt eos retineat tanquam in rem suam, & ad se reuocet: at in semen Abrahæ manus iniecit, quotidieque iniicit, verbum enim ibi positum in vtroque loco non præteriti tempus est,

B sed præsentis, & ita *Chrysost.* & reliqui Græci acceperunt. In qua apprehensione, cum ad diuini Verbi Incarnationem refertur, summa amicitiæ probatio comperitur, ratione namque illius is Deus, cuius nos omnes eramus, noster mansit, vt iam superius ostendimus, sed in semine Abrahæ facta est illa vnio, cum quo singularis amicitia contracta est, quæ fuit ratio cur Deus Israel nepotis Abrahæ nominetur quando Moysem & Aaronem legatos misit ad Pharaonem, *Hæc dixit Dominus*, in- Exod. 5.

C quit, *Deus Israël, dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto.* num. 1.

Et vt magis hunc amorem inculcaret, filium dicit populum ab Abrahamo deductum, sic enim Moysi ait, dices ad populum, hæc dicit Dominus, *Filius meus* Exod. 4. *primogenitus Israël*, qua etiam appellatio- num. 22. ne eum vocat apud *Oseam c. 11.* cum ait: Osea 11. *Quia puer Israël, & dilexi eum: & ex* num. 2. *Ægypto vocaui filium meum*, vbi particula, quia, non reddit causam istius dilectionis, sicut aduertit *D. Hieron.* & Chald. ha-

D bent enim Hebræi, quasdam particulas, quibus sæpe non ad significationem aliquam, sed ad ornatum tantum vtuntur, præsertim in principio sententiæ totius, aut in principio alicuius membri illius, sicut Latini, enim vero, verum enim vero, & similia, & *Quoniam in te eripiar à ten-* Psal. 17. *tatione*, particula, quoniam, redundat, & num. 30. etiam redundat quando dicitur: *Quoniam* Psal. 54. *si inimicus meus maledixisset mihi*, & Ec- num. 13. clesi. 11. *Si annis multis vixerit homo*, He- Eccl. 11. braicè, *quoniam si multis annis vixerit ho-* num. 8.

E *mo*, sic igitur particula, quia, prædicto loco redundat, sensusque est, *puer Israël, & dilexi eum*, id est, ab incunabulis dilexi eum, & veluti filium primogenitum mihi aptaui, illo vtique minimè indigens, neque ab eo aliquod emolumentum percipiens, cum puer & mihi omnino esset inutilis; solent enim homines aliquando alios diligere, & cum illis cõtrahere amicitiam propter propriam vtilitatem, &

commo

A commodum, at vero Deus nulla re extra se indigens nos quæsiuit, vt diligeret, quod diuinam commendat beneuolentiam:nam creata omnia perfectius sunt in Deo, quam in se ipsis, docente *Dionysio cap.5.de diuinis nominibus*,sicut argentum perfectius est in auro, quam in se, & numus inferior in superiori, quod etiam prosequitur *August.serm.4.de verb.Domini, & Anselm. in prosolog. cap.*17. & ideo *D.Iren.lib.4.c.*28.ait. Deum fecisse Abraham sibi amicum non ob propriam, sed B propter ipsius Abrahæ vtilitatem, vel significat illud, *Puer Israël,& dilexi eum,* quod dilexerit eum nulla præcedente ratione,aut merito ratione cuius amaretur. nam vt sæpe aduertit *D.Thom.* & alij antea,& post eum:hæc est differentia,& discrimen inter nostrum, & diuinum amorem, quod nostrum præcedit ratio in eo, qui amatur propter quã diligitur, amórque noster inuenit,quod amet,non autem facit;at diuinus amor non sic,ipse amabilem facit quem amat,idque non solum in C naturali,vnde *August.*in expositione *epist. ad Roman.*annotat illud verbum *dilectis à Deo* non, inquit, dicitur diligentibus Deum, sed dilectis à Deo, quia enim dilecti sunt, propterea diligentes fiunt, & *Chrysost.homil.7.in epist.ad Timoth.*aduertit,quod infinita Dei bonitas radix est, & ratio amandi homines omni dilectione indignos,est enim tanta diuina bonitas,vt ipsa sola sufficiat ad rationem, & causam amandi,non expectata, nec requisita causa ex parte eorum qui amantur.

Ecce igitur tota ratio,& fundamentum D huius amicitiæ, quam prosequimur, cum vero amicorum communia omnia esse soleant,mala quæ patiebantur filij Israël, amicus Deus simul cum eis pati videbatur,donec eos liberos reddidit,pro qua re videndus est ille locus *Exod.* vbi Dominus dixit Moysi.*Ego audiui gemitum filiorum Israël,quo Ægyptij oppresserunt eos:& recordatus sum pacti mei*, vbi *Oleaster* ait. O amice hominis dulcis, & stabilis, qui tunc recordatis tuorum, quando sunt in maximis angustiis, nos cum felices vide- E mus,eorum recordamur, obliuiscimur in aduersis,verus vtrique amicus;solent enim labores,& ærumnæ veros prodere,& probare amicos, quæ fuit ratio cur sacra Scriptura sæpe appellet Chusai amicum Dauid, vt patet ex 2.*Reg.*14.& 16. Imo & Absalon sic eum appellauit, cum dixit. *Hæc est gratia ad amicum tuum? Quare non iuisti cum amico tuo?* Quando scilicet, cum fugientem nudísque pedibus gradientem, & aperto capite plorantem quæsiuit, vt comitaretur in persecutione, quando alij maledicebant, & insectabantur, de quo proinde recte dixit *Chrysost. in Psalm.*7. Non erat amicus temporum, nec potentiæ,sed virtutis,& ideo licet regno euersus esset,non mutarat sententiam & amicitiam, sicut etiam non mutauit Ethai Getheus,quando Dauid egressus est Hierusalem,& dixit ei,vt regrederetur ad ciuitatem,& habitaret cum Absalon. *Dixit viuit Dominus,& viuit Dominus meus Rex: quoniam in quocumque loco fueris Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.*

2. Reg. 14.n.33. & cap.6. num. 16. — *2. Reg. 16.n.17.*

Vbi vides non solum comitari Dauidem,vt amicum,sed tunc eum Regem, & Dominum suum semel, & iterum dicere quando eum à sede,& regno videbo quasi eiectum, & à ciuitate regia egressum, & appellare Absalon Regem, non dixit, reuertere, & habita cum Rege, vnde Dauid meritò de suis amicis conqueritur. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Hieronym.*legit *cari mei; Treuetus, sodales,* & qui ex Hebræo reddunt, significant:*Cum percuteretur stetisse amicos è regione, & ex aduerso se subduxisse*, vnde *Vatabl.* habet. *Amici mei, & sodales mei stant è regione plagæ meæ, & propinqui mei procul consistunt.* Stare autem è regione plagæ Hebraismus est, significátque de coram plaga mea steterunt, id est, subducti à plaga mea & auersi à me, ita ferè transfert *Symmachus,Caiet.* vero plagæ nomine intelligit grauem persecutionem Absalonis, in qua proximi minime approximabant,& amici recedebant, cum tamen imago illa amoris, de qua *Lilius Girald. in syntagm.* Iuuenis, scilicet, vestem indutus asperam, capite discooperto, epigramma haberet, vita,& mors,hyems,& æstas,præterea latus habens ad cor vsque apertum in quo vulnus digito demonstraret cum aliis verbis: longe, & propè.

Psal. 37. num. 12.

Verus igitur Israëlitarum amicus veluti de longè audiuit gemitum filiorum Israël, propéque accedens eos consolatur. Ait enim *Exod.* 3. *Descendi, vt liberem eum*, imo veræ amicitiæ leges obseruans cum ipsis adest in tribulationibus,& ideo apparet in rubo ardenti, qui miseram Israëlitarum oppressionem significabat, vt fert communis sententia cum Philone, & Theodoret. vnde Dauid, ait. *Quæ est autem vt populus tuus Israël gens in terra,*

Exod.3. num.8. — *Exod.3. num.2.* — *2. Reg.7. num.23.*

ciat, apparet ei, considera Dei misericordiam: nam cum dixisset, Ego sum Deus Abraham patris tui, ostendit quomodo sibi vendicauerit & proprium fecerit Patriarcham, & ita dignatus est Deus se vocare Deum Abrahæ. Et Dominus orbis, ac conditor, vnius hominis Deum se dicens non concludit, & abbreuiat cum Patriarcha appellatione suum dominium, sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat. Ita, inquit, *eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tantus, quanti alij omnes.* Sic ille.

Quid mirum igitur, si amicus asseratur Deus vnius Abrahæ, cuius solummodo Deus esse, & dici voluit, non cæterarum rerum, aut reliquorum hominum, vnicum istum tanti faciens, vt cæterorum mentionem non faciat, cum tamen Deus, & Dominus sit cæterorum hominum? Neque vero cum solo Abrahamo contraxit Deus hanc amicitiam & necessitudinem, sed cum filio Isaac, & cum nepote Iacob, quod ex eadem nomenclatura rectè deduxit *Philo lib. de Abraham*, vbi de illis loquens ait. Omnes amici, carique Deo, amantes verum Deum, & redamati ab illo, qui dignatus est, sicut indicant oracula propter vitam ipsorum probatissimam communem cum eis appellationem habere, suum enim coaptauit cum illorum nominibus, è tribus compositum vocabulum sibi vendicans. *Hoc,* inquit, *nomen meum est æternum, Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob,* relatiuum pro absoluto, & meritò, Deus enim non habet opus nomine, attamen generi suum nomen largitus est, vt habentes refugium ad preces, & supplicationes à spe bona non excluderentur, cum enim inuocarem Deum sibi tanta familiaritate deuinctum, qui ab ipsis nomen sumere dignatus est, vt mutua relatio signi indicaret etiam, & mutuam amicitiam, & fidenter ipsius opem implorare possent, qui pariter cum suis pro ratione amicitiæ laborare debebat, si capax laboris esset, vel eos è periculis liberare cum posset, vt pote & omnipotens, & Deus ipsorum nominatus.

Deductus est hic amor ad semen Abrahæ, sicut dixit Paulus, *Nusquam Angelos* (Hebr. 2. num. 16.) *apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit,* vbi communis expositio Patrum Græcorum, & Latinorum est; non assumpsit naturam angelicam, sed humanam, eámque ex Abrahamo. Quod si quis velit vim Græci textus expendere inueniet verbum, pro quo nostra vulgara habet, apprehendere, significare manum in rem inijcere,

A sicut iniiciunt ij, qui pignora à debitoribus non soluentibus capiunt, aut tenere, siue apprehendere, vt cum fugientem hominem apprehendimus, aut occasionem, ne elabatur tenemus, & tunc sensus est: alienati erant à Deo Angeli per peccatum, nec tamen vnquam vidimus Deum manus in eos inijcere, vt eos retineat tanquam in rem suam, & ad se reuocet: at in semen Abrahæ manus iniecit, quotidiéque iniicit, verbum enim ibi positum in vtroque loco non præteriti tempus est,
B sed præsentis, & ita *Chrysost.* & reliqui Græci acceperunt. In qua apprehensione, cum ad diuini Verbi Incarnationem refertur, summa amicitiæ probatio comperitur, ratione namque illius is Deus, cuius nos omnes eramus, noster mansit, vt iam superius ostendimus, sed in semine Abrahæ facta est illa vnio, cum quo singularis amicitia contracta est, quæ fuit ratio cur Deus Israel nepotis Abrahæ nominetur quando Moysen & Aaronem legatos misit ad Pharaonem, *Hæc dixit Dominus,* in- Exod. 5.
C quit, *Deus Israël, dimitte populum meum* num. 1.
vt sacrificet mihi in deserto.

Et vt magis hunc amorem inculcaret, filium dicit populum ab Abrahamo deductum, sic enim Moysi ait, dices ad populum, hæc dicit Dominus, *Filius meus* Exod. 4.
primogenitus Israël, qua etiam appellatio- num. 22.
ne eum vocat apud *Oseam c. 11.* cum ait: Osee 11.
Quia puer Israël, & dilexi eum: & ex num. 2.
Ægypto vocaui filium meum, vbi particula, quia, non reddit causam istius dilectionis, sicut aduertit *D. Hieron.* & Chald. ha-
D bent enim Hebræi, quasdam particulas, quibus sæpe non ad significationem aliquam, sed ad ornatum tantum vtuntur, præsertim in principio sententiæ totius, aut in principio alicuius membri illius, sicut Latini, enim vero, verum enim vero, & similia, & *Quoniam in te eripiar à ten-* Psal. 17.
tatione, particula, quoniam, redundat, & num. 30.
etiam redundat quando dicitur: *Quoniam* Psal. 54.
si inimicus meus maledixisset mihi, & Ec- num. 13.
clesi. 11. *Si annis multis vixerit homo,* He- Eccl. 11.
braicè, *quoniam si multis annis vixerit ho-* num. 8.
E *mo,* sic igitur particula, quia, prædicto loco redundat, sensúsque est, *puer Israël, & dilexi eum,* id est, ab incunabilis dilexi eum, & veluti filium primogenitum mihi aptaui, illo vtique minimè indigens, neque ab eo aliquod emolumentum percipiens, cum puer & mihi omnino esset inutilis; solent enim homines aliquando alios diligere, & cum illis cõtrahere amicitiam propter propriam vtilitatem, &

commo

commodum, at vero Deus nulla re extra se indigens nos quæsiuit, vt diligeret, quod diuinam commendat beneuolentiam:nam creata omnia perfectius sunt in Deo, quam in se ipsis, docente *Dionysio cap.5.de diuinis nominibus*,sicut argentum perfectius est in auro, quam in se, & minus inferior in superiori, quod etiam prosequitur *August.serm.4.de verb.Domini. & Anselm. in prosolog. cap.17.* & ideo *D.Iren.lib.4.c.28.*ait. Deum fecisse Abraham sibi amicum non ob propriam, sed propter ipsius Abrahæ vtilitatem, vel significat illud, *Puer Israël,& dilexi eum*, quod dilexerit eum nulla præcedente ratione,aut merito ratione cuius amaretur. nam vt sæpe aduertit *D.Thom.* & alij antea,& post eum:hæc est differentia,& discrimen inter nostrum, & diuinum amorem, quod nostrum præcedit ratio in eo, qui amatur propter quã diligitur, amórque noster inuenit,quod amet,non autem facit;at diuinus amor non sic,ipse amabilem facit quem amat,idque non solum in naturali,vnde *August.*in expositione *epist. ad Roman.*annotat illud verbum *dilectis à Deo* non, inquit, dicitur diligentibus Deum, sed dilectis à Deo, quia enim dilecti sunt, propterea diligentes fiunt, & *Chrysost.homil.7.in epist.ad Timoth.*aduertit,quod infinita Dei bonitas radix est, & ratio amandi homines omni dilectione indignos,est enim tanta diuina bonitas,vt ipsa sola sufficiat ad rationem, & causam amandi,non expectata, nec requisita causa ex parte eorum qui amantur.

Ecce igitur tota ratio,& fundamentum huius amicitiæ, quam prosequimur, cum vero amicorum communia omnia esse soleant,mala quæ patiebantur filij Israël, amicus Deus simul cum eis pati videbatur,donec eos liberos reddidit,pro qua re videndus est ille locus *Exod.* vbi Dominus dixit Moysi.*Ego audiui gemitum filiorum Israël,quo Ægyptij oppresserunt eos:& recordatus sum pacti mei*, vbi *Oleaster* ait. O amice hominis dulcis, & stabilis, qui tunc recordaris morum, quando sunt in maximis angustiis, nos cum felices videmus,eorum recordamur, obliuiscimur in aduersis,verus vtique amicus;solent enim labores,& ærumnæ veros prodere,& probare amicos, quæ fuit ratio cur sacra Scriptura sæpe appellet Chusai amicum

2. Reg. 14.n.33. & cap.6. num. 16.

David, vt patet ex *2.Reg.14.& 16.* Imo & Absalon sic eum appellauit, cum dixit. *Hæc est gratia ad amicum tuum? Quare non iuisti cum amico tuo?* Quando sceli-

A cet, cum fugientem nudisque pedibus gradientem, & aperto capite plorantem quæsiuit, vt comitaretur in persecutione, quando alij maledicebant, & insectabantur, de quo proinde recte dixit *Chrysost. in Psalm.7.* Non erat amicus temporum, nec potentiæ,sed virtutis,& ideo licet regno euersus esset,non mutarat sententiam & amicitiam, sicut etiam non mutauit Ethai Getheus,quando David egressus est Hierusalem,& dixit ei,vt regrederetur ad ciuitatem,& habitaret cum Absalon. *Di-*

B *xit viuit Dominus,& viuit Dominus meus Rex: quoniam in quocumque loco fueris Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.*

2. Reg. 16.n.17.

Vbi vides non solum comitari Dauidem,vt amicum,sed tunc eum Regem, & Dominum suum semel, & iterum dicere quando eum à sede,& regno videbo quasi eiectum, & à ciuitate regia egressum, & appellare Absalon Regem, non dixit, reuertere, & habita cum Rege, vnde David meritò de suis amicis conqueritur. *Amici*

C *mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt,& steterunt. Hieronym.*legit *cari mei*; *Treuetus, sodales*, & qui ex Hebræo reddunt, significant:*Cum percuteretur stetisse amicos è regione, & ex aduerso se subduxisse*, vnde *Vatabl.* habet. *Amici mei, & sodales mei stant è regione plagæ meæ, & propinqui mei procul consistunt.* Stare autem è regione plagæ Hebraismus est, significátque de coram plaga mea steterunt, id est, subducti à plaga mea & auersi à me, ita ferè transfert *Symma-*

Psal. 37. num. 12.

D *chus,Caiet.* vero plagæ nomine intelligit grauem persecutionem Absalonis, in qua proximi minime approximabant,& amici recedebant, cum tamen imago illa amoris, de qua *Lilius Girald. in syntagm.* Iuuenis, scilicet, vestem indutus asperam, capite discooperto, epigramma haberet, vita,& mors,hyems,& æstas,præterea latus habens ad cor vsque apertum in quo vulnus digito demonstraret cum aliis verbis: longe, & propè.

E Verus igitur Israëlitarum amicus veluti de longè audiuit gemitum filiorum Israël, propéque accedens eos consolatur. Ait enim *Exod. 3. Descendi, vt liberem eum*, imo veræ amicitiæ leges obseruans cum ipsis adest in tribulationibus,& ideo apparet in rubo ardenti, qui miseram Israëlitarum oppressionem significabat, vt fert communis sententia cum Philone, & Theodoret. vnde David, ait. *Quæ est autem vt populus tuus Israël gens in terra,*

Exod.3. num.8.
Exod.3. num.2.
2. Reg.7. num. 23.

propter quam iuit Deus vt redimeret eam A *sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, & Deum eius.* vbi *Vatabl.* ait. Deum, idest, reipsum, quod videaris affligi cum hi affliguntur, affligebatur enim Deus cum afflictis amicis.

Hoc etiam possumus comprobare ex vexillis, sub quibus vniuersus olim Hebræorum populus incedebat, quorum de figuris, ac coloribus à plerisque dubitatum, & decertatum est, etenim *Rabbi* B *Abraham, & Rabbi Abenezra* citati ab *Abul. cap. Num. q. 5. item Paulus Burgens.* ibi *additi.* 2. asserunt fuisse figuras animalium Ezech. leonis, scilicet, bouis, hominis, & aquilæ: de coloribus verò restat inquirendum. Hebræi igitur apud *Lyran.* putant eosdem habuisse colores sicut lapides illi, in quibus incisa erant nomina filiorum Israël in Rationali summi Sacerdotis, v.g. vexillum Ruben, rubei coloris, sicut & Sardius, in quo eius nomen, atque ita cæterorũ vexillorum colores respon- C debant coloribus lapidorum, vt scilicet, quando filij Israël congrederentur cũ hostibus, vexillorum colores intuentes recordarentur se Sacerdotis summi, idest, summi Regis pectori ac corde inhærere, qui in mediis periculis minimè deserturus erat, sed simul cum eis, & pro eis pugnaturus, sicut confessi sunt Ægyptij de

Exod.14. num.25. vero ac summo Deo quando dixerunt. *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Proindéque audacter Israëlitæ hostibus congressi, nec labori parce- D rent, nec pericula formidarent, in quibus socium habebant amicum Deum.

Cum ergo mala illius populi, vt propria pateretur, eo modo quo diximus, bona etiam eiusdem propria reputabat ideóque terram Chanaam, in qua filij Israël tot laboribus, ac itineribus confecti requieuerunt propriam ipse appellat re-

Psal. 94. num. 11. quiem, cum per Dauidem ait. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiẽ meam,* vbi requiem suam appellat terram illam, in qua amici à laboribus supersedere. Quis E ergo miretur Moysem dicentem in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos, siue deposuisti aduersarios meos, hósque appellare Dei aduersarios, qui Moysi, & filiis Israël aduersabantur, quos Deus vt amicos, filiósque diligebat, quorum offensas, leuémque tactum, pupillæ oculi sui illatum asserebat.

Quod si Deus populum Israëliticum A vt amicum, & filium diligebat, ipsiúsque amicus dici dignatus est, quanto maiori cum ratione noui testamenti filios, amicos eius dicere possumus, postquam ad nos descendit, & mala nostra, excepta culpa suscepit, vt nos omnibus bonis repleret, & amicitiæ conditiones, & leges longè aliter adimpleret. Neque vero obstat in amicos sibi assumpsisse eos, qui serui natura sua sunt, etenim præter ea, quæ superius diximus hac de re; in primis gratulatur Christo Domino Ioannes cum B ait: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Vbi *Rupertus* ait. Confitentur omnes redem- *Apoc.* 5. pti, & verum dicunt, quia sunt serui eius, *num.* 10. qui eos redemit, sed ipse qui redemit, non seruos, sed amicos, non subuenientes, sed conregnantes facit, & dicit; quid multa? Conditiõne sua sunt serui emptitij, sed dignatione illius vocantur, & sunt amici.

Nec mirum alicui videri debet, si seruos in amicos Dominus omnium sibi as- C sumat, qui sic dignatus est seruos honorare; etenim si voluntas Assueri Regis potuit despectum Mardochæum sic honorare, vt pretiosa stola indutum, impositúmque regio equo præco præcederet clamans: *Hoc honore dignus est quemcumque* *Ester.* 6. *Rex vult honorare,* quanto maiori hono- *num.* 7. re dignus censendus erit ille, quem supremus Rex voluerit decorare, & amore præuenire: Nam si quilibet amor dignatione diues est, sicut dixit *D. Bernard. serm.* 70. *in Cant.* Quæ verba sic interpretanda cen- D seo, vt asserant amorem diuitem admodum esse in reddendo dignantem amatam quolibet honore, & beneficio quantumcumque amans ipsam alias videatur excedere, statim enim atque afficimur amore, & beneuolentia erga aliquem, eundem censemus dignum, qui à nobis quæcumque pretiosa dona accipiat, quid mirum si nos diuina beneuolentia dignos reddidit, vt ab statu seruili in amicorum ordinem assumeremur.

Nouerat hanc Dei benignitatem perdi- E tus ille filius, qui in se reuersus, & ad patrem rediens non dixit. Domine peccaui in cælum, & coram te, &c. Sed potius: *Pater peccaui in cælum,* quæ verba sic in- *Luc.* 15. terpretatur *D. Hieron. homil.* 10. *in Epist. ad* *num.* 18. *Rom.* vt accommodata fuerint diuino Dei amori, neque enim ait *Chrysost. Sic ille lætatur cum Dominus, vt cum Pater audit, neque cum seruum, vt cum filium habet, atque adeò hoc mauult, quàm illud.* Sic

Chrysost.

Chrysost. Ex cuius sententia illud colligimus, propterea non se seruum, sed filium dixisse Prodigum, quia nouerat apud Deum magni stare hominem, quem etiam potius voluit recipere, vt amicum, & amplecti, vt filium, quam plectere vt iniquum seruum.

Et ne quis adhuc difficultatem ingerat ex diuina Maiestate infinitè superante, & excedente humanam miseriam, proponimus felicem Dei descensum, quo nos euexit vsque ad sui consortium, quod superius iam tractauimus, & melius adhuc tractat *Ambros. lib. 1. in Luc.* ad illa verba, *c. 6.* (Luc. 6. num. 17.) *Descendens Iesus de monte*, ad vulnera, inquit, nostra descendit, vt vsu quodam, & copia suæ naturæ comparticipes nos faceret esse regni cœlestis, &c. Et *Leo serm. 3. de Natiuitate Domini, c. 3.* ait. Ipse ad nos descendit ad quem nos non poteramus ascendere, & *serm. 5. c. 3.* ait. In assumptione nostræ naturæ, nobis factus est gradus, quo ad ipsum per ipsum possimus ascendere, sicut item idem diuinum Verbum ad nos descedens. (Philip. 2. num. 7.) *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Et *cap. 2. eiusdem sermonis* ait. Propter nostram infirmitatem exinaniuit se incapacibus suis, & velamine corporis splendorem maiestatis suæ, quem visus hominum non ferret, obtexit, nec tamen illi aliquid in hac inclinatione decessit, assumpsit enim formam serui, sine labe peccati, vt idem *Leo* latius tractat, *serm. 3. cap. 2. & serm. 5. c. 4.* Creatoris, inquit, ad creaturam descensio credentium est ad æterna subuectio, in eo constituit Deus saluandorum fidem, quod, & indignum videretur, & stultum, vt deficientibus omnibus opinionū præsumptionibus sola Dei gratia reuelaret, quod comprehendere humana intelligentia non valeret, quibus habet similia *Euseb. Emiss. homil.* super illud: *Arundinem quassatam, &c.*

In hoc autem descensu, & aduentu nobis maximam ostendit amicitiam Deus dum ad humiles extollendos venit, & ad miseros subleuandos descendit, & ideò *Bernard. homil. 3. Super missus est*, ait. Magnificetur à nobis paruulis magnus Dominus, quos vt faceret magnos factus est paruulus, *& serm. 1. de Natali.* Quid tu times, ô homo, inquit, quid trepidas à facie Domini? Et reddens rationem depellendi timoris ait. Homo factus est, vt tibi adeundi fiduciam magnam præberet, nec solum venit, sed, vt statim subdit,

A paruulus venit, vt materiam prærogaret, & paulo post: licet paruulus ad nos venerit, non parum tamen attulit nobis, nec contulit, si quæris quid attulit? Primò omnium attulit misericordiam, nec solum ob hanc rationem factus est homo, sed præcipuè, vt homines faceret deos, & *Theod. serm. 1. de prouidentia*, dixit. Non negligit naturam humanam opifex, quæ nunc bellunam formam induerat, sed innouauit ipsam, veteremque venustatem reddidit, eosque in filios suos adoptauit, qui ne ser- B uire quidem digni erant.

Quia verò amicitia confidentiæ mater est, dixit rectè *Gregor. homil. 32. in Euangelia ad finem.* Fiduciā præbet apud Deum homini, Deus homo, &c. *& August. in Manuali, cap. 26.* Vt familiarius, inquit, diligeretur ab homine Deus, in similitudine hominis Deus apparuit, quod prosequitur *Tertull. lib. de Resurrect. carnis*, vbi de Deo Patre sic loquitur. Diligit carnem nostram tot modis sibi proximam, manuum suarum operam, ingenij sui curam, ad C flatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, Christi sui sororem.

Et in hanc sententiam intelligetur, cur Christus Dominus postquam deiecit in terram Paulum, vt eum totum trementem, & timentem ad sui cognitionem traheret, fiduciam sperandæ pietatis ingereret, & ad sui amorem alliceret, dixit illi: *Ego sum Iesus Nazarenus*, super quæ verba sic ait (Act. 22. num. 8.) *Gregor. 33. Moralium, c. 24.* Non ei à Domino responderur, ego sum vnige- D nitus Patris, ego principium, ego Verbum ante secula: quia enim Saulus Dominum Incarnatum credere contenebat, & eius humanitatis infirma despexerat, de cælo hoc, quod contempserat audiuit. Ego sum Iesus Nazarenus veluti si apertiùs dicat: humilitatis meæ infirma suscipe, vt ad mei consortium, & amicitiam ascendere possis, facilè enim deiectus in terram subleuaberis, si descensum meum in terram ad homines quærendos, & eleuandos perpenderis, & ideò *Chrysolog. serm. 67.* di- E xit: *Quid est magis tremendum, quod se dedit terris Deus, aut quod vos dat cælo? quod societatem carnis intrat ipse, aut, quod vos facit consortium diuinitatis intrare? Quod mortem sumit ipse, aut, quod vos resumit ex morte? Quod ipse in vestram nascitur seruitutem, aut quod vos sibi gignit in liberos? Quod suscipit paupertatem vestram, aut, quod vos sibi facit heredes, sui vnici coheredes? Est vtique terribilius,*

quod terra transfertur in cælum, homo Deitate mutatur, seruitutis sors dominationis iura sortitur, sed hoc quamuis metuendum sit, tamen quia causam non docentem respicit, sed iubentem, accedamus filioli, quo vocat charitas, trahit amor, inuitat affectio: totum quod est in nobis respondeat gratiæ, non timori: quia qui Iudicem mutauit in Patrem (adde & in fratrem) amari voluit, non timeri. Sic ille, qui nobis tot modis coniunctum Deum prosequitur, vt summam illius erga nos beneuolentiam, & amicitiam probet, & ostendat.

Et ne huic amicitiæ, & singulari beneuolentiæ deesset id, quod in superiori probauimus, & in omnibus commune habetur, quod scilicet amicorum omnia sint communia ex prædicta vnione, qua Deus sibi copulauit in supposito Verbi naturam humanam, facta est communicatio idiomatum inter Deum, & hominem, vt docent Theologi, cũ magistro *in 3.d.4.& 7.* Et *D.Thom. cum suis 3.p. q.15.* quæ communicatio noc est realis respectu vtriusque naturæ, quasi ipsa diuinitas facta fuerit passibilis, & humanitas realiter sit facta omnipotens, & immensa, ac proinde vbique pariter sit cum Verbo, sicut hæretici huius temporis dicunt, attributa diuina non solum prædicari de homine, sed etiam de ipsa humanitate, quam vocant omnipotentem, omni præsentem, &c. sed est realis quidem respectu hypostasis, siue suppositi existentis in vtraque natura, & consistit in hoc, quod ratione vnionis hypostaticæ, diuina, & humana prædicata de eadem persona, verè prædicantur, etenim, quando duæ formæ, vel naturæ in eodem supposito realiter vniuntur de eodem possunt verè prædicari. Vnde fit etiam, vt in ordine ad ipsum suppositum, seu sub nominibus connotantibus idem suppositum, possint proprietates vnius naturæ de indiuiduo, seu supposito alterius naturæ prædicari, quod explicari potest exemplo petito à *Philosopho 2. Physic. cap.1.* vbi de eo, qui simul faber est, & musicus dixit. Faber cantat, & musicus fabricat.

Cùm ergo per Incarnationem duæ dentur naturæ substantialiter vnitæ eidem supposito; nomina significantia illas naturas in ordine ad suppositum, vt sunt homo, & Deus proculdubio prædicabuntur de illo supposito, cui naturas ipsas applicant, ipsumque in illis subsistere significant: nam si Christus est homo, & homo est Deus, ergo homo est Deus, & sic de

A homine illo verè dicitur quidquid ad Dei gloriam, & maiestatem spectat, quæ doctrina petita est à sanctis Patribus, *Ambr. lib.2. de fide, c.4. & lib.5. c.8. August.1. de Trinit. c.13. Damasc.3. de fide, c.4.6.& 11. Leone Papa Epist.10. & sermon. de natiuit. & passion.* frequenter, docetúrque in multis Concil. præsertim in Ephesino frequenter docetur & à Cyrillo multis opusculis, & Epistolis, quæ de hac materia in eodem Concilio referuntur, præsertim in anathematismis, & in defensionibus B eorum, *& lib.10. thesauri, cap.2.*

Ecce igitur ex hac commutatione quomodo amicus Deus sua propria communicauit amico, & propria amici sibi addixit, quod magnum, & efficax amicitiæ argumentum est. Quod si mala nostra velis Deo communia, quod etiam amicorum proprium est, recole quæ iam superiùs diximus versu secundo ad illa verba: Iste Deus meus, vbi aduersarios nostros velut suos propria morte superauit, idque pro gloria, & honore proprio duxit, & proba- C tur insuper ex illa tristitia Christi Domini, quæ non aliunde, pro nunc, orta videtur ex sententia *Hieron.* quam ex eo, quod viderit infelicem mortem Iudæ, discipulorum scandalum, atque Iudæorum destructionem, sic enim habet *Hieronym. in comment.* ad dictum locum. Contristabatur non timore patiendi, qui ad hoc venerat, vt pateretur, & Petrum arguerat timoris, sed propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorum, & reiectionem populi Iudæorum, & euersio- D nem miseræ Hierusalem, vnde & Ionas, *cap.4.* super ariditate cucurbitæ, vel hederæ contristatus est nolens perire tabernaculum suum. Similia habet *Victor Antiochenus in cap.14. Marc.* cum apud illum eadem verba interpretatur. *Mat. 26. num. 37.*

Vnde apertè constat hominum mala, sic velut propria reputasse Christum Dominum, vt ex sola repræsentatione illorum tantam conceperit tristitiam, quæ posset ad sudorem, & effusionem sanguinis peruenire, aduertit autem idem *Hie-* E *ronym.* dixisse Christum Dominum: *Tristis est anima mea vsque ad mortem,* propterea, quod ipsius mors vita nostra futura erat, & inde nostra lætitia, nostrúmque remedium oriri debebat. Quæ contristatur anima, ait ille, & non propter mortem, sed vsque ad mortem contristatur, donec Apostolos sua liberet passione: postulat vt transeat ab eo passionis calix, non timore patiendi, sed misericordia prioris populi: *Mat. 26. num. 38.*

populi: nec ab illis bibat Calicem propinatum, vnde, & signanter non dixit, transeat à me calix, sed calix iste, hoc est populi Iudæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit habens legem, & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur. Adeò itaque solicitus erat de alienis malis imminentibus, vt potius pro illis euitandis Patrem enixè deprecaretur, quam pro morte sua abolenda, & forte ideò tunc temporis discipuli dormiunt, in quibus vniuersum genus humanum repræsentabatur, quando ipse vigilat, tristatur, & orat, vt manifestius demonstraretur mala nostra ipsum solum portare, qui solus de illis admodum solicitus dolebat, quod etiam dixit idem *Hieron.* his verbis. Solus orat pro omnibus, sicut, & solus patitur pro vniuersis, vltrò se interficiendum præbet, dicítque discipulis suis: *Surgite eamus*, ne nos inueniant quasi timentes & retrahentes; vltrò pergamus ad mortem, vt confidentiã, & gaudium passuri videant: stultum est cum gladiis, & fustibus quærere, qui vltrò se tradidit vestris manibus, & quia pro nobis traditus est, ipse, qui pro nobis contristatus fuerat mala nostra in corpore suo tulit, & mortem nostram propria morte abstulit, & flagella peccatorum nostrorum in corpore suo pertulit, quo sensu soluit, & consiliat *D. Hierony. in c. 27. Matth.* duo loca, quæ inuicem sibi videbantur opposita, nam cum *Psal. 30. Multa dicantur flagella peccatoris*, & in *Psal. 90.* de viro iusto asseratur; *Non accedet ad te malum, & flagellum nõ appropinquabit tabernaculo tuo*, tamen videmus Christum Dominum flagellatum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, imo neque inueniri potuit; soluit igitur difficultatem *Hieron.* dicendo, Verbera, & flagella, quæ Christus Dominus pertulit, nostra prorsus esse, qui, vt verus amicus debita nostra soluit, & amicorum mala in se suscepit, velut propria, sic vero habet. Traditus est itaque Iesus militibus verberandus: & illud sacratissimum corpus, pectúsque Dei capax flagella senserunt. Hoc autem factum est, vt quia scriptum erat, *multa flagella peccatorum*, illo flagellato, nos à verberibus liberaremur, dicente Scriptura, ad virum iustum: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, deinde addit nos hæc intelligamus mysticè, scilicet exuentes eum clamydem coccineã circumdederunt, & plectentes coronam de spinis posuerũt super caput eius, quo modo enim Caiphas dixit: *Oportet vnum hominem mori pro omnibus*, nesciens quid diceret, sic, & isti quæcúmque fecerant, licet alia mente fecerint tamen nobis, qui credimus sacramenta tribuerunt: in clamyde coccinea opera gentilium sustentat, in corona spinea maledictum soluit antiquum, in calamo venenata occidit animalia, ridénsque eorum interpretationem, qui Caluariæ locum, vbi Christus crucifixus est, deducunt à Caluaria Adam ibi sepulti, ait. Extra vrbem, & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum: & Caluariæ, id est, decolatorum sumpsere nomen. Quoniam verò pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus, & crucifixus, sic pro omnium salute, quasi noxius inter noxios crucifigeretur, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia: si enim Golgotha tumulus est Adam, & non damnatorum locus, & ideò Dominus ibi crucifigitur, vt suscitet Adam, duo latrones quare in loco isto eodem crucifiguntur? In loco igitur iniquorum hominum passus est Dominus, qui omnium iniquitates pertulit in corpore suo.

Ecce igitur quomodo verus amicus, & corpore, & capite, & habitu, &, loco nostra mala sua duxerit, ac portauerit, & bona sua nobis impertitus fuerit, quia amicorum omnia communia. Quoniam verò *Thom.* loco superius allato communicationem donorum ad rationem amicitiæ videtur exigere, id quidem factum post Incarnationem Verbi cumulatissimè probat Petrus cum ait. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit*, vbi per promissa intelliguntur Religionis nostræ sacramẽta, & mysteria olim in lege veteri promissa, tradita vero Apostolis, quos designare videtur Petrus pro nomine *nobis*, & cætera omnia bona promissa, neque enim promissa dantur, nisi res promissæ, sicut neque promissiones dantur propriè loquendo, vnde etiam Paulus *reportare* dixit *promissiones*, id est res promissas, *quæ igitur processerunt de labys suis non fecit Deus irrita, & ideò vocamur fily promissionis in semine Abraha*, à Paulo, *D. August. in Psal.* 148. ad illa verba, *Præceptum posuit, & non præteribit.* Sic ait. *Qui promisit omnipotens est. Si ad nos attendamus, quid sumus? Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut vero pro minimo habet Deus hominẽ, propter quem mori voluit vnicum suũ? Attẽdamus ad iudicium dilectionis, &* promissionis

[Margin notes: *Ioan.* 11. *num.* 50. — *Psal.* 30. *num.* 10. — *Psal.* 90. *num.* 10. — 2. *Pet.* 1. *num.* 4. — *Heb.* 10. *num.* 36. — *Psal.* 88. *num.* 35. — *Rom.* 9. *num.* 8.]

promissionis Dei: qui promisit Deus est, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam, vitam ad regionem peregrinationis nostræ, accipere, quod hic abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem: hæc abundant in regione nostra, ad talia commercia venit. Quid hic dedit? Quid hic accepit? Dedit exhortationem, doctrinam, remissionem peccatorum attulit nobis de illa regione bona, & in regione nostra ipse pertulit mala: plus est iam, quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo, incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam vt in æternum viuat mortalis. Iam quod incredibilius est tenemus: si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus mortalis in æternum, propter quē mortuus est, qui viuit in æternum, sed quomodo mortuus est Deus? Et vnde mortuus est Deus? Et potest mori Deus? Accepit ex te, vnde moreretur pro te, induit se vbi moreretur pro te, induit te vbi cum illo viuas, vbi se induit morte? In Virginitate matris. Vbi te induet vita? In æqualitate Patris. Sic *August.* ostendit non solum quæ mala pro nobis passus sit vetus hic amicus, sed quanta bona contulerit ne aliqua amicitiæ conditio Christo etiam deesse videretur.

Sed illud pro commendanda diuina amicitia erga filios noui Testamenti hoc in loco sese offert annotandum, quod licet Deus olim homines maximè dilexerit, adhuc tamen aliquos patitur sibi inimicos dici, &, vt tales eos persequitur, quanquam hoc ex amore erga Israëlitas oriatur, at vero post natum Christum Dominum in terris nusquam, & nunquam amici vocabuli obliuiscitur, etiam erga pessimos, & infestissimos homines. Animaduersione dignum censuit *Cicer. lib. 1. de officijs*; Quod olim is, qui proprio nomine perduellis appellabatur, hostis vocaretur, erat autem perduellis dictus, vt *Festo* placet, ab eo, quod pertinaciter teneret bellum: hostem autem vocabant antiqui, quem nunc dicimus peregrinum, ait ergo *Cicero*: Equidem illud animaduerto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam Dei mitigante. Quanto igitur maiori cum ratione non solum animaduertere, sed admirari etiam possumus, quod benignissimus Dominus sibi inimicissimos, & infestissimos homines

A appellet amicos? Quod ostendit locus ille, quem de Christo Domino intelligunt *August. Chrysost.* & alij vbi de impiis Iudæis ipsum accusantibus, & persequentibus sic conqueritur: *Amici mei, & proximi mei appropinquauerunt aduersum me, & steterunt. August.* putat dictos amicos, quod se tales simularent, at vero *Chrysost.* in rem nostram ait: *Amicos quidem appellat, non, vt qui Iesum amarent, sed, vt qui ab eo amarentur*; Quamquam enim, vt inimici aduersus Dominum aduersaturi Psal. 37. num. 12.
B starent, velut amicos corde proprio gestat, qui etiam proprio ore eos amicos confitetur, cum ab eisdem maximè læditur.

Possumus hoc comprobare ex *Greg. 10. Moralium, c. 7.* vbi cum Paulo maximam latitudinem diuinæ charitatis, prosequitur, aitque. Habet quippe Deus latitudinem, quia dilectionem suam vsque ad collectionem persequentium tendit, cum ergo diligat, & intimo corde concludat ipsos etiam inimicos, quid mirum si eos
C sic appellet, quos sic diligit?

Hoc ipsum videre est in eo, quod Christus Dominus dixit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, vbi Christus Dominus loquitur de sua erga nos dilectione, & de morte, quam pro omnibus passurus erat. quorum plerique inimici profectò erant, pro quibus etiam mortem obiit, vnde *Bernard. serm. Feria 4. hebdom.* pœnosæ ait. Maiorem charitatem habuisti Domine, ponens animam pro inimi- Ioan. 15. num. 15.
D cis. & Paulus pro inimicis etiam mortuum indicat, cum ait. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Iam vero peccator peccando inimicus Dei quem ostendit constituitur. Ait ergo *Maldonat.* ex aliorum sententia, quos ipse commendat, ad prædicta verba. Pro iis posuit animam suam, qui, & amici, & inimici erant: amici quemadmodum hic ipse vocat, quia ab eo diligebantur, inimici quemadmodum illic vocat *D.* Rom. 5. num. 8.
E *Paulus*, quia ipsum non diligebant, & certè nemo pro inimico animam suam ponit: nam eo ipse, quod ponit, cum diligit, sed dices cur amicos potius appellat, cum inimicos vocare posset? Respondet *Rupert. ibi lib. 11.* vt suauitate locutionis dulcedinem in auditoribus sensim diffunderet eiusdem, quam illis mandabat dilectionis: clarius ad rem nostram *Maldonat.* Non conueniebat inimicos appellare,

quos

quos ostendere volebat adeò caros, id est, amicos sibi fuisse, etenim sicut dixit *Chrysost. homil. de cruce & latrone, & homil.44.tom.5.& homil.* quæ incipit: Diligamus omnes: *Verus amor, & amicitia ignominiys non soluitur, sed magis accenditur*, quibus habet similia *D.Hieron.lib.1. Dialog.cont.Pelag.* Et ideò *Bernard.serm. 9. in Psalm. Qui habitat*, ait. *Non aliter pro amicis mortuus est Christus, nisi pro acquirendis, videlicet, vt amicos faceret ex inimicis, inde enim adhuc cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per sanguinem fily sui. Aut potius pro iam amicis, etsi nondum quidem amantibus, sed tamen iam amatis.* Sic ille, cui addendus *D.Thom.in Ioan.* vbi rem etiam sic explicat, homines, pro quibus Christus animam posuit, licet non essent amici, quasi amantes, erant tamen amici, vt amati, ex quibus illud colligimus Christum Dominum pro inimicis, amatis tamen vt amicis sanguinem fudisse, & mortem obiisse, vt ipsi tandem amici redderentur, & vt tales ipsum diligerent, velle autem amari ab hominibus, vt ab amicis ex eo nascitur, quod magnoperè eos amauerit, sicut ait *Chrysost. homil 10.in Epist.ad Rom.*

Hinc est, quod neque traditorem Iudam amici cognomine priuauit, cum ei dixit: *Amice ad quid venisti:* Neque enim est ironica appellatio, sicut rectè aduertit *Franciscus Lucas* ibi, sed ingratitudinis

Mat. 26. num. 50. obiectio: *Amice*, inquit ille, *quem ego habentes in amicitiam admisi meam, coniunctam cum familiari conuictu, quem etiam nunc dico, & cui bene volo, cuiusq; perditionem doleo*, acrem enim aculeum in se continet amici nomen, quo illius conscientiam pungit submonentis, quam indignum facinus perpetret, cum enim ad se venientem videret Iudam, etiamsi vt eum traderet: amicum appellauit, quisquis enim clementissimum Dominum accedit, vt amicum excipit, delicta enim non videt vis amoris, sicut dixit *Chrysol. serm 3.de prodig.* vbi ponderat patrem cecidisse super collum venientis filij, vt obiecto corpore nuditatē filij tegeret, quod etiam fecisse hoc in loco Christum Dominum potest colligi ex eo, quod refert *D.Brigitta lib.4. reuelation. c.69.* Iudam, scilicet, breuioris fuisse staturæ, ita vt ad eius osculum excipiendum inclinauerit se Christus Dominus dicens: *Amice ad quid venisti?* Quanquam *D. August. lib. 3. de consens. Euang.c.6.* dixerit. Primo Dominum dixisse: *Iuda osculo Filium hominis*

A *tradis:* Deinde, *Amice ad quid venisti?* Verum tamen prius videtur amicè excepisse Iudam, & ad ipsum excipiendum se inclinasse, deinde increpasse, nam post increpationem non satis commoda amica sequitur vox, & receptio. Ipsum itaque Iudam appellat amicum, non iudicans eum secundum eius malignitatem, & odium, sed secundum summam charitatem, qua pessimum discipulum persequebatur, vnde *D.Gregor.* ponderans 3.*Moralium,cap.14.* cur dicantur amici Iob, qui inimici potius

B possent appellari, & figuram hæreticorum Ecclesiam Dei persequentium gerebant ait. Nec mirum, quod qui aduersantium formam exprimunt nominantur amici, cum ipsi quoque traditori dicitur, *Amice ad quid venisti?* Et diues, ille, qui in inferno exuritur Abraham filius vocatur: quia, etsi per nos mali corrigi negligunt, dignum tamen est, vt à nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur. Sic ergo amicus vocatur Iudas, & amici vocantur persecutores à

C Christo Domino ex summa benignitate, & beneuolentia, qua eos velut amicos diligebat. Ibique rectè potest dici, quod ex abundantia cordis charitate deflagrantis os loquebatur, amicum, & amicos vocitans.

Eleganter vero *Plutarch.in lib.de officio iudicis*, dicit. Non dissimilem esse charitatem hederæ, quæ facilè inuenit quò se alligare possit, & quod obtegere, viride, & pulchrum reddere, adhærendo enim ruinis domorum, & arido, putri, veterique

D arboris trunco, eum viridantibus foliis tegit pulchrúmque ramis operiendo reddit, sic diuina Christi charitas ex se sumit ansam, cum in nobis non inueniat, vt eos diligat, & ex sua dilectione, cum aliunde nequeat, vt amicos appellet, quos inimicos experitur, qua de re videndus *Epictetus Plat.in suo Enchirid.cap.65.* cum dixit vnamquámque rem duas habere ansas, alteram tolerabilem, intolerabilem alteram, in Iuda igitur non apprehendit magistri amor, & amicitia eam ansam, qua

E traditor, & comprehendendum eum veniebat, & summis beneficiis acceptis ingratus erat, sed qua ipsum diligebat, discipulum contemplabatur, & ad se reuocare satebatur.

Vide insuper Christi beneuolentiā, qui præ omnibus videtur offensus, dum signo amoris inimicitiam exequitur, cúmque morti, vt inimicus tradit, qua de re potiùs quam de traditione, & morte conquestus

P p ait:

Luc.22. num.48. ait: *O, osculo tradis Filium hominis:* vbi *Ambros.* ait. *Amoris pignore vulnus infligis, & charitatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento mortem irrogas, seruus Dominum, discipulus prodis magistrum?* Totidem ferè verbis, vt solet sequitur *D. August. homil. 2. de passion. & homil. 5.* vbi ait. *O sacrilegum signum, ô placitum fugiendum, vbi ab osculo incipitur bellum. Arma iam aderant, inimici cohors processerat, Petrus iam super gladium exemerat, sed inimicorum etiam amicus, & pacis amator, Dominus pacis osculum in odium, & bellum videt conuersum, & in medio bello pacem proclamat, amicum prædicat, & Petrum percutientem reprehendit, qui solam pacem nouerat, solam amicitiam requirebat.* Sic *August.* Ideóque *Tertull. lib. de pudicitia, c.21.* ait Plagas inflixerunt discipuli, quod noluit Christus Dominus, neque enim decebat fæuire, qui pati venerat, & *lib. de patient.* ait. Neque vnius quidem discentis, id est discipuli, gladium in vltionem probauit, patientia Domini in Malcho vulnerata est, & gladij opera maledixit in posterũ, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexauerat satisfecit per patientiam misericordiæ matrem, & dum sanat auriculam beneficum se ostendit, & amicum in persecutores, hoc ipsum nos docens, sicut nouit *Chrysost. in cap. Ioan. 18.*

Perfectam denique, & in fine totius perfectionis positam ostendit charitatem, dum in fine vitæ pro inimicis orat, qui minus diligibiles sunt, sicut prosequitur *August. in Enchirid. c. 73. & lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 42. & Epist. 156. & lib. 83. quæst. quæst. 53. & D. Gregor. lib. 2. Epistolar. Epistola 24. ad Euseb. Abbat.* vt ostenderet, quoniam qui pro inimicis orabat, omnes profecto, vt amicos diligebat, & diligendo bona etiam in fine precabatur.

Neque vero aliunde hoc melius possumus comprobare, quam ex *Authore operis*
Matt.5. num.23. *imperfecti in Matth.* ad illa verba. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum,* Quod præceptum ex nimio erga nos amore asserit impositum, idque ostendit petita similitudine hominis, qui cum maximè diligat duos inter se dissidentes, & rixãtes, quemlibet eorum veretur offendere, si se in alterum propensum, & beneuolum ostendat, & pro illo suffragium ferat, sic proinde

A Deus renuit sacrificium illius, aduersus quem frater habet aliquid, ne scilicet iæsus frater si viderit à Deo acceptari sacrificium eius, qui se offendit, & de Deo conqueratur quandoquidem amicũ se ostendit eius, qui inimicus est prædicti hominis, cúmq; læsit, quod videtur etiam contra leges amicitiæ, quas inter se homines seruare consueuere, sic ergo habet prædictus Author. Imprimis scire debemus, quod quamdiu fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis
B non potest esse amicus, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur: vel si quid aliud bonum fecerint, quia nemo inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum: vtpote, si de illo bene loquaris apud illum, displices illi, & in suspicionem venis, quasi plus diligas illum, & si ad illum benè loqueris de isto, displices illi, & in suspicionem venis, quasi plus diligas istum. Ideò & Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu ipsi inter se fuerint inimici, quia si illi misericordiam
C fecerit, iste cõtristatur: Et si non contristatur, quia nihil potest agere contra Deum, irascetur ad Deum, quia miseratus est inimicum eius, similiter, & si isti misericordiam fecerit, ille contristatur: considera qualem habet Deus conscientiam circa, & quomodo fidem seruat hominibus, quia nos perfectè diligit, ideò inimicis nostris non vult esse amicus, vt puta Deo inimici estis fideles, ideò tibi non vult esse amicus, quia illi amicus est, & ideò illi non vult esse amicus, quia tibi amicus est: ergo
D te diligens, illi inimicus est, & illum diligens, tibi est inimicus, alteri, & aduersatur Deus, alteri conscientiam seruat, & dum ambos diligit, nulli vult esse amicus propter inimicitias amborum, & deinde subdit ad illa verba, Relinque ibi munus tuum. Vide misericordiam Dei, quomodo hominũ vtilitates ampliùs aspicit, quam suos honores, si enim suos honores magis adspiceret, sic dixisset, interim offer munus tuum, & posteà vade, reconciliare fratri tuo, nunc autem dixit: vade primum,
E & reconciliare, & sic veniens offeres, tanquam si dicat ad illum. Vnde ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter expecto Dominus seruos, tantummodò, vt vos in amicitiam veniatis. Sic ille, rectè ostendit quanti Deus faciat hunc amorem inimicorum propter amorem amicorum suorum, hominum scilicet quos diligit, vt nulli velit displicere, & ideò adeò offensoris munus

non

non recipit, quoad vſque alteri reconci-
lietur,& ſic vtrumque æquè diligere poſ-
ſit, qui omnes homines verè diligit.

Sed adhuc ibi latere aliquid, & magnũ
aliquid videtur, namque cum Deus ho-
mines à ſacrificiis reuocet, & ire iubeat
ad amorem tanquam ad aliquid meliùs,
ac ſuperiùs reducere cenſendum eſt,& li-
cet hoc durum admodum videatur,facilè
tamen inde conſtabit, ſi aduertamus ſa-
crificium,etiamſi ſit actus Religionis, ta-
men eſſe opus creaturæ ſolius, nec enim
alius offert Deo ſacrificium, niſi qui Deo
ſeſe ſubiicit,at vero actus dilectionis ini-
micorum, actus eſt Deum imitans,& pri-
mo in Deo repertus, qui *prior dilexit nos*,
Ioann. 4. ſicut teſtatur *Ioan.* 1.*Cant.c.*4.vbi *D. Au-*
num. 19. *guſt.*dixit inimicorum dilectionem innuit
Rom. 5. eo in loco, & *Paulus* *Rom.*5. dixit : *Cum*
num, 10. *inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo*,
quæ fuit ratio,cur Chriſtus Dominus do-
cens amorem inimicorum addiderit : *Vt*
Matt.5. *ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.*
num. 44. Iam vero ratio filiationis in aſſimiliatio-
ne conſiſtit, proindéque is, qui inimicos
diligit ſimilis prorſus Deo eſt, operatúr-
que ad modum Dei,cui proprium eſt par-
cere offenſoribus, & inimicos amplecti,
ac diligere.

Niſi fortè ea etiam ratione dimitten-
dum iubeat ſacrificium, & inimico prius
reconciliari præcipiat, quia id quod me-
lius eſt,magis placet Deo,præcipuè in ſa-
crificiis, vnde, & Deo diſplicuit ſacrifi-
cium Caini, quia non obtulit de primis,
ac præcipuis,& melioribus, ſi vero inqui-
ras quidnam fuerit ab eo oblatum,audia-
mus in primis *Rupertum libr.*4. *in Geneſ.*
*cap.*4. vbi ſic ait. Cain cum Deo offerret
ſua,ſe ipſum ſibi retinuerat, *Ambroſ.* vero
lib. de Cain & Abel, *cap.* 7. ait. Duplex
culpa, vna quod poſt dies obtulit, altera
quod ex fructibus, non ex primis fructi-
bus, & *Procop.* de frugibus,inquit,nec ta-
men in primis oblationem facit, nec do-
nat. ſed quaſi diſtribuit cum Deo, tales
enim erant Caini ſacrificij ritus,Abel pri-
mogenita reddit nequaquam, vt Cainus
curioſus, ne fortè, quid boni Deo daret.
Et *Lyran.* dixit : Cain obtulit de peiori-
bus, & corroſis, Abel de melioribus ani-
malibus.

Ex ſententia igitur horum omnium
auctorum ideò diſplicuit Deo ſacrificium
Caini, quia non obtulit meliora, ſicut
Abel ad cuius ſacrificium Deus reſpexit.
Fortaſſis proinde iuſſit Deus dimitti ſa-
crificium,& offenſo fratri reconciliari, vt

A illi aliquid aliud melius; Deóque magis
acceptum offeratur, in reconciliatione
nempe dilectio inimici,iniuriæ obliuio,&
offenſæ condonatio, quæ ei ſummoperè
placent, ſicut videtur atteſtari per *Oſeam*
*cap.*6.cum ait:*Miſericordiam volui,& non* Oſea 6.
ſacrificium, vt ſcilicet miſerearis miſeri num.6.
hominis,qui te læſit,& viſceribus miſeri-
cordiæ per dilectionem recundas.Vnde in
ea oblatione ſuprema immaculati Agni
in ara crucis immolata, cum inuenta fue-
rit ſumma perfectio ex parte offerentis,
B quandoquidem erat perſona diuina Filij
Dei,& ex parte rei oblatæ nempe vita Dei
hominis, ſanguiſque Deo hypoſtaticæ
vnitus, ne perfectio dicta deeſſet ſacrifi-
cio perfectiſſimo, ſcilicet,dilectio inimi-
corum,pro inimicis Patrem deprecatur,&
qui Deum vocat, cum pro ſe orat dicen-
do : *Deus meus,Deus meus,vt quid dereli-* Mat. 27.
quiſti me? Patrem agnoſcit, & ſe filium num. 46.
prædicat,pro inimicis oraturus, cum ait.
Pater dimitte illis, quia neſciunt quid fa- Luc.23.
ciunt, quaſi hæc ſumma probatio fuerit num. 34.
C diuinæ,& naturalis filiationis,ſi inimicos
diligens eoſdem velit abſolui,& conſum-
matio fuerit perfectiſſimæ illius oblatio-
nis, ſi pro inimicis proponatur.

Notetat hanc Dei clementiam, & be-
nignitatem vir ille ſecundum cor Dei,qui
in *Pſalm.*7. vbi orat vt eum liberet Deus
à filio Abſalon, & proſperum faciat con-
ſilium Chuſi contra conſilium Achito-
phelis; vt patet ex communi ſanctorum
Patrum expoſitione, & annotatione mar-
ginali ex 2.*Reg.cap.*16.ad dictum *Pſalm.* Pſalm.7.
D ait ergo:*Domine Deus meus in te ſperaui,* num.1.
ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus
me,& libera me, vbi *Chryſoſtom.*ait : Non
dixit puni hoſtem, tolle de medio inimi-
cum, ſed quod ſuum eſt tantum quærit;
quod quæ maius eſt,& in rem noſtram an-
notarunt *Baſil.& Chryſoſtom.* parricidam
filium ſilet, proprietate, & charitate in
eum,reiiciens potius in alios culpam, nec
exaggerans,tum etiam exprimendo,quod
belligerarent,& ille,qui in morte filij ni-
hil aliud habebat in ore quam *Abſalon*
E *fili mi,fili mi Abſalon,eſt ne pax puero Ab-*
ſalon? 2. *Reg.*18. ipſum nequiuit inimi- 2. Reg.
cum,aut perſecutorem dicere,ſicut neque 18.n. 32.
Chriſtus ipſum traditorem alia nominare & 33.
voce, quam amicum; & ſicut de Dauide
dixit *Nazianz. orat.* 4. id feciſſe natura,
videlicet, qua nihil eſt robuſtius inimici-
tiis ſuperante, ſic & Chriſtus ſuperante
dilectione inimicitias traditoris, ipſum
amicum appellauit.

A Neque verò aliunde nobis inimicorum
dilectionem inculcatam, & præceptam
existimo, nisi ex eo, quod Christi magna
charitas vsque ad collectionem inimico-
rum extensa, sicut iam ex *Gregor* diximus,
in nobis voluit extendi, vt videret diuina
charitas, à nobis dilectos, quos ipse vt
amicos ducebat, & diligebat. Est optimus
locus apud *Ambros. serm. 12. in Psalm. 118.*
Ps. 118. ad ea verba eiusdem *Psalm. numero 96.*
num. 96. *Latum mandatum tuum nimis*, vbi ita ha-
bet: quam latum est mandatum chari-
Matt. 5. tatis: *Diligite inimicos vestros*, omnes vti-
num. 44. que affectu charitatis inclusit, qui non
exclusit inimicos, quis enim videtur ex-
ceptus, cum recipiatur inimicus? Iudæi,
& Gentiles vix suos diligunt, Christiano
etiam inimicos non licet nō amare; Chri-
stianum cum dico, perfectum dico, in
Christo enim plenitudo Diuinitatis est,
cuius nomen vsurpas, qui vocabulum ge-
tis, interpretationem vocabuli perfectio-
némque, cur refugis? *Audi latum man-
datum tuum*, benedicite eos, qui perse-
quuntur vos.

Videndus hac de re *Tertull. lib. ad Sca-
pulam, cap.* 1. vbi ita habet. Iubemus inimi-
cos diligere, vt hæc sit perfecta, & propria
bonitas nostra, non communis, amicos
enim diligere omnium est, inimicos au-
tem, solorum Christianorum, *& c.* 2. ait.
Christianus nullius est hostis, *& c.* 4. de-
positum non abnegamus, matrimonium
nullius adulteramus, pupillos piè tracta-
mus, indigentes refrigeramus, nulli ma-
lum pro malo reddimus: quis de nobis alio
nomine quæritur? Quod aliud negotium
patitur Christianus nisi suæ sectæ? Crude-
litas vestra gloria est nostra.

Cant. 3. Videndus item *Bern. serm. 79. in Cant.*
num. 4. vbi sponsa dixit in *c. 5. Tenui eum nec di-
mittam*, existimat enim Ecclesiam Dei
sponsi sui naturam imitatam, magnam
erga synagogam ostendisse charitatem,
matrémque appellasse, quam potius no-
uercam dicere debuerat, ídque ex eo quia
nouerat Deum tandem reuersurum ad
Iudæorum reliquias, vt eos saluos faciat,
Osea 3. iuxta illud *Osea in c. 3.* vbi Propheta præ-
num. 5. dixit miserum statum, quem nunc He-
bræi habent sine Rege, sine Principe, sine
sacrificio, sine idolis, sine Deo, & tunc se-
quitur: *Et post hæc reuertentur filij Israël,
& quærent Dominum Deum suum, & Da-
uid Regem suum in nouissimo dierum*, vbi
paraphrasis Chaldæa ita habet. Et obe-
dient saltem tempore extremo Messiæ
filio Dauidis Regi suo.

Apertissimè hoc etiam dixit Malachias
in *cap. 4. Ecce ego mittam ad vos Eliam* Malac. 4.
Prophetam, antequam veniat dies Domini num. 6.
*magnus, & conuertet cor patrum ad filios,
& filiorum ad patres*, qua de re videndus
Hieron. in Psalm. 20. ibi, *In reliquijs suis
præparabis vultum eorum. August. 20. de
ciuitate Dei, c. 29. & lib. 2. de peccato origi-
nali, cap. 23. & lib. 9. de Genes. ad literam,
cap. 6. Gregor. homil. 12. in Ezech.* Deinde
exponendus est locus Malachiæ ex alio
Eccles. 48. vbi ita ait: *Qui receptus est in* Eccl. 48.
B *turbine ignis, in curru equorum igneorum,* num. 9.
*qui inscriptus est in iudicijs temporum ira-
cundiam Domini lenire, conciliare cor patris
ad filium, & restituere tribus Iacob*, quod
Christus Dominus significauit cum ait. Mat. 17.
Elias veniet, & restituet omnia, quod num. 11.
etiam probat Rabbi Salomon ex illis ver-
bis *Cant. 1. Osculetur me osculo oris sui,* Cant. 1.
quasi sit oratio synagogæ, seu potius gen- num. 1.
tis Hebrææ dispersæ, & post longum exi-
lium reuertentis ad sponsum suum, cuius
peculium fuerat, postulantísque reconci-
C liationem cum eo per osculum pacis, &
amicitiæ signum, qualis etiam reconci-
liatio describitur ab *Osea* 2. vbi synagoga Osee 2.
sub imagine mulieris adulteræ ait: *Ibo &* num. 7.
*reuertar ad virum meum priorem, quia tunc
melius mihi erat.* Similis descriptio habe-
tur apud *Ierem. Vulgo dicitur si dimiserit* Ierem. 3.
vir uxorem suam, & recedens ab eo duxe- num. 1.
*rit virum alterum, nunquid reuertetur ad
eum vltra, nunquid non polluta, & conta-
minata erit mulier illa? Tu autem fornicata
es cum amatoribus multis, tamen reuertere
D ad me dicit Dominus.*

Memor igitur huius benignitatis, &
dilectionis Dei Ecclesia, ipsi morem ge-
rens, ipsúmque imitata ait, *Tenui eum,
nec dimittam donec illum introducam in
domum matris meæ, & in cubiculum geni-
tricis meæ. Bern.* ergo sic explicat. Magna
Ecclesiæ charitas, quæ nec æmulæ syna-
gogę suas delitias inuidet, quid benignius,
quàm vt quem diligit anima sua ipsum
communicare parata sit inimicæ? Nec mi-
rum quia salus ex Iudæis, & ad locum vn-
E de exierat reuertitur Saluator, vt reli-
quiæ Israël saluæ fierent; in domo igitur
matris meæ introducā eum vnde ille exie-
rat, magna amoris potentia! Saluator in-
dignabundus exierat de domo, & de hære-
ditate sua, & nunc ad huius gratiam miti-
gatus inflectitur, ita vt redeat non modo
Saluator, sed etiam sponsus, benedicta tu
à Domino filia, quæ & indignationē com-
pescis, & hæreditatem restituis, sed me-
mento

mento quia quæ has conciliat amicitias sponsa est: quomodo ergo, sponsum & hunc sponsum alteri cedit, ne dicam cupit? Non est ita, cupit illum matri filia bona, non tamen vt cedat illi, sed vt communicet sufficit vnus duabus, nisi quod iam non sunt duæ, sed vna in ipso, ipse enim est pax nostra, qui facit vtramque vnum, nec mirum si Ecclesia pro suis hostibus ita postulet, quæ sponsa est illius, qui pro inimicis postulat, qui pro eisdem moritur.

Ostendit insuper & summam Dei charitatem inimicorum dilectio nobis toties B inculcata, dum proprium Christi munus nobis hac in re commisit, & Deo similes esse voluit. Primum videtur notasse *Paulus* cum ait. *Qui dedit ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum, non reputans illis delicta ipsorum, posuit in nobis verbū reconciliationis*, sicut aduertit *Chrysost. homil. 11. in eandem Epist.* Et proinde à nobis vult diligi inimicos, vt nobis reconciliatos Deum etiam eisdem, & nobis propitium reddamus. Similes etiam nos C reddit Deo inimicorū amor, qui dilectionem suam vsque ad collectionem persequentium tendit, & nullis terminis coarctatur, qua de re videdus *Aug. in Psal. 118. & Chrysost. homil. 44. in Acta Apostolorum.* vbi ait. Tanta charitatis vis est, vt cælo latiorem faciat animam. Si liceret cor nostrum disrumpere, ac ostendere, videretis intus esse in magna latitudine vos omnes mulieres, pueros, ac viros, &c. *& homil. 13. in Epist. ad Corint.* ait. Quemadmodum quod calefacit dilatare facit, ita charita- D tis opus est dilatare, virtus enim calida est, & feruens charitas. Sic ille.

2. Cor. 15. n. 18.

Cæterum pro maiori huius rei explicatione videndus est *Ambros. lib. de Isaac, & anima cap. vltim.* vbi loquens de igne charitatis, ita ait. Hunc ignem in terram misit Dominus Iesus, & refulsit fides, accensa deuotio, illuminata est charitas: Videbatur siquidem olim in lege veteri, veluti obumbrata, fumóque & nebula obducta, vnde & quando data est lex, mons in quo tradita est, fumo opertus erat, & ne- E bula obductus, iam verò dum nebula operit terram, videmus nisi ea quæ nobis approximant, & propinquiora sunt, quæ verò aliquo interuallo à nobis distant minimè percipimus, neque distincta cognoscimus: quò videtur respexisse Christus Dominus, cum dixit: *Audistis quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum,* etenim nebulosa charitas Iudæorum non extēdebatur, nisi tantum ad amicos, parentes, filios, & propinquos, quia imperfecta admodum erat, & ideò Christus Dominus dixit, *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne, & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et *August. serm. 61. de tempore* dixit. Amas amantes te, filios, & parentes? Amat & latro, & draco, amant & lupi, amant & vrsi, vt ergo superiores simus, & gētibus, & bestiis, etiam inimicos, & aduersarios diligamus. Illuminata est proinde charitas in aduentu Christi, qui ideò hac de re loquens, similitudinem posuit in sole, quem Pater cælestis facit oriri super bonos, & malos, vt nullus supersit qui calore eius non foueatur, & lumine non collustretur.

Exo. 24. num. 18.

Matt. 5. num. 43.

Matt. 5. num. 46.

Nubecula paruula, quasi vestigium hominis, sicut habetur 3. *Reg. 18. Ascendebat de mari, ecce cæli contenebrati sunt & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.* Amara quandoque nubecula è contumeliæ mari, & ex fluuiis propriæ vtilitatis, qui in cuiusque commodum deriuantur, exurgit, cælum tegit, aërem condensat, mentem caligine operit, ingens tandem mysta tonitruis pluuia exoritur, tormenta bellica videbitur tibi audire, arma capesses, & quęque obuium oppugnabis, quemlibétque hostem existimabis, at si solis calor, & lux accedat, nubeculam mox extenuat, luce omnia collustrat, videbis, & quæ procul sunt, & quæ proxima adsunt, solem enim vel etiam *Cicero* appellauit amicitiam, melius appellaret, & libentius, si agnouisset charitatem, sicut *August. Epistol. 121. ad Probam cap. 6.* vbi ait. *Amicitia non angustis finibus terminanda est, omnes enim quibus amor, & dilectio debetur amplectitur, quamuis in alios propensius, in alios suspensius inclinetur, peruenit autem vsque inimicos, pro quibus orare præcipimur. Ita nemo est in genere humano, cui non dilectio, & si non pro mutua charitate, pro ipsa tamen communis naturæ societate debeatur, &c.* Videndus *Chrys. in imperfecto homil. 13.* vbi præclarè rem nostram prosequitur, puro quod non tantum pro inimicis nostris Christus illam mandauit (scilicet dilectionem inimicorum) quantum pro nobis, non quia illi digni sunt, vt diligantur ab aliquo, sed quia nos non sumus digni, vt aliquem odiamus.

3. Reg. 18. n. 44.

Odium enim ſpiritus eſt tenebrarum,
& vbicumque inſederit ſordidat pulchri-
tudinem ſanctitatis, *bene facite odientibus*,
vt ex veſtra beneuolentia ipſi ſe iudicent,
qua iniuſte vos odiunt, *orate pro calum-
niantibus vos:* orantes pro inimicis non
tantum illos, quantum nos commenda-
mus Deo, & magis exaudimur pro inimi-
cis orantes, quam pro nobis. Sic ille oſten-
dit, & nobilitatem, & lucem huius dile-
ctionis erga inimicos.

Videre eſt pro noſtro hoc argumento
infantiam Eccleſiæ in ſynagoga cum ad-
huc vbera non haberet, & paruula eſſet,
Cant. 8. *num.* 8. infantes ſiquidem parentes ſolummodo
norunt, vocitant, diligunt, & amplectun-
tur, cæteros ſi videant, horrent, pallent, &
lachrymantur. Nondum duo vbera habe-
bat amoris ſynagoga, quibus diligeret
amicos, & inimicos, proximos, & ignotos,
vbera enim ſedes amoris ſunt, proindéque
velut paruula parentes tantum, cognatos,
& amicos diligebat, at verò poſtquam in-
troducitur Eccleſia vbera habens, & per-
fecta in charitate, quanquam cæteræ ado-
leſcentulæ ſequantur à longè, & foris re-
maneant non vocatæ, nec introductæ ab
ſponſo, charitas ſponſæ non quieſcit,
neque inſoleſcit (vt aſſolet) ſucceſſibus
ſuis, vt eas obliuiſcatur, quæ exterius re-
manebant, imò conſolans magis, & hor-
tans ad patientiam quatenus æquanimi-
ter, & ſui ferant repulſam, & illius abſen-
Cant. 1. *num.* 4. tiam ait. *Introduxit me Rex in cellaria
ſua*, vt confidant minimè fore à ſe alie-
num, quidquid gratiæ matri acceſſerit,
neque enim illa ita proficere curat, quo
ipſarum negligat curam, nec iuuandos
ſuos profectus putat illarum damno. Dicat
itaque eis, ait *Bernard. ſerm.* 32. *in Cant.*
Gaudete, confidite, introduxit me Rex in
cellaria ſua: Putate, & vos pariter intro-
ductas. Sola introducta videor, ſed ſoli
non prodero. Veſtrum omnium eſt meus
omnis profectus: vobis proficio, vobiſcum
partibor: Audi quid illæ reſpondeāt: *Exul-
tabimus, & lætabimur in te*, in te inquiunt
exultabimus, & lætabimur, nam in nobis
nondum meremur, & addunt, *memores
vberum tuorum*, hoc eſt æquanimiter ſu-
ſtinemus dum venias, ſcientes te plenis
ad nos reuerſuram vberibus. Minimè ita-
que confiderent miſi matrē agnoſcerent,
quæ enim & vbera duo habet, & plena
charitate habet, externos non reſpuit, ini-
micos nullos reiicit, omnibus abundans
impertitur, & proximos ſibi alit, & ſepa-
ratos attrahit, & amplectitur, quia omnes

A capit, & ad nullos coarctatur, nam chari-
tas lata eſt, nec in omnibus anguſtatur,
ſicut proſequitur *D. Chryſoſt. homil.* 9. *ad
populum*, vbi in *Paulo* latitudinem chari-
tatis oſtendit.

In quam ſententiam, *Dydimus Chry-
ſoſtom. & Euthym.* interpretatur illud,
Pſal. 4. *In tribulatione dilataſti mihi*, non *Pſal.* 4.
de remotione tribulationis, ſed de ma- *num.* 1.
gnanimitatis dono, quo filium etiam par-
ricidam diligebat, eiúſque vitam ſaluan-
dam curabat dicens: *Seruate mihi puerum*
B *Abſalon*, & Sauli pepercit, cum poſſet im-
punè occidere. 2. *Reg.* 18. *num.* 5. quod ad 2. *Reg.*
magnanimitatem refert *Euthym.* hęc enim 18. *n.* 5.
eſt latitudo charitatis, quæ nullum re- *&* 12.
ſpuit, & omnes complectitur, ſicut nota-
runt *Haymo, & Remig.* qua de re viden-
dus *Lorin. in Pſalm.* 4.

Ecce iam illuminata charitas, ſicut di-
xit *Ambr.* luce illius ſolis iuſtitiæ, qui in-
iuſtos etiam, ac inimicos reſpicit, & illu-
ſtrat. Ecce iam ignita charitas eo igne, *Luc.* 12.
quem Chriſtus venit mittere in terram, *num.* 49.
C qui cum ſit ignis de cælo, non ſolū aptam,
& diſpoſitam adurit materiam, ſed ſibi
maximè oppoſitam, & contrariam; non
ſolum enim amicos, & proximos diligit,
ſed inimicos inſuper, & infenſos. Recoli-
te naturam illius ignis, qui de cælo ceci-
dit ſuper altare ab Elia conſtructum, quod
ſemel iterum, ac tertiò perfuſum fuerat,
quatuor hydriis aquæ, dixit enim Pro-
pheta: *Implete quatuor hydrias aqua, &
fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna,
rurſumq́; dixit. Etiam ſecundò facite hoc,
D qui cum feciſſet ſecundò ait, etiam tertiò id-
ipſum facite, feceruntq́; tertiò, & currebant
aquæ & foſſa aquæductus repleta eſt.* Quis
verò crederet poſſe ignem accendi in ma-
defactis lignis, & ter aqua perfuſis, &
comburi tale ſacrificium, vndequaque
aqua permeatum, ait ergo ſacer textus.
Cecidit ignis Domini, & vorauit holocau- 3. *Reg.*
ſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque 18. *n.* 38.
& aquam, quæ erat in aquæductu lambens.
Solus cæleſtis ignis lapides deuorat, pul-
uerem deglutit, aquam lambit Solet aqua
E ignem extinguere, & illi inimicam admo-
dum eſſe, vtpote, quæ eius interitum cau-
ſat, at ignis de cælo miſſus oppoſitam, &
inimicam aquam deuorat, & inuiſcerat,
intimóque corde recludit, eam veluti pa-
cis ſigno oſculans lambit.

Videndus pro hac re *Lyran. ad cap.* 4.
Num. vbi ex Rabbi Salomone obſeruat,
cætera quidem ſanctuarij vaſa operi iuſſu
Dei, & pallio hyacinthino, & pellibus,
ſolùm

solùm vero altare operiri purpureo vesti-
mento, ad designandum, inquit, ignem
subtus latentem, qui scilicet, nulla appo-
sita re potest occultari, & abscondi, nemo
enim est, qui se abscondat à calore eius,
& intus ardet, & exterius ardere videtur
vestimento, ignis enim Domini, & de cæ-
lo profectus non solum ad proximos, &
sibi veluti intrinsecos pertinet, sed ad ex-
trinsecos etiam, extraneos, & inimicos
extenditur, intrinsecus & extrinsecus di-
ligit, sicut de cælo cadit pluuia super iu-
stos, & iniustos.

Videndus item pro hac re *Diuus Isi-*
Genes. 6. *dorus in cap.6. Gen.* vbi ponderat iussisse
num. 15. Deum intrinsecus, & extrinsecus linire ar-
cam, vt ex compage, ait vnitatis signifi-
cetur tolerantia charitatis, ne concussa
Ecclesia ab his, qui intus, vel foris sunt,
cedat à fraterna iunctura: est enim bitu-
men fermetissimum, & significat dilectio-
nis feruorem, qui scilicet, & internos con-
iungit, & conglutinat, proximos scilicet,
& consanguineos, & externos etiam, ac
inimicos, vt nulli offensioni cedat aut
oppugnatio ne dissoluatur, sed semper
vnita maneat, & illæsos complectatur
amicos, & inimicos, proximos, & remo-
tos, propinquos, & extraneos.

Vnde iam possumus intelligere id quod
Christus Dominus dixit discipulis, qui
cum viderent Samaritanos non recepisse
magistrum Christum in ciuitate sua, dixe-
Luc. 9. runt illi. *Vis dicamus, vt ignis descendat de*
num. 54. *cælo, & consumat illos; & conuersus in-*
crepauit illos dicens, nescitis cuius spiritus
estis, super quæ verba *Chrysost. homil. 57. in*
Matth. ait. Ad patientiam, & malorum to-
lerantiam discipulos hortatur, & vult il-
los magis patientes esse in ferendis iniu-
riis, & contumeliis, quam fuit Elias, de
quo legitur, quod ignem petiit de cælo,
4. Reg. 1. & ideo Græcè additur pronomen, *vos*, vt
num. 10. distinguat eos ab Elia, & latiorem, ac per-
fectiorem demonstret charitatem, quæ
etiam inimicos potius diligit igne de cæ-
lo misso, quam comburat, & in cineres
redigat igne postulato à Deo in vltionem
& vindictam.

Videndus *August. lib. 1. de serm. Domini*
in monte c. 38 39. & 40. & lib. contra Adi-
mant. c. 17. & Dionys. Areopag. epist. 8. ad
Demophil. de benignitate, vbi multis exem-
plis ostendit, quantopere dedeceat Chri-
stianum hominem sumere vindictam, &
inter alia hunc locum affert, de quo
etiam videndus *Chrysostom. homilia 16. ex*
Luca tom. 2.

A Neque etiam omittendum est, id quod
Christus Dominus in eo loco subiunxit
dicens: *Nescitis cuius spiritus estis.* Vt scili-
cet, indicaret eos non discernere inter ve-
tus, & nouum testamentum, tunc enim
tempus vindictæ erat, & ideò tunc illam
petit Elias, & illam cecinit Dauid, cum
dixit: *Ad faciēdam vindictā in nationibus,*
increpationes in populis, sed *Zach.* qui gra- Ps. 149.
tiam noui testamēti nuntiabat lōge aliter num. 1.
loquutus dixit: *Ad faciendam misericor-* Luc. 1.
diam cum Patribus nostris, & ideo *Iacobus* num. 72.
B *Apostolus* dixit: *Quod si zelum habetis* Iacob. 3.
amarum, & contentiones sunt in cordibus num. 14.
vestris, nolite gloriari, & mendaces esse
aduersus veritatem, quæ scilicet, dixit: *Ego*
autē dico vobis, diligite inimicos vestros. Et
Card. Tolet. ad prædicta verba Christi ait.
Reprehendisse discipulos, quia ignora-
bant spiritum Euangelij, qui amoris est,
non timoris, & filiorum, non seruorum, Matt. 5.
transgressores non morte puniens, sed il- num. 44.
lis veniam promittens spiritus mansuetæ
columbæ, mitis, benignus, qualis super
C Christum apparuit absque felle.

Dulcis est spiritus noui Testamenti, est
hic spiritus sibilo auræ tenuis similis, in
quo Eliam allocutus est Deus. *Ecce Domi-*
nus transit, & spiritus grandis, & fortis 2. Reg.
subuertens montes, & conterens petras, ante 19. n. 11.
Dominum, non in spiritu Dominus, & post
spiritum commotio, non in commotione Do-
minus, & post commotionem ignis, & non in
igne Dominus, & post ignem sibilus auræ
tenuis, non in spiritu grandi, & forti, id est,
superbo est Dominus, non in commo-
D tione, & perturbatione animi, non in
igne iracundiæ, sed in sibilo auræ tenuis,
id est, humili, & mansueto spiritu, ac di-
ligente inimicos, qualis profectò erat,
cum primos offensores, & inimicos quæ-
rens, & in aura, & sibilo mansuetudinis
venit post meridiem, non in ipso iracun-
diæ feruore.

Hunc igitur spiritum ignorabant disci-
puli, sicut etiam nesciebant, quem ignem Genes. 3.
peterent, quando quidē ignis cælestis ini- num. 8.
micam aquam deuorat, ac lambit, & pru-
E næ huius ignis sunt beneficia, sicut dixit
Salomon. *Si esurierit*, inquit, *inimicus tuus* Prou. 25.
ciba illum, si sitierit da ei aquā bibere, pru- num. 21.
nas enim congregabis super caput eius. Ecce
ignis quē de cælo venit mittere in terris
sol iustitiæ, & quem vult in ea accendi, &
quem spiritus Christi docuit ad inimicos
superandos, non comburendos, vincere,
scilicet, *in bono malum*, sicut dixit *Paulus*,
& hunc vincendi modum *mirabilia in*
lege

lege Domini iudicauit Dauid, quando dixit: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, vbi *August. concion.7. in fin.* ait. Nihil est mirabilius in mandatis Dei quam, *diligite inimicos vestros*, hoc est, retribuite mala pro bonis.

Rom. 12. num. 36. Ps. 118. num. 18.

Nunc intelligitur ex *D. Greg.* cur ab sponso, terribilis dicatur Ecclesia præparata ad hoc bellum, vbi vincitur in bono malum, & inimicus amicitia superatur, quando *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata* prædicatur, quæ vltima verba sic exponit *D. Greg. hom.8. in Ezec. ante medium.* Quid est, inquit, quod sancta Ecclesia ab hostibus suis, vt castrorum acies sit timenda? Non enim à magno intellectu vacat ista comparatio, & idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim, & constat, quia castrorũ acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata, atque densata, vt in nullo loco interrupta videatur. Sic ille, qui fortitudinem charitatis in eo comprobatam asserit, quod nihil illam interrumpat, cum, & amicos diligat in Deo, & inimicos diligat propter Deũ, neque iniuriis, aut probris cedat, aut vincatur, sed vincat in bono malum, *Valer. Max. l.7. c.3.* de Fabio Maximo dixit. Fabius Maximus, cuius non dimicare vincere fuit, sic & Christianæ charitatis fortitudo consistit, non in dimicando, cum eo, qui Christianum offendit, sed parcendo, & diligendo, & quanto magis iniuriis non cedit, tanto terribilior malignis spiritibus apparet, atque ipsis etiam inimicis, & ideo *Ambr. ep. 58.* ait. Plerosque Gentilium gloriari solitos, quod non sæuirent, cum possent, vnde ipse deducit magis hoc decere Christianum hominem pro gloria charitatis.

Cant. 6. num. 9.

Nouerat spiritum Christi, & noui Testamenti villicus ille *diffamatus apud Dominum suum, quasi dissipasset bona illius*, qui iussus rationem reddere, conuocatis debitoribus Domini sui, debitum ab vnoquoque ita remissè exigebat, vt potius videretur dimittere: ex centum namque cadis olei, quinquaginta tantum accipiebat, alia vero quinquaginta dimittebat, sic similiter de coris tritici: idq; iure mirandum hac in re, quod Euangelista subdit, *Laudasse*, scilicet, *Dominum villicum iniquitatis quia prudenter fecisset*, quid ergo laudat Dominus villicum, quem in exigendis debitis negligentem, ac remissum expertus est? Et quid prudenter fecisse asserit cum quinquaginta cados olei, &

Luc. 16. num. 1.

A quinquaginta coros tritici Domino suo amiserit? *Bernard. Epistol. 257.* sic rem explicat. Honor quidem maiestatis iudicium diligit, sed absit vt à præiudicio mansuetudinis, quanquam dispensator ille, cuius laus est in Euangelio, elegit potius fraudem facere suo Domino, quam proximo non misereri. Denique pro centum, nunc quidem 80. nunc vero 50. redhibuit: iuste laudatus est, qui domino suo rerum maluit quam personarum iacturam facere, & quia dignus est, qui sic

B operatur mercede sua, vno tali opere quos ille retinuit seruos, iste sibi fecit amicos. Vides igitur laudari villicum, & prudentem dici, ac censeri, quia etiam cum rei familiaris dispendio, Domini sui debitorum amicitiam censuit retinendam, vt in prudentiam disceremus ad remittendas offensas in nos commissas, & obliuiscenda debita, ne charitas soluatur, quæ constipata conseruatur, & nulla offensione disrumpitur, terribilis sanè, vt castrorum acies ordinata.

C Cæterum dum terribilem audis Ecclesiam Dei in tolerandis iniuriis, & portandis laboribus, memineris insuper pulchram redditam esse velut lunam illustratam quidem à diuino sole, cuius peculiaris doctrina ea est, quæ dilectionem inimicorum tradit, cum ait: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, quod videtur inculcasse *Paulus* cum ait. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus*, & se ipsum magis exponens addit, in quo facti sint spectaculum dicens:

1. Cor. 4. num. 9.

D *Maledicimur, & benedicimus, persecutionẽ patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus*, qui locus, vt melius pro nostro argumento explicetur, aduertendum est vocem hanc, spectaculum, aliquando significare obiectum dolore, tristitia, ac ac lachrymis dignum, quo sensu dictum est à *Luc. Euangel. Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant percutientes pectora sua reuertebantur*, & in hoc sensu interpretatur *D. Hieronym.* verba illa *Isai. cap. 27. In*

Luc. 23. num. 48.

E *siccitate messis illius conterentur mulieres, venientes, & docentes eas*, vbi LXX. habent *Mulieres venientes à spectaculo venite*: per spectaculum vero passionem Domini intelligit, sic enim habet. De Maria dicitur Magdalena, & alia Maria, & cæteris mulieribus, quæ primum viderunt Dominum resurgentem, & tenuerunt pedes eius, & ab eo audire meruerunt. *Nolite timere*, de istis mulieribus priusquam nascerentur

Isai. 27. num. 11.

rentur, Propheticus sermo prænunciat: & vocat eas à spectaculo Dominicæ passionis.

Habes igitur spectaculum significare obiectum doloris & tristitiæ, sed aliquando etiam significat aliquid pulcherrimum, & dignum quod eius pulchritudinem admiremur, vnde laudatur Banaias filius Ioiadæ: *Qui interfecit virum Ægyptium dignum spectaculo*, vbi *Vatabl.* legit: *Percussit Ægyptium quendam præstanti forma virum*, & in hoc sensu nunc interpretari liceat spectaculum, de quo *Paulus*: quasi pulchritudo huius dilectionis erga inimicos digna sit, quæ in admirationem etiam adducere possit Angelos, & homines: quis enim non miretur hominem Christianum erga persecutores sic affici, vt eorum salutem exoptet, qui illi vitam eripiunt, honorem auferunt, & bona omnia deprædantur.

3. Reg. 23. n. 21.

Nec mirum si Angeli hanc pulchritudinem mirentur, & homines, cum ipse etiam Deus, quasi in admirationem ductus, nihil aliud videatur posse eloqui, sic enim ait: *Dominus Deus tuus gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude*, vbi vides eum, qui in iudicio minimè tacebit, iuxta illud: *Deus noster, & non silebit, ignis in conspectu eius*, tandem silere ad præsentiam dilectionis nostræ, cum erga inimicos versatur.

Soph. 3. num. 17.

Psal. 49. num. 2.

Patet insuper, & indulgentia magni illius Domini, de quo agebamus, qui debita sua tanta facilitate dimissa laudat, sed, quid mirum, si dimissa debita seruis ipse laudat in seruo, cum Filius Dei in carne debita nostra voluerit pro nobis potius soluere Patri, quam ab eodem nobis liberè dimitti, & donari, quod mirum in modum diuinam erga nos commendat charitatem, id autem notauit *Chrysolog. serm.* 30. cum ait: Si vis, nosse amplius, suscepit ipse peccatum ne perderet peccatores, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo, quam donando, si ergo Filius Dei nostra debita cruore, ac morte sua soluit, remissione minimè contentus, quid mirum, si debita nostra ab aliis, & aliorum offensas in nos commissas iubeamur à pio Domino dimittere, & diligere insuper debitores, ne aliqua ex parte læsa, & disrupta maneat charitas?

Ecce igitur quomodo noui Testamenti amicos Deus diligat, quando nec inimicos appellat sibi aduersarios, & infensos, quin potiùs amicos vocat in mediis inimicitiis, & offensionibus, nec à nobis, vt inimicos vult habere odium, quos ipse carissimos habet in delitiis, & si olim dixit, requiem suam terram illam in qua filij Israel post tot exantlatos labores requiescere debebant, maiori cum dilectione, & ratione appellat suam requiem, quam nobis passione, & morte sua acquisiuit, sic enim intelligit *Augustin. illud* Psalm. 31. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, &c.* Ait ergo *Augustin.* quantum amat nos Deus fratres, vt, quia nos requiescimus, se dicat requiescere, non enim ipse aliquando turbatur, aut sic requiescit, sed ibi se dicit requiescere, quia nos in illo requiem habebimus. Fatigatus vtique est Dominus, flagellatus, spinis coronatus, cruci affixus, & occisus, requiem tamen appellat, tot laboribus comparatam, quia in ea nos debemus requiescere in sæculum sæculi, nam sicut dixit *Chrysost. homil.* 16. *ad populum*: consuetudo est amantibus illis magis affici, quæ pro amatis patiantur, quam in his, quæ ab ipsis beneficia accipiant, quibus habet similia, *homil.* 1.

Psal. 131. num. 14.

Hæc est ratio cur sibi datos homines à Patre dicat Christus Dominus, cum tamen eos sibi emerit, & vita, & honore, & quiete, & anima, & corpore. Emit, inquam honore, quandoquidem traditus est ad illudendum, emit vita, quia traditus est ad crucifigendum, emit quiete, quia traditus est ad flagellandum, imo ita flagellatus est, vt super dolorem vulnerum, alia vulnera addiderint, emit anima, & corpore, quando animam dedit pro nobis, & corpus tradidit tormentis, quid igit[ur] [illegible] rius hominibus vita, honore, & q[illegible]? His tamen omnibus sibi homines comparauit, vnde *Paulus* dixit: *Empti estis pretio magno*, & cum sic emerit, datos tamen sibi à Patre dicit homines, euius rei rationem reddit *Hugo de sancto Vict. in Cantic. his verbis.* Charitas circa eorum salutem tanta fuit, quod cum eos pretio suæ mortis redemisset, non tam redemptos à se, quam à Patre sibi datos commemorat, quodam loco ita dicens: *Pater quos dedisti mihi*; in tantum de ipsorum redemptione exultat, vt non reputaret magno id, quod pro eis pertulit, sed videatur eos sibi potius datos in munere, quam emptos pretio, vel recompensatione, nisi fortè ea propter sibi homines datos dixit non à se emptos, ne amicorum nomen, ac titulum læderet, soli enim serui pretio emuntur, quo tradito capti deinceps, & mancipia

Ioan. 17. num. 6.

1. Cor. 6. num. 2.

dicuntur,& reputantur. Cum vero Christus Dominus homines & dicat & velit amicos,proinde eos datos asserit,non emptos dicit,& ne forte datum ab eo pretiosissimum pretium pro nostra redemptione homines potius probaret, seruos emptitios, quam amicos sanguinem suum nostræ salutis pretium, nostrum quidem appellat potius quam suum, enim *Isai. 63.*
Isai.63. num.3. ait. *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea*, vbi sermo est de sanguine suo iuxta *Cyrill. lib.5. in Isai.* & alios Patres, vocat autem vestimentum suum sacratissimam humanitatem, quam assumpsit, quæque in sacris literis vestis appellari
Philip.2. num.7. solet, secundum illud Pauli. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, hanc igitur vestem testatur Christus aspersam fuisse in passione (in qua torcular calcauit solus) sanguine suo, quem nostrum asserit, ne aliunde pretium nostræ redemptionis assumptum videretur, & nos velut seruos in captiuitatem sibi emisse.

Neque solus sanguis noster dicitur, sed insuper ipsius crux, labores, scilicet, dolores, & angustiæ (quæ sub nomine crucis in sacris literis recensentur) nostra appellantur apud *Matth.* vbi Saluator noster hanc doctrinam in vniuersum inculcat dicens:
Matt.16. num.24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, id est, meos labores, & ærumnas sibi applicet per pœnitentiam, quod si præstiterit, sine dubio me dignè comitabitur, quamuis enim crux Christi, quantum ad cruciatus, & dolores sensus, & tormentum passionis Christi Domini fuerit, potius, quam nostra (etiamsi Apostolo obtempe-
Philip.2. num.5. remus dicenti. *Hoc enim sentire in vobis quod & in Christo Iesu*) verum tamen, quantum ad vtilitatem potius nostra est quam ipsius, plus namque nobis meruit Christus Seruator, quam sibi, si de bonis intrinsecis loquamur, sibi enim non meruit, vt sit Filius Dei, neque meruit gloriam animæ suæ, neque dona gratiæ, aut scientiæ, vt docent Theologi cum *magistro in 3.d.18. & D.Thom.cum suis 3.part. q.19.* nobis autem meruit gratiam, qua constituimur adoptiui Filij Dei, & eodem modo nobis meruit gloriam, & æternam vitam, nam per gratiam acceptamur ad gloriam, quam rationem sic indicat Pau-
Rom. 5. num.1. lus, *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus,*

A *& gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei.* Et iterum: *Multo magis abundantiam gratiæ,* *Rom. 5.*
& donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. *num. 17.*

Neque vero solam gratiam habitualem nobis meruit, sed etiam omne auxilium gratiæ excitantis, & adiuuantis quod datur homini, vt se disponat ad gratiam, à prima vocatione, vsque ad dispositionem vltimam, quod dixit Paulus *Ephes.1. Qui* *Ephes. 1.*
benedixit nos in omni benedict. *ne spirituali in Christo*, vbi *D. Ambros.* ait. Omne do- *num. 13.*
B num gratiæ Dei in Christo est, & si quis spreto Christo benedici se à Deo putat, errare se sciat. Videndus *Augustin. lib. de dono perseuerantiæ, c.9. & tract.3. in Ioan. Chrysost. homil.13. in epist. ad Philippens. Hieron. in c.53. Isai. & Bernard. serm.13.* *Isai. 9.*
in Cantic. vbi ait. Quidquid sapientiæ, *num.6.*
quidquid virtutis te habere confidis, Dei *Luc. 2.*
virtuti, Dei sapientiæ deputa Christo. *num. 11.*
Origo fontium, & fluminum, mare est virtutum, & scientiarum Dominus Iesus Christus.

C Cùm ergo Christus nobis plura meruerit, quam sibi per mortem, & passionem suam, potius hæc mors, & passio nostra dicitur, quam sua, quantum ad vtilitatem, quantum vero ad honorem; ideo hæc nostra dicuntur, vt de nostro videamur liberati, & empti non vero vt captiui alieno pretio in perpetuam seruitutem comparati. Denique ipse Dominus nobis datus dicitur apud *Isai. cap.9.* quod postea confirmauit Angelus ad pastores dicens: *Natus est vobis hodie Saluator*, quod totum
D sic voluit benignissimus Dominus, vt de nostro diceremur empti materialiter quidem, quandoquidem Corpus, & Sanguis vnita erant personæ Verbi, & diuinitati personæ, quod eleganter prosequitur *D. Thom. serm. de Eucharist. opusc. 57.* cum ait. Quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem, Corpus namque suum pro nostra reconciliatione, in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, Sanguinem suum fudit in pretium simul, & lauacrum. Quoniam vero postquam eis de-
E derat corpus in cibum & sanguinem in potum, & corpus in oblationem, & sanguinem in pretium, & vitam in vitam ipsi tantorum beneficiorum penitus obliti ab eius amicitia defecerant, eius fidem negauerant, eius societatem relicto eo fugerant, quæ fuit causa (vt alias omittamus) cur milites venientes eius non fregerint crura, quia amicitia & pactum *Mat. 26.*
semper per ipsum steterat, neque fœdus *num. 56.*
aliqua

aliqua ex parte fregerat, cur item fœdifra-
Actor. 1. gus discipulus medius crepuerit, imò ite-
num. 18. rū eos quærit, & comitatur in via *Luc.* 24.
Luc. 24. amicè vocat, & non inuitatus sese inuitat
num. 15. dicens: *Pueri, numquid pulmentarium ha-*
Ioan. 21. *betis? Ioann.* 21. super quæ verba sic ait
num. 5. *Chrysolog. serm.* 78. vt humanitas, ad gratiam, panis ad fiduciam, pulmentum reuocaret ad fidem, petit escas saturitas tota rerum, panis ipse manducat, quia non ille cibum, sed suorum semper esurit charitatem, responderunt, non: Et quid habebant, qui Christum iam secum positum non habebant, qui coram stantem Dominum suis adhuc oculis non videbant?

Ex quibus omnibus liquido nobis constare poterit, quando maiori necessitudine sibi in amicos vocauerit, & coniunxerit filios noui Testamenti, in quorum ore numquam aliud, nisi dilectionem, & charitatem resonare voluit, in quorum cordibus charitatis ignem, vel etiam in inimicos voluit perpetuò conseruari, sicut etiam olim ignem in lege veteri, qui egressus est à Domino, & è cœlo excussus voluit perpetuò conseruari in altari, sicut
Leuit. 9. aduertit *Lyran.* ex *Rabbi Salomon ad c.* 4.
num. 24. *Numer.* Is enim ignis, quem venit mittere
Luc. 12. Christus Dominus in terram, quique ini-
num. 49. micam deuorat materiam, & hostilem aquam lambit, quique nunquam extinguitur immissa offensionum, & iniuriarum aqua summoperè Deo placet, qui ho-
Leuit. 10. mines, vt filios, & amicos suscepit. Et qui
num. 1. filij Aaron alieno igni, & non isto de cœlo excusso sacrificium obtulerunt, pessimo supplicio sunt extincti.

Hunc ergo fratres charitatis ignem docuit: *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.*
1. *Petr.* 2. 1. *Petr.* 2. Imò potius tunc benè dicebat,
num. 23. cum maledicebatur, sicut notauit ibi *Lorin.* solam enim mansuetudinem, & tolerantiam nos edocuit seruando eam in seruos, quā seruare deberemus erga con-
Cant. 1. seruos, ideóque dicitur: *Oleum effusum no-*
num. 3. *men tuum.* id est, tu instar oleum es iuxta celebrem regulam quam tradidimus, secundum quam nomen supponit pro persona, ac re, oleum autem symbolum est mansuetudinis, & lenitatis, sicut etiam apud exteros Authores videre est, vnde *Plato in Thæteto, siue de scientia*, laudans mores optimos, & suauissimos cuiusdam adolescentis sui temporis, præ cæteris mansueti ait: Hic vir ita leniter, suauiter, & expeditè, maxima cum mansuetudine

A ad disciplinas graditur, vt neque lubricus, quietúsque olei fluxus melior, & suauior videatur. Videndus *Ephrem Parænes.* 38. & *lib. de virtutibus, & vitijs*, vbi rectè expendit locum *Isai.* 66. vbi diuinum oraculum fatetur propriam, & veram sedem Dei esse animam tranquillam, & mansuetam qualis planè fuit anima Christi Domini, in quo habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, similia habet *Chrysost. serm. de mansuetudine*, vbi aduertit solos pacificos, & mansuetos Filios Dei
B vocatos esse à Christo Domino, quia præcipuè mansuetum, & benignum erga om- *Matt.* 5.
nes Filium Dei imitantur. *num.* 9.

Videndus *Isocrates orat. ad Philip.* cum ait. Mansuetudo non in animantibus solum, & hominibus, & cæteris rebus omnibus, sed in Diis quoque celebrari solet, hanc igitur virtutem, quæ maximè enituit in Deo homine ad conciliandos sibi in amicitiam homines, nos docuit idem Dominus, quo melius fraterna charitas, & de cœlo ignis accensus inter nos stare,
C & conseruari posset, & ideo dixit: *Discite* *Mat.* 11.
à me, quia mitis sum, & humilis corde, & *num.* 6.
inuentus non est dolus in ore eius. Etiam *Isai.* 53.
in eos qui nitebantur capere eum in ser- *num.* 10.
mone, vbi notandum est participium inuentus, significat enim quamuis curiosè quæreretur, & maliciosè, vt fiebat à Iudæis, & licet diligenter attenderetur non inueniebatur.

Scio tamen, inueniri quid, Hebraismum esse, significaréque idem atque esse, & non inueniri, non esse, quo loquendi
D schemate vsus *Paulus* dixit: *Habitus in-* *Philip.* 2.
uentus vt homo, & *Syracides* dixit *Ec-* *num.* 7.
clesi. 44. *Non est inuentus similis illi*, & *Eccl.* 44.
quoniam Israëlitica respubl. tota pro- *num.* 20.
phetica erat, & figuratiua, iam olim voluit Deus inculcatum esse hominibus quanta obseruantia à nobis voluerit mutuam charitatem conseruatam: etenim blasphemus ille, qui lapidibus obrutus
est ex ordinatione diuina *Leuitic.* 24. di- *Leuitic.*
citur maledixisse nomen, pro vt legit *24. n.* 11.
Origen. & non dixit vtrum maledixisset
E Deum, quærit autem acutè *Origen. ibi homil.* 14. cur sacer textus non expressērit, vtrum ille homo maledixerit Deum, an non, & respondet, ne maledicendi hominibus Moyses videretur dedisse licentiam, & vtraque maledictio caueretur, proindéque maledicus lapidatur, vt omnis prorsus maledictio, siue ea in Deum foret, siue in hominem à Republica aboleretur, ne occasio dissoluendæ charitatis

mutuæ in Ecclesia Dei ex maledicentia fumeretur.

Videndus hac de re *Lactant. lib. 6. c. 18.* vbi inter Christiana præcepta hoc ponit, maledicenti benedictio respondeat, nec verbum malum procedat ex ore hominis, qui edit verbum bonum iustum quippe est, vt qui ore sumit ipsum Christum in cuius teuctentiam se mutuo oscula- A bantur olim Christiani teste *Chrysostom. homil. 30. in 2. ad Corinth. & 1. de compunctione cordis. & homil. de Iuda Proditore*, meminerit seruate semper pacem, & in corde, & in verbis, quæ à corde exeunt, qua in re optimè consultum videtetur fraternæ charitati, & societati Christianæ, quam Christus Dominus perfectissimam voluit esse.

TEXTVS.

Num. 8. *In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens, & congregatæ sunt abyssi in medio aquæ.*

EXPOSITIO LITERALIS.



DVAS res proposuerat Moyses, liberationē scilicet populi sui, & excidium Ægyptiorū, vtramque verò quomodo facta sit modo prosequitur: ac prius quomodo mare transierint Israelitæ commemorat, nimirum stante vento vehementi, & vrente subductum est mare; hoc primum ibi miraculum fuit, deinde subiūgitur aliud, *stetit vnda fluens,* C non modo scilicet ventorum vi congregatæ sunt aquæ, ac si aceruí frugum essent, verum etiam cùm propter grauem, fluentémque naturam illico refluere, & redire ad locum suum debuissent, stetit vnda, & quæ ne minima quidem ex parte altior esse sustinet, sed statim ad humiliora defluit, in sublimem cumulum, atque congetiem elata est, & stetit; quod verò D sequitur. *Congregatæ sunt abyssi in medio mari.* Nonnulli eò dictum putant, quod si quid aquarum, aut limi in profundis resedetat, quod ad iter faciendum impedimento esset, id tertio miraculo concetuit, &, vt gelu duratum est, vt facilè pedibus transiretur.

Rem totam elegantibus verbis prosecutus est *D. August. serm. 89. de tempore ad fin.* dicens: Non consentientibus ventis E aquarum volumina imperfectis cursibus refrenantur diuino iussu, virgæ ictu rumpitur mare, & diuisis vndis, freti arcana, & maris secreta declarat vnda, erigitur in cumulum pelagus, & murorum instar su- B spensos exhibet fluctus, fit littus vbi fuerat pelagus, & limite recto via porrigitur, vbi populus Domini miserabiliter gradieretur, &c. *Vatabl.* igitur legit: *In flatu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ,* quam lectionem maximè probat *Caiet.* Quia, inquit ille, minus quadrat beneficium congregationis aquarum hinc, inde attribuere diuino furori, vt litera sonat, quandoquidem ex diuina benignitate id effectum est; in flatu igitur narium tuarum, idest, quē misisti, quia Deus Author est flatuum, & ventorum, & ideò dicitur ventus naris eius, hoc est ab eo emissus, vt sit sensus: Fecisti vt spiraret ventus, & ad flatum illius statim cōgregatæ sunt aquæ, & coaceruatæ in quasi aceruos, instar manipulorum tempore messis; quando in aggeres coaceruantur, meminit autem prædicta litera narium, alludendo ad spirationem, quæ per nares fit tanquam ventus ille fuerit per nares Dei emissus, figuratáque est locutio, nam quia cum irascuntur homines densiorem spiritum è naribus efflant, ideò vehementiorem illum ventum, quo flante, mare rubrum apertum est, spiritum furoris Dei vocat.

Præpositio verò, *in*, habet vim præpositionis *per*, & ideò LXX. habent; *Per spiritum iræ tuæ*, éstque frequentissimus Hebraïsmus in Scriptura; licet enim hæc præpositio interdum ponatur loco aliarum præpositionum *propter, inter, contra, pro, apud*, præcipuè tamen ponitur pro, *per*, more Hebræorū, vt patet *Deut. 3. Popule* Deut. 3. n. vlt.

pule qui saluaris in Domino, idest per Do- A
Psal. 17. minum, Psal. 17. In te eripiar à tentatio-
num. 30. ne, idest per te, & alibi sæpe, qua de re
Osee 1. multa videri possunt apud Riberā, Osee 1.
num. 18. num. 18. vbi etiam videndus est Hieron.
Basil. Item & Hieron. super 1. c. Isaiæ. vi-
dendus item Salmer. tom. 1. prolegomen. 16.

Vnde non incommodè Origen. homil. 1.
in Genes. August. lib. 11. de confess. c. 9. &
lib. 12. c. 20. tom. 1. Ambr. lib. 1. Exhamer.
c. 4. Eucher. Beda, ad initium Genes. & Ma-
gister sententiar. d. 2. & alij interpretan-
Genes. 1. tur illa verba Genes. In principio creauit B
num. 1. Deus cælum & terram, hoc est per princi-
Ioan. 1. pium scilicet per filium, iuxta illud: Om-
num. 3. nia per ipsum facta sunt, & illud Pauli: Per
Hebr. 1. quem fecit & secula. Loquitur verò Paulus
num. 2. de Filio Dei, & iterum Paulus in eodem
Coloss. 3. sensu: In ipso condita sunt vniuersa in cælo
num. 16. & in terra, visibilia, & inuisibilia omnia
per ipsum, & in ipso creata sunt. Et ipsemet
Christus Dominus in hoc sensu videtur
dixisse iuxta expositionem Ambr. August.
Ioan. 8. & Beda Ioan. 8. Principium qui & loquor
num. 25. vobis, nimirum principiū ex principio, & C
principium, ac causa creaturarum, ac verò
Spiritus sancti principium cum Patre, non
causa, quemadmodum Christiani Meta-
phys. tractant lib. 5. Metaph. c. 1. & Theo-
logicum D. Thom. 1. part. q. 33. art. 2.

Pro explicatione igitur illorum verbo-
rum nostri, In spiritu furoris tui, præter-
ea, ea quæ diximus, placet in primis sub-
tiliter distinguere furorem ab ira, quem-
admodum docet D. Hieronym. in Epist. ad
Ephes. c. 4. Furor enim insipiens ira est, &
feruescens in animo indignatio. Ira verò D
est cum furore restiocto, desideramus vl-
tionem, & eum quem nobis nocuisse pu-
tamus, lædere volumus: qua supposita di-
stinctione, constabit Moysem hoc in loco
per prosopopæam, vel potius, antropopa-
triam fuisse locutum eum non habenti
has affectiones, eas tribuit, & cum ex su-
periori versu constet iram à Deo longè,
latéque relegandam, maiori cum ratio-
ne reiiciendus est furor, cum imperfe-
ctior sit affectus, eius tamen datur effe-
ctus, quia Deus sine furore ea facit, quæ E
homines furore correpti, & ira pereiti,
qua de re videndus August. multis in lo-
cis superiori versu citatis, & lib. 15. de Ci-
uitate, cap. 25. vbi sic incipit. Ira Dei non
perturbatio animi eius est, sed iudicium,
quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio
verò eius, & recogitatio mutandarum re-
rum est immutabilis ratio; neque enim
sicut hominem, ita Deum cuiusquam fa-
cti sui pœnitet, cuius est de omnibus re-
bus tam fixa sententia, quam certa præ-
scientia, sed si non vtatur Scriptura tali-
bus verbis, non se quodammodo familia-
rius insinuabit omni generi hominum,
quibus vult esse consultum, vt perterreat
superbientes, & excitet negligentes, &
exerceat quærentes, & alat diligentes,
quod non faceret, si se non prius inclina-
ret, & quodammodo descenderet ad ia-
centes, similiáque habet lib. 1. quæst. super
Genes. c. 39. tom. 4. & Gregor. lib. 6. Mora-
lium, c. 8. in hanc sententiam dixit. Fit sæ-
pè, vt quod per rationem non assequimur,
in exemplo videamus.

Deinde aduertendum est vocem spiri-
tus valde ambiguam esse in Scriptura, vn-
de orta est varietas expositionum apud
sanctos Patres circa illa verba Genes. Spi- Genes. 1.
ritus Domini ferebatur super aquas, quem num. 2.
locum Tertull. libr. aduersus Hermog. &
Theod. quæst. 8. in Genes. Rabbi Abraham,
& Rabbi Dauid lib. radicum de turbine,
siue de vento maximo exsiccante aquas
intelligunt: Similis est illa alia difficul-
tas, inter sanctos Patres ad illa verba
Christi Domini ad Nicodemum: Spiritus
vbi vult spirat, quæ verba Dionys. Areo- Ioan. 3.
pag. quem sequuntur omnes fermè patres num. 8.
Græci, & ex Latinis D. August. lib. quæst. 9.
veteris Testamenti, si tamen opus est Au-
gust. quæst. 9. intelligit de spiritu, aëre,
siue vento. Alij verò grauissimi Patres in-
ter quos est etiam Augustin. tract. 12. in
Ioan. & lib. 2. ad Simplician. quæst. 1. &
Author libror. de mirabilibus sacræ Scriptu-
ræ, lib. 1. c. 3. Origen. lib. de Spiritu sancto,
Nazianz. orat. de Spiritu, Didymus lib. 3. de
Spiritu sancto, Gregor. lib. 17. Moralium,
c. 16. Bernard. serm. 74. in Cant. Rupert. ibi
intelligunt de Spiritu sancto.

Cùm igitur tam ambigua sit hæc vox
pro qualitate, & circunstantia loci potest,
& debet intelligi, vt optimè ostendit Dy-
dimus loco citato. D. Hieron. interprete
apud eundem Hieron. tom. 9. cui suffraga-
tur idem Hieron. in c. 4. Ierem. vbi ita ait.
Ventus, & spiritus eodem nomine apud
Hebræos appellantur, & pro locorum
qualitate, vel ventum, vel spiritum de-
bent accipere, similia habet Chrys. hom. 5.
de incomprehensibili Dei natura, tom. 5.
& post Chrysost. Hugo Eterian. lib. 3. de pro-
cessione Spiritus sancti. & Rabbi Moyses,
libr. 1. æquiuocorum, cap. 15. vbi spiritus
aliquando dicitur Deus, vt testatur Didy-
mus, libr. 2. de Spiritu sancto, & Athanas. Ioan. 4.
ad Serapion. de Spiritu sancto, etenim di- num. 24.
citur,

citur, *Spiritus eſt Deus*, & tres Diuinas personas comprehendit, dicitur, & ſpiritus, ſed cum articulo de Spiritu ſancto.

*Pſ.*103. *num* 4. Tertiò Angeli ſpiritus dicuntur: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, quatto vocantur, & dæmones ſpiritus, vnde Saducæi
*Act.*23. *num.*8. dicebant: *Non eſſe Reſurrectionem, nec Angelum, neque ſpiritum*. Matth.22. *Et*
*Luc.*24. *num.* 39. *ſpiritus carnem, & oſſa non habent*, & iterum: *Spiritus apprehendit filium eius, & in*
*Luc.*10. *num.* 20. *hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur*.

Quintò ſpiritus eſt anima rationalis,
*Dan.*3. *num.* 86. *Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum Domino*, vbi pueri non loquuntur de Angelis, de quibus à principio dixerant: *Benedicite Angeli Domini Domino*, & de ſpiritu humano dicitur: *Spiritus vadens, & non rediens*, per ſe ſcilicet in corpus, quia Reſurrectio eſt opus ſuperans naturæ facul-
*Eccl.*12. *num.*7. tatem, & in *Eccleſiaſt.*12. dicitur; *Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*: Et
*Prou.*16. *num.*2. ait Salomon: *Spirituum ponderator eſt Dominus*, & Apoſtolus: *Multo magis obtem-*
*Hebr.*12. *num.*9. *perabimus Patri ſpirituum*, (ideſt, animarum) *& viuemus*.

Sextò ſpiritus dicitur animalis anima, non ſimpliciter, ſed cum adiuncto, vnde
*Eccl.*3. *num.* 21. *Eccleſiaſt.*3. ait. *Quis nouerit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?*

Septimò ſignificat donum Spiritus ſan-
*Luc.*9. *num.* 55. cti, quo ducimur iuxta illud *Luc.*9. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, & *Rom.*8. *Non*
*Rom.*8. *num.* 15. *enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei*.

Octauò ſpiritus dicuntur dogmata, ſiue placita, quæ quis ſe habere ab ſpiritu ia-
1. *Ioan.*4. *num.*1. ctat, de quo: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint, & omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum ex*
*Ezec.*13. *num.*3. *Deo non eſt*, & *Ezech.*13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum*, ideſt proprias cogitationes, & non diuinas, vt moris eſt Prophetarum.

Nonò accipitur apud *Paulum* ſpiritus, vt opponitur carni, ideſt, carnali Iudaiſmo, & intelligentiæ, & hoc modo ſumitur pro ſpirituali legis intelligentia, vnde
2. *Cor.*3. *num.*6. dicitur 2.*Corinth.*3. *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat*, & *Ioan.*9. *Spiritus eſt, qui*
*Ioan.*6. *num.* 63. *viuificat, caro non prodeſt quicquam. Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis*.

Decimò ſumitur ſpiritus pro ira, vt
*Prou.*29. *num.* 11. *Prouerb.*29. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus*, pro quo alij vertunt, *omnem iram ſuam effundit ſtultus*, & alibi; *Ne ſis velox ad iraſcendum*, vbi Hebraicè habetur: *Ne* *Eccl.*7. *num.* 10.
feſtina in ſpiritu tuo, & Dauid; *Ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ*, item Salomon: *Impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Et *Pſal.* 17. *num.* 16.
rurſus. *Si ſpiritus poteſtatem habētis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris*, id- *Prou.*27. *num.*4.
eſt, ſi ira dominantis deſæuierit contra te, ne commouearis.

Vndecimò ſpiritus ſignificat os, quo ſpiramus vt, *Nec eſt in ſpiritu eius dolus*, *Pſal.* 31. *num.*2.
LXX. habent: *Nec eſt in ore eius dolus*, & confirmatur, quia dicitur de Meſſia: *Neque dolus fuit in ore eius: Nam ſi orem* *Iſaiæ* 53. *num.*9.
lingua ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Quid eſt ergo illud. 1.*Co-* & 1.*Pet.* 2.
rinth. 14. *Orabo ſpiritu, orabo & mente: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente*: ideſt vo- 1. *Cor.* 14. *n.*14.
ce, & intellectu, & vox audita in quodam conſilio. vbi de Ambr. officio erat ſermo. & *ibid.*
Omnis, inquit, *ſpiritus laudet Dominum*, *num.* 15.
quod in noſtra ſacra Religione in fine lectionis obſeruatur, vt lector dum à legendo ceſſat, veluti inuitans Religioſos à menſa ſurgentes, ad gratias Deo agendas, vt ſolent, illud dicat.

Tandem ſpiritus ventum ſignificat, vt patet ex *Cant. puerorum*, vbi dicunt: *Be-* *Dan.*3. *num.* 65.
nedicite imber, & ros Dominum, benedicite omnes ſpiritus Dei Dominum, ideſt, omnes venti, vt ex antecedentibus & ſubſequentibus conſtat, & *Geneſ.*8. *Adduxit ſpiri-* *Geneſ.* 8. *num.*1.
tum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ, & *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpi-* *Eccl.*1. *num.* 16.
ritus, & in circulos ſuos reuertitur, vbi Salomon ſignificat aërem, qui pro motu ſolis moueri ſolet in hanc, vel illam partem, vt Rabbi Abraham exponit: & quia in ſpiritu videtur homo habere vires ſuas, & vigorem, qui præ admiratione alicuius rei inſperatæ, & nouæ perturbatur, dicitur *non habere vltra ſpiritum*, vt Regina
Saba: *Et Iacob cognito quod Ioſeph filius* 3. *Reg.* 10. *n.*5.
eius viueret, reuixit ſpiritus eius. *Gen.*45. *num.* 27.

Hoc igitur in loco ſpiritum ſignificare ventum probo in primis ex ſuperiori *cap.* *Exod.* vbi dicitur: *Cum extendiſſet Moy-* *Exo.*14. *num.* 21.
ſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum diuiſaq; eſt aqua: Probat inſuper appellatio ſecundùm aliam literam flatus narium, vt ventus proculdubio intelligatur tranſlatitiè ab irato Deo emiſſus, halitus enim in humanis naſi ſymbolū eſt irati hominis, qui crebriori, ac vehementiori halitus reſpiratione iram oſtendere ſolet, quo loquendi colore depingit etiam *Iſai.* hominem, ſiue

siue potius Messiam Deum, & hominem iratum *cap.2.* cum insigni quodam Epyphonemate ait: *Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse*, hoc est cessate ab offendendo eo homine irato, qui quamquam sit homo humilis, tamen etiam excelsus est Dominus, & Dauid 2. *Reg.* 22. *Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius.* (2. *Reg.* 22. *nu.* 9.) Et *Iob* 41. describens Deus iram draconis maximi, siue diaboli ait: *De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atque feruentis.* (*Iob.* 41. *num.* 11.) Citca quam Metaphoram & aptitudinem eius ad significandam iram videndus *D. Thom.* 1.2. *quæst.* 48. *art.* 2. Probatur etiam hoc in loco ventum significari per spiritum missum ab irato Deo ex versione LXX. qui habent *per spiritum iræ suæ.* & ideò Dauid *Psal.* 105. ait, *Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est.* (*Ps.* 105. *num.* 10.) vbi *Cornel. Ians.* pro salute eorum, inquit, Dominus, quasi iratus, mari rubro, quod iter eorum impediret, iussit, vt sese diuideret contra naturam.

Appellatur itaque hoc in loco ventus spiritus furoris Dei, vt intelligatur missus ab irato Deo, non natuliter missus, sicut cum *Ionæ cap.* 1. dicitur: *Dominus autem misit ventum magnum in mare*, (*Ionæ.* 1. *num.* 4.) licet enim tempestates suas habeant causas, ex exhalationibus enim, & aere commoto excitantur, vnde pleráque sunt præsagia tempestatum, quæ deprehenduntur à nautis diuturna experientia, sicut docet *Basil. hom.* 7. *hexamer.* & *Ambros. lib.* 5. *hexamer. cap.* 9. quibus suffragatur *Plutar. lib. de causis naturalibus*, latissiméque ea de re agit *Plin. lib.* 18. *c.* 35. quæ omnia accepit à Poëta ad calcem 1. *Georg.* vt tamen illa tempestas ab ipso Deo immissa intelligatur, cuius fortassis non potuit esse aliquod præsagium, imo illud prodigiosum, quod sedato mari sola ea pelagi pars tempestate agitata est, quam nauigabat nauis Ionæ Prophetæ, sicut pulchrè colligit *Theophyl.* cui suffragari videtur *Hieron.* cuius rei argumentum est, quia alias non mitterentur sortes ad deprehendendã causam illius tempestatis, si ea communis esset, Ideo igitur vt denoraretur hic ventus à Deo missus, dicitur spiritus furoris Dei, mos enim est Scripturæ cum rem quampiam naturæ veluti terminos excedentem vult significare, eam titulo Dei insignire, vt magnitudinem, & excellentiam significet, sicut dicitur mons Dei, cedrus Dei, bellum Dei, vel Domini, vel ciuitas Dei, &c. (*Isai.* 40. *num.* 7.) sic statim *n.* 10. dicitur: *Flauit spi-*

A *ritus tuus, & operuit eos mare*, sic *Exsiccatum est fænum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo*, vbi *Forerius* ait. Ventus vehemens fænum & exsiccat, & flores agri marcescere facit.

Congregatæ sunt aquæ, LXX. habent, *diuisa est aqua*, & ita intelligenda est Latina nostra versio, hoc enim in loco congregare significat factam diuisionem, & scissuram aquarum antea vnitarum, ita vt vna pars ad dexteram, altera vero ad sinistram congregata staret, & quæ ad dex-
B teram erat pars cõgregata, illius est aquę, quæ ibi iam ante diuisionem erat, & congregata est aquæ etiam ibidem præexistenti, & quæ etiam erat pars aquæ ad sinistram congregata est illi aquæ, quæ ante diuisionem erat ad sinistram, relicta in medio intercapedine quadam aqua nudata, quæ iter transituris Israelitis præberet, quod quomodo factum sit exponit ea similitudo, qua vsus est *Agellius* hoc in loco, vt in vas aliquod aquæ, inquit, siquis vehementius insufflet, cedunt aquæ, &
C hinc, inde colliguntur, ac medium locum aperiunt, ita profunda maris ex vtraque parte dissilientibus aquis nudata sunt, vt per ea iter fieri posset: qua explicatione data, facile conciliantur versiones illæ, quarum altera diuisam, altera congregatam aquam significat, vt diuisio significet apertionem, & diuisionem in aquis factam, qua patefactum est iter Israelitis, congregatio vero significet adunationem in partes, hinc inde stantes, quæ, vt iter aperirent colligebantur, & congregaban-
D tur, & in se, & ad aquas præexistentes, quomodo enim via posset aperiri, nisi diuisæ aquæ segregarentur sectæ in duas partes, & oblitæ naturæ suæ, fluxionem, & prolapsum, seu ad lapsum innatam pronitatem continerent, vt populo Dei siccum iter pateret.

Hæc vero aquarum ex vtráque parte collectio in Hebraico figuratè coaceruatio dicitur, ac si in duos aceruos, vt fruges solent, sic aquæ congestæ essent contra naturam labentis, ac fluentis elementi,
E ideóque propriè in hoc sensu verterunt *Aquila, Symmachus, & Theodotion, coaceruatæ sunt aquæ.*

Neque vero est, quod quis confundat hanc aquarum congregationem, quæ facta est in partibus, dum se intra se colligunt, & ad præexistentes aquas complicatæ conglomerantur cum illa alia, quæ facta est ad solos Ægyptios, postquã iam Hebręi euaserant in continentem, demergendos,

gendos, & subruendos, prior enim facta est per diuisionem maris antea continui, vt remaneret pars ad dexteram, alia vero ad sinistram: posterior vero facta est per vnionem, & reditum aquarum separatarum ad locum pristinum, quæ vtrum sola grauitate aquæ facta fuerit, quæ illi naturalis est appetitus ad humiliorem locum, an etiam diuinitus, vt celerius, & atrocius obrueret Ægyptios posteà dicemus.

Miror tamen hoc in loco *Pererium disput. 1. in c. 14. Exod. & Lorin. Sapient. 10. n.* 18. Noluisse hanc maris diuisionem (B) factam fuisse à Deo virtute alicuius venti, tanquam instrumento diuinæ omnipotentiæ, cum satis compertum sit Deum posse vti ineptiori instrumento ad similem diuisionem faciendam, & ventus aptissimus sit ad propellendas aquæ partes, vt fieri videmus, maximè in fluminibus, vbi contra naturalem impetum, & aquarum descensum videmus ventum remittere, & propellere aquas, & in vase pleno aqua ostendit adducta similitudo, iam vero spiritus furoris Dei ventus ve- (C) hemens, & diuinitus excitatus est, & facilè potuit non solum extimas & superiores aquæ partes propellere, sed facere talem expulsionem, & diuisionem aquarum vsque ad profundum, ídque per ventum à Deo fuisse factum, hoc in loco apertè ostendit Scriptura, cum ait. Congregatas fuisse aquas in spiritu, seu in vento, vbi sicut diximus præpositio, *in*, posita est loco præpositionis, *per*, idémque valet: Quis vero neget quando sacer text. ait, per spiritum vehementem congregatas (D) fuisse aquas, spiritum, Dei instrumentum fuisse ad talem congregationem, & diuisionem faciendam, etenim compertum est præpositionem, *per*, efficientiam designare. Deinde verba illa *Exod. 14. Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi,* (Exod. 14. num. 21.) quid aliud denotant, quam Deum abstulisse mare, mediam aperiẽdo viam, assumpto ad id instrumento scilicet vento, hoc enim apertè significat ablatiuus ille, & notanda venit translatio ex Hebræo apud (E) *Vatabl.* quæ sic habet: *Et extendit Moyses manum suam super mare, & Dominus fecit, vt recurreret mare per Orientalem ventum vehementem tota illa nocte.* Ecce recursus maris, ac congregatio partium per Orientalem ventum facta, explicat vero *Vatabl.* vt discederet mare, vento Orientali vehementissimo flante. Quid autem obest si aquæ, medio vento diuisæ, (A) eodem remissius flante, sustentatæ sint?

Cum itaque creaturæ omnes in potentia obedientiali sint respectu Dei, vt ab eodem velut instrumenta assumantur, ad quemcunque effectum naturam earum prorsus excedentem patrandum, cum etiam apertissima sint testimonia, quæ de vento respectu huius diuisionis loquuntur, propriéque possint intelligi; quid opus est vim sacræ Scripturæ inferre, & verba eius in proprio sensu non intelligere, cum possint? In cuius confirmationem videndus est *Hieronym. in cap. 2. Ioëlis,* (B) vbi quærit quæ fuerit ratio, cur eruca fortitudo, (Ioel. 2. num. 25.) & virtus Dei appellata sit à Ioele cum eruca paruum, tenerum, & tardum animal sit, quod vix moueri possit ad nocendum. Vocatur, inquit, Dei virtus, & fortitudo, quia per illam Dei potentia ostenditur, & humana fragilitas, similia habet *Philo lib. de vita Moysis*, vbi quærit, cur Deus vti voluerit tam vilibus animalibus ad vindictam Ægyptiorum. Quia, inquit, homines, quando bella gerunt, auxilia quærunt (C) potentissima, quibus suppleant suam infirmitatem, Deus vero omnipotens nullius auxilio egens, si quando vult vti suis instrumentis ad exigenda supplicia, non valida eligere solet, sed vilia, & imbecilla, vt suam ostendat omnipotentiam, & nostram miseriam, quo enim minori instrumento adhibito opus perficitur, eo magis ostenditur virtus eius, qui ita operatur. Quid mirum igitur si Deus ventum assumpserit ad diuidendas aquas maris rubri, & ad easdem sic diuisas, & conge- (D) latas conseruandas, cum aptum ad huiusmodi effectum instrumentum esset, ventus & Deus ineptiori vti possit.

Sed adhuc aliam solutionem faciliorem habemus, iuxta eam opinionẽ, quam probabilem, si non probabiliorem iudicamus, aquas scilicet congelatas stetisse, nam in Hebræo pro eo, quod nos habemus? *Congregatæ sunt abyssi in medio mari,* teste *Caiet. Vatabl.* & aliis habetur, *Coagulatæ sunt abyssi*, & ita ventus ille non solum fuit ad exsiccandum terram, sed (E) etiam ad coagulandum aquam hinc inde (ait *Caiet.*) & ita coagulatæ aquæ steterunt tanquam muri, & vt magis indicaretur ista coagulatio dicitur in medio mari, seu in corde maris, quia coagulatio ista non solum in superficie, vt naturaliter fieri potest, sed in corde, hoc est in profundo, at medio maris facta est, ad quam conglatiationem conueniens admodum erat instrumentum ventus, neque opus erat, vt

post

post illam factam adhuc perduraret.

Stetit unda fluens. De maris fluxibilitate, tum contra putredinem, motus enim putrefactionem remouet, quia putrefactio fit ab externo calore, quem alia atque alia aëris mutatio per motum inducta, auertit, quod experiuntur ij, qui ad solem ambulant; siquidem minus calent, quam qui incidentem radiũ immoti excipiunt, nisi forte vehementi nisu ferantur, vt membrorum agitatio præponderet, maiorémque vim obtineat ad calefaciendum (est enim motus causa caloris) quam ad B refrigerandum habet alternatio recentis frigidíque aëris, quo corpus ambitur. Est etiam agitatio, & fluxibilitas maris ad sui purgationem à natura illi concessa, de variis item fluminibus diuersa maria diuersimodè cieutibus, & agitantibus videri potest *Seneca lib. 3. natural. quæst. cap. 26.* vbi ait. In aquis, quibus cursus est, non possunt viua consistere, quæ sua vis defert, & exportat, ideóque mare, cadauera, stramentáque, & naufragorum, reliqua similia ex intimo trahit: nec solum tempesta- C te, & fluctu, sed tranquillum quoque, placidúmque purgari consueuit, similia habet *Plinius lib. 2. cap. 98.* videndúsque hac de re est *Conciliator. d. 159.*

Etiam finis marinæ agitationis est nauigatio, ad quam multum conferre quotidianum marium reciprocationem experimento liquet: cum naues ad subeundum portum accessu maris promoueantur, eiusdémque recessu in altum euchi consuescant.

Tam multis igitur de causis reciproca D maris commotio, & agitatio tunc temporis stetit, & ab omni motu constitit, vt reciprocam maris vicissitudinem ab eo loco nunc omittamus, inusitata quadam stabilitate, non solum contra ventorum flatus, si aduersi tunc temporis flarent, sed contra omnes alios naturæ, ac cœli impetu, & hinc, inde, instar lapidum ad muri structuram conuenientium immota perstitit, & hinc, inde partes muri egit, transeuntem populum à maris impetu, & voracitate defendentis, vnde Dauid dixit: E

Psal. 73. num. 13.

Tu confirmasti in virtute tua mare, vbi *Iansen.* ait: Tua potentia consolidasti fluidum mare, vt esset patribus nostris transeundi locus, & frequens est in sacra Scriptura vsurpatio huius verbi, stare, pro cessatione omnimoda eius, qui antea mouebatur: *Iesus tetigit loculum, y autem, qui portabant steterunt*, sic Ionæ 1. *Stetit mare à furore suo*, postquam tulerunt Ionam,

Luc. 7. num. 14. Ionæ 1. num. 15.

A & miserunt in mare; & vidua illa, cui filij offerebant vasa, & illa infundebat oleum, *Cum nullum superesset vas, stetit oleum*, 4. Reg. 4. & *ad vocem Iosue steterunt sol, & luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.*

4. Reg. 4. num. 6. Iosuë 10. num. 13.

Significat insuper verbum stare firmitatem, & immobilitatem, vt patet, *Firmum fundamentum Dei stat*, vbi per fundamentum Dei quidem prouidentiam, & decretum Dei æternum de œconomia, seu dispensatione salutis humanæ quidam in- B telligunt, alij interpretantur promissiones, siue prædictiones, quibus hoc Dei consilium in Scripturis nobis aperitur, alij Euangelium intelligunt in quo innititur hoc fundamentum *D. Ambros.* fidem intelligit, quam seruat Deus in promissis, *Theodor.* fidem resurrectionis, cui suffragatur *Chrysost. August.* vero plerisque in locis intelligit Ecclesiam prædestinatorum, siue electorum ad vitam æternam. Vt cúmque tamen locus intelligatur stat firmum fundamentum immobiliter ne- C que labefactari potest, hoc enim significat verbum standi, similisque est explicatio *Chrysost. & August. ad illud* Psalm. 25. *Pes meus stetit in directo*, & in hoc sensu firmæ stabilitatis sumitur hoc loco, vt significetur quomodo vnda infrænato fluxu steterit immota fluxam creaturam coërcens, & quendam veluti murum efficiens.

2. Tim. 2. num. 19. Psal. 25. num. 12.

Congregata sunt abyssi in medio mari. Caietan. ex Hebræo legit, *Coagulata sunt abyssi in corde maris*, ita fere LXX. *Xistiani, & Regij codices.* Sic *Vatab. Pagn. Con-* D *densata sunt voragines in corde maris*, & verbum kaph dicitur significare condensationem, vt patet *Iob* 10. *Sicut caseum me coagulasti*, ab hac radice, & *Sophon. 1. Visitabo super viros defixos*, (id est, coagulatos, concrescentes & hærentes in fæcibus suis) & certè partium vnionem, & compositionem Latini etiam appellarunt coagulationem, sicut *Gell. lib.* 12 *c.* 1. dixit vinculum illud, coagulúmque animi, & corporis: potuit proinde in hoc sensu dici congregatio aquarum coagulatio, sicut & E *Vatabl.* ait. Ita steterunt, ac si coagulatæ fuissent, *Agellius* ait. Certe sic intelligendum est congregatas abyssos vt conglatiatas & cõgelatas fuisse intelligamus, quod probat ex Hebræo, & ex LXX. interpretibus. Quod si, inquit ille, de aceruis illis, & tumulis dictum potius sit existimandum, sic illæ moles aquarum steterunt, quasi gelu constrictæ defluere minimè possint, vbi particula, quasi, non diminuit, sed rem

Iob 10. num. 10. Sophon. 1. num. 12.

declarat,vt folet,& patet ex antecedentibus apud ipsum Auctorem, & iftius opinionis videtur fuisse etiam *D. Hieron. in c.2 Ofee*,paulo poft principium,vbi dicit: maria ad inftar murorum hinc, inde rigidam ftetiffe,vt præberet viā populo tranfeunti.Suffragatur *Zeno Veronenfis Epifcop. ferm.3.de Exod.* vbi ait, Aquæ dextra,læuáque gelido ftupore frænatæ,vice eos dirigunrur in muros,præftolantes tranfitum Dei populi, &c. Similia habet *ferm.6. & ferm.*10. exprefse habet *Philo libr.2. leg. allegor.ante medium*,vbi ait. Quoties homo Deum videns fugam meditatur ab effectibus congelantur vndæ,hoc eft impetus,ac moles eorum, & iactantia, concreuerunt enim vndæ in medio mari , vt tranfiret affectum Ifrael videns Deum: vbi fine dubio *Philo* alludit ad hunc Ifraëlitarum tranfitum, in quo congelatas, feu concretas dicit vndas.

Video tamen aliquid amplius hoc in loco velle *Caietanum*,vt fcilicet,ille ventus, cuius minifterio tranfituris Ifraëlitis apertum,& exficcatum eft iter, hāc etiam aquarū congelationem effecerit, fic enim habet. Hinc apparet manifeftè quod ventus ille non folum fuit ad exficcandum terram,fed etiam ad coagulandum aquam hinc , inde , & ad confirmationem huius fententiæ , probationem affumit ex illis verbis *in corde maris* , feu *in medio maris*: quia,inquit, congelatio maris in fuperficie, & infra paruum terræ ambitum continenti naturaliter fieri poteft,fed in corde, hoc eft in profundo , ac medio maris fieri (vt tunc accidit) miraculum eft, & *Carthuf.*hic ait. *Stetit vnda fluens*, id eft, gurges aquæ ex fua natura mollis ac fluidus diuina virtute ftetit , fixus vt tellus, atque vt loquitur *Origen.* Soliditatem liquor recepit,& coactus eft fluuius in cumulū,ac vnda in fpe ipfam repreffa.Nempe fi vt *in lib. Iob.* legitur *Superficies abyffi conftringitur frigore* , quanto magis creatore iubente, vndæ eius figuntur?Quibus in verbis apertè videtur oftendere congelatas ftetiffe vndique aquas ad imperium, & ordinationem diuinam flante vento, & frigiditate fua conglaciante aquas , ficut folent fluuiatiles,ac pluuiariles aquæ frigore conftringi,& conglaciari.

Iob 38. num. 30.

Neque video inconueniens quominus hæc fententia de vento diuidente,& congelāte aquas admittatur, qua pofita rectè conferuatur proprietas verbi Hebræi , & melius exponitur noftra vulgata quando afferit congregatas abyffos , fcilicet , per

A coagulationem:& quamquam difficilis fit congelatio maris , facile hoc fieri potuit ex Dei difpofitione flante vento vrente, non quidem calore, fed frigore, quo potuit via in medio maris durior fieri , & fterni ; ne appofitis hinc , inde aquarum aceruis, ac muris congelatis tanto timore cōfternarentur filij Ifrael ingreffuri viam in medio maris,& fidentius eofdem infequerentur Ægyptij, dum minimè timerēt congregationem aquarum , quas congelatas videbant , deinde maiorem ftragem

B potuerunt edere aquæ non omnino refolutæ, fed inftar magnorum lapidum congelatæ dum fupra Ægyptios caderent, quam fi liquidæ omnino forent.

Quibus omnibus penfatis fic præfentem locum interpretamur,vt congregatas dicamus aquas per congelationem , congelatáfque ftetiffe inftar murorum è niue conftructorum. Verba illa,*in medio maris*, vel *in corde maris* poffunt denotare medium maris perfectè, & ftrictè fumptum, quod ab vtroque littore perfectè diftaret,

C vel poffunt fignificare internū maris gremium,& eius profundā partem, quamuis ad medium perfectum non fit deuentum. Stando enim in ea fententia, quam primarij Hebræorum Scriptores Iofeph , fcilicet,& *Philo,ac Lyran.*item *Gregor. Nyffen. Caiet.*& alij fequuntur, fcilicet, Hebræos totum illum maris finum ab Ægyptio littore ad Arabicum tranfiiffe , vt colligunt *ex cap.33. Numer.* vbi dicitur profecti de Phihahiroth:*Tranfierunt per medium mare in folitudinem*,quod etiam clarius indi-

D cat *lib. Sapientiæ c.*10.vbi non ait circunduxit,fed *tranftulit illos per mare rubrum, & tranfuexit illos per aquam nimiam*,quæ verba perfpicuè atteftari videntur non aliquam in mari circuitionem, fed totius illius maritimi tractus trāfmiffionem factam, quod manifeftius exponunt *Iofeph. 2.antiquit.c.7. Philo lib. 3 de vita Moyfis, non procul à fine, Gregor.Nyffen. non longè à principio libelli de vita Moyfis.*In hac ergo fententia medium maris fignificat totam maris latitudinem fuiffe apertam, &

E diuifam, ac mare vndique ftetiffe.

Stando autem in altera fententia,quam non Hebræi tantum, fed nonnulli ex Latinis defendere nituntur , vt *Abulenf. in cap.*14.*Exod.q.*19.*Paulus Burgenf.ibidem, D.Thom.in* 1.*ad Corinth.cap.*10. *Pererius difput.3.in c.*14.*Exod.Torniell. anno mundi* 2544.*num.*27. qui omnes afferunt filios Ifraël nō totam maris latitudinem tranfmeaffe, peruenifféque vfque ad littus oppofitum,

positum,sed parte aliqua latitudinis ma- A
ris directo traiecta, reflexo postea itinere
reuersos fuisse ad idem littus, semicircu-
lo intra mare confecto, quia inquiunt,
non necessarius fuit ipsorum ingressus in
mare, nisi vt Pharaonis exercitus, qui
eos insequebatur,mergeretur : nam alio-
qui cum mare rubrum non omnino se-
paret Ægyptum à terra Chanaam, sed
tantummodo partes Ægypti superiores,
aliásque regiones super Ægyptum exi-
stentes ab Arabia, vtique poterant He-
bræi transire de Ægypto ad terram pro- B
missionis absque transitu maris rubri.Præ-
terea certum est quod tam ante, quam
post ingressum, exitúmque de mari ru-
bro Hebræi ambulauerunt per desertum
Ethan, vt manifestè colligitur ex colla-
Exod.13. tione eorum,qui dicuntur *Exod.13. num.*
num.20. 20. cum his, quæ habentur *Numer.33.*
Num.33. *num.8.* Ergo signum est quod ad idem
num.8. littus reuersi sunt,siquidem non est credi-
bile desertum illud fuisse tam magnum,
vt intra se includeret ipsum mare.

Stando ergo in hac sententia, quam C
nos aliquando in Conimbric. Academia
defendimus, dicendum est non conuinci
ex hoc loco factũ fuisse miraculum istud
in ea parte maris, quæ ab vtroque littore
æquè distaret, sed tantum intra gremium
maris, linguæ namque Hebrææ idiotis-
mus est,vt in medio alicuius rei esse,signi-
ficet esse intra illam.qua de re videndus,
Ribera Mich.3.num.16.& 17.& Abac.3.
num.2. exempláque sunt propè innumera-
Ps.160. bilia,vt *Nõ habitabit in medio domus meæ,*
num.7. *quia facit superbiam*, id est,intra domum D
Isaiæ 6. mediam,& cum ministris meis.*Isaiæ 6.Væ*
num.5. *mihi quia tacui,quia vir pollutus labys ego*
sum, & in medio populi polluta labia ha-
bentis ego habito,id est,inter homines lin-
gua & sermone sæpe delinquentes,Eliseus
4.Reg.4. dixit Sunamitidi. *Nunquid habes nego-*
num.13. *tium,& vis vt loquar Regi. Quæ respondit*
in medio populi mei habito,quod explicant
*Pagnin.Brixian.& Vatabl.*quasi dicat.in-
ter consanguineos meos habito, qui pos-
sunt mihi esse interpretes apud Regem si
quid negotij habuerim,propterea sit con- E
ueniendus,quem etiã Hebraismum agno-
Luc.2. scit *Card.Tolet.Luc.2.num.46.* quando di-
num.46. citur,*Inuenerunt illum*(scilicet,Dominum
Iesum puerum adhuc) *in templo in medio*
Doctorum audientē illos & interrogantem,
Ait vero *Tolet. annotat. 74.* Hebraismus
est (in medio Doctorum) id est,inter me-
Luc.22. dios Doctores,probátque ex illo loco.*Ego*
num.27. *in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,*
id est,apud vos sum,& dixit Baptista. *Me-* *Ioann.1.*
dius vestrum stetit, quæ verba *Cyrill. &* *num.26.*
Chrysost. homil.15. in Ioan. sic explicant.
Decens erat vt in populo tanquam vnus
ex multitudine versaretur,qui vbique hu-
militatem,& mansuetudinem docebat,ac
proinde ignorabatur quis esset,& quantus
esset. Similiáque habet *August.tract.4.in*
*Ioan.*vnde verisimile habetur à probatissi-
mis authoribus,qualis mihi est *Sotto Ma-*
ior ibi,quando *Ioan.*hæc verba dixit, *Me-*
dius vestrum stetit,&c. Christum Domi-
num inter auditores stetisse,nempe turbæ
admistum,& id voluisse significare Bapti-
stam per illa verba, vnde potuisset tunc
Christum præsentem demonstrare, nisi
aliter admoneretur à Spiritu sancto, quia
si eum tunc demonstraret magis in illum
legatorum inuidiam concitaret, vel quia
adhuc Christus Dominus voluit latere,vt
postea opportunius manifestaretur.

Vnde intelliges non efficaciter argu-
mentari illos,qui ex *Abac.3.* vbi dicitur. *Abac.3.*
Domine opus tuum in medio annorum vi- *num.2.*
uifica illud, vbi incarnatio diuini Verbi
postulatur, & statim, tanquam certa de-
nunciatur cum dicitur, *in medio annorum*
notum facies,inferunt incarnationem Filij
Dei accidisse in medio durationis mundi
rigorosè sumpto,ita scilicet,vt quot ante
illam annos durauerit, tot etiam sit post
illam duraturus mundus, quod si verum
id foret, iam certo ex hoc loco constaret
mundi finis, & vltimus Christi iudicis
aduentus, contra id, quod Christus Do-
minus dixit:*De die autem illa & hora ne-* *Mat.24.*
mo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus *num.46.*
Pater. certo enim constat quanta sit an-
norum summa ab incarnatione versus
mundi initium intercurrens..

Vera ergo, & plana prædicti loci sen-
tentia talis est. Incarnationem magnum
dexteræ opus,& à te promissum, ne patia-
ris Domine peccatis nostris impediri, &
quasi extingui, vel etiam hominem præ-
cipuum dexteræ tuæ opus ne patiaris om-
nino perire, & mori, sed potius viuifica
illud idest, imple promissa, & exhibe
Christum tuum, atque sic per illius ad-
uentum in carne viuifica hominem penè
demortuum, idque adeo in medio anno-
rum,idest, intra annos à te scilicet, præ-
stitutos, & huic operi faciendo præfini-
tos,vt ait *Ribera*,vnde LXX. interpretes
habent; *cum appropinquauerint anni*, id-
est, cum temporis opportunitas affuerit,
idque docent aliorũ interpretum versio-
nes,quas referunt *Hieron. & Euseb.lib.6.*

demonstrat. Euangel. capite duodecimo. A
Aquila habet, dum appropinquant anni
viuifica illud *Symmach.* inter annos reui-
uiscere fac ipsum, quos dixit etiam *Pau-*
Galat. 4. *lus, Cùm venit plenitudo temporis*, ea sci-
num. 4. licet, quam diuini Concilij inscrutabilis
altitudo dispoſuit, vt explicat, & loqui-
tur *Leo serm. 1. de Natiuitate.*

Cum ergo medium significet non me-
dium rigorosè sumptum, non est quod ali-
qui inferant ex nostro textu filios Israël
mare transmeasse ex vno littore ad oppo-
situm; & iuxta hunc dicendi modum re- B
spondendum est, si quis opponat He-
bræum textum quatenus habet, *in corde*
maris, quia simili Hebraïsmo significa-
tur intra mare, sicut *cor terræ*, significat
Mat. 12. sepulchrum. *Matth.* 12. iuxta expositio-
num. 48. nem multorum quanquam ibi quid am-
plius significare videatur, vt bene anno-
rauit *Maldonat.*

ANNOTAT. I.

De congregatione malorum ad impediendam viam iustis. C

ANsam præbuit præsenti argumento
D. Gregor. qui *lib.* 34. *Moral. cap* 4.
hanc diuisionem aquarum diuinitus fa-
ctam deducit ad ostendendam congrega-
tionem malorum, qui iustos iugiter per-
sequuntur, proindéque necessariam ipso-
rum diuisionem, vt facilius iter confi-
ciant ad æternam beatitudinem, sic enim
habet. Sicut iam superius diximus vt per-
niciosum est si vnitas desit bonis: ita per- D
niciosum est, si non desit malis. Reprobo-
rum quippe vnitas, bonorum vitam tan-
tò durius præpedit, quantò ei se per col-
lectionem durior opponitur. Hanc vnita-
tem reproborum perniciosam sibi *Paulus*
conspexerat, cum in medio Sadducæo-
rum, Pharisæorúmque deprehensus dice-
Act. 23. bat. *De spe, & resurrectione mortuorum, ego*
num. 6. *iudicor*, qua nimirum voce percussa, pro-
tinus contra se vicissim audientium tur-
ba dissiluit, eúmque in duas partes tumul-
tuantium turba diuiditur, paulò via exce- E
ptionis aperitur; quia quem turba perse-
quentium vnita constrinxerat, diuisa la-
xabat. Eripiuntur ergo iusti, dum diuidun-
tur iniusti, & electorum vota ad perfe-
ctum perueniunt, dum reproborum agmi-
na per discordiam confunduntur: quod
bene etiam maris rubri scissione designa-
tur, dum enim in duas partes vnda diui-
ditur, ab electo populo ad terram promis-

A sionis tenditur via; quia dum malorum
vnitas scinditur, bonæ mentes ad hoc
quod appetunt perducuntur: si malorum
vnitas noxia non fuisset, nequaquam diui-
na prouidentia superbientium linguas in
tanta diuersitate dissipasset, si malorum Gen. 11.
vnitas noxia non fuisset de sanctæ Eccle- num. 7.
siæ hostibus, Propheta non diceret, *Præ-* Psal. 54.
cipita Domine, & diuide linguas eorum, sic num. 10.
ille. quod argumentum prosequitur *D.*
Thom. 2. 2. *q.* 37. *art.* 1. *ad* 2. vbi sic ait. Fa-
cere discordiam per quam tollitur bona
B concordia, quam charitas facit, est gra-
ue peccatum, vnde *Prouerb.* 6. dicitur. *Sex* Prou. 6.
sunt, quæ odit Dominus, & septimum dete- num. 16.
statur anima eius, & hoc septimum ponit
eum, qui seminat inter fratres discor-
dias; sed causare discordiam, per quam
tollitur mala concordia, scilicet, in ma-
la voluntate, est laudabile, & hoc modo
laudabile fuit, quod Paulus posuit dissen-
sionem inter eos, qui erant concordes in
malo, nam & Dominus de se dicit. *Non* Mat. 10.
veni pacem mittere, sed gladium. num. 43.

C Licet verò non sint facienda mala, vt
veniant bona, quod statim eum *Caiet.* ibi
aduertunt recentiores expositores *D. Th.*
nec serendæ, data opera, discordiæ, verum
tamen permitti quandoque, & procurari
etiam possunt instar antidoti, seu veneni
contra venenum, ac veluti febris in stupi-
do corpore, illo modo, quem dixit *Greg.*
sic seruatam Romanam constat Rempu-
blicam, tribunis cum patriciis diffidenti-
bus. Lacedæmoniam Ephoriis cum Regi-
bus & Cato contentiunculas aliquas, vel
D dissensū callidè serebat inter seruos, quod
haberet suspectam nimiúmque timeret
eorum concordiam, vt testatur *Plut. in*
eius vita, celebratúrque ab aulicis, sed po-
tius politicis apophthegma *Cornely Ta-*
citi in vita Agricolæ, nihil principi aduet-
sus subditos vtilius, quam si in commu-
ne non consulant, nempe si leniter, citra
arma tamen, & coniurationes, & odia
cruenta inter se finitima oppida, ac pro-
uinciæ diffideant, ne scilicet, coniuratæ
coniurare possint, & in principem irruere.

E Semper tamē cauendus est Machiauel-
lus, dum sententiam huic affinem propa-
gauit; *regnare si vis, diuide*; sunt enim
in oculis Marij, Syllæ, Pompeij, Cæsaris, &
Octauij tempora, quibus cum diuisus est
à Senatu populus, petiit omnino Respu-
blica. Legat qui velit Machiauelli refuta-
tionem apud *Bozium opere de imperio vir-*
tutis lib. 2. *c.* 16. *&* 17. At verò malorum
vnio, & conspiratio abominanda sępe est,
&

& destruenda cum fieri id possit, ea námque velut armis non iniquus diabolus impugnat, sicut dixit Dominus, quando Iobum allocutus ait: *Corpus illius quasi scuta fusilia compactum squammis se prementibus*, quæ verba sic explicat *Hieron.* corpus diaboli omnes consortes eius intelligendi sunt, quos tanta cōsensione, atque conspiratione Deus dicit illi coniunctos, vt indissolubili connexione sint eidem copulati, quod autem scutis fusilibus comparantur ideò est, vt significetur pertinax repugnantia, *Gregor.* verò explicat prædicta verba *lib.34. moral. cap.2.* de dæmone, cuius carnes asserit esse reprobos omnes; membra verò carnium impios vnitos, inter quos maior est vnio, quā inter fratres, namque fratres inter se separantur, cùm membra carnibus realiter vniantur, quod magis amplificat *Eugubin.* cum ait. Particulæ, siue membra, quæ in aliis animantibus sunt separata adinuicem, in eo vnita sunt, connexa, & cohærentia. Videndus pro hac vnione, *Philo lib. de confusione linguarum*, vbi asserit malos non solum coniunctos esse inter sese, sed conceptionibus animorum, atque verbis, non enim dissentiunt animo vel verbo; sic enim ille habet de iis, qui ædificauerunt turrim in campo Senaar, de quibus Scriptura dixit: *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem.* Ecce, inquit, genus vnum, & labium vnum omnium, ac si diceret: Ecce vna familia, & cognatio, nemine mutante sententiam, quemadmodum & musicæ imperiti consonant, nam vt horum vocis instrumenta interdum inconcinna sunt, & dissona, vt nihil inter eos conueniat, nisi quod pariter discrepent.

Iob. 41. num. 6.

Idem etiam in febribus vsu venit, nam, & quotidiani, & tertiani, & quartani, vt medicorum filij vocant circuitus statas horas habent nocturnas, diurnásque & eundem semper seruant ordinem vt febricitantem perdant vnitæ, & ordinatæ. Sic ille ostendit perniciosam vnionem, & conspirationem malorum.

Illúdque maximè notandum, quod cum veluti arena sint steriles impij, neque ad fructificandum cohæreant, neque vnum sapiant, & facilè in bono solubiles sint, sicut bene prosequitur *Chrysost. in imperfecto hom.20.* cum ponderat id, quod Christus Dominus dixit. *Omnis qui audit verba mea, & facit ea: assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram; & omnis, qui audit verba mea, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam*, vbi dictus Author ait. Carnales homines, ac infideles ideò arena dicuntur, non terra, quoniam terra quidem fructum facit, arena autem sterilis manet: deinde quia terra quidem vnita est, & in seipsam constricta: arenæ autem grana non conueniunt sibi, neque adhærent ad inuicem: sic non sunt vniti, nec vnum sapiunt, sed sunt per diuersas opiniones dispersi: & alius quidem sic dicit, alius autem sic.

Matt. 7. num. 24.

Sic & dogmata Philosophorum nos docent, quæ sunt contraria sibi semper: eodem modo, quo scilicet, perfidia hæreticorum, qui nunquam sapiunt vnum, sed quot sunt, tot sententias habent, propter quod arenæ assimilatur omnis diaboli populus, populus autem Dei non solum vnitus est, quasi terra, quæ quamuis compacta sit, tamen solubilis est, sed est sicut lapis constrictus, & insolubilis. Sic ille ostendit, quomodo impij minimè sibi cohæreant, nec idem sapiant, nec ad fructificandum vniantur, cum tamen ad nocendum facillimè vniantur, & ad perniciem bonorum sese prouocent, & conuocent, & illorum veluti cor vnum sit lingua, ac manus communis, qua de re videndus *August. conc.2. in Psalm.36. & Bernard. serm.24. in Cant. & Lyran.* etiam cum expendit Simeon, & Leui fratres per dolum, & vltra pactum initum cum Sichem, irruisse in eum, & in suos, pariterque omnes occidisse, aduertit igitur *Lyran.* hos duos vocatos fuisse in sacro textu fratres, non propter naturæ coniunctionem, sed propter malitiæ vnionem, quæ magis vnire solet quam natura, pro quo argumento est optimus locus *Luc.11.* vbi Christus Dominus velle videtur malitiam non solum copulare præsentes, & existentes, sed eos etiam qui necdum sunt nati, atque eos, qui iam desierunt esse, vt ex omnibus vnum quasi compactum corpus coalescat, nam dicens Christus Dominus eo in loco: *Exquiretur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista, à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ filium Barachiæ.* Ostendit profectò impios vnū quasi corpus efficere, & vnam generationem, & cognationem, ita vt qui nondum fuerunt cum præcedentibus cohæreant, & existentes cum non existentibus pariter conueniant, propterea enim Christus Dominus ait. Requirendum esse sanguinem Prophetarum effusum ab origine mundi, à Iudæis incredulis, qui viuebant temporibus Christi,

Gen. 34. num. 25.

Luc. 11. num. 51.

Christi, quia præsentes, & existentes vnum corpus componebant cum illis, qui multos antea interemerāt sāctos Prophetas,& inique persecuti fuerant seruos Dei: quomodo enim, inquit *August. lib. 2. contra aduersarium legis cap. 5. & Hieronym. in cap. 23. Matth.* veniet sanguis occisorum super istos,& inquiretur a generatione ista, quæ nunc extat effusus sanguis iustorum eo tempore, quo nondum illi viuere poterant, neque nati adhuc essent, quia inquit, vnum genus, vna conspersio vna massa est impiorum imitatione connexorum. Similia sunt quæ docet *Bernardus serm. 5. de Assumptione.*

Hinc est quod *Paulus* dixit, & verum
1. Cor. est nos, scilicet, *omnes in Adamo peccauis-*
15. n. 22. *se*, quia malitia præsentes fecit, & vniuit omnes in eo primo peccato, ad hoc vt simul cum primo parente peccaremus, quos natura nondum produxerat, & hæc
Exo. 17. etiam fuit ratio, cur *Exod. 17.* vindictam sumpserit de Amalechitis, hostibus populi sui in posterioribus generationibus post quadringentos fermè annos, non alia ratione, quam quia mali vniti vnum quasi corpus efficiunt, & inuicem coniunguntur, quod prosequitur *Bernard. serm. 24. in Cant.* vbi ait. Videas illos ambulare seorsum, conuenire sibi, & sedere pariter, móxque laxare procaces linguas in detestandum susurrum, vna vni coniungitur, nec spiraculum incedit in eis, ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam, conciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio, non secus egere quondam Herodes, & Pilatus, de quibus enarrat *Euangelium,*
Luc. 23. quod *facti sunt amici in illa die*, hoc est,
num. 42. in die Dominicæ passionis. Conuenientibus ergo sic in vnum non est Dominicam cœnam manducare, sed magis propinare, & bibere calicem dæmoniorum, dum aliorum linguis importantibus perditionis virus, aliorum aures intrantem per fenestram auditus mortem libenter excipiunt,
Ierem. 9. vt impleatur illud. *Ascendit mors per fe-*
num. 21. *nestras.* Dici proinde potest in huius mun-
1. Cor. di homines illud eiusdem *Pauli, Itaq. non*
11. n. 17. *in melius, sed in deterius conuenitis*, super quæ verba sic ait *D. Thom. lect. 4.* Omnia animalia gregaria, pura columbæ, grues, oues, naturali instinctu in vnum conueniunt, vt sit eis corporaliter melius, vnde & homo cum sit animal gregale (vt probat *Aristot. in politicis*) agere debet, vt multi in vnum conueniāt, propter aliquid

A melius, sicut in rebus secularibus conueniunt multi in vnitatem ciuitatis, vt sit eis melius seculariter, propter securitatem, scilicet, & sufficientiam vitæ. Fideles ergo in vnum conuenire debent propter aliquod medium spirituale secundum illud.
In conueniendo populos in vnum, & Reges Ps. 101.
vt seruiant Domino, idest, dum populi, & num. 23.
Reges, siue clarius, dum tam plebei, quam nobiles in aliquem communem cœtum conueniunt, ad hoc scilicet conueniunt, *vt seruiant Domino, vt annuntient in Sion* B *nomen Domini, & laudem eius in Hierusalem*, sed Corinthij in deterius conueniebant propter culpas, quas committebant
dum conuenitent, *Isaiæ 1. Iniqui sunt cœ-* Isaiæ 1.
tus vestri, & *Stupa collecta synagoga pec-* num. 13.
cantium. Idest, congregatio peccatorum Eccl. 21.
nihil aliud est, quam multa stupa in vnum num. 10.
fascem collecta, & abundantiorem materiam igni suppeditans, vt scilicet, omnia absumant, & in cineres redigant, quod si nequeant propter materiæ resistentiam, denigrata tamen, & fuligine obscurata C reddunt, quod ignis facere consueuit in domus parietibus quos cōburere nequit.

Videndus pro hoc argumento *D. Augustin. in Psalm. 36. conc. 2.* vbi ait. Tunc secum concordant, quando in perniciem iusti conspirant, non quia se amant, sed quia eum, qui amandus erat, simul oderunt. Sic ille, cui suffragatur *Chrysol. ho-*
mil. 88. in Matth. ad illa verba: *Tunc mi-* Mat. 27.
lites præsidis suscipientes Iesum in prato- num. 27.
rium congregauerunt ad eum vniuersam cohortem. Quasi omnes, inquit, ex composito D conuenissent, ita signo dato ad Choream omnes diabolus concitabat: nam & si possimus inuidiæ tabo existimare ad insaniam Iudæos concitatos fuisse, tamen, qua de causa moti milites fuerint, nō patet, diabolus igitur erat, qui vniuersos tunc illos occupabat.

Illúdque hac in re maximè dolendum est, quod cum vitio, & iniquitati nihil magis conueniat, quam confusio, & diuisio, sicut prosequitur *Philo lib. de confusione linguarum*, facilius & astrictius con- E iunguntur mali in malum; quam boni in bonum & cum etiam in se diuisi sunt, in hoc vno conspirant, vt scilicet, malum inferant, quod prosequitur *Bernard. serm. 5. de Assumptione*, vbi hanc malorum vnitatem, peruersitatem execrandam vocat, & ideò *Hilar. in Constant.* de seipso ait. Exulo non crimine, sed factione.

Quod si velis agnoscere vnde hæc inimica amicitia impiorum contra iustos oriatur.

oriatur. Dicimus in primis nullam habe-
re causam, nullóque penitus niti funda-
mento, aut ratione huiusmodi odium, sed
gratis tantum haberi, sicut de se, atque de
Psal. 34. Christo Domino dixit Dauid. *Non super-*
num. 19. *gaudeant mihi qui aduersantur iniquè, qui*
oderunt me gratis, vbi *Vatabl.* habet, *im-*
merito, *Campens.* verò, *sine ratione*, & pro
eo, quod nos habemus, *iniquè*, biblia Xi-
stiana habent *vanè*. Aquila habet, *sine*
Ioan. 15. *causa*, & quamquam locus præcipuè intel-
num. 24. ligatur de Christo, qui dixit. *Si opera non*
fecissem in eis quæ nemo alius fecit, pecca-
tum non haberent: nunc autem, & viderũt,
& oderunt me, & Patrem meum, sed vt im-
pleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est,
quia odio habuerunt me gratis, vbi parti-
cula, vt, consecutionem denotat, non cau-
sam, & odium gratis, significat sine vlla
ratione, sed ex malitia, & temeritate, pro-
indéque inexcusabile, & ratione ipsa, & te-
stimonio Prophetæ, quo pacto nullus om-
nino in rigore odio habetur præter Chri-
stum, qui in nullo dignus odio, & nemo
alius in quo non aliquod peccatum fue-
rit, vel sit, vel esse potuerit, ac debuerit,
deinde nullus tot contulit, vel conferre
potest beneficia, attamen iustus vir habe-
ri potest odio ab iniquis, qui ex malitia,
& temeritate persequuntur illum, vnde
Dauid eandem sententiam repetit dicens:
Multiplicati sunt super capillos capitis mei,
Psal. 68. *qui oderunt me gratis*, & iterum *Sermoni-*
num. 5. *bus odij circundederunt me, & expugnaue-*
Ps. 108. *runt me gratis*, & *Cum loquebar illis impu-*
num. 3. *gnabant me gratis*, magnóque profecto
Ps. 119. solatio tam iniquum odium impiorum iu-
num. 7. stis debet esse, quo se *Paulinus* consola-
tur modo aduersus odia clericorum Ro-
manorum *epist. 1. ad Seuerum.* Sed Domi-
no gratias, ait, qui & mihi miserrimo pec-
Ps. 119. catori suo dedit dicere, *Quoniam oderunt*
num. 7. *me gratis*, subditque, se cum his, qui ode-
rant pacem mente pacificum fuisse, & fa-
mam de talium odiis ad se allatam vix
aures spinarum sepe munitas penetrasse,
atque vt auram frigidam, vel importu-
num vacui calicis murmur exclusam.
Ezech. 2. Videndus *Gregor. homil. 9. in Ezechiel.*
num. 13. vbi ponderat verba Prophetæ *cap. 2. Ne*
timeas eos, neque sermones eorum metuas.
Cur autem linguas derogantium timere
non debeat etiam causa subiungitur cum
protinus subinfertur: *Quoniam increduli,*
& subuersores sunt tecum, & cum scorpio-
nibus habitas, timendi enim essent hi qui-
bus loqui mittebatur, si in fide, & opere
Deo omnipotenti placuissent, qui autem

A increduli, & subuersores sunt, in suis ser-
monibus derogantes timendi non sunt,
quia stultum valde est si illis placere quæ-
rimus quos non placere Domino scimus.
Debent enim haberi in metu, & reue-
rentia iudicia iustorum, quia membra
omnipotentis Dei sunt, & hoc ipsi in ter-
ra reprehendunt, quod Dominus redar-
guit è cælo. Nam peruersorum derogatio
vitæ nostræ approbatio est, quia iam osten-
ditur nos aliquid iustitiæ habere, si illis
displicere incipimus, qui non placent
B Deo: non enim iusti humana iudicia, sed
æterni iudicis examen aspiciunt, atque
ideo derogantium verba contemnũt. Hinc
etenim derogãtibus Corinthiis *Paulus* di-
cebat: *Mihi autem pro minimo est, vt à vo-* 1. Cor. 4.
bis iudicer, aut ab humano die, videndus
Cyprianus epistol. 38. vbi *Rogatian. Episcop.*
propter senectutem à quodam Diacono
contemptum exemplo Samuelis consola-
tur. *Cum, inquit, Samuel Sacerdos à Iudæo-*
rum populo ob senectutem sicut, & tu modo,
contemneretur, exclamauit Dominus: Non
C *te spreuerunt sed me, & vt hoc vlciscerer*
excitaui eis Saul Regem, qui eos iniurijs 2. Reg. 8.
grauibus attingeret, & per omnes contume- num. 7.
lias, & pœnas superbum populum, & preme-
ret, vt contemptus Sacerdos de superbo popu-
lo, vltione diuina, vindicaretur Sic ille. Si-
mile quidem accidit Nazianzen. quẽ eius
aduersarij pertesi nomine debilitatis, de
munere Episcopali deiecerunt, quos ille
partim ironicè, partim manifestè perstrin-
gens in *oratione de Episcopis tom. 2.* Præ-
clari, inquit, boníque collegæ mei inuidia
D rupti, & ad institutum suum perficiendum
debilitatem meam assumentes me aman-
ter, scilicet, amantissimi homines obliga-
runt; quasi abiecto quodã homine de naui
nimis grauata, nam reapse, qui rectè sapit,
ac prudens est, non potest non improbis
oneri esse. Videndus *Augustin. enarrat. 1.*
in Psal. 68. ad illa verba. *Multiplicati sunt* Psal. 68.
super capillos capitis mei, qui oderunt me num. 5.
gratis, vbi sic. *Accipiant membra vocem*
hãc, discant odio haberi gratis, iam enim si
necesse est Christiane, vt mundus oderit te,
E *quare non facis, vt gratis te oderit? Vt in*
corpore Domini tui, & in hoc psalmo de illo
præmisso agnoscas vocem tuã? Quomodo fiat
vt oderit te mundus gratis? Si nihil cuiquã
noceas, & sic odio habearis: Hoc est enim
gratis, & sine causa odio haberi, insuper &
præsta, vt retribuã tibi mala pro bonis. Con-
fortati sunt inimici mei, quia persequuntur
me iniustè quod dixit, Multiplicati sunt su-
per capillos capitis mei, hoc postea, Cofortati
sunt

sunt inimici mei; & quod primo; qui oderũt me gratis, hoc postea, qui persequuntur me iniustè. Quod ergò gratis hoc est iniustè, ipsa est vox Martyrum non in pœna, sed in causa. non persecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proscribi, non occidi, laus est, sed habendo causam bonam ista pati, hæc laus est, laus est in causa bonitate, non in pœna acerbitate, sic ille.

Hæc proinde laus primi hominis iusti, qui sine causa odio est habitus, & occisus & ideo Dominus iniquum fratrem interrogauit de causa cum dixit: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Vbi *Chrysost.*
Genes. 4. num. 6. *homil.* 18. ait. Vide misericordiam Domini quomodo furorem, & insaniam illius demulcet, & verbis his impetum auferre nititur, quare tristis factus es, quare non à te ipso quod oportebat fieri considerasti? Non homini sacrificium obtulisti, nonne si rectè obtulisti, non autem rectè diuidas, hoc quidem quod in animo accepisti esse offerendum laude dignum est, quod vero non rectè diuidis oblati repudiationem operatum est.

Itaque causa tristitię, & iræ incentiuum in ipso erat, quem corrigere debuit ex tali causa, non fratrem sine causa odisse, quem potius diligere debuerat, & interrogatus de fratre post necem respondit,
Genes. 4. num. 9. *nescio, nunquid custos fratris mei sum ego?* Vbi *Chrysostom.* ait quia grandior ætate, etiam secundum naturæ leges custodem fraternæ salutis esse te oportebat, hoc enim natura decreuit, & oportet eos, qui ex eodem vtero nati sunt, mutuo esse custodes.

Quod si noluisti custos esse fratris, quare ergo illius interfector es factus? & eum qui nulla te affecit iniuria perdidisti? & *Ambrosius libro de Cain. cap.* 9. si bonum fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis, sed hoc exponendum censeo si bonus bonum considerasset fratrem, nam qui malus bonum considerat, procul dubio persequitur, hoc enim est ingenium iniquorum, qui solam bonitatem perræsi mala inferunt bonis, & ideò *Gregor. lib.* 9. *Epist.* 39. eleganter dixit. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit, statim enim atque quis virtutem amplectitur ab iniquitate persequitur.

Hoc etiam videre est in innocente, ac iusto Ioseph, quem cum laudasset pater
Gen. 49. num. 22. dicens: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, decorus aspectu.* statim addit, *inuideruntque illi habentes iacula.* Hebraïcè habetur *sagittauerunt*, & *oderunt eum sagittarij*, vbi *D. Thom.* aduertit in comment. ad *Genes.* iniquos fratres accepisse, vt contrariissima, quæ amantissima sunt, nempe pulchritudinem, & decorem, quod magis apparebit, si aduertamus pulchritudinem secũdum phrasim Scripturæ accipi pro bonitate, vt patet ex illo: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ*, vbi L X X. habent, *Videntes filias hominum, quia bonæ sunt.* Fieri proinde Genes. 7. num. 2.
potuit, vt Iacob commendãdo Ioseph exteriorem pulchritudinem, & decorem ad internum etiam mentis oculos dirigeret, paritérque, imò, & præcipuè hunc laudaret, quo viso inuiderunt sagittarij, & iacula collimarunt, sicut plerúmque fieri solet à sagittariis, qui, vt melius assuescant non in cassum sagittas mittere, sed destinatum signum ferire, apponunt parieti, aut arbori albam papyrum, candidúmve lapillum, quem melius conspicientes colliment, & transfigant, & proinde quærunt signum candidius, vnde dicuntur in hoc sagittandi exercitio ad album sagittas mittere, à quibus si quæras quid sagittis petant, & iaculis impetant, respondebunt album illud signum velle trãsfigere, idque non ex alia ratione quam quia album est, & ideò sagittariis propositum quasi oppositum. Ecce proinde, quid Iacob voluerit significare, vel quid nos ex verbis eius colligere possimus: proposuerat filium suum decorum aspectu, & pulchrum nimis, non externa solummodo pulchritudine, quam insectabatur domina, sed interna, qua illam repulit, & abiecit, & propter quam *super omnes filios eius Israël pater suus diligebat*, & Gen. 37. num. 3.
quia virtutis decorem, pulchritudinem, & candorem impij velut sagittarij persequuntur, statim addit odium, & inuidiam fratrum, qui *oderant eum nec poterant ei quicquam pacificè loqui*, vbi rectè *Chrysost. homil.* 91. Non amor patris inuidiam Gen. 37. num. 4.
ei peperit, sed patris beneuolentiam virtus pueri conciliauit. Igitur oportebat illos imitari fratrem, & æmulari mores, vt sic & ipsi patrẽ sibi conciliarent, at hoc ne in mentem quidem acceperunt, sed communi odio filium à Patre dilectum prosequebantur, & illi quidem quasi expugnati, intus nascentem malitiam pariebant, nihil pacificè ei loquendo, sed cum dolo loquebantur, ille autem admirabilis fraternam beneuolentiam cum eis seruans, nihilque suspicans, vt fratribus benè fidens, omnia quæ in se erant, faciebat. Hic morbus ab initio, & Cain, vt fratrem

A frattem occideret, armauit, & ficut isti per beneuolentiam patris, quam erga puerum declarabat, & odio illum prosequebantur, & impugnare moliebantur, & quotidie ipsius cædem parturiebant, eodem sane modo, & ille, vt vidit quod fratris dona Deo magis accepta fuerunt, ad eum occidendam prouocatus est. Sic ille proponit candidum signum, quod iniquorum fratrum malitia impetebat, & ratione cuius à iaculatoribus fratribus veluti
Ps. 104. confixus fuit, & transfossus donec *ferrum*
num. 18. *pertransiret animam eius*, ficut dixit Dauid, veluti iam alludens ad sagittas impiorum; Qua de re videndus etiam *August.in Epist.*1.*Ioan.*vbi quærens cur Cain oderit, & occiderit fratrem Abel, hanc solummodo rationem reddidit, quia imitari noluit, necare voluit.

Secunda etiam ratio assignari potest, quod impij iustos persequantur, quia virtus istorum testimonium profert contra iniquos, in quam sententiam interpretatur *D. Gregor.* 9. *Moralium, cap.*35. illud
Iob 10. Iob 10. *Instaurus testes tuos contra me*, ait vero *Gregor. Testes Dei sunt, qui per exercitium sancti operis testantur quæ electos secutura sint præmia veritatis, sed testes suos contra nos Dominus instaurat, cum electorum vitam prauitati nostræ contrariam, ad arguendos nos, instruendosq; multiplicat contra nos, ergo testes illius instaurantur, quia cuncta, quæ agunt, studijs nostræ prauitatis aduersa sunt. Vnde, & sermo veritatis aduersarius vocatur, cum media-*
*Matt.*5. *toris voce per Euangelium dicitur. Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es cum illo in via: atque de hoc eodem Redemptore reprobi persequentes dicunt: Contrarius est*
Sap. 2. *operibus nostris*, & paulo post; *Dissimilis est*
num. 12. *alij vita illius. Testes itaque suos contra nos Dominus instaurat, quia bona, quæ facere ipsi negligimus, hæc ad correctionẽ nostram fieri ab alijs demonstrat, & in hanc sententiam dixit Anselm.lib.medit. Tot iudicibus inops astabo quotquot me præcesserunt in bono opere, tot arguentibus confundar, quotquot mihi præbuerunt sancta viuendi exempla, tot vincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, sæpeq; imitandos iustis mihi dederunt actionibus, &c.*

Videndus hac de re *Philo lib.quod deterior poti.insidi.soleat*, vbi multa hæc de re affert, illúdque eleganter aduertit, quod
*Gen.*31. Iacob dixit vxoribus suis: *Video faciem*
*num.*5. *patris vestri, quod non sit erga me, sicut heri, & nudius tertius, Deus autem patris mei fuit mecum.* Ait ergo *Philo*, atqui ideò (dixerit aliquis) Labam erga te malè affectus, etenim si tu cum Deo ambulas, & Deus ob virtutes, & animi præstantiam, ac sanctitatem tecum est, quid mirum, si malè affectum ipsum erga te sentias, cum iniquus, & fraudulentus idololatra sit, proprium namque est iniquorum bonos immerito semper odisse. Sunt autem iusti virtutis artifices, eámque ob oculos proponunt malis, quas ipsi maximè exhorrent, & auersantur, quod dixit *Seneca Epist.*86. cum ait. Non ex ebore tantum
B Phidias sciebat facere simulachra, faciebat ex ære si marmor illi, si adhuc materiam viliorem obtulisses, fecisset, qualem ex illa fieri optimam posset Phidias. Sic sapiens virtutem, si licebit, in diuitiis explicabit: sin minus, in paupertate: si poterit in patria, sin minus, in exilio; si poterit Imperator, sin minus, miles; si poterit integer, sin minus debilis: quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Cum ergo proponant iniustis, quod ipsi plurimum oderunt, &
C detestantur, & ad quod ipsi numquam peruenire potuerunt, intestino flagrant odio in recte viuentes.

Adeóque hoc malum inoleuit apud malos, vt non solum reperiatur in adultis, sed in pueris etiam veluti congeni-
tum, & coæuum videatur. *Cum ascenderet* 4. *Reg.*2.
Eliseus per viam, pueri parui egressi sunt *num.* 23.
de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende calue, ascende calue, quæ verba explicat *Iust.Martyr.* vt contineant allusionem ad ascensum Eliæ magistri Elisei per turbi-
D nem in cœlum, qui paucis ante diebus contigerat, quasi dicerent, inquit ille, capiat te quoque spiritus, & in montem inaccessum proiiciat, vt illum proiecit, vt liberemur à te, sicut ab illo liberati sumus, adeò namque molestus erat iniquorum filiis vir Dei, vt ab illo petierint liberari, quasi ab aliquo infestissimo malo, nihil enim magis torquet iniquorum animos, quam conspectus iustorum, & virtutum exercitamentum, quas oppositis vitiis nituntur impugnare, & funditus ener-
E tere, quod prosequitur *Nazianzen.orat.*1. cum ait. Mihi ad improbos oratio est, & malignos, qui ex eo, quod alios calumniis incessunt, vitiis opem ferre moliuntur, quod etiam prosequitur *Plutarch.lib. de progress. in virtut.* dicens. In confesso est, ita natura comparatũ esse, vt isti, quos nulla tangit admiratio virtutis, sedulo curent quo ab aliis celebratam lacerent, atque insectentur: de quibus *D. Hieron.*

Psalm. 1. num. 1. existimat dictum illud: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, siue in cathedra irrisorum, sic enim ille legit ad veritatem Hebræam, aduertit autem *August. Eugub.* non male nostrum interpretem huiusmodi homines appellasse pestilentiam, qua virtutum vitæ mortiferè insidiatur, eamque alter non posit, lingua tandem id facit. Videndus hac de re *Hieron. in cap. Ezech.* & *in c.6. Isai.* ec de his Pythagoricum illud symbolum intelligendum esse videtur, sicut voluit *Aristot.* quem secutus est *Hieron.* sicut refert *Paulus Manut. in adag.* js, sub eodem tecto hirundinem non habeas, idest ex sententia *D. Hieron.* & *Aristot.* abstinendum prorsus esse à commercio iniquorum garrulorum, & detrahentium, qui virtutem pariter, & Religionem perdunt.

Hac de re videndus *August. conc. 2. in Psal. 36.* vbi ait. Ægre fert, & iniustus iustum, & iustus iniustum, nemo dubitabat, quod isti duo alterutrum sibi oneri sunt, sed diuersis intentionibus, ad hoc enim iustus iniusto oneri est, quia iniustum eum esse non vult, sed eum iustum fieri, & optat votis, & conatur factis; iniustus autem, sic odit iustum, vt nolit eum esse, non, vt bonum esse velit. Quanto enim bonus est, tanto magis oneri est iniquitati illius, & laborat quidem, si fieri potest, vt eum iniustum faciat: si autem non potest, de medio tollat, & à suo tædio, molestiáque remoueat, quam molestiam describit *Chrysost. homil. 6. ad populum*, vbi inter alia ait: Rectè viuentes peccatores condemnant.

Est in hanc sententiam *Theodor. q. 30. in lib. 2. Reg. c. 15.* vbi explicat cur Dauid iusserit reducere arcam Dei in ciuitatem dicens: *Si inuenero gratiam in oculis Domini reducet me, & ostendet mihi eam,* *2. Reg. 15.* quasi diceret, non possum mecum circumferre accusatorem, hinc audio legem dicentem, *non mæchaberis, non occides*, ego autem venerandam conculcaui legem, deferebantur enim in arca tabulæ legis, in quibus prohibebantur peccata, quæ ipse commiserat, & ideò noluit Dauid cum lege ambulare, ad cuius præsentiam iniquitas, & deformitas Dauidis clarius conspiciebatur.

Hoc igitur principium est odij iniquorum in iustos, quia ipsorum iniquitas, & rectitudinum obliquitas, ad perfectam iustorum normam, & vitam clarius notatur, & turpius sese videndam exhibet. Et ideò mihi in hoc sensu rectè videtur dixisse *Nazianzen. orat. 19.* Apud profanas animas nihil pulchri fidem inuenire potest, neque enim seruare fidem possunt profani & iniqui homines iustis, quos maxime oderunt, & ideò mihi in hoc sensu rectè videtur probasse *Tertull. in Apolog. cap. 5.* Rectitudinem, & sanctitatem fidei nostræ, quam impiissimus Nero non potuit non odisse, & persequi cum certum sit odium iniquorum erga iustos, ait ergo *Tertull.* Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum omnium Neronem in hanc sectam (id est Christianam) tunc maximo in vrbe Romana exorientem Cæsariano gladio ferocisse, sed nos tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur: qui enim scit Neronem intelligere potest, non nisi aliquid grande bonum ab eo damnatum tales semper nobis insecutores, iniusti, impij, turpes, quos, & ipsi damnare consueuistis, & à quibus damnatos restituere soliti estis.

Videndus *Lipoman. in catena ad cap. 2. Exod.* cum dicitur; *Timuit Moyses, & ait, quomodo palam factum est verbum illud,* *Exod. 2. num. 14.* mors scilicet Ægyptij, ait vero *Lipoman.* timuit etiam ex iusto opere propter iniustos homines, semper enim periclitantur inter pessimos oprimi, & leuis occasio arripitur contra eos. Ideò *Chrysolog.* loquens de sancto Baptista *serm. 127.* ait. Perdidit virtutum magnitudinem criminum magnitudo: quod peterent luxuria nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem? Hócque quotidianum esse malum asserit *D. Ambros. lib. de Nabuthe c. 1.* dicens. Non vnus Achab natus est, sed quotidie Achab nascitur, & nunquam huic sæculo moritur, vnus occidat, assurgunt plurimi, non vnus pauper Nabuthe occisus est, quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur, perpetuæ inimicitiæ durant inter iniustos ad iustos.

Videndus *Seneca libr. 2. de beneficijs, cap. 21.* vbi in hanc sententiam dixit. Si exemplo opus est, vtamur Græcini Iulij viri egregij, quem Cæsar (aliàs Xerxes) occidit ob hoc vnum, quod melior vir erat, quam esse quemquam tyranno expediret.

Exposuimus iniquas causas, vel non causas ob quas iniqui iustos persequuntur: illud ergo restat inquirendum, cur ad infligendum malum sanctis viris congregentur, & vniantur, quod ex timiditate prouenire existimamus; est enim timida omnis nequitia, sicut Salomon dixit, videréque possumus in Caino, qui timens,

ac

Sap. 17. num. 11. Genes. 4. num. 14. ac tremens dicebat. *Ero vagus, & profugus in terra*, aut *timidus, & vagus*, vt Pagnin. legitemnis, *qui inuenerit me, occidet me*, vbi *Chrysost.* nihil prohibebit postea, quando quisque in me vel fortuito inciderit nudatum tua gratia interficiat, facilè inuadere me poterit, si quis interficere volet. Sicut enim seruum, ait ibidem *Oleast.* quem princeps torue respicit, omnes persequuntur, & vno principe offenso, omnes serui se offensos esse ostendunt, & suo modo puniunt, ita, vt Ianitor eo viso, iam ianuam claudat: alius, qui arridebat, iam non amplius rideat, ita eum, qui Deum offendit, omnes persequuntur, illique irascuntur, ita si Deus permitteret omnes de eo vindictam sumerent, non mirum proinde, si talem pauorem, & timorem iniqui patiantur. Sicut vero *charitas foras mittit timorem*, ita charitatis antitheton peccatum, annexum habet illum: & quemadmodum alacritatem, & confidentiam singularem mens benè sibi conscia gerit, sic nihil timidius, & imbecillius impio, & nequam animo, qui latebras quærit, odit lucem, timet deprehendi, formidat vindicari, videndus *Chrysost. homil. 16. ad populum, & homil. 3. de verbis Isai. Vidi Dominum, & Hylar. in Psal. 51.* Vbi asserit impiæ conscientiæ esse timere sine gaudio, videndus item *Gregor. 11. Moralium, cap. 5. & Ambros. 1. offic. c. 3.* vbi ait. Mens praua metuit ne sibi ab aliis inferatur quicquid contra proximos excogitat, & *Bernard. de vita solitaria ad fratres, de monte Dei*, vbi ait. Malus homo nunquam tutè secum habitat, quia cum malo homine habitat, & nemo molestior ei est, quam ipse sibi, nam insani, & nimium dementes, & qui non satis quæcumque de causa mentis suæ benè compotes sunt, custodiri solent, nec sibi reliqui, ne solitudine sua malè vtantur, quod totum ex aliqua imbecillitate prouenit.

1. Ioan. 4. num. 18.

Qua de re videndus *Chrysost. hom. 52. in Genesim*, cum ponderat Abimelechum, & Proceres regni ipsius venisse ad Isacum, quem à se expulerant, ipsum maximè metuentes, & dicentes: *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt ne feceris nobis malum, sicut nos non sumus te abominati.* Aduertit autem *Chrysost.* ipsos inter se pugnantia loqui, sicut consueuerunt ij, qui maximo sunt timore perterriti. *Vide*, ait *Chrysost. quemodo pugnantia inter se præ mentis angore, & turbatione loquuntur, ne fiat nobis malè; quare sic timuistis iustum, videntes, quod tantum præ se ferat mansuetudinem erga eos, qui lacessibant? Sed incorruptus index mentem eorum excitauit, & animaduerterunt, quod erga initium tam ingrati fuerint: propterea præ timore, & formidine non attendunt, quod diuersa, & pugnantia loquantur. Ne feceris*, inquit, *malum, sicut nos te non abominati sumus, quare igitur abegisti? Verum iustus non perit rationem, neque expostulat, neque arguit ea, quæ ab illis dicta sunt, &c.*

Gen. 26. num. 28.

Hinc est, quod Saül persequens Dauid, postquam percepit, quomodo potuerit ipsum in spelunca occidere, summitatem tamen pallij solummodo absciderit, dixit Dauidi: *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei*, quem locum expendens *Theodor.* ait *quæst. 56.* Tanta est vitij imbecillitas: qui erat dux, & Imperator tam multorum millium, rogabat fugitiuum, & qui erat cum multitudine militum, rogabat eum, qui aufugiebat, vt ipsum impertiret benignitate, ac clementia, quod efficax argumentum est magni timoris in iniquo Rege, qui solet comitari omnes impios. 1. Reg. 24. n. 22.

Vnde *Cicer. 1. & 2. de finibus, & Orat. pro Rosc.* dixit. Reges & Principes licet legibus, atque iudiciis non teneantur, naturæ tamen lege, & conscientiæ iudicio vexantur, & torquentur, *& Orat. in Pison. & pro Rosc.* Impiorum furias, flammas, faces, fraudem ipsorum esse facinus, scelus, audaciam, errorem, malas cogitationes, amentias animi, quod etiam prosequitur *Seneca*, cum ait *Epist. 97.* tuta scelera esse possunt, secura non possunt: ipsa namque nequitia tenebras timet, proprium est nocentium trepidare, *& Epist. 43* Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia, atque solicita est, si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant, si turpia, quid refert neminem scire? Videndus *Macrobius de somno Scipionis cap. 10.* vbi prosequitur hoc argumentum in vulture iecur Tityi dilaniante ad designanda tormenta iniquæ conscientiæ, quibus iugiter discruciatur rimore, & pauore, illorúmque metu.

Cum ergo iniquitas reddat impios timidos, gregatim inter se incedunt, & amant, ac quærunt aliorum impiorum societatem, sic dicebant illi peccatores, atque prædones impudentissimi adolescenti: *Veni nobiscum, abscondamus tendiculas contra insontem frustra; deglutiamus eum, sicut infernus viuentem.* Nónne ingentis timoris illud fuisse videtur, cum Prou. 1. num. 11.

decem robusti iuuenes fratres Ioseph aduersus puerum inermem, & innocentem conuenerunt, ac sese mutuo cohortabantur: *Venite occidamus eum*, vbi *Oleast.* Gen. 37. num. 20. ait? Timida res est malitia, & mali trepidi, è contra verò, audax virtus, & boni audacissimi, nusquam videbis malos malum aliquod, aut facinus committere, nisi sint in magna multitudine, quod optimè depingit Dauid, vbi mali sese ad malum Psal. 82. num. 4. hortantur, & sic habetur: *Super populum tuum malignauerunt consilium, cogitauerunt aduersus Sanctos tuos, dixerunt, Venite, disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israel vltrà.* Sed qui conuenerunt? *Tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ, Moab, Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum, etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filijs Loth.* Audis innumerabiles malos aduersus paucos bonos conuenisse, neque fortes, sed absconditos Prou. 1. num. 11. persequi. Sic *Prou.* 1. Sese inuicem vocant ad malum, quia soli non audent. Vides etiam hic viros robustissimos sese hortari ad pueri occisionem: Nonne duo, aut tres ex vobis ad hoc facinus sufficiunt? Quid omnes ad hoc conueniris? Malum in se formidabile est, ideò non nisi multi simul Mat. 22. num. 34. audent illud perpetrare. Sic apud *Matth.* Pharisæi audientes, quod Iesus silentium Saducæis imposuisset, in vnum conuenerunt, vt scilicet multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant.

Hinc intelliges, cur iniqui dicantur in Iob 24. num. 5. *lib. Iob. Quasi onagri in deserto*, egredi ad opus suum, qua similitudine rectè iniquorum naturam describit, cum ad perniciem iustorum congregantur, eos igitur in primis timidos appellauit *Virgil.* 3. *Georg.* cum dixit:

Sæpè etiā cursu timidos agitabis onagros; & sicut plerumque timida velocitate pollent onagri: feritate deinde prædiri sunt quod inde etiam potest comprobari, quod non nisi venatu capiantur, deinde etiam maxima eorum libertas colligitur, qua pro libito agunt, & discurrunt, vt patet Iob 11. num. 12. cum dicitur: *Tanquam pullum onagri se liberum natum putat*, vbi in Hebræo tantùm habetur, *nascitur, vt onager*, paraphrasi verò sensum illuminauit interpres à libertate onagri. Et apud eundem *libr.* Iob 24. *c.* 24. tyrannorum feritas, & omnis humanæ ciuilitatis contemptus per onagros designatur, qui ad prædam vigilant, & ad tyrannidem exercendam congregantur.

Timidi igitur iniqui gregatim aggre-A diuntur, vt liberè per omne nocendi genus vagentur, sinámque crudelem impietatem exerceant. Alia insuper causa est, cur mali coniungantur, & ad impietatem adunentur, quia socios volunt habere pœnarum, & malorum, quæ timent, & merentur. Comedit Eua de fructu vetito, neque sola contenta est comedisse, sed *viro suo dedit*, vbi *Oleast.* ait, hoc autem ex Genes. 3. num. 6. amore, quem erga nos gerimus accidere reor, vt amicos in malo velimus habere consortes, ne si contingat ex hoc malum B aliquod sine consortio, & solatio in supplicio simus. Vtinam sic velimus habere ad bonum socios, quemadmodum ad malum, & vide si non ex proprio amore etiam Adamus in crimine vxori coniungitur, quandoquidem statim culpam in eam reiicit, vt supplicium effugiat: *Mulier*, inquit ille, *quam dedisti mihi sociam, dedit* Genes. 3. num. 12. *mihi de ligno, & comedi*, ideóque *Bernard. homil.* 2. *super missus est*, ait. Dum se impudenter excusare conatur, crudeliter illam accusare non cunctatus est dicens, C *mulier, quam dedisti mihi, &c.* Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quam deleas culpam: arguit etiam *Bernardus* Adamum iniquæ amicitiæ, vt expendit *Oleast.* erga coniugem, quandoquidem voluit propter eam peccare, & noluit propter eam pœnas subire, boni amici est non peccare propter amicum, pœnas tamen libenter dare propter ipsum: Adam verò voluit propter vxorem Deum offendere, non tamen voluit, propter eam pœna affici. Tuum, inquit *Bernard.* erat ô Adam D Deo irato occurrere, & corpus obiectare vindictæ, & seueritati diuinæ, & dicere cum Dauide, ego peccaui, ego iniquè egi, ista ouis est: vertatur obsecro manus tua in me, at certè mali quomodo possunt esse alijs amici, qui ne sibi quidem sunt? Et quantumcunque ex proprio amore socios sibi quærant in malis, mala sibi quærunt in malis, sibíque potius, quam aliis inferunt, ideóque idem *Bernard. lib. de modo bene viuendi*, ait. Bonis te coniunge, bonorum consortium appete, bonorum so-E cietatem require, sanctis indiuiduè adhære, periculosum est vitam cum hominibus malis ducere, perniciosum est vitam cum his, qui prauæ voluntatis sunt, sociare, melius est habere malorum odium, quam consortium, sicut multa habet bona vita communis Sanctorum: sic plurima mala affert societas malorum, si verò tantum malum aliquando prouenit iis, qui malis coniunguntur, quid non inferent mali iis,

quibus

quibus aduersantur, & in quorum perniciem iniquè conspirant?

Nulli proinde rei parcunt impij congregati, qui paternam etiam pietatem soluere, & lædere audent, id enim veteri videtur, si non asserere, Iacob eum de impiis filiis adunatis ait: *In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea*, quæ verba quia lucem afferunt aliis Scripturæ locis, & ad nostrum institutum admodum inseruiūt, explicanda à nobis sunt, etenim anima in sacra Scriptura vitam significat, vt patet Matth.2. *Mortui sunt qui quærebant animam pueri*, & cap.6. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, &c.* & cap.10. *Qui perdiderit animam suam propter me*. Ratio huius rei est, quam *Aristot.* docuit *lib.2.de anima, c.1.* Quia anima est principium viuendi, quo viuimus, sentimus, & intelligimus, vnde *Ambros. in libro de bono mortis*, rectè colligit animam diei, & esse vitam, & hinc orta est ea loquendi forma frequenter vsurpata in sacris literis: *Anima mea in manibus meis semper*, quæ continet Hebraismum, quem paraphrasis Chaldæa, ita plerumque explicat, *Anima mea periclitatur*, non aliter, quam si in extima superficie manus meæ versaretur, ea enim, quæ in extensis manibus portantur, casibus, & periculis admodum exposita versantur, & hoc loquēdi modo vtitur *Iob 13.& Iudic.* 12. vbi dicitur de Iephte. *Posui animam meam in manibus meis, transiuiq́; ad filios Ammon*, idest, aggressus sum Ammonitas maximo cum discrimine vitæ meæ, in eodémque sensu dixit Dauid: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus*, quem locum sic explicat *Hieron. in Epist. ad Suniam*: *Quotidie periclitor, & quasi in manibus meis sanguinem meum porto*, vbi per hyperbolem ostendit magnitudinem periculi, in quo versabatur, ne qua particula diuinæ legis è memoria illi excidere videretur. Scio *D. August. in expositione huius Psalmi* fateri se prorsus non intelligere hunc loquendi modum Scripturæ, ideóque existimat enim locum, sic potiùs esse intelligendum, *Anima mea in manibus tuis semper*, quo pacto legunt aliqui codices Græci, vera tamen est lectio, quam sequitur *Hieron.* cui suffragatur *Eugubin.* & alij, nec enim ille locus agit de prouidentia Dei, secundùm, quam animæ, & vitæ iustorum in manu Dei sunt, sed potius de periculis, quibus expositi sunt veri obseruatores, zelatores, & prædicatores diuinæ legis: sed etiamsi vno vel altero modo locus intelligatur, anima semper vitam significat, quod erat nostrum intentum.

Gen.49. num.6. — Matt. 2. num. 20. — Matt.6. num. 25. — Mat. 10. num. 38. — Iob 13. num. 14. — Iud. 12. num.3. — Ps. 118. n.109.

His igitur positis, iam prima pars vaticinij hunc habet sensum: non sit mea vita argumentum, & materia, de qua deliberent Simeō, & Leui, in eorum enim consilio parentis etiam vita periclitatur, qui nullum prorsus modum, ac mensuram in iniquitate, ac crudelitate nouerunt, & quia gaudet Scriptura repetitionibus, vt supra notauimus, addit Iacob maioris claritatis gratia: *Et in cœtu eorum non sit gloria mea*. Etenim in sacra Scriptura anima idem sæpe est, ac gloria, species, & pulchritudo, est enim animæ peruſitatissimum Epitheton, gloria, vt patet *Psal.56. Exurge gloria mea*, & *Psalm.29. Vt cantet tibi gloria mea*, & *Iob in cap. 5.* vbi enim vulgatus interpres habet: *Visitans speciem tuam non peccabis*. Hebraïcè ita legi potest; *Visitans pulchritudinem tuam, & gloriam tuam*, idest, animam tuam, *non peccabis*. Ratio autem huius locutionis ea est, quia corpus sine anima non superat, neque adæquat alias viles creaturas viuentes, & ideò corpori est animæ decus, gloria, & ornamentum, sicut benè colligit Rabbi Dauid Kimhi, & hic loquendi modus secundum quem gloria dicitur ornamentum, & sumitur pro specie, & pulchritudine, vsurpatus est à bonis authoribus sacris, & profanis, & in eo dixit Poëta:

Psal. 56. num.9. — Psal. 29. num. 13. — Iob 5. num. 24.

Frigidus, & syluis Aquilo decussit honorem.

Quia depopulatus est frondes, & flores, quæ ornamenta sunt syluarum, ac similiter 1.Æneid.

Et lætos oculis afflarat honores:

similísque locutio reperitur apud *Isaiam: Gloria Libani data est ei, & decor Carmeli*, idest poterit certare cum Libano in pulchritudine, & gloria, & cum Carmelo, quorum montium pulchritudinem longè superabit Ecclesia. Cum ergo gloria sit decor, & species alicuius rei, animáque sit tota pulchritudo corporis, & præcipua hominis pars, & ornamentum, iure dicitur illius gloria, & pulchritudo, à qua humana vita pendet, & ideò idem valent prædicta verba: *In cœtu eorum non sit gloria mea*, ac si dicat, non deliberent de mea vita, nec dependeat ab illorum cœtu, vnde crudeles resolutiones, & immania decreta etiam contra parentes promanant, cum nulli omnino parcat iniquorum cœtus, & congregatio. Quod si nomen gloria

Isaia 53. num.2.

accipiatur in ea significatione, de qua iam superius ad initium huius Cantici diximus significare claritatem, magnificentiam, & maiestatem, significabit Iacob iniquos filios congregatos eam facile detracturos per summam violentiam omnia penitus deuastantem.

Insuper si gloria significet famam cum laude, & bonum nomen, illustre testimonium, & celebrem opinionem, quam optimus quisque de alio habet, sicut diffinit *Quintil.* Et *Seneca lib.* 13. *Epistolar.* Et *Cicero lib.* 2. *de inuentione*, quem sequitur *August. tractat.* 100. *&* 105. *in Ioann. & lib.* 83. *quæst. q.* 31. *Aristot.* 1. *Rhetoric. ad Theodect.* vbi ita ait gloria est, cum quis probus à cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod omnes vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt. Si, inquam, in hoc sensu locutus est Iacob, quem existimo veriorem, & accommodatiorem circunstantiæ loci, & menti Iacobi, idem hæc verba valent, ac si aliis clarioribus diceret: faxit Deus, vt de mea vita nunquam deliberent, neque eis in mentem id veniat, neque cogitent de meo honore perdendo, & fama abolenda & extinguenda, nam mali congregati neque vitæ, neque famæ, aut gloriæ parcunt, etiam in parentibus, quos natura conseruare docuit, & colere inuitat.

Videndus hac de re *Brixian. in cap* 6. *Ierem.* vbi eleganti similitudine exponit nocumentum, quod inferunt mali congregati, quorum malitiam describit Dauid, *Psalm.* 58. vbi ait: *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum: &c.* vbi ex Chaldæo sic legitur locus. *Labijs suis dicunt præualebimus, quoniam quis ille, qui audiat, & iuniat?* Namque mali vniti cum neque homines timeant, vtpote, qui congregati sunt ad timorem expellendum, neque Deum reuereantur, nihil omnino relinquunt intactum, vnde, & ipsum Dei Filium in carne ausi sunt aggredi, conspiratione facta: *Vt è monte præcipitem agerent. Luc.* 4. *Ipse autem transiens per medium illorum ibat*, idest inuisibilitet, sicut ait *Euseb. lib.* 9. *demonstrat. c.* 1. *& Chrysostom. Conc.* 1. *de Lazaro. Origenes, homil.* 19. *in Lucam*, vsus est enim Christus Dominus sua omnipotentia vt viuus euaderet ab impiis vniris, sicut etiam fecit, *Ioan.* 8. *Quando lapides tulerunt, Iesus autem abscondit se, & exiuit è templo*; & quia permisit aduersum se tandem congregari, & pati pro nobis mortem dignatus est, id tandem factum legimus, quando *impij concilium collegerunt*, sicut refert *Ioan. cap.* 11.

Psal. 58. *num.* 8.

Luc. 4. *num.* 29.

Ioan. 8. *num.* 59.

Ioan. 11. *num.* 47.

Quoniam ergo hæc malorum hominum coniunctio, & compactio valdè pestifera, & exitialis est, idcirco ab iis, qui præsunt, & possunt, intendendæ sunt omnes vires, vt sicut Deus marinas aquas, quæ congregatæ, & mutuò vnitæ transitum ad promissam terram electo populo impediebant, dissipauit, ac diuisit, quo expeditam viam, & liberam eidem populo sternerent diuisæ, & separatæ, ita eos, qui in malum conspirant, & animis, atque adeò sæpe corporibus proximorum perniciem coadunari moliuntur, dissocient, atque inuicem dissipent, & distrahant, vt facere nitebatur Iacob quando supra dictorum filiorum Simeonis, & Leui ad necem Sichimitarum coniurationem non solum detestatus est dicens: *Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis, bellantia in concilio eorum non veniat anima mea*, sed etiam diuisionis, ac dispersionis pœna, eos mulctauit dicens: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël*, idest, non habitabunt simul in terra promissionis, sed inuicem disiuncti erunt, ne facilè coniungi possint, & in alicuius perniciem conspirare.

Gen. 49. *num.* 5.

Et vt melius, ac clarius in hac filiorum iniquorum diuisione mens Iacobi percipiatur, illud omnino notandum est. Quod si attentè legatur totum *cap. Genes.* 49. & quæ moribundus Iacob in eo protulit, profectò videtur voluisse constituere politiam, seu potiùs creare Rempubl. & ordinare imperium, quia verò sicut dixit *August. lib.* 4. *de Ciuitate Dei. Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Inde incipit excludendo à paterno regno sceleratum filium Ruben, quamuis iure primogenituræ regnaturus videretur, Regem deinde constituit filium Iudam, addit deinde negotiatores, qui vltrò, citróque commercia exercendo opulentissimum redderent institutum imperium: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem*: adhibuit etiam agricolas, qui terram colerent, & annuos redditus soluerent ad totius Reipubl. sustentationem in Issachar: *Qui supposuit humerum suum ad portandum, factúsq; est tributis seruiens.* In Dan ducem constituit exercitus, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, &c.* quod magis explicat paraphrasis Chaldæa, quæ ita habet. *De tribu Dan eligetur, & consurget vir in diebus eius, redimetur*

Gen. 49. *num.* 13.

Supra n. 14.

redimetur populus eius, & in annis eius A *requiescent simul tribus Israël: huius terror irruet super populos, & cades illius praualebit in Philistæis, interficiet robustos in castris Philistæorum, equites cum peditibus, enoruabit equos eorum, & quadrigas, & deyciet ascensores eorum retrorsum.* quia vero dux exigebat milites, producit Gad armatum militem. *Gad accinctus praliabitur ante eum*, idest, tanquam expeditus miles procedet ante populum, quando ingredietur terram Chanaam, quod etiam explica[illegible] videtur eadē Paraphrasis Chal- B dæa, qua habet. *De domo Gad castra armata erunt, quando transibunt Iordanem ante fratres suos*, & quia coniuncta malitia summum nocumentum afferre solet Reipubl. imperiique statum euertere, nititur duos seditiosos fratres per vniuersum imperium dispergere, & separare cum ait: *Diuidam eos in Iacob. &c.*

Qualiter vero hæc impleta fuerint, de Leui nulla est obscuritas, siquidem certum est tribum Leui nullam peculiarem accepisse sortem in diuisione terræ, sed C diuisos esse Leuitas in cæteras tribus, inter quas sibi vrbes tantummodo ad habitandum assignatas, & suburbia ad pascendos greges acceperunt. De tribu Simeonis, quam constat propriam accepisse sortem ferè in medio tribus Iudæ, vt habetur *Iosue c.* 19. Non ita clarum est quomodo dispersa fuerit in Israël, nisi quod Hebræi asserunt Simeonitas posterioribus temporibus totos se literarum studiis implicasse, & maximam ipsorum partem pædagogiam exercuisse; quosdam vero ipso- D rum, Scribas, & legis Doctores euasisse, ac propterea, vt alios docerent, atque hoc pacto victum sibi compararent semetipsos per vrbes & synagogas totius Israëlitici populi diuidere consueuisse, qua de re videndus Lyran. *Genes.* 49. in Prophetia de Simeone, & Leui; at vero è nostris maiori cum probabilitate doctiores existimant, postquam cæteræ tribus præter Iudæ, & Beniamin recesserūt à domo Datidis, Simeonitas, qui acceperant hæreditatem in medio, siue intra funiculum tri- E bus Iudæ, habitabántque ad Austrum Iudæ segregati à reliquis tribubus regni Israël, cum nollent subiici Roboam, & aliis Iudæ Regibus, ab eisdem paulatim coactos esse de propriis exire sedibus, & sese disseminare, ac dispergere inter nouem alias tribus, quæ Regi Ieroboam, & eius successoribus parebant, quod ex eo imprimis confirmatur, quia non est cre- A dibile Roboam, & alios Reges Iudæ pati potuisse Simeonitas, qui à se defecerant, parereque recusabant, habitare in medio populi sui impunè, maximè cum Simeonitæ, & numero, & viribus multo impares Iudæis essent, & ab aliis defendi nequirent tanquam procul à se positis; & cum nusquam legamus tribum Simeonis ante dictam regni diuisionem habitasse alibi quam in sua peculiari sorte, post diuisum regnum Hebræorum, scimus quod Iudith, quæ erat de tribu Simeon, licet enim ali- B qui velint fuisse de tribu Ruben, vt scholastica historia, & Chartusianus existimant, nixi eo fundamento quod in textu Latino vulgatæ editionis *Iudith* 8. Genealogia illius videatur non in Simeone, sed in Ruben, terminari, dicitur enim ibi, *Qui fuit Simeon, qui fuit Ruben*, probabilius tamen est fuisse è tribu Simeonis, nam *c.* 9. ipsamet appellat *patrem suū Simeonem.* Et apertè ostenditur fuisse locutam de Simeone filio Iacob, certúmque est inter Ruben, ad quos volunt deducere hunc Si- C meonem oppositæ sententiæ assertores, nullum dictum esse Simeonem, vt patet *Genes.* 46. *nu.* 9. & 1. *Paralip. cap.* 5. *nu.* 3. & *seqq.* vbi nominatim filij Ruben recensiti habentur. Vnde correctiores in hac parte (vt sentit etiam *Cardinalis Bellarm. lib.* 1. *de verbo Dei cap.* 12. *ad* 12.) videntur esse Græci codices, qui in eiusdem *Iudith. c.* 8. in principio pro Ruben habent Israël, & sic quoque reperimus textum illum citari *à D. Fulg. epistol.* 2. *cap.* 14. & *Serar. cap.* 8. *Iudith quæstione* 1. Mendum, inquit, in D Latino hic aliquod videtur, quod dupliciter emendari potest. Primò si dicatur Simeon non filius, sed pater Ruben, quasi indicaretur Simeonis dignitas, qui non quoquo modo Iacobi filius esset, sed natu secundus, ipsique primogenito Ruben proximus, secundò si ponatur pro Ruben Israël.

Iudith 8. *num.* 1.

Iudith 9. *num.* 2.

Cum ergo constet Iudith fuisse de tribu Simeonis ipsa, & vir eius, quem oportet fuisse eiusdem tribus, habitant in Bethulia, quæ communiter ab omnibus po- E nitur in tribu Zabulon, vnde locus iam placet coniecturæ, vt sic de cæteris eiusdem tribus viris credamus fuisse dispersos per vniuersas tribus Israël. Diuisit itaque pater Iacob conspiratores filios; docens iniquissimum esse vasa iniquitatis vnita conseruari, & pertinacem eorundem furorem? dispersosque voluit reperiri inter cæteras tribus, ne iterum possent conspirare, & vniri in eorum perniciem, qua de

re

re videndus *Hieron.in cap.6.Ezech.* ad illa verba: *Dispergam ossa vestra circa aras vestras*, vbi sic ait. Quod disperdere se dicit ossa montium circa aras, fortissimos quosque eorum à se mutuo indicat separandos: prodest enim peruersæ scientiæ malos à malis diuidi, & vt illi, qui consensu pessimo ædificabant turrim, pro vtilitate propria dissipati sunt; diuisæque linguæ eorum, ne consensus pessimus peiores eos faceret: ita ossa montium dispergentur, vt vanos conatus suos intelligant.

Si verò dissipatio, & diuisio iniquorum ipsis etiam iniquis est perutilis, ne sic congregati peiores reddantur, multo magis proderit iustis ipsorum dispersio, in quorum perniciem, & exitium congregabantur, & ideo Iacob hoc ipsum maximè curauit, quod etiam inimicis suis in se conspirantibus, ipsúmque affligentibus euenire optabat Dauid, siue potius prædicebat dicens: *Deus ostendit mihi super inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei, disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine*, id est. Faciet me Deus videre supplicium de inimicis meis sumendum, te tamen precor mi Domine, ne occidas eos celeriter, ne forsitan hæc tua vltio, quam à populo meo, & tuo diu retineri memoria oportebat, illi in obliuionem veniat, satis est si diuidas, & dispergas eos, quo pacto ipsorum vires hebetantur? & nequam impetus retunditur.

Psal. 58. num. 12.

Hanc dispersionem minatur Deus habitantibus Seir, quia in malum vniti, & conspirati aderant cum ait. *Ecce ego à te mons Seir, & extendam manum meam super te desolatum, atque desertum, vrbes tuas demoliar, &c.* vbi *Diuus Hieronymus*. Non mittam Angelos, nec aliis vtar ministris, sed ipse ad te veniam, & extendam manum meam super te, & habitum perentientis assumam, & dabo te desolatum, atque desertum: vt qui malè habitabaris, & plurimos habebas impietatis tuę socios in tantum, vt & vrbes extrueres, imperiúmque tibi proprium vendicares, nunc desolatus, in eo proficias, vt scias, quod ego sum Dominus, quem ante solitudinem tui nosse non poteras.

Ezec. 35. num. 3.

Vnde iam poteris cognoscere quam perniciosa sit coniunctio iniquorum, & quam necessaria ipsorum diuisio, qua de re videndus *Augustin. in Psalm. 58.* Et *Rupert. in cap. 49. Genes.* dum exponit dispersionem Simeonis, & Leui, rectè verò, & Dauid dicto *Psal.* implorat diuinum brachium ad iniquorum hominum dispersionem, & diuinitus factam hoc in loco decantamus: est enim omnipotentis Dei opus malorum diuisio, & separatio, sicut diaboli opus est eorundem vnio, & conspiratio.

Notauit hoc *Rupert.* in eo, quod Deus dissipauerit congregationem malorũ ædificantium turrim superbiæ, qui sese mutuo conuocauerant dicentes: *Faciamus nobis ciuitatem*, ex opposito vero diuinæ personæ introducuntur loquentes: *Venite, descendamus, & confundamus in linguam eorum*. Ait ergo *Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 42.* hoc tam mirandæ vindictæ incommodum, quo maximè homines à semetipsis diuiduntur, solus facere potuit Deus. Deinde cum dicit pluraliter, *Venite, descendamus, confundamus*, non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad feriendam superbiam se adesse testatur tota Trinitas, & vnus Deus.

Gen. 11. num. 4.

Videndus hac de re *Philo libr. de confus. linguar.* vbi prosequitur hoc argumentum de dispersione malorum à Dèo facta per illa verba. *Confundamus linguam eorum*, ac si diceret, inquit, muta, surdáque faciamus vitia, vt nec loquendo, nec assentiendo damnum dent: vbi *Philo* ad nostram cuiusque salutem oportere asserit dispersionem vitiorum, quæ in quolibet homine paruo vtique mundo, instar iniquorum hominum mutuo sese prouocant, & lacessunt in nostram perniciem, cuius vnicum remedium est, si omnipotentis Dei manus mare hoc, vbi reptilia, vitia pusilla, scilicet cum magnis latenter aggrediuntur, diuidat, & disiungat iniquitates, ne mutuo colloquantur, & inuicem adunentur. Quod si vbi viget ratio, vbi vigilat intellectus, necessaria admodum est hæc diuisio, quid fiet, vbi sine ratione, instar brutorum onagrorum, liberè procedit iniquitas, & veros Israelitas ad terram vitarum gradientes aggreditur, insequitur, & persequitur?

Hanc vero diuisionem, & dispersionem iniquorum adeò vtilem, & necessariam censuit Christus Dominus, vt ad illam faciendam se ad terras venisse asseruerit, sicut interpretatur Author imperfecti illa verba eiusdem Domini, quando dixit, *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, &c.* Sic ergo ille habet *homilia 26.* Est pax bona, & est pax mala; pax bona inter bonos, fideles, & iustos, vt in quibus

Mat. 10. num. 34.

est vnius fidei munus, vna sit vitæ con- A cordia.

Si ergo aliqua dissensione fideles fuerint separati, hoc est mala discordia, sicut Luc. 11. num. 16. ait Dominus. *Omnis domus in se diuisa non stabit*, Sic & separata fraternitas, à semetipsa consumitur, sicut ait Apostolus: Galat. 5. num. 15. *Si autem inuicem mordetis, & criminamini, videte ne ab inuicem consumamini.* Pax autem mala est inter infideles, & iniquos, vt quibus est vna malitia, sit vnus ad malefaciendum consensus, nam infidelitas, & iniquitas ex suggestio- B ne quadam diaboli nascitur, per pacem autem seruatur.

Si ergo aliqua occasione infideles, & iniqui ab inuicem fuerint separati, hoc est bona discordia, quia sicut in pace bonorum fides, & iustitiæ stant, infidelitas autem, & iniustitia resurgunt, sic in pace iniquorum, iniustitia, & infidelitas stant, fides autem, & iustitia iacent. Ideo ergo Dominus bonam misit separationem in terram, vt rumperet malam coniunctionem, omnes enim quasi sub vna domo in- C fidelitatis tenebantur inclusi, ideo misit Dominus separationis gladium inter illos, idest, verbum veritatis, de quo ait Hebr. 4. num. 12. Apostolus. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus.* Iste est ergo gladius bis acutus, ex vna quidem parte bonos ab errore præcidens, ex altera autem parte malos ab excusatione, vt nec bonos ignorantia perdat, nec malos excuset. Hoc gladio Dominus separauit bonum à ma- D lo, vt & bonum separatum à malo surgat, & malum separatum à malo cadat: O mira virtus gladij separantis, &c. sic ille. Vbi aduertendum occurrit, quod si tam periculosa censenda est malorum coniunctio cum bonis, quanto periculosior, plusquam fugienda est iniquorum tantummodo congregatio, vbi nullus iustus reperitur, cuius iustitia iniquorum hominum condiatur iniquitas, & aliqua saltem ex parte temperetur, hæc profectò vnio separanda, hæc vnda sisten- E da, hæ abyssi disgregandæ, hæc pax debellanda, hæc fraternitas disiungenda est gladio diuinitus accepto, & omnipotentis Dei manu vibrato, vt liberum tandem iter pateat per hanc separationem ad æternam vnionem beatorum, vbi pax erit, & vnitas plena.

ANNOTAT. II.

Debemus maximè vitare impiorum consortia.

Quoniam igitur omnipotentis Dei opus est consortia impiorum dissipare, qui omnibus modis impediunt iustis viam ad beatitudinem, illud debemus summa diligentia pro viribus curare, ne nos iniquis coniungamus, & ipsorum malitiæ fiamus participes, vt sic cum eisdem non pereamus, licet enim plerumque soleat diuina bonitas sese effundere vsque ad malos permissos bonis, sicut notauit *Chrysost. imperfectu:* ad illa verba Christi. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, vbi ait. Matt. 5. num. 45. Non dat Deus propter omnes homines omnia bona, sed propter paucos sanctos, contentus enim est magis, vt peccatores contra meritum suum bonis fruantur, quam vt iusti contra meritum suum à bonis fraudentur, & perfectus *Chrysostom. homil. 8. ad populum*, ait. Deum plerumque parcere malis propter bonos, sic *D. Paulo* donauit Deus omnes vectores, qui pariter cum eo in eadem naui vehebantur, perituri enim essent omnes nisi *Paulus* inter ipsos foret, id enim apertè videtur insinuasse Angelus cum allocutus. *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Act. 27. num. 24. Videndúsque est hac de re *Procop. Genes.* 18. cum ait. Paucæ salis micæ multam conseruant à putredine carnem, & *Euthym.* ad hunc sensum exponit illa verba. *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum*, Psal. 16. num. 16. vt sit sensus à probis, qui scilicet, sunt pauci comparatione reproborum, separa, & distingue eos ne cum eis conseruentur, quod postulare videtur, quia nouerat Dei misericordiam, quæ propter simul conuiuentes iustos in grauissimis calamitatibus solet impiis hominibus ignoscere, quod optimè prosequitur *Philo lib. d. sacrificio Abelis*, dicens.

Equidem quando aliquem virum bonum habitantem in aliqua domo, aut vrbe video, & domum, & vrbem illam beatam prædico ratus præsentem fœlicitatem ei mensuram perpetuo, Deo vltra modum mensurámque diuitias suas in gratiam dignorum, etiam in indignos profundente, quibus quia mihi ne se nesciant precari non licet, precor longissimam vitam, æstimans tam diuturnam fore fœlicitatem hominibus, quam longum

illis vitæ tempus contigerit, proinde audita morte alicuius eorum magna tristitia afficior, non tam ipsorum vitam dolens, quam superstitum.

Nec omittendus hoc in loco *Senec. l. 4. de benef. c. 28.* vbi ait. Dij multa ingratis distribuunt, sed illa bonis parauerunt, contingunt autem ea malis, quia separari nõ possunt, satius est enim prodesse etiam malis propter bonos quam bonis deesse propter malos, sic ille.

Licet igitur plerumque diuina bonitas soleat in hac vita parcere iniquis, ne pariter cum eis electi, & iusti pereant in flagellis, qua ratione dum serui patris familias dicunt illi: *Vis imus, & colligimus zizania?* Ipse respondit, *Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum:* attamen pro posse debemus consortia iniquorum effugere, ne in suppliciis cum eis pariter deuoluamur, qua ratione Angeli ad Loth dixerunt: Habes hic quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias? *Omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac, delebimus enim locum istum*, & Deus puniturus Datan, & Abiron dixit ad Moysem, & Aaron. *Separamini de medio congregationis huius, vt eos repentè disperdam.* & Moyses ibidem dixit ad turbam. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, ne inuoluamini in peccatis eorum*, vbi nomine peccati, de more sacræ Scripturæ, supplicia veniunt intelligenda, quibus pariter commiscentur ij, qui non recedunt à consortio impiorum.

Mat. 13. num. 28.
Gen. 19. num. 12.
Num. 17. num. 21.
Suprà, num. 26.

Deinde etiam fugienda societas reproborum ne ipsorum malitia in moribus inficiamur, etenim sicut Sanctorum societas, & coniunctio virtutem solet communicare, vnde carbonibus ardentibus viri Sancti assimilantur, qui proxima quæque accendunt, & inflammant, nec mirum, cum & remotiora loca illuminent, radient, & illustrent, quod totum prosequitur *D. Gregor. homil. 5. in Ezech.* vbi explicat illa verba Prophetæ: *Et similitudo animalium, & aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Aspectus, inquit, animalium carbonibus ignis ardentibus, atque lampadibus comparatur, quisquis enim carbonem tangit incenditur, quia, qui sancto viro adhæret, ex eius assiduitate visionis, vsu locutionis, exemplo operis accipit, vt accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescit: vt iam per verum

Ezech. 1. num. 13.

A amorem ardeat, qui priùs in iniquitate tantum mortuus, quantum frigidus iacebat. Lampades vero lucem suam longiùs spargunt, & cum in alio sint, in alio resplendent: quia ergo Sancti viri, quosdam iuxta se positos, quasi tangendo ad amorem cœlestis patriæ accendunt, carbones sunt, quia vero quibusdam longe positis lucent eorum itineri ne in peccati tenebras corruant lampades fiunt. Sic ille, quibus habet similia *homil. 10.* cum explicat illa verba eiusdem Prophetæ: *Et vocem* B *alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* Quid est, inquit, quod hæc pennata animalia vicissim alas altera ad alteram feriunt, nisi quod omnes Sancti se inuicem suis virtutibus tangunt, & sese ad profectum excitant ex consideratione virtutis alienæ: Non enim vni dantur omnia, ne in superbiam elatus cadat, sed huic datur, quod tibi non datur: & tibi datur, quod illi denegatur, vt dum iste considerat bonum, quod habes, & ipse non habet, te sibi in cogitatione præferat: & rur- C sum dum tu habere illum conspicis, quod ipse non habes, te illi in tua cogitatione postponas, & fiat, quod scriptum est, *Superiores inuicem arbitrantes*; & post multa rem concludens ait. Alis ergo suis vicissim se animalia feriunt: cum sanctæ mentes alternis se virtutibus tangunt, & tangendo excitant, atque excitata ad profectum volant. Cum verò Sancti se inuicem ad profectum virtutis excitent, atque etiam impios prouocent, è contrario iniqui in hoc maximè nocent iis, quibus D coniunguntur & cum quibus versantur, vnde Deus hanc separationem ab iniustis voluit nobis inculcatam esse, quod ex eo deducit *Clemens Alex. 3. pædagogi. cap. 11.* quia *Leuit. 11. & Deut. 14.* interdicit Deus Hebræis carnem suillam, ait ergo ille. Vitæ vsum cum improbis hominibus plane suillum agnoscens pædagogus seniori populo porcis vesci prohibuit, significans non oportere eos, qui Deum inuocant, cum impuris versari hominibus, qui & porcorum instar corporalibus voluptati- E bus perfunduntur, & hæc etiam fuit ratio, cur olim Deus gentilium consortium populo suo valde prohibitum esse voluerit, maximéque Ægyptiorum à quibus infecti idololatria exierunt, quod expendit *Abulens. quæst. 9. in cap. 8. lib. 4. Reg.* vbi in confirmationem huius rei affert locum vbi dicitur: *Nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero subleuatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis vt nequaquam*

Ezech. 3. num. 36.
Phil. 2. num. 13.
Leuit. 11. num. 7.
Deut. 14. num. 8.
Deut. 17. num. 16.

quaquam amplius per eandem viam reuer-
Deut. 28. *tamini*, & cap. 28. *Reducet te Dominus*
num. 68. *classibus in Ægyptum per viam, de qua di-*
xit tibi, vt eam amplius non videres: quo
præcepto voluit Deus interdicere omne
consortium, & familiaritatem, cum ini-
quis Ægyptiis, ne eorum familiaritate
inficerentur, & licet cum aliis gentibus
non esset vetitum conuersari, tamen su-
spectum valde erat ob quinque rationes,
quas ibi *Abul.* affert,& in legem commi-
sisse videbatur,criminique,& pœnæ obno-
xius erat, qui gentes adiret.

Vnde cum Iudæi Christum Dominum
Ioann. 7. dicentem audirent,*Vado ad eum,qui misit*
num. 33. *me*, interrogabant. *quò hic iturus est,quia*
non inueniemus eum? Numquid in disper-
sionem gentium iturus est? Licet autem
nomine dispersionis Iudæos pallantes, &
errabundos inter gentilium turbas,*Caiet.*
& alij intelligant, iuxta illud *Iacobi* 1.
Iacob. 1. *Qui sunt in dispersione*, vbi hoc latè pro-
num. 1. secuti sumus,tamen *D.Chrysostom. Cyrill.*
August. Beda, Rupert. & Euthym. de gen-
tibus ipsis interpretantur, aduertit autem
Maldonatus ibi Iudæos veluti accusando
Christum dixisse quod ad dispersionem
gentium iturus sit, reputabant enim cri-
men,si quis gentiles conueniret, quorum
de societate, mala, & iniquitates haurire
posset,quæ opinio ita inualuerat, vt Hie-
rosolymis in ipsis se contaminari Iudæi
crederent, si in Pilati Gentilis hominis
Ioann. 4. prætorium introissent; & *Ioan.* 4. Mirati
num. 27. sunt discipuli, quod Iesus cum Samarita-
na muliere loqueretur, non alia de causa,
nisi quia *non coutuntur Iudæi Samarita-*
nis, & eos tanquam hæreticos, & ethni-
cos vitabant.

Videndus hac de re *Cyrill. Alexandr. in*
cap. 1. *Ionæ*, vbi ait, Iudæis fas non erat ex
descripta, ac distributa illis regione ex-
cedere, neque ad alienigenas se conferre,
neque in vrbes idolorum cultui deuotas
introire, id enim apud eos probro duce-
batur, neque suspicione defectionis à pa-
tria, religionéve carebat. Videbatur itа-
que in legem commisisse,criminique ob-
noxium esse,&c. Noluit enim Deus popu-
lum suum alienis gentibus commisceri,
ne eorum vitiis adhærens contaminare-
tur. Hoc etiam non vtcúmque adumbra-
tum,sed apertè inculcatum in Iacobo vi-
deo,qui etiamsi fratrem Esau viderit qua-
si Angelum, eiúsque vultum, quasi vul-
tum Dei,sicut ipse dixit: *Sic vidi faciem*
tuam quasi viderim vultum Dei,& ab eo-
dem Esau blandè, leniterque inuitaretur,

A vt simul iter facerent: *Gradiamur*,inquit, Gen. 33.
simul, eroq́; socius itineris tui: excusatio- num. 10.
nes quæsiuit à pecoribus suis, dixitque:
Præcedat Dominus meus ante seruū suum,
& ego sequar paulatim vestigia eius,quód-
que magis est,neque de seruis Esau, quos
ipse fratri obtulit dicens: *De populo, qui*
mecum est saltem socij remaneant viæ tuæ,
noluit, & dixit. *Non est necesse: hoc vno*
tantum indigeo, vt inueniam gratiam in
conspectu tuo,qua in re,ait *Rupertus lib.* 8.
in Genes. cap. 8. nobis inculcatum esse,quid
B electi facere debeant,vt ne saltem ad mo-
dicum cum impio gradiantur. Pro parte
electorum ait. Ne saltem ad modicum
simul cum illo gradi patitur.*Paruulos,ait*
Iacob,habeo teneros,& oues, ac boues fœtas
mecum,&c.

Hic magnæ discretionis exemplum est,
paruulus enim, & tener carnalium socie-
tate facilè corrumpuntur, quorum iuxta
Prophetam, *Totum gaudium & lætitia est* Isai. 22.
occidere vitulos, & iugulare arietes. Et num. 13.
Chrysost. in Psalm. 120. in hanc senten-
C tiam dixit:Nihil est grauius,& molestius,
quam quæ est cum iniquis hominibus
congressio, non vides Dominum quoque
nostrum Iesum Christum ostendere,quam
sit molesta eiusmodi consuetudo,quando
dixit, *Quamdiu ero vobiscum, vsquequo* Matt. 17.
vos patiar? num. 17.

Hæc etiam fuit ratio, cur idem Iacob
post mortem curauerit ossa sua transfer-
ri ex Ægypto in terram Chanaam, & ad
id exequendum iuramentum sumpserit à
filio Ioseph, & cæteris hoc commenda-
D tum esse voluerit,quando dixit:*Asportate* Gen. 50.
ossa mea vobiscum de loco isto, vbi elegan- num. 24.
ter *Oleast.* ait. Audis hic quam mala sit
coniunctio maiorum, vt non solum viui,
sed etiam defuncti nolint iusti cum eis
commorari.

Vidit hoc clarè cæcutiens Tobias cu-
ius filio sese obtulit viæ comitem Ange-
lus Raphaël in forma adolescentis accin-
cti ad iter faciendum,statímque ab eo in-
terrogauit Tobias;*Indica mihi,de qua do-* Tob. 5.
mo,aut de qua tribu es tu? Vt inde colli- num. 16.
E gere posset indolem, & mores socij, cui
filium debebat committere, neque enim
cum volebat credere,nisi viro probatissi-
mis moribus prædito, quod sane exem-
plum imitari deberent omnes parentes,vt
prius probarent mores,vitā,ac genus illo-
rum,quibus filios vel educandos commit-
tunt,vel in consortium,& amicitiam quo-
modolibet tradūt,& postquam ab Angelo
audiuit, *Ego sum Azarias Ananiæ magni*

filius, Ait illi: ***Ex magno genere es tu***, & postquam rescivit genus illius, vnde mores pensare, & colligere posset dixit, *Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro*, & paratis omnibus ambulauerunt ambo simul, nec eum delusit probatio adolescentis, & opinio quam de illius societate, pensatis moribus, & probato genere habuit, nam ex contubernio, & societate Angeli tota Tobiæ domus, & familia cumulata bona vtriusque ordinis reportauit, & cum Angelus sese socium præbuerit iuniori Tobiæ, alius Angelus obuius astitit Balamo, eúmque occidere volebat, quia Regem impiissimum adibat, cum potius ab eius societate fugere deberet, insupérque alius Angelus eum Moyses esset in

Num.22. itinere occurrit ei in diuersorio, *Et vele-*

num. 23. *bat occidere eum*, non tantum ob causam, quam sacer textus assignat, quia scilicet, incircuncisos filios secum deferebat, sed quod vxore, & filios teneræ adhuc ætatis,

Exod.4. & qui prauis Ægyptiorum moribus infici

num. 24. poterant, secum deferebat in Ægyptum, vbi facilè incolarum impietatem haurire possent, eum potius curare deberet, ne filij improbis hominibus coniungerentur.

2. Reg. Quæret aliquis meritò cur numerante

24. Dauide populum, luerit supplicium populus numeratus? Facilis esset solutio si diceremus propterea populum percussum à Deo, quia scilicet, optimi Regis populus cor animáque est, proindéque punitur populus Dauidis, quia acerbius tunc illi esset supplicium, quam si in seipso illud pateretur, verum *Theod.* ad præsens institutum rem diuertens ait. Propterea percussum fuisse populum, quia & impio parricidæ contra Dauidem obediuit, neque ab eo discessit cum patrem pium, & iustum, & à Deo electum aggrederetur occidendum, eidémque sociatus est à quo potius longè, latéque fugere deberet, ait ergo *Theodor. q.47. in 2. Reg.* Populus luit pœnas suæ iniquitatis, relicto enim Rege pio, militauit sub impio tyranno, & parricida filio, qui pio patri, & Prophetæ moliebatur eadem, & qui à Deo vniuersorum acceperat regni creationem, auget autem eorum crimen, quod Saulem quidem condemnatum, & diuina priuatum gratia non reliquerint donec peruenisset ad finem vitæ, idque cum Dauid fuisset vnctus à Prophera, eum autem qui bona innumerabilia eis conciliauerat, & alienigenarum fregerat audaciam, & Amalec quidem penitus deleuerat, Idumeos autem, & Moabitas, & Syros vtrosque subiugarat, & in seruitutem redegerat, & ferre tributa coëgerat, & propheticã erat adeptus gratiam, non solum reliquerint, sed etiam aduersus eum in acie steterint, & hostilia gesserint, crudelique & impio, & scelerato filio auxilium tulerint. Propter hæc ergo iustus Deus de iis pœnas sumpsit, & per Dauidem sumpsit, quoniam cum affecerant iniuria.

Ecce igitur mortui de populo à Dan vsque Bersabee septuaginta millia virorum, ex eo quod relicto pio Rege impio iuueni sese coniunxerunt in perniciem electi à Deo Regis. *Deut.23.* præcipitur à Moyse Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum, hoc est in connubium Israëlitis non iungentur, quæ maxima est coniunctio, & societas, licet autem in sacro textu assignetur duplex ratio scilicet, quod *ascendentibus filys Israël ex Ægypto cum pane, & aqua occurrere noluerunt, insuperq; Balam ad maledictiones, & imprecationes mercede conduxerunt*, ad nostram doctrinam rem adducens *Theod. q.25.* à prima scilicet, origine, vnde eorum mores pessimi orti etiam sunt, quos maximè vitandos à populo suo volebat Deus hoc ortum dicit. Etenim cum Ammon, & Moab ex turpi Loth, & filiarum eius incæstu orti fuerint, natiuitatis suæ fœditatem ad posteros etiam traduxere, ait ergo *Theodor.* Congressum cum Ammonitis, & Moabitis Deus interdicit, in primis ob infectam eorum radicem, cum ex illegitimo congressu nati sint, &c. Proinde Deus eorum societatem, & contubernium à suis voluit quam maximè deuitari. Deut.23. num.3.

Hæc proculdubio mens fuit Abrahæ *Gen.24.* cum seruum adiurauit per Deum cæli, & terræ ne filio suo Isaac vxorem acciperet de filiabus Chananæorum, quod notauit *Chrysost. homil.48. in Gen.* dicens: Attende quomodo veteres non quærebant substantiam multam, non diuitias, non seruos, & iugera agrorum tot, & tot, non externæ venustatis formam, sed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem, nam quoniam videbat malitiam eorum, qui in Chananæa habitabant, sciens quantum bonum sit sortiri coniugem iisdem moribus viuentem præcipit seruo, & iuramentum adhibet, vt ex sua cognatione vxorem adducat Isaac, & neque interuallum locorum, neque aliæ difficultates segnem eum in his reddunt. Habens respectum virtutum animæ, & abhorrens à vitiorum Gen.24. num.3.

rum malitia, ita quidem se gerit: at nunc omnes tale quiddam, ne cogitarent quidem, nam etsi malis innumeris plena sit, hoc solum inquirunt quantum abundet pecuniis, cætera omnia posteriori loco habent, ne scientes quod cum mens peruersa sit, licet indicibiles affluant diuitiæ, facilius in extremam veniunt inopiam, & nihil proderunt opes cum non sit ibi mens, quæ benè illas dispensare queat, erant autem Chananæorum pessimi mores, vnde cum Scriptura pessimos aliquos nominare intendit, *filios Chanaam appellat*, iuxta celebrem regulam *Origenes homil.4.in Ezech.* vbi latè, & eleganter docet vnumquemque eius nomine appellati, cuius mores imitatur, ideóque dicitur,

Soph.1. num.12. *Conticuit omnis populus Chanaam*, vbi *Ribera* ait. Iudæos vocat populum Chanaam per increpationem, quæ est expositio *Hieron. Cyrill. & Theod.* & ideò *paraphrasis Chaldæa* ait. Periit populus cuius opera similia erant operibus populi terræ

Ezec.16. num.3. Chanaam & ita dictum est: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam*, & *Da-*

Dan.13. num.56. *niel.13.* appellat Propheta impudicos senes, *semen Chanaam, & non Iuda*, è contra verò Susanna vocatur *filia Iuda*.

Cum ergo Chananæi pessimi essent, & haberentur, meritò noluit Patriarcha de eis vxorem assumere filio suo, cum pessimorum mores maximè fugiendi sint, qua de re videndus *Ambr. lib. 10. in Luc.* vbi ait. Didici cauere colloquia perfidorum. Petrus inter Iudæos negauit, Salomon contubernio Gentili deceptus errauit, fleuit igitur amarè Petrus, vt lachrymis culpam ablueret. Videndus *Gregor. homil.9. in Ezech.* vbi ait. *Vnum est pro quo vitari societas debet malorum, ne si fortè corrigi non valent, ad imitationem trahant, & cum ipsi à sua malitia non mutantur eos, qui sibi coniuncti fuerint, peruertant*, vnde *Paulus*

1.Cor. 13. ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*, & sicut per Salomonem dicitur: *Noli*

Prou.2. *esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne fortè, discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Sicut ergo perfecti viri peruersos proximos non debent fugere, quia eos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem nunquam trahuntur; ita infirmi quique societatem declinare debent prauorum, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando, atque respirando aërem trahimus corpore: & sicut malus aër assiduo*

A *flatu tractus inficit corpus, ita peruersa locutio assiduè audita infirmantium inficit animum, vt tabescat delectatione praui operis, assidui iniquitate sermonis.* Sic ille.

Cui addendus *Orig. hom. 3. in Exod.* vbi ponderat ea verba: *Dimitte populū meum, vt sacrificet mihi in deserto*, & ait non vult Moyses, vt populus in Ægypto positus seruiat Domino, sed vt exeat in desertum, & ibi seruiat Domino. Hoc est sine dubio, quod ostendit, quia donec quis in tenebris sæcularibus manet, & in nego-B tiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino, expositus enim est potius vt offendat, qui inter offensores degit, quos cauere debet, vt Altissimo placere possit. Exod.5. num.1.

Descendit olim probus Rex Iosaphat in Samariam, comitatúsque est in bello impium Achab socerum suum contra Ramoth Galaad, & cum vidissent principes equitatus Iosaphat dixerunt: Rex Israël est iste, & circumdederunt eum dimicantes & ille clamauit ad Dominum, & auxi-C liatus est ei, atque auertit eos ab illo, cum enim vidissent duces equitatus, quod non esset Rex Israël, deliquerunt eum. Reuersus est autem Iosaphat Rex Iuda in domum suam pacificè in Hierusalem, cui occurrit Gehu filius Hanan videns, & ait ad eum, *Impio prabes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, &c.* 2.Paral. 19.n.2.

Vbi conqueritur Deus de iusto principe, qui iniquo Regi, se coniunxit, etiam D iusto titulo, auxilium, scilicet, ferendo cum illo ei opus erat, quod expendens *Auctor imperfecti operis in Matth. homil.1.* ait. Vides quia nec dare oportet auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere, nullam enim amicitiam, & societatem, vult nos cum illis contrahere, aut habere.

Videndus hac de re *Theodor. quæst.67. in Genes.* vbi quærit, cur Deus præceperit Abrahamo cum illi prædixisset incolatum, atque in hunc modum. Pietati custodiam aliquam molitur, ne hominibus E impiis permistus, Dei obliuisceretur, & veluti cum seruus stigmata Domini circunfert in corpore suo, recordatur se captiuum esse, sic per circuncisionis signum meminerit Abraham pertinere ad verum Deum, & in medio iniquorum ambulans, quod periculosum erat, hoc saltem remedio prouisum sibi putaret, ne ipsorum iniquitatibus pollueretur.

Etenim sicut dixit *Philo libr. de congr.*

 quærend.

A *quærend. erudit.* Nocet conuictus, & consuetudo, & sæpe accidit, vt anima etiam inuita aliquid contagij sibi affricet, vbi inuitam dicit contrahere contagium per exaggerationem, vt intelligamus quam difficile sit in congregatione malorum innocentiam conseruare, quod de Iob summopere commendatur in *cap.* 1. vbi videndus est *D.Greg.lib.1.moral. c.1. & lib.20. moral.cap.29.& homil.9.in Ezech.* Et ideò Daniel maximè commendat Susannæ pudicitiam, & castitatem, quæ inter multorum deprauatam corruptionem integritatem animæ suæ seruabat, ait enim ad re- B coctos illos turpitudine Senes, *Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis, sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram.* vbi *Carthus.* ait. Filiæ Israël non Iuda vocantur, quia peccantes secutæ sunt auersiones decē tribuum, quæ nomine Israël designantur, non constantiam tribus Iudæ, quæ illis idololatrantibus in Dei cultu permansit. Vnde singularis Susannæ virtus elucescit, quæ cæteris turpiter, & fœdè corruentibus stetit C immobilis, vt decebat mulierem sanctam, & generosam, eóque respicere existimo id, quod ait ibidem *Lyran. Filia Iuda,* inquit, *non sustinuit iniquitatem vestram,* vt sit sensus, in eo se præbuit, probarámque exhibuit, & nobilem, & sanctam, quorum vtrumque sonat in sacris literis soboles Iuda, quia non sustinuit iniquitatem senum, cum sustinuerit pudicitiam, & steterit immobilis, ne turpitudini cederet, & de mediis iniquitatibus illæsa exierit, ipsásque detestata fuerit. D

Dan. 13. num. 56.

Hoc ipsum nos docuit *Paulus,* cum ait *Rom.* 12. *Odientes malum, adhærentes bono,* vbi *Chrysost.homil.*21.ait. Multam nos iubet Apostolus aduersus maliriam habere inimicitiam, multum odij, multum belli, obseruátque vehemens quoddam mali odium significare particulam Græcam, ἀπὸ, quasi propriè dicas valdè abhorrentes à malo, longéque recedentes.

Rom. 12. num. 9.

Est optimus in hanc sententiam locus ille, vbi conqueritur Dauid à Saül de iis, qui incitabant Regem aduersus Dauid, & E ait. *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini dicentes. Vade serui dijs alienis.* Nullus prorsus reperitur locus vbi aliquis dixerit Dauidi serui dijs alienis, sed ideò hoc sibi dictum refert, quia ex eo, quod susurrones & maledici eum coram Rege traducebant, & Saulem contra Dauidem irritabant, eo ipso compelle-

1. Reg. 26. n. 19.

bant Dauidem, vt ad gentes confugeret, inter quas habitans etiam veluti compellebatur seruire alienis diis, quibus seruiebant ij, quibus cum morabatur, & ideò *Lyran.* ait. Eos, qui in ea causa erant, vt ipse à terra Promissionis exularet, ipsum quodammodo ad idolorum cultum impulisse, facto magis, quam verbis: malus enim ille esse cogitur, qui in malorum consortium intruditur, faciléque iniqui mores adhærere solent iis, qui inter pessimos degunt, quod dixit *Nazianz. orat. Apolog.* his verbis. Res ad imitandum prona, & expedita improbitas est, nec quicquam tam facilè est, quam malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat: Rara tamen, & ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multa sint, quæ nos ad eam trahant, & inuitent. Etenim sicut dixit Sapiens: *Amicus stultorum similis efficietur.* Prou. 13. Et ideò *Seneca Epist.* 104. ait. Si velis vitiis exigui, longè à vitiorum exemplis recedendum est, hærebit tibi tumor quamdiu cum superbo conuersabetis: hærebit auaritia, quamdiu auaro conuixeris, incendent libidines tuas adulterorum sodalitia, cum Catonibus viue, cum Socrate, cum Zenone viue, &c.

Hæc profectò est ratio, sicut paulò superius tetigimus, cur laudentur ij, qui in medio impiorum iustitiam, & sanctimoniam seruant, quod Deus consueuit disponere in maiorem ipsorum commendationem, quod prosequitur *Orig. in cap.* 2. *Iob,* vbi ita habet. Mox in principio mundi Abel innocens cum Caino iniusto, & Noë iustus inter Gigantes sceleratos, Melchisedech inter maledictorum Chananæorum consortia, Iob iustus, sanctus, & religiosus fuit in medio generationis prauæ, quo virtus, & pietas eius esset admirabilior, & illustrior, iustus inter iniustos, sanctus inter profanos, mundus, & purus inter obscœnos, & pessimos homines, sicut agnus in medio luporum, & lilium inter spinas, quod etiam ipsemet Iob, eleganti Metaphora videtur indicare, cum ait, *cap.* 30. *num.* 29. *Frater fui draconum, & socius struthionum,* nam per dracones, Iob 30. num. 29. & struthiones eo in loco fortè intelligit homines efferatos, impios, & barbaros, sicut exponit *Gregor.* 1. *moralium, cap.* 1. *& 20. moralium, cap.* 29. *& homil.* 9. *in Ezech.* vbi ita ait. Ij ergo veraciter boni sunt, qui in veritate persistere, etiam inter malos possunt, Abel quippe esse renuit, nisi quem Caim malitia non exercet,

sicut

sicut in trituram areæ grana sub paleis premunt, sic etiam flores inter spinas prodeunt, & rosa, quæ redolet, crescit simul cum spina, quæ pungit: Vnde Petrus Princeps Apostolorum Beatum Loth valde laudat, quod cum impiis hominibus, & nefandis habitaret, & tamen aspectu, & auditu iustus erat, cum scilicet quotidie multa videret, & audiret nefanda, & absurda. Et *Ioan.* quendam valde laudat, & admiratur, quod cum inter profanos, & impios habitaret, nihilominus ipse fidem, ac Religionem conseruabat integram, & puram, cum ait. *Scio vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Videndus hac de re *Chrysost. homil. 23. in Genes. cap. 6.* ad illa verba: *Noe vir iustus, atque perfectus in generationibus suis*, sic enim habet, vt ex tempore quoque, & collatione cum aliis illustriorem nobis iustum hunc exhiberet diuina Scriptura, &c.

Apoc. 2. num. 13.

Videdus item *Gregor. hom. 38. in Euang.* vbi annotauit quod, quamdiu hic viuimus, necesse est, vt vitam præsentis sæculi permistim pergamus, boni enim soli nusquam sunt nisi in cælo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno, hæc autem vita quæ in cœlo, & in inferno sita non est, sicut in medio subsistit, ita vtrarúmque partium ciues suscipit, &c. quæ prosequitur.

Est itaque magna laus in medio nationis prauæ, & peruersæ lucere, sicut luminare in mundo, sicut dixit Apostolus ad *Philip. 2.* quo sensu tres Patres apud *Theod. in Cant.* sumunt parabolam de lilio inter spinas. Et *D. Bernard. ser. 48. in Cant. & Nazianz. Orat. exhortat. ad virg. Origen. lib. 3. contr. Cels. Aug. in Psal. 93. Philo lib. 1. de vita Moysis*, vbi iustum comparat cum rubo ardente incombusto, celebratur etiam sanctus Thobias, quod cunctibus omnibus ad vitulos aureos, non ibat ipse. Non imparem merentur laudem Machabæi, vel Abraham versatus in Chaldæa, vel Basilius, & Nazianzen. in Atheniensi Academia, vbi *Nazianzen. Orat. 20.* egisse ambos sine damno, ait, vt si fluuius dulcis fluat per mare salsum, aut animal in igne salritet, proinde si iniqui omnino vitari nequeant, quod maximè curandum est, illud proculdubio maximè innitendum, ne ipsorum nequitia inficiamur. Videndus *Hugo de sancto Victore tract. de institutione nouitiorum*, vbi ait. Cum malorum consortium appetere nolumus, duplex nobis vtilitatis fructus prouenit,

Phil. 2. num. 15.
Exod. 3. num. 2.
Tobias 1. num. 5.

quia, & culpam fugimus, & innocentiæ nostræ testimonium perhibemus, illustrius autem testimonium erit quando, Deo sic disponente, & ordinante, etiam in media iniquitate versantes, iustitiam illibatam custodierimus.

Hæc sanè videtur ratio, & mens Christi Domini, qui etiamsi ad ostendendam suam Diuinitatem manum extenderit, tetigeritque leprosum, vt sanaret, quod tamen vetitum erat in lege, vt ostenderet Diuinitatem non posse coinquinari ad tactum lepræ, sicut neque sol lucis suæ, & pulchritudinis aliquid amittit etiãsi immunda loca perlustret, & illuminet, quod prosequitur *Tertull. lib. 4. contr. Marcionem*, attamen ne aliquid homines suspicarentur cum eum inter duos latrones crucifixum vidissent, quod ex eo malitiosè à Iudæis factum est, vt cum iniquis reputaretur, & illorum vitiis communicare videretur, vni eorum gratiam suam largiri dignatus est, qua pœnitentia ductus sua posset confiteri peccata, & innocentiam, sanctitatem, & diuinitatem Christi testari, ne inter duos iniquos vitam finiret, & ipsorum consortium admittere videretur, quod maximè à nobis vitandum vult.

Matt. 8. num. 3.
Leuit. 14.

Hanc etiam doctrinam nobis inculcatam esse voluit ab eodem Christo Domino *D. Chrysost.* cum explicat illa verba: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proyce abs te, & si oculus tuus scandalizat te, erue eum*, sic enim habet *homil. 60. in Matt.* Nō hęc de membris sibi dicta sunt, sed de amicis, ac necessariis, quos quasi membra nobis coniunctos ducimus: quod, & si superiùs ab eo tactum sit, tamen etiam nunc dicitur, nihil enim ita perniciosum, ac pestiferum est, vt consuetudo prauorum hominum, & conuersatio, quippe cum amicitia, atque necessitudo, & ad nocendum, & adiuuandum plus nonnumquam officiat, quam necessitas potuisset: ac ideò magna quadam cum vehementia iussit nocentes è nobis propinquos depellere: eos verò amputandos, atque proiiciendos esse consequentia ipsa rerum significat, quod scandali authores sunt, & viam monstrauit per quam hæc scandala fugere possimus, quæ autem hæc via est? Praui homines, inquit, etiam si valde tecum amore, aut necessitudine coniuncti sint, adscindendi sunt ab amicitia tua, nam nisi etiam hoc feceris, nec illos lucraberis, & tu ipse simul peribis: sin verò procul abs te illos

Matt. 18. num. 8.

illos abiecetis, tu saltem salutem consequetis: Quare si cuius coniunctio saluti tuæ obest, reiice ipsum abs te. Nam si nostra plerúmque membra rescindimus cum incurabili morbo, & ipsa tabescunt, & reliquis officiunt, multo magis in amicis, atque cognatis id faciēdum, sic ille docet, ex Euangelio, qualiter à nobis vitanda sit impiorum familiaritas, & conuictus.

Non vulgaris sane difficultas est ea, cui ansam præbuit sacer textus dicens: *Vixit Thare septuaginta annis, & genuit Abram, Nachor, & Aran*, & deinde dicit: *Facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran*, etenim si adiungamus alium textum ex *cap.* 12. *Genes.* vbi post enarratam ad calcem superioris capitis 11. mortem patris Abraham dicitur 75. *annorum erat Abram cum egrederetur de Haran*, quomodo enim mortuo patre Abram erat 75. annorum, si ab eius natiuitate, quæ accidit anno 70. Thare vsque ad mortem ipsius Thare, postquam egressus est ex Haran, centum & triginta, & eo amplius anni fluxerunt? Insolubilem profectò hanc difficultatem appellat *D. Hierony. in tradit. Hebr. ad Genes. & D. August. lib.* 6. *de Ciuitate, cap.* 15. *& quæst.* 25. *in Gen.* Plures etiam explicandi, & enodandi rationes excogitauit, nihil tamen certi determinasse visus est. *Pererius lib.* 16. *in Genes. num.* 186. Quinque soluendi modos partim ex *August.* partim ex aliis colligit, & primum quidem, tertium, & quartum apertis rationibus optimè refutat, secundùm priùs probare videtur, quod (vt ipsemet refert) omnem propositæ quæstionis difficultatem penitus exhauriat, nullámque ne in specie quidem in sacris literis dissonantiam, atque discrepantiam relinquat, mox quædam ei obiicit, quibus facilè responderi potest: quinta solutio, quam *D. August.* tribuendam censet, & postea *Abulens.* fusiùs explicauit optimè refellit *Torniell. anno mundi* 2039. *num.* 7.

Secunda igitur solutio, quæ est *D. August. quæst.* 25. *in. Gen.* asserit Abrahamum non esse genitum anno 70. patris, neque id conuinci ex Scriptura, quia sensus citati textus non est, quod Abraham natus sit anno 70. patris, sed quod Thare pater eius non vitæ suæ 70. cœpit generare tres illos filios, videtúrque existimasse *D. August.* Abrahamum fuisse inter ipsos natu minimum, nam subdit ipsum non ante alios fuisse nominatum, quia esset natu maior, sed quod cæteris dignior fuerit, & quoniam ab eo deducenda erat prosapia Saluatoris, & ibidem aliquot aliis exemplis sacræ Scripturæ docet interdum natu posteriores, prius fuisse nominatos, ait enim fieri autem potuit, vt posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiæ, quæ in Scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus, sicut Propheta prius nominauit priorem: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Et in *Paralipomenon*. cum sit quartus nascendi ordine Iudas, prior est nominatus, à quo Iudaicæ genti nomen est datum propter tribum Regiam. Sic ille, vnde fieri potuit, quod Thare anno 70. genuerit Nachar, & 100. Aran, & 130. Abram. Simile, quid habetur in calce *cap.* 5. *Gen.* vbi legimus. **Noe, cum** *quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet*, Quæ verba exponuntur à sacris Doctoribus, ac si dictū esset Noe anno quingentesimo generare cœpit hos tres filios, & eodem anno primum ex ipsis genuit, reliquos vero postea. Meminit autem Moyses simul horum trium, & non aliorum filiorū Thare, quia ab istis quoquo modo propagatus est populus Israëliticus, ex Abraham enim traxit genus paternum, ex aliis verò duobus maternum, nam Abrā de Sara filia Haran genuit Isac, Isac ex Rebecca filia Nachor more Hebraico, hoc est filia Bathuelis filij Nachor, vt habetur *Gen.* 24. genuit Iacob, Iacob verò ex Rachele, & Lia filiabus Laban duodecim Patriarchas, de quibus duodecim tribus Israël, fuit autem Laban frater Rebeccæ, vt habetur *Genes.* 24. idest, & ipse filius Bathuelis filij Nachor, vnde etiam *Genes.* 29. more Hebræorum appellatur filius Nachor, ex quibus apertè constat de Abram, Nachor, & Aran omne genus Israëlitarum, & Iudæorum prodiisse. Neque est, quod aliquis opponat perturbatum per hanc expositionem factam illorum temporum chronologiā, & seriem, nam certè ea data, vt primo aspectu verba sonant, plura sequuntur incommoda, & inconuenientia, quæ benè prosequitur, & apertè ostendit *Torniel. anno citato*. annum 4. deinde Scriptura, non modo in his, quæ ad Chronologiam pertinent, sed etiam in his, quæ ad historiam, & ad doctrinam moralem, & spiritualem spectant, non semper dilucidè omnia exprimit, sed interdum subobscurè, vt vel sic ad veritatem curiosius, auidiúsque indagandam ingenia magis prouocaret, quod comprobat celeberrimum illud *D. August.* dictum *tractat.* 45. *in Ioan.* vbi de Domino docente agens. *Pascit*, inquit, *manifestis*,

[Margin notes: Gen. 11. num. 26. Supra, num. 32. — Gen. 12. num. 4. — Malac. 1. num. 3. — Genes. 5. num. vlt. — Gen. 24. num. 15. 24. 27. — Gen. 24. num. 29. — Gen. 29. num. 5. — Section letters A, B, C, D, E]

festis, exercet occultis, & *D. Hieronym. in cap. 45. Ezech.* ait. Scriptura difficultatem habet in numeris, vt intentum animum faciat auditoris, ideóque multa dicuntur in parabolis, & ænigmatibus, vt qui habet aures audiendi audiat, omnísque prophetia in obscuritate continet veritatem, vt discipuli intrinsecus audiant, ignobile vulgus, & foris positum nesciat, quid dicatur.

His igitur positis, pro vera solutione huius maximæ difficultatis, quam breuiter sic attigimus, ne intactam omnino, sicut iam alibi fecimus, modo relinqueremus, iam ad nostrum institutum suo modo locum habet solutio *D. Hieronym. in quæst. Hebraicis*, ad prædictum locum *Genes.* vbi sic habet: ex eo solum tempore Abrahami vita computatur, ex quo. Vt Chaldæorum egressus peregrinus, & aduena apud exteros esse cœpit. Ex quibus verbis illud certè colligitur sacram Scripturam enumerasse vitam Abrahami ab egressu, & discessu ipsius ex impiis idololatris, inter quos viuens, velut mortuus reputabatur, vel quorum societatem, & conuictum ipse mortem reputabat, & dolebat, ac si mortem pateretur, proinde tunc natus dicitur, quando impiorum societatem deserit, & relinquit, quæ maximum nocumentum solet afferre iis, qui cum malis, & iniquis degunt, sicut ostendit locus ille *Ezechiel. in cap. 5.* vbi Deus conqueritur de Hierusalem, quam posuit in medio gentium, & nationum cæterarum, vt illius doctrinæ cæteræ erudirentur, & eius exemplo adducerentur in cognitionem, & cultum Dei, ipsa verò defecit potiùs, & facta est particeps iniquitatum gentium, inter quas viuebat, peiórque, & deterior illis inuasit. Ait ergo

Ezech. 5. num. 5. Deus. *Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras, & contempsit iudicia mea, vt plus esset impia, quam gentes*, vbi *D. Hieron.* sic ait. In medio igitur gentium posita est, vt quia

Psal. 79. num. 1. *notus erat in Iudæa Deus, & Israël magnum nomen eius*, omnes in circuitu nationes illius sequerentur exempla, quæ gentium circa se positarum impietatem secuta vicit etiā ipsas in scelere suo, quod pulchrè interpretatus est *Symmachus*. Hęc inquiens, si Hierusalem, quam in medio nationum posui, & circa eam regiones: commutauit iudicia mea impietatibus, quas didicit à gentibus: & iustificationes meas à regionibus, quæ sunt in circuitu eius, sancta proinde cum esset Hierusalem inter impias gentes præuaricata tandem est, imo ex eo contempsit iustificationes Domini, & eloquia diuina, quia inter sceleratas nationes sita erat; solet enim iniquorum consortium facilè coinquinare, & inficere impietate sua eos, qui inter illos viuunt. Ideóque LXX. pro eo, quod nos legimus ibi; *Quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro sunt*, habent teste eodem *Hieron. Quia occasio vestra de gentibus, quæ in circuitu vestro sunt*, vt sit sensus, cum deberes gentes, quæ in circuitu tuo sunt ad me trahere, & conuertere, inde præuaricata es, & occasio tuæ ruinæ prouenit ex iniquitate gentium inter quas viuebas, quem sensum approbat *Hieronymus* eum ait, post alias expositiones: omnem occasionem habuisse de gentibus, quas magis in bonam partem docere debuerat.

Illud tamen hoc in loco præ oculis habendum summoperè est, quod licet consortium malorum nobis nocumento esse soleat ad virtutem, & sanctimoniam, & proinde maximè euitandum, & fugiendum, à Deóque postulandum, vt nobis ad illos fugiendos viam aperiat, nunquam tamen nobis posse sufficientem excusationem præbere in vitiis, qui in mediis vitiosis hominibus probi admodum esse possumus, & debemus, sicut iam superiùs ostendimus, quod prosequitur, & efficaciter probat *D. Chrysost. homil. 8. in cap. 2. Matth. in fin.* cum ait. Obsecro autem, vt neque vel locum, vel educationem, vel maiorum nostrorum vitia prætexamus, si enim nos ipsos diligentiùs voluerimus excolere, nihil horum nobis protsus impediet, siquidem, & sanctus Abraham habuit patrem impium, neque tamen illius hęres impietatis effectus, & Ezechias profanissimi Achas filius fuit, sed ei amicus esse promeruit, & Ioseph in media tum seruiuit Ægypto: sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam, in medio quoque Babyloniæ tres pueri, in media quoque Chaldæorum domo, inter illos delitiarum varios apparatus, in summa tamen arce Philosophiæ constiterunt. Et Moyses in Ægypto, & Paulus in toto orbe terrarum: nec tamen his omnibus quicquam horum impedimento fuit, quominus cursum virtutis implerent. Et nos igitur cuncta hæc exempla cernentes superfluas quidem curas, & varias peccandi occasiones penitus amputemus, cúmque, quo virtus paratur, amplectamur laborem, &c.

TEXTVS.

Num. 9. *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*

EXPOSITIO LITERALIS.



EXPOSVIT hucusq; Moyses modum, quo filios Israel Deus liberauit: nunc iam quomodo, & qua de causa Ægyptios perdiderit recenset, etenim licet Pharao Israëlitas abire permiserit, missósque fecisset, tamen quia mutato animo abeuntes insequi statuit ipse, & qui cum illo erant, non vt Israëlitas reducerent, & in seruitutem denuò subiicerent, sed, vt occiderent, & de eis tanquam de hostibus prædas agerent, B ideo iustissimè à Deo plexi sunt, continéntque proinde hæc verba animum, quo tam Pharao, quam serui eius fuerant erga Israëlitas, & id quod apud se agitabant, vt illos fugientes insequerentur, imò, & persequerentur, diuiderent spolia, victos nimirum spoliarent, ac raptis pecoribus, & armentis omnino satiarentur, namque iam Hebræi perierant, vt oues, & boues secum agere Deo sacrificaturis liceret; quantæ autem stultitiæ est de tanta re de- C liberantibus fingere sibi commoda, quæ inde consecutura putarent, de præsenti vero, quod ante oculos erat periculo, quomodo mare ingredi, sine salutis dispendio possent nihil cogitare. Obcæcauerat enim eos sua cupiditas, & Deo permittente tradiri erant in reprobum sensum. Pulchra igitur Mimesis, quam *Quintilian. lib. 9. cap. 2.* diffinit, est imitatio motum alienorum, insignis vtique figura, continetur in his verbis, inergiæ quidem, & ar- D tificij plena, quasi dicat facer Author: hostis subitam oculis vsurpans aquarum diuisionem, populúmque Dei adoptatum littus innoxium, & liberum euasisse videns, acriùs insectari statuit: *Dixitq; persequar, & comprehendam, diuidam spolia,* atque hoc modo tum in Hebræorum punitione, tum in diuisione spoliorum, accensam desiderij mei explebo cupidita- A tem: comprehensis autem eis, iniuriam mihi factam, haud quaquam condonabo, destricto in eos gladio grauiter animaduertam, proindéque efficiam nullus vt eis locus subsidio esse possit, pauperes ex diuitibus efficiet eos, & tandem conficiet manus mea, verum etenim est id quod scribit *Chrysost. homil. 63. in Matth.* Nihil scilicet in superbiam sic euehere sicut principatus, & primi consessus à quibus ad furiosam gloriæ cupiditatem, & hinc ad impietatem delabuntur superbi, sicut Pharaoni contigit in præsenti.

Nihil verò hoc in loco exteræ versiones notatu dignum offerunt, *dixit* enim *inimicus*, sinecdochem continet, qua singularis numerus ponitur pro plurali, vt apud Poëtam Æneid. 2. *hostis habet muros* scilicet hostes plurimi, de qua figura nos iam plura diximus versu primo addique plura loca, vt *Eccles.* 48. de Elia sub mundi finem venturo: *Inscriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, & conciliare cor patris ad filium,* idest, *corda patrum ad filios,* & hoc est corda antiquorum Patriarcharū ad sobolem suam Iudaicam, à qua propter ipsius perfidiam eatenus diffidebant: addi potest, & ille locus: *Vox tonitrui tui in rota,* idest, sonitus tonitruorum tuorum in rotis curruum Ægyptiorum, vt dicitur *Exod.* 14. facit, & locus: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli,* ex quo loco quidam perperam intelligentes deducere voluerunt Paulum fuisse vxoratum, eámque mulierem siue vxorem hoc loco significari, sed interuenit ibi synechdoche numeri singularis pro plurali, sensúsque est habemus potestatem circumducendi mulierem sororem, idest, mulieres sorores, siue Christianas, quæ nobis ministrant cibos, sicut, & cæteri Apostoli circumducunt.

Eccl. 48. *num.* 10.

Psal. 76. *num.* 19.

Exod. 14.

1. *Cor.* 9.

cunt. Imò, & Christus Dominus circumducebat, vt patet ex *cap.* 15. *Marci.* Sic explicant hunc locum *Hieron. lib.* 1. *contra Iouinian.* & ante Hieronym. *Tertull. lib. de Monogamia.*

Marc. 15. *num.* 41.

Hoc igitur in loco inimicus per synechdochem valet idem, quod inimici Ægyptij, vt ostendere planè videtur relatiuum plurale, *eos*, quod sequenti versu ponitur: *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare*; non inficior tamen posse sumi inimicum antonomasticè significando Pharaonem ducem, & Principem exercitus, etenim ducibus solent attribui plerumque voces, & orationes exhortatoriæ ad milites commouendos in prælium, quales apud *Tit. Liuium*, & profanos historicos innumeræ, & apud sacra Biblia in *lib. Machab.* non paucæ inueniuntur.

Canit igitur in illis verbis: *Persequar, & comprehendam, &c.* Inimicus victoriam ante congressum, & triumphum ante victoriam, quæ duo inconsideratæ cuiusdam arrogantiæ manifesta sunt indicia, quæ superbos, imprudentes solet reddere, vt videre est apud *Isai.* 14. præsertim si locus intelligatur de Lucifero, vt à Patribus saltem typicè, solet intelligi, dicebat enim ipse in corde suo: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo, &c.* Si enim Altissimus est altitudine sua omnes excedens, qui fieri potest, vt aliquis alius illi par euadat? Dicebat deinde: *Sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis*, vbi *Bernardus* de gradibus humilitatis insipientiam subnotat, dicens. Cæteris astantibus cœlicolis, dum tu solus sedere affectas, fratrum concordiam, totius cœlestis patriæ pacem, ipsius quantum in te est, quietem Trinitatis infestas: *Decies centena millia assistebant ei, ac millia millium ministrabant ei.* Et tu nescio quas præ cæteris perspiciendo differentias curiosius inquirendo, irreuerentius persuadendo sedem tibi collocas in cœlo, vt sis similis Altissimo, sic insani superbi decipiuntur, & falluntur in vanitatibus suis, vt velut fumus ascendant, atque etiam euanescant. Qua de re videndus *Chrysost. homil.* 56. *in Matth.* vbi ita ait. Nihil certè arrogantia, & superbia peius, quæ mentis quoque vires natura hominibus concessas ita deiicit, vt amentes ex prudentia, ac animo stolidos efficere videatur. Nam quemadmodum si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imò etiam altiorem se putet, ac ideò se ipsum quasi montes excessurus erigat,

Isai. 14. *num.* 13.

Dan. 7. *num.* 10.

A nullum aliud argumentum insaniæ suæ quæremus: sic cum inflatum videris hominem, nullum aliud argumentum insaniæ suæ quæremus, sic cum inflatum videris hominem, nullum aliud argumentum væcordiæ hominis exquiras: tanto quippe ridiculosior his est, qui natura insaniunt, quanto ipse spontè hunc sibi morbum ingessit: nec hac re solum miser, verum etiam quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat, &c. Quibus prosequitur, & describit, superbi hominis in-
B saniam, in qua possimus facili negotio præsentem Pharaonis insaniam intueri, etenim cum adhuc persequeretur Israelitas, & non posset comprehendere, etiam tunc quando omnia comprehensionem promittebant, validissimus scilicet exercitus. Quem comparauerat à tergo instans, à fronte mare obuium, à lateribus prærupti montes, & celsissimæ rupes, quibus omnibus comprehensus detinebatur populus, sine vlla euasionis spe, & vndique interclusa via, attamen his omnibus
C non obstantibus, liberum, & traductum viderat Pharao populum: quo proinde nunc fundamento sibi comprehensionem tam facilè potuit promittere, quando omnipotens per inauditum miraculum illis aperuit viam, vt per mediam maris abyssum, velut per terrenam solitudinem, & stratam viam graderetur? At at extulit sese Pharao, & sui incogitatione cæca, velut taurus elisa est virtus eius per stultitiam & insaniam contrà illud, imò, & iuxta illud *Ecclesiast.* 6. *Non te extollas in*
D *cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris, vt lignum aridum in eremo.* Cuius salubetrimi consilij, vt ibi *Iansenius* exponit, hic est sensus. Ne te in tua prudentia, aut operibus, aut nobilitate extollas alios præ te contemnendo, & superbè in te gloriando instar tauri, alioqui virtus tua elidetur, idest, fortitudo ea, quæ per accepta dona posses multa præclara præstare confringetur, idque per
E stultitiam tuam, dum scilicet per superbiam pleraque stultè designas, aut opere, aut lingua, sic ille. Et fortè similitudo à tauro petita in eo consistit, quod taurus quando caput superbè eleuat, vt cornu ventilet, transfigat, & perfodiat quem aggreditur, oculos claudit, quos etiam rationi claudit superbus, ne videat ea, quæ expendere oportebat.

Ecclesiast. 6. *num.* 2.

Diuidam spolia. Qui sibi victoriam, &

triumphum promiserat, quid mirum si A militibus suis spolia polliceatur diuidenda, vt eos ad inimicorum insecutionem magis alliciat, etenim militares animos ad quælibet adeunda pericula nihil magis adigit, quam liberalitas ducis, qua sperent vrbes, & regna, quæ pugnando cœperint, sibi in spolium, & direptionem cessura, ita legimus Alexand. Magn. vel sola liberalitate per spatium duodecim annorum totum sub ditionem suam sub-

1.Mac.1. misisse orbem iuxta illud: *Egressus est de terra Sethim* (idest Græcia, sic appellata à primo cultore Sethim filio Iauan, filij Iaph) *obtinuit omnium munitiones, & pertransiit ad finem vsque terræ, & siluit terra in conspectu eius.* Et de *Cæsare Plut.* in eius vita multa in hanc sententiam refert. Et *Claudian. in panegyrico Probi.*

Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas,
Quippe velut denso currentia munera nimbo
Cernere semper erat populis vndare penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluuios superabat Iberos,
Aurea dona vomens.

Et apud *Xenophontē in institut. Cyr. lib. 1.* Cyrus patri dicebat ad efficiendos milites strenuos nihil mihi videtur efficacius, quā bonas hominibus spes iniicere. Neque verò ad hortandum milites tantùm polliceretur spoliorum diuisionem, sed insuper, vt sibi, & illis polliceatur maximam victoriæ lætitiam, quæ fuit causa, cur Isai. volens exponere lætitiam, quam percepturi erant fideles ex præsentia, & intuitu Christi, siue in hoc sæculo, siue etiam in futuro, assumpsit similitudinem triumphi,

Isaiæ 9. num. 3. & spoliorum diuisionis dicens: *Lætabuntur coram te sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia.* Et Dauid lætitiam, quam ex diuina lege capit maximam, non cum alia comparat, nisi cum ea, quæ ex spoliorum collectione percipi-

Ps. 118. n. 162. tur. *Lætabor,* inquit, *ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.*

Multa erant spolia, quæ sperabat Pharao, quandoquidem dicebat iis omnino implendam animam suam, nam vt omittam innumeros greges, & armenta, quæ pastoritiæ artis scientissimi viri alebant, quorum ne vnius quidem pedis vngula remansit in Ægypto, vt colligi potest ex

Exod. 10. & 11. *cap. 10. Exod.* vt omittam opulentissimam supellectilem, quam gens innumerabilis plusquam ducentos annos apud Ægyptios manens sibi potuit comparare, quam secum omnem vsque ad farinam asportauit, vt arma taceam, quibus sexcenti illi pedites viri bellatores; *Ex Ægypto ascenderunt instructi, atque armati.* Exod. 12. Præterea auro, & argento, & veste plurima onusti Exod. 13. num. 18. abierant, quæ omnia ab Ægyptiis petierant, & illi libentissimè commodauerant. *Dominus enim dedit gratiam populo, vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios:* Exod. 12. num. 36. neque enim probabile est id, quod *Ioseph.* B *lib. 2. Antiquitat.* ait his verbis: Rex accito Moyse mandat vt abeant, ratus post eorum exitum, regionem, cessantibus calamitatibus, subleuatum iri: donis etiam Hebræos honorabant, alij quo celeriùs discederent, alij propter viciniatis consuetudinem: atque hoc pacto egressi sunt Hebræi, flentibus Ægyptiis, & pœnitentibus ob præteritam malam eorum tractationem. Non, inquam, hoc est probabile, maximè si negetur Hebræos postulasse commodata vasa aurea, & argentea, ve-C stemque plurimam, & Ægyptios libenter concessisse, stat enim ex opposito irrefragabilis textus *Exod. 12.* vbi aperte habetur, & Hebræos postulasse, & Ægyptios Exod. 12. num. 35. & 36. tribuisse, videndus hac de re *Tertull. lib. 2. contr. Marc. Clem. Alex. 1. Stromat. August. lib. quæst. in Exod. in q. 6. & 39. & 45.* & copiosissimè *lib. 21. cōtr. Faust. c. 71. Rupert. lib. 1. Exod. cap. 15. D. Thom. 22. q. 66. art. 5. & 1. & q. 104. art. 4. & 2. Abul. q. 10. in cap. 3. Exod. & Philo lib. 1. de vita Moysis,* vbi ita ait. Expulsi, extrusique ab Ægyptiis D Hebræi, memores ingenuitatis pristinæ ausi sunt facinus, quo iniurias acceptas rependerent, multum enim prædæ nacti, sarcinásque partim suis humeris, partim iumentis imposuerunt, nec id præ auaritia fecerunt, (vt obtrectatores fortasse dicent) nec alienarum fortunarum cupiditate: sed primum, vt diuturni laboris necessariam mercedem reciperent, deinde, vt pro acceptis in tempore seruitutis iniuriis, si non pro merito, aliquid saltem damni reponerent: nec enim par est iactu-E ra libertatis, ac pecuniæ, nemo quippe sanus non malit vitæ, quam libertatis adire periculum. Itaque vtrumque factum iure tueri possunt, siue, vt in pace mercedem receperunt, qua tandiu frustrati fuerant, siue, vt in bello victores victos boni spoliauerunt, ab illis enim orta fuerat iniuria, qui viros ingenuos, hospitésque suos quasi captiuos in seruitutem redegerunt, sed, vbi se obtulit occasio melio-

rum

rum temporum, populus inermis, illatam A sibi vim vltus est, ipsa protegente eum iustitia. Sic ille.

Deferebant itaque Hebræi, & sua propria bona tandiu comparata, insuperque Ægyptiorum, vnde magna ea potuit reputare spolia Pharao, & sibi suisque eam, quasi magnum aliquid, promittere spoliorum collectionem, qualis nempe fuit illa spoliorum collectio ab exercitu Assyriorum, truncato Holoferne, quæ toto mense facta dicitur, quia sicut Israëlitæ spoliauerant Ægyptios, sic, & B illa opulentissima castra erant pluriúmque vrbium,& Prouinciarum opibus onustissima.

Vnde nobis non placet hoc in loco Agellij expositio, qui per spolia ad quæ anhelabat Pharao, & quæ diuidenda dicit, intelligit pecora tantùm, & armenta, ex eo, quia simili modo etiam in *Genes.*
Gen.49. c.49. de Beniamin dixit Iacob: *Manè rapiet*
num. 27. *prædam, & ad vesperam diuidet spolia*, pro spoliis enim ibi LXX. posuerunt; *Ad vesperam diuidet escas.* Nam ex serie, C & contextu sermonis patet ibi spolia intelligenda esse pecora, loquitur lupo rapaci, cui præda esca est, & nihil aliud deprædari solet, at Israëlitæ onusti erant auro, & argento, & multa, ac pretiosa supellectili, quæ diuidenda promittebat, vt militum animos præda diuidenda, & spoliis dispertiendis incitaret; nullatenus tamen negandum est ad promissam suis prædam pertinere pecora, & armenta, quibus occisis post partam vt sibi, promittebant victoriam ventri, vbi ipsorum veluti resi- D debant animæ replere possent.

Similes spoliorum collectiones: inuenies 1.*Paral.*5.*num.*21.*& lib.*2.*cap.*14. *&* 15. apud *Herodot. lib.*9. *Plinium libr.*33. *cap.*3. *Diodor. lib.*13. *&* 17. *Ioseph. lib.*17. *c.*13. *Liuium decad.*3. *lib.*2. *&* 3. *Guiliel. Tyr. lib.*6. *de bello sacro*, *c.*2. Qualis etiam videtur fuisse in illa contra Sarracenos celeberrima victoria, quam anno Domini 1212. in Hispania Christiani obtinuerint, tanta enim telorum soluminodo, hastarúmque multitudo extitit vt lignis toto E biduo ad coquendos cibos, aliis nullis opus fuerit, vt refert *Marian. lib.*11. *c.*24. Hanc igitur diuisionem sibi suísque certo promittebat stultus Pharao.

Cæterum meminisse debuerat Dei esse docere manus ad prælium, & digitos ad
Ps.143. bellum, nec in multitudine exercitus esse
num.1. positam victoriam, sed de cælo fortitudinem, & non esse differentiam in conspectu Dei cæli liberare vel in multis, vel in paucis, sicut dixit Iudas 1.*Machab.*3. Et 1.Mac.3.
Ionathas 1.*Reg.*14. & Asa 2.*Paral.*14. in- num.18.
superque omnium bellorum exitus, cuen- 1. Reg.
túsque esse incertos, & Martem esse com- 14.n.6.
munem, sicut dixit *Cicero lib.*6. *Epist.*1. 2.Paral.
& 6. Qui sæpè spoliantem iam & exul- 14.n.11.
tantem euertit, ac perculit ab abiecto, vt idem habet Author *Philipp.*10. & *pro Milone*, nam sicut cecinit *Ouidius* 7. *Metamorphos. &* 1. de arte amandi.

Inter vtrumque volat dubys victoria pennis
Mars dubius.
———*Nunc belli mala,*
Propone dubias Martis incerti vices;
Licet omne tecum regis robur trahas,
Licet arma longè miles, ac latè explicet.
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Et *Seneca in Thebaid. Et incerti fallax fiducia Martis*, vnde est illud Virgilianum monitum, *Respice res bello varias*, quæ fuit causa cur *Titus Liuius lib.*2. *decad.*1. dixerit nusquam minus, quam in bello cuentum respondere; propterea in bello nihil tam leue esse, quod non magnæ rei euentum faciat, sicut idem Author dixit *lib.*25. Quis enim Goliam obtruncandum credidissent ab adolescente, & à fœmina Holofernem, & Abimelech occidendum molæ 1. Reg.
fragmine, quod mulier de turri deiecit. 17.
Denique vt variam, incertámque vitam no- Iud.15.
stram intelligeremus militia super ter- Iudic.9.
ram dicitur, ne quis illi fidens certo sibi num. 53.
aliquid polliceretur, sicut ille stultus di- Iob 7.
ues, qui vitam in dies plurimos promit- num.1.
tebat, sed statim audiuit: *Stulte hac nocte* Luc.12.
animam tuam repetent à te, hoc igitur si num. 19.
meminisset, vt par erat vanus, & mente elatus Pharao, non sibi victoriam, triumphum, & spolia, promisisset, quam de illo reportauerunt Israëlitæ, Deo pro illis pugnante, & vincente.

Implebitur anima mea. Sicut per vocem, spiritus, & mens accipitur pars intellectiua animi, sic nomine *anima* intelligitur multoties pars sensitiua, sic *Paulus* ait: *Vt* 1.Thess.
integer spiritus vester, & anima, & corpus 5.n.23.
sine querela in aduentu Domini conseruetur, super quæ verba *Chrysostom.* Quid, inquit, spiritus nisi Dominum spiritus, & Theophylactus, spiritus autem ait, est charissima, quod accipimus in baptismo eodémque modo explicant *Ambros. & Haymo.*

Cæterùm *D.Thom.* ibi quamuis laudet prædictam expositionem, aliam tamen magis fortasse literalem, quæque pluribus

triumphum promiſerat, quid mirum ſi A
militibus ſuis ſpolia polliceatur diuidenda,
vt eos ad inimicorum inſecutionem
magis alliciat, etenim militâres animos
ad quælibet adeunda pericula nihil magis
adigit, quam liberalitas ducis, qua ſperent
vrbes, & regna, quæ pugnando ceperint,
ſibi in ſpolium, & direptionem
ceſſura, ita legimus Alexand. Magn. vel
ſola liberalitate per ſpatium duodecim
annorum totum ſub ditionem ſuam ſub-
1. *Mac.* 1. miſiſſe orbem iuxta illud: *Egreſſus eſt de*
terra Sethim (ideſt Græcia, ſic appellata à B
primo cultore Sethim filio Iauan, filij
Iaph) *obtinuit omnium munitiones, & pertranſiit ad finem vſque terræ, & ſiluit terra in conſpectu eius.* Et de *Cæſare Plut.* in
eius vita multa in hanc ſententiam refert.
Et *Claudian. in panegyrico Probi.*

Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas,
Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat populis vndare penates, C
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluuios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vomens.

Et apud *Xenophontē in inſtitut. Cyr. lib.* 1.
Cyrus patri dicebat ad efficiendos milites
ſtrenuos nihil mihi videtur efficacius,
quā bonas hominibus ſpes inijcere. Neque
verò ad hortandum milites tantùm polliceretur
ſpoliorum diuiſionem, ſed inſuper,
vt ſibi, & illis polliceatur maximam
victoriæ lætitiam, quæ fuit cauſa, cur Iſai. D
volens exponere lætitiam, quam percepturi
erant fideles ex præſentia, & intuitu
Chriſti, ſiue in hoc ſeculo, ſiue etiam in
futuro, aſſumpſit ſimilitudinem triumphi,
Iſaiæ 9. & ſpoliorum diuiſionis dicens: *Lætabun-*
num. 3. *tur coram te ſicut exultant victores capta*
præda, quando diuidunt ſpolia. Et Dauid lætitiam,
quam ex diuina lege capit maximam,
non cum alia comparat, niſi cum
ea, quæ ex ſpoliorum collectione percipi-
Pſ. 118. tur. *Lætabor*, inquit, *ego ſuper eloquia tua,*
n. 162. *ſicut qui inuenit ſpolia multa.* E

Multa erant ſpolia, quæ ſperabat Pharao,
quandoquidem dicebat iis omnino
implendam animam ſuam, nam vt omittam
innumeros greges, & armenta, quæ
paſtoritiæ artis ſcientiſſimi viri alebant,
quorum ne vnius quidem pedis vngula
remanſit in Ægypto, vt colligi poteſt ex
Exod. 10. *cap.* 10. *Exod.* vt omittam opulentiſſimam
& 11. ſupellectilem, quam gens innumerabilis
plusquam ducentos annos apud Ægyptios
manens ſibi potuit comparare, quam ſecum
omnem vſque ad farinam aſportauit,
vt arma taceam, quibus ſexcenti illi pedites
viri bellatores; *Ex Ægypto aſcenderunt* *Exod.* 12.
inſtructi, atque armati. Prætereà auro,
& argento, & veſte plurima onuſti *Exod.* 13.
abierant, quæ omnia ab Ægyptiis petierant, *num.* 18.
& illi libentiſſimè commodauerant.
Domin'us enim dedit gratiam populo, vt *Exod.* 12.
commodarent eis, & ſpoliauerunt Ægyptios: *num.* 36.
neque enim probabile eſt id, quod *Ioſeph.*
lib. 2. *Antiquitat.* ait his verbis: Rex accito
Moyſe mandat vt abeant, ratus poſt eorum
exitum, regionem, ceſſantibus calamitatibus,
ſubleuatum iri: donis etiam
Hebræos honorabant, alij quo celeriùs
diſcederent, alij propter vicinitatis conſuetudinem:
atque hoc pacto egreſſi ſunt
Hebræi, flentibus Ægyptiis, & pœnitentibus
ob præteritam malam eorum tractationem.
Non, inquam, hoc eſt probabile,
maximè ſi negetur Hebræos poſtulaſſe
commodata vaſa aurea, & argentea, ve-
ſtemque plurimam, & Ægyptios libenter
conceſſiſſe, ſtat enim ex oppoſito irrefragabilis
textus *Exod.* 12. vbi apertè habe- *Exod.* 12.
tur, & Hebræos poſtulaſſe, & Ægyptios *num.* 35.
tribuiſſe, videndus hac de re *Tertull. lib.* 2. *&* 36.
contr. Marc. Clem. Alex. 1. *Stromat. Auguſt.*
lib. quæſt. in Exod. in q. 6. *&* 39. *&* 45. &
copioſiſſimè *lib.* 21. *cōtr. Fauſt. c.* 71. *Rupert.*
lib. 1. *Exod. cap.* 15. *D. Thom.* 22. *q.* 66. *art.* 5.
& 1. *& q.* 104. *art.* 4. *&* 2. *Abul. q.* 10. *in*
cap. 3. *Exod. & Philo lib.* 1. *de vita Moyſis,*
vbi ita ait. Expulſi, extruſique ab Ægyptiis
Hebræi, memores ingenuitatis priſtinæ
auſi ſunt facinus, quo iniurias acceptas
rependerent, multum enim prædæ nacti,
ſarcináſque partim ſuis humeris, partim
iumentis impoſuerunt, nec id præ auaritia
fecerunt, (vt obtrectatores fortaſſe
dicent) nec alienarum fortunarum cupiditate:
ſed primum, vt diuturni laboris
neceſſariam mercedem reciperent, deinde,
vt pro acceptis in tempore ſeruitutis iniuriis,
ſi non pro merito, aliquid ſaltem
damni reponerent: nec enim par eſt iactura
libertatis, ac pecuniæ, nemo quippe ſanus
non malit vitæ, quam libertatis adire
periculum. Itaque vtrumque factum iure
tueri poſſunt, ſiue, vt in pace mercedem
receperunt, qua tandiu fruſtrati fuerant,
ſiue, vt in bello victores victos boni
ſpoliauerunt, ab illis enim orta fuerat iniuria,
qui viros ingenuos, hoſpitéſque
ſuos quaſi captiuos in ſeruitutem redegerunt,
ſed, vbi ſe obtulit occaſio melio-
rum

rum temporum, populus inermis, illaram A
sibi vim vltus est, ipsa protegente eum
iustitia. Sic ille.

Deferebant itaque Hebræi, & sua propria bona tandiu comparata, insuperque Ægyptiorum, vnde magna ea potuit reputare spolia Pharao, & sibi suisque eam, quasi magnum aliquid, promittere spoliorum collectionem, qualis nempe fuit illa spoliorum collectio ab exercitu Assyriorum, truncato Holoferne, quæ toto mense facta dicitur, quia sicut Israëlitæ spoliauerant Ægyptios, sic, & B illa opulentissima castra erant pluriúmque vrbium,& Prouinciarum opibus onustissima.

Vnde nobis non placet hoc in loco Agellij expositio, qui per spolia ad quæ anhelabat Pharao, & quæ diuidenda dicit, intelligit pecora tantùm, & armenta, ex eo, quia simili modo etiam in *Genes.* Gen.49. num.27. *c.49.* de Beniamin dixit Iacob: *Manè rapiet prædam, & ad vesperam diuidet spolia*, pro spoliis enim ibi LXX. posuerunt; *Ad vesperam diuidet escas*. Nam ex serie, C & contextu sermonis patet ibi spolia intelligenda esse pecora, loquitur lupo rapacei, cui præda esca est, & nihil aliud deprædari solet, at Israëlitæ onusti erant auro, & argento,& multa, ac pretiosa supellectili, quæ diuidenda promittebat, vt militum animos præda diuidenda, & spoliis dispertiendis incitaret; nullatenus tamen negandum est ad promissam suis prædam pertinere pecora, & armenta, quibus occisis post partam vt sibi, promittebant victoriam ventri, vbi ipsorum veluti resi- D debant animæ replere possent.

Similes spoliorum collectiones: inuenies *1.Paral.5.num.21.& lib.2.cap.14. & 15.* apud *Herodot. lib.9. Plinium libr.33. cap.3. Diodor.lib.13. & 17. Ioseph.lib.17. c.13. Liuium decad.3. lib.2. & 3. Guiliel. Tyr.lib.6.de bello sacro, c.2.* Qualis etiam videtur fuisse in illa contra Sarracenos celeberrima victoria, quam anno Domini 1212. in Hispania Christiani obtinuerũt, tanta enim telorum solummodo, hastarúmque multitudo extitit vt lignis toto E biduo ad coquendos cibos, aliis nullis opus fuerit, vt refert *Marian.lib.11. c.24.* Hanc igitur diuisionem sibi suisque certo promittebat stultus Pharao.

Cæterum meminisse debuerat Dei esse docere manus ad prælium, & digitos ad Ps.143. num.1. bellum, nec in multitudine exercitus esse positam victoriam, sed de cælo fortitudinem, & non esse differentiam in conspectu Dei cæli liberare vel in multis, vel in paucis, sicut dixit Iudas *1.Machab.3.* Et 1.Mac.3. num.18. Ionathas *1.Reg.14.* & Asa *2.Paral.14.* insupérque omnium bellorum exitus, euentúsque esse incertos, & Martem esse communem, sicut dixit *Cicero lib.6. Epist.1. & 6.* Qui sæpè spoliantem iam & exultantem euertit, ac perculit ab abiecto, vt idem habet Author *Philipp.10.* & *pro Milone*, nam sicut cecinit *Ouidius 7. Metamorphos. &* 1. de arte amandi. 1. Reg. 14.n.6. 2.Paral. 14.n.11.

Inter vtrumque volat dubijs victoria pennis
Mars dubius.

——— Nunc belli mala,
Propone dubias Martis incerti vices;
Licet omne tecum regni robur trahas,
Licet arma longè miles, ac latè explicet.
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Et *Seneca in Thebaid. Et incerti fallax fiducia Martis*, vnde est illud Virgilianum monitum, *Respice res bello varias*, quæ fuit causa cur *Titus Liuius lib.2. decad.1.* dixerit nusquam minus, quam in bello euentum respondere; propterea in bello nihil tam leue esse, quod non magnæ rei euentum faciat, sicut idem Author dixit *lib.25.* Quis enim Goliam obtruncandum credidissent ab adolescente,& à fœmina Holofernem, & Abimelech occidendum molæ 1. Reg. 17. fragmine, quod mulier de turri deiecit. Iud.15. Deniq; vt variam, incertámque vitam nostram intelligeremus militia super terram dicitur, ne quis illi fidens certo sibi Iudic.9. num.53. aliquid polliceretur, sicut ille stultus diues, qui vitam in dies plurimos promittebat, sed statim audiuit: *Stulte hac nocte* Iob 7. num.1. Luc.12. num.19. *animam tuam repetent à te*, hoc igitur si meminisset, vt par erat vanus, & mente elatus Pharao, non sibi victoriam, triumphum, & spolia, promisisset, quam de illo reportauerunt Israëlitæ, Deo pro illis pugnante, & vincente,

Implebitur anima mea. Sicut per vocem, spiritus, & mens accipitur pars intellectiua animi, sic nomine *anima* intelligitur multoties pars sensitiua, sic *Paulus* ait: *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini conseruetur*, super quæ verba *Chrysostom.* Quid, inquit, spiritus nisi Dominum spiritus, & Theophylactus, spiritus autem ait, est charissima, quod accipimus in baptismo eodémque modo explicant *Ambros. & Haymo.* 1.Thess. 5.n.23.

Cæterùm *D.Thom.* ibi quamuis laudet prædictam expositionem, aliam tamen magis fortasse literalem, quæque pluribus

placet addit, vt spiritus denotet superio-
rem animæ partem, quam etiam mentem
appellamus, anima verò sit inferior illa
portio, quæ sensum præbet, non essentia
quidem, sed operatione distincta. Similis
Deut.6. est locus, *Diliges Dominum Deum tuum*
num.5. *ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota*
Mat.22. *mente tua*, vbi cor pro affectu voluntatis
num. 37. accipitur, anima verò pro inferiori por-
tione sensitiua, mens denique pro portio-
ne superiori, qua Deum contemplamur,
atque cœlestia, quia Hebraice, *Medecha*,
est vehementia, & mentis attentio, ideó-
que interpres *Matth.* rectè vertit, *ex tota*
mente, & sic explicat hunc locum *Matth.*
D.Thom.2.2. q.44. art.5. Et quamuis *Gre-*
gor. Nyssen. non ita propriè cor ad partem
vegetatricem retulerit, alia tamen duo
explicat modo à nobis tradito; *August.* ve-
rò *lib.1. de doctrina Christiana, toto corde*,
ad cogitationes refert, sed animam ad vi-
tales operationes, mentem denique ad in-
tellectum: & in hoc sensu inuitabat ani-
mam suam stultus ille diues, qui dicebat:
Luc.12. *Anima mea habes multa bona in annos plu-*
num. 19. *rimos, requiesce, comede, bibe, epulare, &c.* In
hoc etiam sensu intelligitur fastidiũ He-
Num.21. bræorum, quando *Numero* 21. dixerunt:
num.5. *Anima nostra nauseat super cibo isto leuis-*
Psal.40. *simo*, & in hoc sensu intelligitur etiam il-
num.3. lud, *Non tradat eum in animam inimico-*
rum eius, idest in voluntatem, & affectum
eorum, vbi anima etiam significat affe-
ctum cordis, quo sensu dixit Ionathas ad
1. Reg. Dauid: *Quodcumque dixerit mihi anima*
20.n.4. *tua, faciam tibi*, item *anima Ionathæ*, idest,
affectus, *Conglutinata est anima Dauid.*
1. Reg. 1. *Reg.* 18. *& Isai.* 5. *Dilatauit infernus ani-*
18.n.1. *mam suam*, idest, infernales spiritus dila-
Isaiæ 5. tauerunt affectum ad hominum perditio-
num. 14. nem, vel ipsemet locus inferni metapho-
ricè, sic etiam exponit *Lyran.* quod Salo-
Sap.8. mon ait, *Sortitus sum animam bonam.*, id-
num. 19. est, benignum voluntatis affectum, alio-
qui omnis anima rationalis creata infici-
tur peccato originali, & bona dici non po-
test, neque verò adeò certa est opinio, de
animarum inæqualitate, secundùm diffe-
rentias indiuiduantes, quin tutior viris
doctissimis videatur sententia, quæ pares
facit, & *Tolet.3. de anima, c.5. text.19. q.18.*
oppositam periculosam censet, & melio-
res operationes vnius, quam alterius in
organa melius disposita reiici deberi asse-
rit, & deteriores operationes alterius in
organa deterius affecta, qua de re, & art.
Parisiensi apud *Henricum, & Durand.* plu-
ra apud Philosophos.

A Notandum deinde est duos dari secun-
dum *Aristot. 1. magnorum moral. cap.13.*
Appetitus animæ sentientis, alterum con-
cupiscibilem, qui consectatur bona sensi-
bilia subiecto conuenientia, alterum ira-
scibilem, qui sibi resistentibus perniciem
infert, & vtrique appetitui promitti, hoc
in loco à Pharaone obiecti proprij passio-
nem: concupiscibili quidem spolia ho-
stium in illis verbis, *diuidam spolia*, nam
spoliorum nomine propemodum infinita
sensibilium bonorum delectabilium gene-
B ra continentur, arma, vestes, aurum, & ar-
gentum factum atque infectum, pecudes,
armenta, animantia diuersi generis, mul-
tamimis, & dicitur *Exod.12.* cibaria, & re-
liqua impedimenta.

Irascibili quoque appetitui promittitur
obiectum, & bonum suum, id autem est
sæuissima de Hebræis vsque ad. omnium
internecionem sumenda vindicta verbis
illis. *Euaginabo gladium meum, interficiet* Exod.12.
eos manus mea: Hoc enim ingenium est num. 38.
malorum, non satis habere, si secum ipsi
C sint voluptarij, & omni delitiarum gene-
ri indulgentes, nisi etiam proximis ma-
lefici sint, & iniurij, maximè cum se ab
ipsis læsos, & offensos arbitrantur. Illud
autem, vt concupiscibili, hoc verò vt ira-
scibili morigerentur, tales illi erant im-
pij, qui dixerunt, *Venite fruamur bonis, &c.* Sap.2.
vbi *Bonauent.* ait. Venite, quia societas num.6.
iucundiorem præbet possessionem, & vta-
mur creatura tanquam in iuuentute cele-
riter, vbi *Hugo* ait. Sicut iuuentus exigit,
alij dicunt, dum est iuuentus, vnde illud,
D *Lætare iuuenis in adolescentia tua.*, nam- Eccl.11.
que dicebat Berzelai: *Octogenarius sum* num.8.
hodie, nunquid vigent sensus mei ad discer- 2. Reg.
nendum suaue, aut amarum, aut delectare 19.n.35.
potest seruum tuum cibus, & potus? Vel au-
dire possum vltra vocem cantorum, vel can-
tatricium. Vel voluerunt etiam impij di-
cere, sic nos oblectemus, vt nunquam se-
nescamus, vnde *Ouid.1. Fastor.* dixit.

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem;

Vel etiam possunt hæc verba referri ad
eam curam, & solicitudinem, quam impio-
E rum cupiditates ipsis ingerunt, dum per-
petuò solicitant, pungunt, & impellunt, vt
saturentur, nullam omnino requiem per-
mittentes, nullum gaudium admittentes,
nisi fortè in sola adumbrata, & mentaliter
descripta, quæ nullatenus reipsa futura
vnquam est. Qua de re optimè *Philo lib.2.*
legis allegor. ad fin. interpretatur verba il-
la, *In doloribus comedes ex ea spinas, & tri-* Genes. 3.
bulos germinabit tibi. Hoc est, inquit ille, num. 17.
fructis

fructis anima cum molestia, labotiosè enim quiuis malus per omnem vitam anima sua vtitur, nullam habens causam lætitiæ, ad quam gignendam nata est iustitia, prudentia, cæteræque sodales harum virtutes. Ergo spinas, & tribulos producet tibi, quid enim aliud nascitur in anima insipientis, nisi affectus pungentes eam, vulnerantésque, quos figurate spinas vocauit, in quos brutus impetus primos incurrit, & in cotum ordinem receptus, res animæ populatur, ac corrumpit incendio? Sic loquitur Scriptura, Quod si egressus ignis inuenerit spinas, & latius vagatus exusserit aream, aut spicas, aut campum, luet is, qui ignem accendit.

Accensus itaque ignis brutalis impetus in Pharaone, & ipsum cupiditate accendit, & Israëlitas proponit depopulare, & ad cineres interitus, ac spoliationis deducere. Addit deinde *Philo*, est perquam ærumnosa, molestaque insipientis vita consectantis, abligurientísque quicquid voluptatem parit, & effectus quoscunque malitiæ, & quousque tandem? Donec reuertaris in terram, ex qua sumptus es, terra enim es, & in terram reuerteris. Inchoatus es ex corruptibilibus terræ corporibus finiens rursum in illa peracta interim vitæ via, non publica, sed aspera sentibus, tribulísque ad pungendum, lacerandumque natis obsita. Sic ille.

Sap. 2. num. 10. Pro complendo vero irascibili appetitu adducit insani iuuenes *Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis, sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ; circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos disciplinæ nostræ peccata*, duplici igitur appetitui in his adolescentibus explicato satisfacit Pharao, dum & concupiscenti saturitatem promittit, & irascenti vindictam, ne alter horum absque proprij obiecti adeptione maneret.

Euaginabo gladium meum. Quis cum hæc audiret posset existimare Regem esse qui loquebatur, & non potius satellitem, & carnificem, etenim opera Regem indicant, & probant, quod optime ostendit locus ille *Pauli* cum de Christo Domino

Rom. 1. num. 4. dicit: *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*, vbi *Ambrosius* sic explicat. Prædestinatus est, non vt sit filius Dei, sed vt manifestetur, seu prædestinatus est manifestari filius Dei. Et

A *D. Aug. in exposit. inchoata huius epistolæ* ait, qui apparuit filius Dei, alij legunt, *Qui declaratus est filius Dei potentia Spiritus sancti data, & communicata hominibus, & Apostolis, per quã signa, & miracula efficacissima ediderunt.* Est autẽ duplex Hebraismus in his posterioribus verbis Pauli.

Primus cum dicitur *in virtute*, Hebræi enim instrumento præpositionem præmittunt, vt iam aduertimus, passimque in sacris literis reperitur. Secundus Hebraismus est, *Spiritum sanctificationis*,
B idest, spiritum sanctificantem, solent enim Hebræi substãtiuis vti loco adiectiuorum, filium sapientiæ, & timoris appellant filium sapientem, & timentem, ita *secũdum spiritum sanctificationis*, idest, spiritum sanctificantem. Sensus itaque totius loci videtur esse; declaratus est filius Dei, talemque se ostendit Christus Dominus communicando spiritum sanctificantem, & suscitando mortuos, opera enim ipsius testimonium perhibebant de eo, vnde & discipulis *Ioan.* dixit, *Ite renunciate quæ* Matt. 11.
C *audistis, & vidistis, cæci vidẽt, claudi ambulant, leprosi mundantur*, hæc enim, & alia mirabilia opera testantur, & ostendunt me esse Regem Messiam, & profecto opera Regem probare debent, ac verba. num. 5.

Audite proinde verba, & videte opera, quæ si hoc in loco attendamus inueniemus potius carnificem, & satellitem, crudelémque barbarum, quam Regem, cum tamen ij, qui loco, & potestate præeminent, benignitate, & clementia debeant præeminere. Iuxta illud *Spiritu principali* Psal. 50.
D *confirma me*, vbi Hebr. legunt, spiritu spontaneo, liberali, nobili principe, digno principibus. *Chald.* Spiritu munificẽtiæ, talis siquidem decet esse spiritus principum, non qualis probatur iste Pharaonis. Qua de re iustè conqueritur *Clemens Alex. 3. stromat.* cum de Regibus, & nobilibus ita ait. *Quomodo ergo sunt ij huius mundi, seu seculi hominibus meliores, qui vel pessimis huius mundi sunt similes? Sunt enim, vt arbitror, similes natura, qui sunt facti similes, quibus autem se esse censent nobilitate superiores, eos debent etiam superare* num. 14.
E *moribus.* Sic ille. Quibus similia habet *Bernard. epistol. 229.* ad quosdã Episcopos vbi ait. Adhoc vos Deus in sublimitate posuit, vt tãto maiori Ecclesiæ suæ vtilitati viuatis, quãto in ea eminẽtiori auctoritate præestis, & *epist. 346. ad Eugen. Pap.* Potestate inquit, accepta malle in malo, quã in bono vti, abuti est. Et certè Pharaonem cuius potẽtia tota in perniciẽ, & extremã vastitatem

vastitatem Israëlitarum vergit, possemus A
interrogare, cum eodem *Bernard. epist.*
347. Nunquid potestatem habes tantum
persequi, comprehendere, euaginare gla-
dium, percutere, & occidere, & nequa-
quam sanare, parcere, beneficia largiri, &
pereuntibus subuenire? Noueris interim
acceptam ab alio potestatem tuam, qui
supremus Dominus cum sit ait. *Percutiam*
& ego sanabo, absit, vt cuius tenes vicem,
non vsurpes, & vocem præcipuæ pietatis,
Deut.32. & non potius quam audiuimus, *persequar,*
num.34. *& comprehendam, & diuidam spolia*, quæ B
crudelitatis, peræquè ac superbiæ insigne
specimen præber, crudelitatis inquam,
quia non satis duxit persecutionem, com-
prehensionem, & spoliorum ablationem,
sed insuper mortem minitatur, quod sæ-
uissimum indicat animum.

Quando fugatus est Abner, & viri Is-
2.Reg.2. raël à pueris Dauid *Persequentibus Ioab,*
num.17. *& Abisai fugientem Abner, exclamauit*
Abner ad Ioab, & dixit. Num vsque ad in-
ternecionem tuus mucro desæuiet? Vsquequo
non dicis populo vt omittat persequi fratres C
suos, vbi *Theod.q.*10. Ideo hoc ab Abner di-
ctum asserit, quia iniquum est, vt qui vin-
cunt, interitum victis afferant, hoc enim
significat illud num ad contentionem co-
medit gladius? His cessit verbis, & rece-
ptui canens, repressit persecutionem, at
verò crudelis Pharao post intentatam
persecutionem, & bonorum spoliationem,
ac inter suos diuisionem, adhuc mortem
minatur, & proclamat, quod sæuam im-
manitatem probat, insuper, & dum nul-
lum aliud mitioris supplicij genus, sed D
ipsam statim mortem Hebræis infligen-
dam minitatur, quæ teste *Arist. in ethicis*
est omnium terribilium maximè terribi-
lis, cámque non alterius alicuius gladio,
& manu, non satellitis, lictoris, carnificis,
aut militis, sed manu ac gladio ipsius
Pharaonis tribuendam pollicetur, si ipsum
velis loquentem, vel quemuis ex suis, qui
mortem ac sanguinem Hebræorum sæui-
ter vocabat. Superbiæ verò argumenta
sunt duo illa possessiua nomina meum, &
mea, *Euaginabo gladium meum, interficiet* E
eos manus mea.

Superbiæ subnotat Deus victores eos,
qui hostium vastitatem, & cædem sibi at-
Deut.32. tribuissent, cum ait: *Ne forte superbirent*
num.28. *hostes eorum, & dicerent manus nostra ex-*
celsa, & non Dominus fecit hæc omnia, &
ad significandum non fuisse in Hebræis
Psal.43. similem superbiam dixit Dauid. *Nec enim*
num.4. *in gladio suo possederunt terram, & bra-*
chium eorum non saluauit eos, sed dextera
tua, & brachium tuum, & illuminatio
vultus tui; quod postea Achior dixit. *Vbi-* Iud.5.
cunque ingressi sunt sine arcu, & sagitta, & num.16.
absque scuto & gladio, Deus eorum pugna- Deut.8.
uit pro eis, & vicit. Et Moyses monebar num.17.
populum ne diceret in corde suo, *Forti-* & 18.
tudo mea, & robur manus mea, hæc omnia
mihi præstiterunt, sed recordaretur Do-
mini Dei sui, quod ipse illi vires tribuis-
set, & Gedeonis gladium nominabat is,
qui somnium alterius interpretabatur de
Gedeone, sed electi fortissimi milites ex- Iud.7.
clamabant, *Gladium imprimis Domini,* num.14.
& deinde Gedeoni, nempe huius, sed per Iud.7.
illum. num.20.

Et sanè notatu dignum censeo, quod
aliquoties non proprio, sed alieno gladio
comparatæ leguntur victoriæ illustres in 1.Reg.
Scriptura. Dauid Goliam ipsius interfecit 17.n.51.
gladio, eodémque deinceps nonnunquam 1.Reg.
vsus est in bellis. Iudith quod orauerat, vt 21.nu.9.
gladio proprio Holofernis amputaretur & c.22.
superbia dicens: *Fac Domine, vt gladio pro-* num.10.
prio eius superbia amputetur. Et ita conti- Iudit.9.
git. *Accessit enim ad columnā quæ erat ad* num.12.
caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in & c.13.
ea ligatus pendebat exoluit, cumque euagi- num.8.
nasset illum apprehēdit comam capitis eius,
& percussit bis in ceruicem eius, & abscidit
caput eius. Et Machabæus semper confi-
dens cum omni spe auxilium sibi à Deo
affuturum, ac suos armans non clypeo, &
hastę munitione, sed sermonibus optimis,
& exhortationibus narrauit sibi oblatum
in somnis à Ieremia gladium aureum, id
est, ornatum auro cum diceret: *Accipe* 2.Mach.
sanctum gladium munus à Deo, in quo deij- 15.nu.7.
cies aduersarios populi mei Israël.

Hæc igitur ex ordinatione diuina facta
fuisse videntur, ne serui Dei præ superbia
possent aliquando instar impij Pharaonis
euanescentes dicere: *Euaginabo gladium*
meum, interficiet eos manus mea. Longè
aliter dicebat Dauid. *Non in arcu meo spe-* Psal.43.
rabo, & gladius meus non saluabit me, sed num.7.
dextera tua, &c. Vbi *Chrysostom.* ait armis
vtendum quidem in iusta defensione, at
omnis in Deum rei exitus conijciendus.
Et *Ambros.* Si in arcu sperandum est, in
Dei certè arcu sperandum est, quem po-
suit in nube, vt à diluuio genus humanum
timere desineret. Iste enim arcus nos pro-
tegit, quo & iaculatur sagittas, quibus
percutiat inimicos, & aduersarios nostros,
& *Paulus* dixit. *Arma militiæ nostræ non* 2.Cor.10.
carnalia sunt, sed potentia Deo ad destru- num.4.
ctionem munitionum, consilia destruentes,
&

*& omnem altitudinem extollentem se ad-
uersus scientiam Dei*

Dum ergo inimicus Ægyptius suo gla-
dio,& manui futuram per Israelitarum in-
ternecionem victoriam tam plenis buccis
promittit, & adscribit insigniter,profectò
superbit,Deúmque prouocat,vt dexteram
suæ omnipotentiæ in ipsius, & suorũ con-
sumptionem exerat , & ipsius crudelitas
diuinam pulsat,& prouocat iram,vt aliam
experiatur manum fortiorem, acutiorem
gladiũ,& superiorem potentiam. Pro qua
re videndus est *Bernard. serm.4. in Cant.*
vbi ostendit,qualiter Dei gloriam debea-
mus quærere,eique sua dona,& non nobis
adscribere,cum victoriam de inimicis re-
portamus. Alioqui, inquit ille, si in te,&
non magis in Deo gloriaris propriã pro-
fectò,& nõ Domini manum osculari con-
Iob 31. uinceris,quod (iuxta beati *Iob* sentẽtiam)
num. 27. est iniquitas maxima,& negatio in Deum.
Si ergo ad scripturæ testimoniũ propriam
gloriam quærere,propriã est osculari ma-
num : profectò qui dat gloriam Deo,Dei
dicitur , non incongruè manum osculari,
sic *Bernard.* ex cuius doctrina apertè con-
stat grauis in Deum offensa Pharaonis,qui
propriam osculabatur manum ante opera-
tionem, sibique illius virtute multo ante
arrogabat victoriã,qui potius deberet Dei
manũ,virtutem,& opem semper implora-
re,& non dicere,*interficiet eos manus mea.*

Quoniam verò, vt alius dixit, non so-
lum oratori bono , sed etiam malo debe-
mus plurimum, si tamen ille placeat, hic
displiceat. Bonus nam tum prodest, dum
imitanda proponit, malus vitanda, & fu-
gienda ostendit , quo etiam sensu dixit
Ambros.lib.1.de Abraham cap.6. Instruunt
Patriarchæ non solum docentes , sed er-
rantes,quibus similia habet *lib.10.in Luc.*
*Nazianz. orat.1.de pace. August.3.de do-
ctrina Christiana c.23.& serm.1.de Cruce,
& latrone. Bernard. ser.3.de sanctis Apost.
Petro,& Paulo, Chrysost.homil.6.in Marc.
& homil.2.in Psalm.50.* vbi ait. Aliorum
vulnera nobis prouidere sanitatem,videa-
mus proinde quid inimicus dixerit,vt di-
scamus in eo mala nostra corrigere.

ANNOTAT. I.

Expenditur obiter nonnulla circa mores ad prædicta verba textus.

MVlta nobis in irato,& crudeli Pha-
raone vitanda proponuntur ; hoc
A enim peculiare habet iræ vitium, quod si
in alio illud perspiciamus maximè dete-
standum apparet , sicut bene prosequitur
D.Chrysostom.homil.3. in cap.1. Ioan. vbi
sic ait. Vis ne manifestè intelligere quan-
tum mali afferat iracundia? Adsis cum ali-
quando quispiam rixatur, neque enim in
temetipso facile hanc posses deprehende-
re turpitudinem,tenebris,& ebrietate ra-
tione obuoluta, sed cum tui tibi affectus
non dominantur , tunc in aliis rem tuam
planissimè cognoscas licet , tunc incor-
B ruptè , & verè iudicare poteris. Videbis
namque iratos non secus, ac insanos tur-
piter in medium præcipites ferri. Cum
enim circa præcordia ira efferbuerit , os
ignem emittit,tota inflatur facies,incom-
positæ manus mouentur , ridiculè prosi-
liunt pedes , monitoribus , & rixam diri-
mere conantibus insultant, in eósque nul-
la ab insanientibus differentia irruunt ; &
cum hæc faciunt,tanquam amentes nihil
sentiunt, nihil intelligunt , sed asinorum
more calcibus , morsibúsque inuicem in-
C sultant , & profectò iracundia percitus
nullum neque decorem seruare potest,ne-
que modestiam. Hi igitur homines post
hanc ignominiam,& domum ad se reuer-
si,dolore simul anguntur,& metu,cum in-
telligant quos læserint , quos furoris , &
insaniæ suæ testes habuerint , quippe qui
in illo furore non secus ac mente capti,
quid faciant non aduertunt:cum ad se re-
dierint, tum demum omnia secum repu-
tant,num amici,num inimici ei insanien-
ti affuerint, num viderint , pari enim ra-
D tione vtrósque formidant, alios tanquam
reprehensores, & eos , quorum præsentia
magis sibi erubescendum sit : alios tan-
quam ipsorum malo, & ignominia pluri-
mum gaudeant. Sic ille docet quomodo
in aliis iram , & iræ amentiam effugere
possimus , quandoquidem , & ipsi etiam,
qui ira correpti in magna incidunt præci-
pitia, cum postea ad mentem redeunt, &
pœnitent,& corriguntur, vel sola cogita-
tione præcedentis insaniæ.

Liceat proinde veluti in tabula iratum
E Pharaonem contemplari, & sigillatim ri-
mari. Primo igitur sese loco offert colla-
tio inter verba impij Pharaonis , quæ tot
mala sonant,cum verbis Christi Seruato-
ris,de quo *Petrus* dixit. *Verba vitæ æternæ* *Ioann. 6.*
habes, erat enim quasi fauus mellis in ore *num. 68.*
Christi, vel sermo Christi, quemadmodũ
in ore illius leonis quem occidit Samson,
repertus est fauus mellis,sicut interpreta-
tur *D.Prosper l.de Promiss.p.2.c.1.*

Cæterùm illam omittamus comparationem, cum nulla prorsus admittenda sit, & diffusam gratiam dixerit Dauid in labiis Christi, eam tamen præclarè ibi innuit *August.* dicens. *Diffusa est gratia in labys tuis, venit nobiscum verbi gratia, cum osculo gratiæ. Quid ista gratia dulcius? Quo pertineret gratia ista, si futurus Iudex veniret, nec afferret illam gratiam diffusam in labys suis, quis de salute aliquid speraret? Quis non sibi hoc timeret, quod peccatori debebatur? Ille veniens cum gratia, non exegit quod debebatur, soluit quod non debebat. Num enim non peccator debebat mortem? Aut vero tibi peccatori debebatur nisi supplicium? Debita tua dimisit, & indebita sua exoluit, magna gratia, quare gratia? Quia gratis.* Hæc *August.* ex quibus facilè deducitur summa impietas Pharaonis, in cuius labiis mors, persecutio, & spoliatio resonabat.

Psal. 44. num. 3.

Hoc igitur omisso, illud sese primum notandum offert Pharaonem proprio nomine non appellari, sed inimicum dici, quia ab homine degenerauerat, & à Rege, & in inimicum transierat, namque homo est, quem describit *Ambros. de dignitate conditionis humanæ cap.* 3. cum ait. Deus Creator, qui hominem ad similitudinem suam creauit est charitas, est bonus, est iustus, patiens, atque mitis, mundus, & misericors: ita homo creatus est, vt charitatem haberet, vt bonus esset, & iustus, vt patiens, atque mitis, mundus, & misericors foret: Cum ergo impatiens esset Pharao, crudelis, & tyrannus non iam nomine hominis appellatur, sed inimicus tantummodo, quia ab homine in inimicum transierat; neque etiam Rex nominatur, quia Rex nobiles, ac beneficos, & liberales spiritus debet induere, non latronis, aut carnificis, quales his verbis ostendit Pharao, in quam sententiam notauit *Lipoman. in sua catena ad Exod.* Deum solere magnos quosdam, & admirabiles, & regios animi motus in illis inserere, quos ad imperia designauit, sic enim Moysem elegit in ducem, & principem gentis Hebrææ, postquam pro libertate cuiusdam de Hebræis fratribus suis sese periculo obtulit, & Ægyptium percussit, ac deinde pacem voluit suadere percutienti Hebræum, & facienti illi iniuriam, vbi eleganter aduertit *Isid. Pelusiota epist.* 70. Deum summam curam adhibuisse examinandi Moysem in omnibus iis quæ ipsum postea mittere constituerat, cum enim Moyses futurus esset dux populi Israëli-

Exod. 2. num. 12. Suprà, num. 13.

A tici, & deberet iustitiam exercere, & simul zelum communis boni habere ad propulsandas iniurias, & pacem in populo conseruandam, iustitiæ specimen præbuit dum percussit, & occidit Ægyptium percutientem Hebræum: zelum autem communis boni, & pacis testatus est dum duos Hebræos rixantes voluit componere.

Quod si quis mortem illam illatam Ægyptio velit carpere, cum *D. Hieronym. epist. 141. ad Damasc.* cui aliquando consentit *Augustin. lib. 22. cont. Faust. cap.* 70.
B Qui tamen hac in re communiter non recipitur, de qua videndus *Perer. disput.* 10. *in cap. 2. Exod.* Adhuc tamen in ea id quod asserimus repetit idem *August.* nempe indolem virtutis, & magnitudinem animi, & zelum iustitiæ, sic enim habet: *Animæ virtutis capaces, ac fertiles præmittunt sæpe vitia quædam, quibus indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ, sic enim, & agricola quam terram viderint, licet inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam*
C *esse pronunciant: & vbi felicem aspexerint, licet eradicandam censeant validis viribus habilem intelligunt; & quem montem oleastris sylvescere aspexerint, oleis esse vtilem, cultura accedente, non dubitant. Similiter igitur animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem, non seruato ordine potestatis, inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Consimili etiam ratione Petrus*
D *euaginato gladio volens defendere Dominum, aurem persecutoris abscidit, quod eius factum Dominus satis minaciter cohibuit dicens: Recondе gladium, qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet, quid ergo incongruum si Petrus post hoc peccatum factus est pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptum factus est Rector illius synagogæ? Vterq; enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate, iustitiæ regulam excessit, vterq; odio improbitatis alieno, sed ille paterno, iste Domi-*
E *nico, licet adhuc carnali, tamen amore peccauit, resecandum quidem hoc vitium, vel eradicandum fuit: sed tamen tam magnum cor tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum erat.* Sic Augustinus.

Mat. 26. num. 56.

Hoc etiam dixit *Seneca libro 2. de ira cap.* 15. vbi ait. Quædam non nisi melioribus innascuntur ingeniis, sicut valida arbusta, & læta, quamuis neglecta tellus

tellus creat, & alia fœcundi soli sylua est, itaque & ingenia natura fortia iracundiam ferunt, nihilque tenue, & exile capiunt ignea, & feruida, sed imperfectus ille vigor est, vt omnibus, quæ sine arte ipsius tantum naturæ bono exurgunt, sed nisi cito domita sunt, quæ fortitudini apta erant, audaciæ, temeritatique consuescunt.

Itaque tibi sæpe bonam indolem in malis quoque tuis ostendam, sed non ideo vitia non sunt, si naturæ melioris indicia sunt, Sic ille. Deinde etiam, & specimen præbuit Moyses præcellentis animi, & præclaræ virtutis principe viro dignæ, dum liberauit filias sacerdotis Madian ab impiis pastoribus, qui eas eiecerant, postquam impletis canalibus volebant adaquare greges patris sui, eis itaque defensis, adaquauit oues earum, quo audito Iethro accersitum Moysem domi recepit, & maritum tradidit Sephoræ filiæ suæ, vbi *Gregorius Nyssen. libro de*
Exod. 2. *vita Moysis*, agnoscit summam Iethro
num. 16. prudentiam, qui ex hoc facto animum, ingeniúmque Moysis satis laudabile, & ad magnas res prometendas aptum coniectauit, quem enim neque præmium, neque facti laus ad puellarum defensionem minimè poterat impellere, non nisi iniuriarum impatientia, & naturalis zelus iustitiæ, ac præcellens animi magnitudo ad id adigere debuit. Vnde *Diuus Basilius homil.* 1. *hexameron* ait. *Sic erat Moyses natura suapte compositus, vt summo semper amore iustitiæ, & æqui fuerit obseruans, ac tenax, quando vel priusquam principatus populi ipsi esset concreditus, tam ad totius improbitatis odium natura propendebat, vt ad necem vsque de his vltionem expetiuerit, qui iniuriam proximo priores intulerant.* Sic ille.

Idem etiam zelus apparuit in Phinee
Num. 25. quando perfodit virum, & mulierem im-
num. 8. pudenter coeuntes, regia etiam fortitu-
Eccl. 47. dine, sicut ait Eccles. *Cum leonibus lusit*
num. 3. *quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium in iuuentute sua, nunquid non occidit gigantem, & abstulit op-*
1. *Reg.* 17. *probrium de gente? Sic in decem millibus*
nu. 34. & *glorificauit eum, & laudauit eum in bene-*
num. 44. *dictionibus Domini.* Vnde *D. Ambros. in*
1. *Reg.* 18. *apolog.* 1. *Dauid cap.* 6. ait. Diuino electus
num. 7. examine statim probauit se indignum non esse tanto iudicio, processit in prælium, & trepidantibus cæteris, solus Goliam verborum iactantia, & inanis corporis mole terribilem concurrente simul

A fide, ac virtute prostrauit, vnius fortitudo facta est vniuersorum victoria, & forte ea ratione à diuina prouidentia datus est gigas ille Goliat, vt eximia virtus Dauidis digna plane imperio eluceret, sicut dixit *August.* 15. *de ciuitate cap.* 13. Gigantes propterea creari placuit, vt ostéderet non solum pulchritudinem, verum etiam magnitudinem, & fortitudinem corporis non magni pendendam esse sapienti, & *lib.* 50. *homiliar. homil.* 6. *Armatus est Dauid, vt quoniam ætate & viribus impar erat quasi*
B *armis par esset, sed arma vetera, quæ potius onerabant, quam adiuuabant, abiecit, &c.* Sic ille. Voluit enim Deus vt illi tota victoriæ gloria tribueretur, quem constituerat Regem creare, & proinde ante Regem specimen, & animum in liberatione Israëlis debebat præbere, vt inde iam ostenderetur futurum tandem esse vt Palæstinos, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Damascenos, Syrios, atque alios vicinos populos sibi deuinceret, & vectigales regno Israëlis faceret, traiectóque Euphra-
C te, Mesopotamos superaret, qua de re videndus *Ioseph.* 1. *antiquitat. cap.* 7. & *seqq.* Sic de Cyro qui primus Persarum Monarcha diuinitus fuit destinatus, dicitur puerilibus annis puerilem Rempubl. inter pueros eiusdem ætatis gubernasse ad instar Regis prudentissimi, rebelles, & inobedientes castigando, ita vt cum Rex Astiages eum reprehenderet, quòd cum ipse patre seruo natus esset, nobiles, & generosos castigasset; constanter respondit, se illud fecisse vt Regem.

D Hine est quod quamuis Saül electus esset à Deo in Regem, non est tamen prius à populo Rex acclamatus, quam aliquid Rege dignum, regiúmque fecisset etenim
1. *Reg.* 11. dixerunt omnes viri Iabes ad 1. *Reg.* 11.
Naas. *Habeto nos fœderatos & seruiemus* *num.* 1.
tibi. Et respōdit ad eos Naas Ammonites, in hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponamq́; vos opprobrium in vniuerso Israël. Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis, & locuti sunt verba hæc audiente populo, & leuauit omnis
E *populus vocem suam, & fleuit, & ecce Saül veniebat sequens boues de agro, & ait. Quid habet populus quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes, & insiluit spiritus Domini in Saül cum audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis, & assumens vtrumque bouem concidit in frusta, misitq́; in omnes terminos Israël per manū nuntiorum dicentis: quicumque non exierit, & secutus fuerit Saül, & Samuël sic fiet bobus eius:*

& cum dies crastinus venisset constituit Saul populum in tres partes, & percussit Amon vsque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter: & ait populus ad Samuelem, quis est iste, qui dixit Saul num regnabit super nos? Date viros & interficiemus eos, & perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino. Vbi notandum venit non fuisse tunc constitutum Regem Saul quando à Samuele vnctus est, sed quando regium animum in liberandis afflictis fratribus B ostendit, & in expugnandis persecutoribus tyrannice in viros Iabes sæuientibus, quod dixit *Iosephus libro 6. antiquitat. capite 5. & 6.* his fermè verbis. Tunc Sauli nomen apud omnes Hebræos inclitum redditum, fama longè lateque fortitudinem viri celebrante. Dignum itaque se præbuit, qui ab omnibus Rex acclamaretur, qui publicum defensorem se præbuit, & liberatorem exhibuit, quod maximè pertinet ad Reges, & principes viros, vnde à Rege planè excidit, & declinauit C Pharao dum velut latrunculus spoliaturus innocentes Hebræos insequitur, & persecuturum minatur, séque totum odio, & auaritiæ, ac crudelitati subdit velut seruus, cum tamen is, qui alios regere debet, seipsum prius regere oporteat, quod ostendit *Philo in vtroque moderatore Reipubl.* Israëliticæ, Ecclesiastico, scilicet, & secular Moyse nempe, & Aarone; in hoc enim sensu interpretatur rationale Summi Sacerdotis, quod in pectore deferebat, sic verò habet *lib. 2. leg. allegor.* Hominis D sic dispositi vis irascibilis regetur, & à ratione purgata, puráque à brutis affectibus, & à doctrina sanante obscuritatem, confusionémque, & à veritate retegente mendacium, ergo Aaron, vt alter Moyses exciso pectore, hoc est ira, non sinit eam efferri impetu, absque iudicio, veritus ne quando sibi ipsi permissa in equi morem exultans totam proculcet animam: sed curat, refrenátque primum ratione, vt sub auriga optimo discat non admodum habenas contemnere: deinde, & rationis E virtutibus, doctrina, veritatéque, si enim sic eruditur ira, vt, & rationi cedat, ac doctrina, & non mentiri assuescat, tum seipsam liberauit ab efferuescentia nimia, tum animam totam reddet placidam. At Moyses totam iram, & resecandam censet ex anima attestatur his meis verbis

Leuit. 8. sanctissimum Oraculum: *Sumptum*, in-
num. 29. quit, *Moyses pectusculum separauit, vt offerret coram Domino de ariete consecrationis, & obtigit Moysi in portionem suam.* Valdè pulchrè, illum enim virtutis, Deique amatorem decebat considerata tota anima pectus desumere ex ea, quod ad iracundiam pertinet adimereque id, & abscindere, vt exacta parte bellaturiente de cætero anima in pace degeret, aufertur autem non à quouis animali, sed ab ariete consecrationis, est enim animal natura corrupetum, iracundum, & assultorium quapropter, & fabri machinarij plerumque inter instrumēta oppugnationis vtuntur arietibus, sic, & in nobis arietinum assultorium indomitum quiddam est. Hoc igitur litigatricis contentiosæque animæ superfluum germen iracundum merito Propheta excecat, vt sterilis facta desinat noxias res parere, fiatque inde portio conueniens amatori virtutis, non pectus, aut ira, sed horum priuatio, hanc enim optimam portionem Deus sapienti tribuit, posse affectiones excidere. Hæc *Philo.* Ex cuius verbis colligitur principi, & gubernatori Reipubl. conuenire maximè iram, & odium cauere, excidere, & longè proiicere, proindeque cum Rex Pharao ira percitus, & odio incensus contra ius, & rationes seruos Dei persecutus fuerit, & spoliare constituerit, meritò neque appellatur Rex, qui iræ, inimicitiæ, & odio se totum dederat, cum illis deberet potius imperare, neque etiam homo, qui homines deberet potius diligere, alioqui notæ hominis, ac Dei similitudines prorsus in eo, qui aliis inimicus est abolentur, sicut dixit *Gregor. Nyssen. lib. de opificio hominis, cap. 5.* His verbis; si mortuus amor in nobis desideretur totius imaginis notæ, mutatæ erunt, vt scilicet is, qui homo, & per consequens amicus diei debet, dicatur potiùs inimicus, sicut in præsenti videmus.

Illud deinde hoc in loco notandum occurrit, quanta scilicet securitate impius Pharao de inferendis malis cogitauerit, & absque vllo Dei timore fuerit locutus, quod diuinam iracundiam maximè irritat, nam sicut dixit *Chrysost. hom. 6. in c. 2. Matth.* Non ita peccantes auersatur Deus, quam eos, qui post peccata securi sunt, imò, & qui ante peccata de eisdem perpetrandis securè cogitant, & loquuntur, & hoc fuit, quod prudens Abigail precabatur inimicus Dauid cum dixit: *Nunc fiant* 1. *Reg.*
sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt 25. *n.* 26.
Domino meo malum. Cuius imprecationis vis in eo consistere videtur, quod Nabal liberè

liberè locutus est contra Dauid, & post- A
quam iniuste negauerat illi cibaria, quæ
ipse promeruerat, cum deberet domus
subuersionem, mortémque timere: *Erat
ei conuiuium in domo, quasi conuiuium Re-
gis, & cor Nabal iucundum, erat enim
ebrius nimis.* Instar igitur Nabal sunt il-
li, qui liberè contra Deum loquuntur, &
illius seruos persequi statuunt, & lætan-
tur in rebus pessimis, sicut Pharao in præ-
senti. Quam etiam impiam securitatem
cernere possumus in impio proditore, qui
ad vocem Domini dicentis: *Vnus vestrum* B
me traditurus est, minimè retardatus, &
cum cæteri discipuli pertimescerent fra-
gilitatem propriam, & nouissent nihil ta-
le de magistro, aut contra ipsum cogitas-
se, plus tamen ipsi credentes, quam sibi,
Mat. 26. num. 26. tristes interrogant de peccato: *Nunquid
ego sum Domine?* Ipse tamen venditor,
imò, & venditus, vt faceret iniquitatem,
impudenter, & securè intingit manum in
catinum, cibúmque sumit absque eo, quod
illi faucibus adhæreret, quod expendens
D. Hieronym. ibi ait. O mira Dei patien- C
tia, primum dixerat, vnus vestrum me tra-
diturus est, perseuerat proditor in malo:
manifestius arguit, & tamen nomen pro-
priè non designat. Iudas cæteris contrista-
tis, & retrahentibus manum, & interdi-
centibus cibos ori suo, temeritate, & im-
prudentia, qua proditurus erat etiam ma-
num cum magistro mittit in paropsidem,
nec primò, nec secundò, à proditione re-
trahit pedem, sed patientia Domini nu-
trit impudentiam suam, pœna prædicitur,
vt quem pudor non vicerat, corrigant de- D
nunciata supplicia, & ne tacendo se pro-
dere videretur, & ipse interrogat, *Nunquid
ego sum Rabbi?* Et blandientis iungit af-
fectum. Ex eo autem prius cogitat, & lo-
quitur Pharao de infligendis malis, & per-
petrandis iniquitatibus, vt magis prodat
malitiam suam, nam casu malum inferre,
licet culpabile sit, potest nihilominus ali-
quam excusationem sortiri, iracundiæ sci-
licet vel prouocationis: at verò consul-
to, & praua meditatione, de inferendis
malis proximo deliberare, id profectò dia- E
bolicum est, quod prosequitur *Basil. in
Psalm.* 1. cum explicat beatitudinem il-
lius: *Qui non abijt in consilio impiorum, &
in via peccatorum non stetit.* Beatitudinis,
inquit ille, & nihil cogitasse, aut proposi-
to destinasse exequi, quod sit malum. Si
autem per inimici insidias impietatis con-
Prou. 11. silia inieris, in peccato noli persistere. Et
num. 21. in hoc sensu videtur dixisse Salomon: *Ma-*
A *nus in manu, non erit innocens malus*, seu,
vt in *Hebræo* habetur: *Manus ad manum*,
vt sit sensus. Cum malus manum ad ma-
num alterius extendit, vt manibus datis,
& consilio inito, malum operetur, non
erit innocens, idest, impunitus, hoc enim
velut malum execrandum Deus detesta-
tur, vt patet in prima mundi punitione per
vniuersale diluuium, nam si illius causam
inquiramus, eam apertè tradit Scriptura
dicens: *Videns Deus, quod multa malitia* *Genes. 6.*
hominum esset in terra, & cuncta cogitatio *num. 5.*
B *cordis intenta esset ad malum omni tempo-
re, pœnituit eum quod hominem fecisset in
terra*, vbi *Theod.* ait. Non simpliciter pec-
cata eorum tanta, sed studium iniquita-
tis non iniquitatem reprehendit, quasi id
Dominum impulerit ad puniendos vni-
uersos homines, quod non iam impetu,
ira, prauáque aliqua affectione ad ope-
randam iniquitatem adducerentur, sed da-
ta opera, & præhabito consilio, prauiá-
que meditatione in peccata sese effunde-
bant, quod extremæ nequitiæ euidens ar-
C gumentum est, sicut videre licet in Pha-
raone, qui præmeditata mala, & apud se
constituta loquebatur, & ideò fortassis sa-
cer textus præmisit supplicium à Deo illi
illatum, & iterum retulit post præsentia
verba, vt colligeremus hanc præmedita-
tionem, & prædictionem Deum prouo-
casse ad inferendum extremum suppli-
cium impio Regi liberè prædicenti, & im-
pudenter præmeditanti.

ANNOTAT. II.

De odio inimici hominis.

ILlud deinde sese nobis expendendum
offert, Pharaonem non iam nomine
proprio appellatiuo-vè Regis à sacro tex-
tu indicari, sed sumpto ab odio, & inimi-
citia, qua in Israëlitas deflagrabat. Teti-
gimus superiori annotatione huius rei ra-
tionem, ex eo deductam, quod Rex mini-
mè appellandus esset ille, qui seipsum re-
gere, & componere minimè nouit, cum
E id præ omnibus deberet, & quia ad hunc
locum pleniorem huius rei probationem
reseruauimus, eam ex eo deducimus, quod
notauit Eliseus, quando Elia per turbi-
nem in cælum abeunte exclamauit de
terra dicens: *Pater mi, pater mi, currus Is-* *4. Reg. 2.*
raël, & auriga eius, vbi appellat Eliam *num. 12.*
& currum, qui regitur, & aurigam, qui re-
git, vt ostenderet eum optimi Principis
munia expleuisse, qui non solùm alios

prudenter regeret, sed etiam seipsum sciret optimè ducere; & Deo parere nouisset, quod optimè aduertit *Lyran. in cap. 9. lib. 1. Reg.* cum ait. Curtus qui ducitur hic ponitur primò, & auriga, qui ducit secundò, ad ostendendum quod ille bene ducit regendo, qui fuit primò ductilis in obediendo, nam sicut dixit *D. Bernard. Epist. 42.* dedignatio subiectionis, prælationis reddit indignum, videant in vobis subditi, quod redhibeant, beatus ille Centurio: *Ego*, inquit, *homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Dicturus quippe habens sub me milites, præmisit, homo sum sub potestate constitutus, prius se agnouit hominem, quam potentem. *Homo*, inquit, *sum*, & homo *sub potestate*, iam quidquid subinferat suspectam non habemus iactantiam, reuera quia non confusus est de subiectione, iure ex prælatione meruit honorati. Non erubuit super se potestatem, & ideò dignus, qui haberet & sub se milites. Fortè non ignorabat, quod subiecto sibi homini, Deus omnia subiecerit sub pedibus: offendenti se, infensa reddiderit. Sic ille. Præfecturus igitur Deus hominem cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, prius eum rationi voluit subditum, sibique per impositum obedientiæ præceptum subiecit, cum dixit: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Deinde verò adduxit animalia ad Adam: *Vt videret quid vocaret ea*, qua in re illorum dominum eum constituit, sicut probat *Chrysost.* ibi *homil.* 14. Nam ius imponendi nomina ad dominos spectat: antequam igitur animantium imperium Adæ committeret, obsequium, & obedientiam ab eo postulauit, quia verò illam Deo, & rationi præstare nesciuit, dominium, & imperium veluti ineprus ad illa exercenda diuinitus amisit. Et ideò *Gregor. lib. 35. Moral. cap. 13.* ait. Adam, quia authori suo esse subditus noluit, ius carnis suæ, quam regebat amisit; vt in seipso inobedientia sua confusio redundaret, & superatus disceret quod elatus amisisset.

Matt. 8. num. 9.

Genes. 2. num. 26. Supra n. 19.

Hæc est ratio cur Dauid, postquam Reges intelligere, & erudiri iubet, exponens in quo hæc intelligentia, & eruditio versaretur addit. *Apprehendite disciplinam*, in fonte verò habetur: *Osculamini filium*, quod iuxta veterem ritum adorandi modum continet, olim siquidem adoratio fiebat per osculationem manus, sicut prosequitur *D. Hieron. in cap. 31. Iob, & in c. 13.*

Psal. 2. num. 12.

A *Oseæ*, vt sit sensus. Si vultis erudiri, & edoceri circa tractandum gubernaculum, & moderandam Rempubl. Deo obedientiam exhibete, incipiátque regimen à vobismetipsis.

Meritò proinde Moyses eum, qui contra rationem, & contra Deum insurrexerat, seruos Dei iniustè persequendo, non Regem vocat, qui se minime regere nouerat, sed solummodo inimicum prædicat, & fortè etiam hanc nomenclaturam illi indidit, quia nullus maiori cum ratio-
B ne potest dici inimicus, quam homo, cuius atrocissimum est odium, & infestissima inimicitia.

Hæc est ratio cur Christus Dominus volens nobis proponere, quo odio, & maleuolentia diabolus Ecclesiam insectetur, & nitatur vnitatem doctrinæ, & animorum disrumpere, & perdere proposuit parabolam de homine, qui bonum semen seminauit in agro suo, in quo superueniens *inimicus homo, superseminauit zizania in medio tritici.* Appellatur autem
C diabolus eo in loco, inimicus homo, cum ipse homo non sit, vt melius exprimeretur odium, & furor, quo diabolus in nos debacchatur, nullum enim maius odium reperitur, quam hominis, qui præ omnibus, modisque omnibus, & horis persequi solet, & odisse.

Matt. 13. num. 25.

Hæc etiam fuit ratio cur non monuerit discipulos, vt se ab aliis inimicis seruarent, sed à solis hominibus cauerent tanquam ab iis, quorum odium, & inimicitia acerbior, & periculosior erat, dixit
D enim: *Attendite vobis ab hominibus*, vbi *Author operis imperfecti*, ait. Dixit attendite vobis ab hominibus, quasi à quibusdam pessimis malis, & super omnia malis, nam si non quasi homines accusans dixisset, sufficeret illi dicere, attendite vobis, tradent enim vos. Nunc autem addidit; *Attendite vobis ab hominibus*, ostendere volens, quia præ omnibus malis homo est pessimum malum: nam si bestiis comparare volueris eum, peiorem inuenies: bestia enim quamuis sit crudelis, ta-
E men quia est irrationabilis, declinatur ab homine crudelitas eius; homo autem crudelis cū sit, & rationabilis, non facilè euaditur crudelitas eius, si comparaueris hominem serpenti, peiorem inuenies hominem, quoniam serpens, & si malitiam habet, tamen hominis timorem habet. Ideò si quem absconsè potuerit, mordet: si autem non potuerit, fugit, homo autem, & malitiam habet serpentis, & timorem

non

non habet ficut ferpens, ideò quando non habet tempus, latet ficut ferpens: fi autem inuenerit, irruit ficut beftia, adhuc autem anguis, fi quidem irritata fuerit fæuit: fi autem irritata non fuerit in filentio tranfit; homo autem, & non irritatus infanit, & magis fuper illos infanit à quibus non fuerit irritatus, & vt breuiter dicam vnaquæque beftia, vnum habet, & proprium malum, homo autem omnia habet in fe. Denique homo malus peior eft, quam ipfe diabolus, diabolus enim fi videat iuftum non eft aufus ad eum accedere, homo autem malus quamuis hominem fanctum viderit, non folum illum non timet, fed adhuc magis contemnit. Sic ille, ex cuius doctrina poffemus odium Pharaonis aperte elicere, cui, & fumma poteftas timorem omnem exuit, vt audaciter manum validam compararet, & innata fæuitia irritauit, vt feruos Dei perfequeretur, & in crudeliffima verba prorumperet.

Agnouit hanc hominum naturam Pharao dum ex fe cæteros iudicat, ac metitur: nam poft octauam plagam locuftarum feftinus Pharao vocauit Moyfem, & Aaron, & dixit eis: *Peccaui in Dominum Deum veftrum, & in vos, fed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum veftrum, vt auferat à me mortem iftam:* vbi ipfe fatetur peccatum fuum, fed non ex corde, commiffum, & in Deum, & hominem, cúmque prius dicat, & rectè fe peccaffe in Deum, deinde in homines, prius veniam precatur ab hominibus, quam à Deo, vt pote qui ex fe alios penfabat, faciliúfque arbitrabatur Deum precibus hominum fore placandum, quam hominem qui pertinaci odio tabefcens difficilius è corde illud dimittit, vt indulgeat, & obliuifcatur iniuriarum, proinde prius veniam ab hominibus poftulat, & requirit, certus vtique Deum folita benignitate offenfas facilè condonare, & peccata dimittere.

Exod. 10. num. 16.

Neque verò difficultatem ingerat, quod impiiffimus Rex veniam precatur à Moyfe, quem facilè poffet occidere, fi tanto odio in eum flagraffet: huic enim obiectioni occurrit *Pererius* hoc in loco dicens, quod fi Rex ille fuo iudicio, & arbitrio relictus fuiffet, eum iam iuffiffet occidere, fed Deus aut mentem eius ab ifta cogitatione, & confilio prorfus auertit, aut ei ingentem incuffit metum, penitus perfuafo, fore, vt fi Moyfem, vel attingere auderet, vt confeftim ab eo interimeretur.

A Etenim cum videret Moyfem tantum habere ius, poteftatémque perdendi quælibet, merito debuit timere, ne fi eum offenderet, poteftatem ve fuam in eius exitium, perniciémque conuerteret, & exerceret, neque enim credendum eft de homine inimico, quod fi fuo relinqueretur odio intactum relinqueret Moyfem, & eius vitæ parceret, cuius morte delectabatur etiam minitando, tale verò odium hominis atrociffimum effe folet.

Pro qua re notandus venit locus ille, B vbi Propheta Gad venit ad Dauid, & dixit: *Elige, quod volueris, aut tribus annis peftilentiam, aut tribus menfibus te fugere hoftes tuos, & gladium eorum non poffe euadere, aut tribus diebus gladium Domini, & Angelum Domini interficere in omnibus finibus Ifraël. Refpondit Dauid: Ex omni parte anguftiæ me premunt, fed melius mihi eft, vt incidam in manus Domini, quia multæ funt miferationes eius, quam in manus hominum.* Vbi vides Dauidem noluiffe incidere in manus hominum, fed potius C in manum Dei percutientis gladio fuo per manum Angeli; & præter rationem, quam Dauid affert, aliam inuenit *Hieron. in tradit. Hebr. ad lib. Paral.* vbi ita ait. Hic quod terribiliter pofitum eft primum de gladio Domini, temperatur, dum dicitur, & Angelum Domini, non in manu hominis: vt flagellum eius non effet in manu hominis: Angelus enim erat percuffurus, ficut poftea apparuit Dauid. *Leuans enim Dauid oculos fuos vidit Angelum Domini ftantem inter cœlum & terram, &* D *euaginatum gladium in manu eius verfum contra Hierufalem.* Terribilis vtique apparuit Angelus, fed terribilior appareret homo, fi euaginatum gladium haberet, quandoquidem nulli omnino parceret, & ideò quod horrendum videretur in hoc fupplicio fi infligendum foret per manum hominis, temperauit diuina mifericordia, vt affolet, tradens gladium punientem Angelo potius, quam homini, huius enim crudelitas nullo prorfus fatiatur fanguine, nullam intactam relinquit domum, E vel ætatem, nulli proculdubio amicus; omnibus profectò inimicus Vide fi pepercit fratri, teneræ adhuc ætatis, fed eximiæ iam virtutis, admirabilifque pulchritudinis nempe Iofepho, vnde fenex pater nihil tam immane fufpicatus, vidês tunicam fanguine hædi intinctam ait. *Fera peffima comedit eum, beftia deuorauit Iofeph,* vbi *Rupert. lib. 8. cap. 25.* ait. Neque hoc dicens falfus aut mentitus eft, talis namque

1. Paral. 21. n. 12.

Supra num. 16.

Gen. 37. num. 34.

namque sæuitia cum leone, & vrso ferè, aut bestiæ vocabulo rectissimè æquiuocari potest, addit verò *Rupert.* vt constat ex textu: senem patrem rei omnino inscium noluisse à filiis accipere consolationem, quia lacrymæ patris quandoquidem vulneratam cordis venam inuenerunt, fræno laxato currebant, nec retineri adiunctis habenis poterant, quia forti impetu sese excusserant. Verum lacrymæ fratrum conclusæ erant, nec leniter quamuis calcaribus vrgerentur, erumpere volebant: quomodo proinde ab eis potuit accipere consolationem à quibus tristitiç causa tota promanarat, & in quibus sola crudelitas residebat.

Hanc etiam cernere possumus in eo, quod contigit Danieli, quãdo Rex etiamsi posuerit cor suum, vt liberaret Danielem ab impiis calumniatoribus non potuit: *Sed missus est in lacum leonum, & allatus lapis vnus, & positus super os laci: quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo Primatum suorum, ne quid fieret cõtra Danielem.* Mirari quisque meritò potest, cur sacer textus dicat obsignatum lacum, ne quid fieret contra Danielem: quid enim amplius potuit contra Danielem fieri, qui in lacum leonum ab eisdem dilaniandum, & deuorandum missus fuerat, & quis potuit crudelior reperiri famelicis leonibus ad quos mittebatur Daniel, vnde propter eum contristatus Rex, neque comedit neque dormiuit ea nocte? Scio ego hoc in loco aliquos recentiores interpretes nimium loco Hebrçorum amantes illud: *Ne quid fieret contra Danielem,* sic exponere: ne Rex, qui nimis propensus in Danielem videbatur, vt diximus illum extraheret, quasi hoc non Regis consilio, metu principum, sed principum instigatione factum fuerit. Cæterùm ad nostrum institutum, meliorem & solidiorem habeo expositionem *Hierony. Theod. Mald. & Rabbi* Saadiæ, qui id prudentissimo Regis consilio factum asserunt, ne principes, si viderent à leonibus non interfici, mutata voluntate, non iam leonibus occidendum obiicerent, sed ipsi occiderent, si vero quæras, cur præter sigillum Regis, sigilla etiam Principum fuerint adhibita? Id certè à Rege summa prudentia factum est, ne speluncam propter eos obsignare videretur, nisi etiam Medorum fortassis mos fuit, vt quæ publicè fiebant, non solum Regis, sed etiam Principum annulis signarentur, quod in rebus grauioribus apud plures nationes fieri consueuit.

Dan. 6. num. 14

Audiamus ergo *Hieron.* pro nostro argumento, sic rem discutientem. Obsignauit annulo suo lapidem, quo os laci claudebatur, ne quid contra Danielem molirentur inimici: credit enim eum Dei potentiæ: & qui de leonibus securus est, de hominibus pertimescit. Obsignat autẽ, & annulo optimatum suorum, ne quid suspicionis contra eos habere videretur. Hic *Hierony.* ex cuius sententia crudeliores leonibus, immaniores feris, inhumaniores bestiis, homines reperiuntur, quorum de odio securiores profectò sunt, qui inter leones degunt, quam, qui inter homines, vnde *Plin. lib. 8. cap. 16.* Captiuam fœminam refert inter leones, liberatam precibus tantummodo fuisse, dicendo scilicet se fœminam profugam, infirmam, supplicem, animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantis indignam eius gloria prædam, inde etiam conclusa, & obturata leonum ora ne tangerent Danielem, quem aperta hominum ora clamantia præ odio, & postulantia extremum supplicium in lacum, & in prædam leonum ipsum, vel inuito Rege immiserant.

Non vulgare huius rei exemplum nobis in Samsone adest contemplandum, quem fœmina ab ipso summè dilecta inimicis comprehendendum tradidit, cuius odium in præsentem doctrinam sic prosequitur *Ephram tom. 1. serm. aduersus improbas mulieres,* dicens. Quæ vnquam bestia, dic mihi, in maritum suum talia exercuit? Quæ dracæna coniugem proprium interimere voluit? Quæ vnquam leæna suum maritum ad cædem tradidit? & cætera, quibus habet similia de iudicio, & retributione, & *Chrysost. homil. 15. ex varys in Matth.* Muliere, inquit, leo, & draco in malo inferiores sunt. Cetus Ionam iuuentute custodiuit, Dalila autem Samsonem circumuentum illecebris, raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit, vt virtute crinili, & decoris oculis spoliatus ludibrio foret hominibus, quibus fuerat ante terrori, cum his captiuus molit, quibus dominabatur inuitus, scio ego, & aspides blandimentis incantantium mitigari, & leones, & tigres, & pardos, domita feritate, mansuescere. Mulier mala, & si iniuriam patitur, & si honorem accipiat, extollitur. Quid dicemus? Quibus odiorum causis displicuerat vxori? Forte non erat speciosus, & quis eo pulchrior sub illo tempore visebatur, qui septem crines sacrato vertice in septiformis gratiæ imaginem præferebat? An

verò

Iud. 14.

A verò non erat fortis, & contemptu ignauiæ spernebatur? Et quis illo fortior qui leonem terribilem viauti sibi obuium solus, & inermis inuictis manibus strangulauit,&, vt scriptum est, sicut hædum caprarum discerpsit? Sed præterea,& sanctus erat,atque in tantum sanctus,vt cum sitisset,post laborem pugnæ,in loco sicco deprecatus in defectu animæ suæ Dominum,statim ex ipsa maxilla,quam in manu tenebat, erumpente aqua, biberit, atque inde sitis æstu, ex eodem mortui pecoris osse, quo vicerat, refectus extinxe- B rit, & hunc tantum, & talem virum, & pulchritudine, & virtute, & sanctitate vxor sua, sicut inimicum decipiens alligans allophylis tradidit. Dic mihi quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Videndus item hac de re *Paulin.ad Cytherium in carmine, & Epist.4. ad Seuerum, & sanctus Orientius Illiberitanus in commonitorio, & Abbas Ioach.p.1.exposit.in Apoc.* Dolosè igitur,& per summam crudelitatem traditus Samson Philistæis,ipsum nequaquam occide- C runt, sed prius oculis effossis ad molam asinariam religauerunt: neque enim audiendi sunt, qui obscænam de hac mola exquisierunt interpretationem. Quærit verò *Abulens. ibi quæst.* 39. cur illi mortem non intulerunt, cuius vitam maximè execrabantur? Et respondet,quia reputabant completam vindictam, si eum occiderent,ideò conati sunt accipere eum viuum ad illudendum ei,& quamquam verba *Abulens.* expositione non soleant indigere, completam vindictam hoc in loco D intellige non satiatam,sed finitam omninò, & terminatam, cum enim insatiabile soleat esse humanum odium non tam facile compleretur, attamen terminum haberet vindicta, si vita Samsonis finiretur. Ideò ergo ipsum superstitem reliquerunt, vt diutius de ipso vindictam sumentes, obiectum, & materiam haberet odium, circa quod versari posset: iam vero nobiles, & potentes viri grauius, & acerbius ludibria,& iniurias sustinent,quam mortem ferant, cuius rei singulare habemus E exemplum ab eodem *Abulens.* annotatum. Etenim *postquam Philistym irruerunt in Saül, & in filios eius, & percusserunt Ionatham,& Abinadab,& Melchisua filios Saül,totumq; pondus prælij versum est in Saül,& consecuti sunt eum viri sagittarij., & vulneratus est vehementer à sagittarijs. Dixit Saül ad armigerum suum,euagina gladium tuum,& percute me,ne fortè*

Iud. 16. num. 21.

A *veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi.* Addit ergo *Abulens. ibi,quæst.*8.potius voluisse Saulem occidi, quam viuum illudi, quia pati ludibria grauius illi erat, quam mortem tolerare, hanc igitur iugem, & perennem mortem voluerunt Philistæi diu exercere in Samsonem, ne si semel extinguerent, materia odij exercendi, & crudelitatis sectandæ, non foret,etenim præcipiebant; *Vt vocaretur Samson, & ante eos luderet, qui adductus de carcere ludebat ante eos*, quæ B verba sic explicat *Abulens. quæst.47.in d. cap.16.Iudic.* Faciebat Samson aliquos ludos sicut insanus, impingendo in columnas:& potissimum,cum esset cæcus,& fortis lædebatur fortiter impingendo in parietibus,sicut dixit *Aristot.6.Ethic.in fine*, quod corpori cæco fortiter moto contingit fortius percuti,quam infirmo. Sic igitur ludebat, siue potius Philistæis ludus erat Samson, & hominis cæci, & quondam fortissimi incessus, aspectus, dicta, factáque omnia,etiamsi nollet,risum mo- C uebant, & quæ misericordiam elicere deberent, crudelibus Philistæis gaudium, & voluptatem, risus, & plausus ac cachinnos Samsonis miseria excitabat, egestas, cæcitas, deformitas, captiuitas, squalor, consputatio,diuerberatio,laceratio,mutilatio,excruciatio,excarnificatio,quia patiebatur is, quem oderant, æmulum, & hostem habuerant à quo multum iniuriæ detrimenti,contemptus, ac dedecoris acceperant,lætificabat, sic enim consueuere homines crudeles, vt prosequitur *Ouid.* D *lib.4. de tristib. Elegia 2.& lib.3.de pont. Elegia 3.* Ludorum, ac risuum materiam sua ipsius ærumna, & calamitate dabat Samson. Addunt vero LXX. explicationis causa,quod vel baculis eum percutiebant, vel colaphis eum cædebant, & alapas infligebant, nam, & has infligere habent in delitiis, ludis, ac ridiculis potentes,superbi,& crudeles,qualis ille,de quo *Gellius lib.20.cap.1.Luc.* Nerat.fuit egregiè homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat os E hominis liberi manus suæ palma verberare, cum seruus sequebatur crumenam plenam assium portans, & quemcumque depalmauerat, numerari statim, secundùm duodecim tabulas, quinque, & viginti asses iubebat.

1.Reg.31. num.2.

Ecce igitur cur Philistæi Samsonem captiui non illico occiderunt,sed diu occidendum seruarunt, vt populi arrogantia,gentis superbia, principum cupiditas,

A vulgi temeritas, commessationis crapula, petulantissimorum oculorum lasciuia, aurium prurigo, sannionum dicacitas, omnium denique improbitas aliquid semper iacularetur offensionis, & iniuriæ. Hæc fuit ratio, cur afflicti, & oppressi Israelitæ nimis, *Iud. 10. num. 15.* *Dixerint Domino: redde tu nobis quicquid tibi placet*, quæ verba sic obiter explicat *Ribera in Abac. 1. nu. 49.* Non per hostes nostros, sed per te ipsum plecte nos, quod etiam petebat Dauid: *Psal. 36. num. 13.* *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, idest B frameam, qua inimicos tuos punis, ne des in manus hominum, qui inimici sunt, nam sicut dixit Dauid: *2. Reg. 24. n. 14.* *Melius est in Dei manus, quam in hominum incidere*, qui manum leuare minimè nouerunt, donec omnia sæuiendo conficiant.

Neque etiam ablata vita finitur hominum odium, vt patet in Christo Domino, cui post mortem vulnus inflixit miles, vt Iudæis morem gereret, qui etiam mortuo vellent noua infligere vulnera, imò, & antequam illi vitam eriperent. C *Mat. 26. num. 67.* *Illuserunt, conspuerunt, & alapas in faciem eius dederunt.* Vbi *Chrysost. homil. 86. in principio*, ait. *Quamobrem hæc faciebant cum occisuri eum essent? Quid enim huiusmodi illusione opus erat? Et respondet: Crudeles eorum mentes in omnibus ostendunt, qui quasi venatores fera inuenta, sic violentia, & furore ferebantur, solemnitatem habere credentes, & ingenti cum voluptate, insilientes in faciem illam,* *Luc. 8.* *quam fluctus maris reueriti sunt, quam sol in cruce videndo radios occuluit*, D *spuebant, cædebant, caput percutiebant abunde animos suos implentes.* Sic *Chrysost.* vult non morte Christi Domini crudelitatem illorum saturandam fore, nisi ante ipsam tot ludibria exercerent, tot iniurias inferrent, qui etiam post mortem vulnus adhuc addiderunt, ideóque *Chrysost.* ait. Vt ipse nihil lenitatis prætermisit, sic ipse nihil contumeliæ, nihil impietatis, sed tam verbis, quam factis explere furorem suum conabantur. Quibus in verbis mihi videtur E contineri oppositio inter benignitatem Christi Domini, & Iudæorum crudelitatem, vt sicut ille nihil omisit laboris, & iniuriæ, & supplicij sustinendi, sic illi nihil omisere inferendi, quod videtur explicasse Regius Vates quando dixit: *Psal. 61. num. 4.* *Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti*, vbi plerique transtulerunt, *cucurrerunt*, vt sit sensus, quod sicut Iudæi sitim suæ crudelitatis explere A conati sunt sanguine, honore, & morte Christi Domini, sic ille hæc omnia patienter sustinendo sitim suæ charitatis, & eximiæ erga nos dilectionis saturare volebat. De Christo enim intelligit *D. Augustin.* hunc locum, sicut & *Cyprian. lib. de Passione*, *Chrysost.* ideinque *Augustin. & Remig.* sitim illam de qua conquestus est Christus Dominus in cruce, interpretantur de siti, & desiderio, quo flagrabat, plura adhuc pro nobis, & acerbiora sustinendi, currebat itaque illi in siti sua, B grauiora supplicia patiendi anhelans, illi vero currebant in siti etiam suam crudelitatem explere suspirantes: & licet Christum sitientem in morte audiamus, saturatum tamen legimus apud *Ierem.* vbi dicitur: *Saturabitur opprobrijs*; saginatum *Ierem. 3. num. 30.* insuper dixit *Tertull. lib. de patient. cap. 3.* vbi ait. Numquid tamen subeundæ morti, etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus corona- C tur: Mira æquanimitatis fides, qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de patientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè, ô Pharisæi Dominum cognoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. Sic ille saginatum tormentis & iniuriis proponit Christum Dominum, quem saturatum dixerat Ieremias: nusquam tamen legimus saturatos Iudæos, eorúmve crudelitatem satiatam, quia nunquam repleri potuit, & obturari: quapropter aperto, & hian- D te ore sanguinem postulabat, & pectus eius aperire curauit post mortem, vnde adhuc concupitum sanguinem posset haurire.

Possumus insuper, & innatam hominum sæuitiam ex eo deducere, quod non solum per se ipsos persecutionem intendunt, sed à Deo in signum, & comprobationem amicitiæ volunt, vt ipse inimicis ipsorum mala illa inferant, quæ ipsi nequeunt inferre; quod ostendit Diuinum Oraculum, vbi dicitur: *Malac. 1.* *Dilexi vos, & di-* E *xistis, in quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui, & posui montes Esau in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti?* quæ verba obiter explicat *Oleast. ad c. 19. Exod.* & ait. Non tam gratum est homini, vt eius gratia amicos illius diligas, aut eis bene facias, quam, vt inimicos eius odias, & malè facias eis. *Malach. 1.* Sic eis dicit: *Dilexi vos,*

&

& quærunt *in quo?* id est, quæ sunt signa dilectionis, quæ ostendisti nobis? *Nonne*, inquit, *frater erat Esau Iacob, & Iacob dilexi, Esau verò odio prosecutus sum, &c.* Refert igitur ipsis quasi beneficij loco, quod posteritatem Esau odio habuerit, quam semper seruire coëgit populo Iudaïco, & ex terra, quam illi dedit, est enim Idumæa sicut testatur *Abraham Ortelius in theatro orbis in tabula Palæstina.* Et *D.Hieron.ad Dardanum*, Montuosa, ita, vt vel ex ipso Prouinciæ situ colligere possent Iudæi, quanto amore eos Deus prosequeretur, cum Idumæis dederit incolendos montes asperos, & saxa prærupta, accommodatiora ad vitam ferarum, quam ad vitam hominum, sicut ibi interpretantur *D.Hieronym. Theodoret. Isidor. & Arias Montan.* Præterea hæc gens fuit sub imperio Iudæorum, præsertim temporibus Dauidis, & Salomonis, ita & post captiuitatem Babylonicam; per hæc igitur carnalibus hominibus ostendit suum odium ex amore erga alios profectum, non quod in Deo passio odij sit, vt bene notauit *Basil. in Psalm. 37. & Lactant. Firmian. lib. de ira Dei*; sed vt ostenderet sacra Scriptura non illo singulari amore dilexisse Deum Esau, eiusque posteros, quo dilexit Iacob de quo *Exod.4 Filius meus primogenitus Israel.* Et, *Deut.7. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis, qui sunt super terram.* Et Paul. *Quorum est adoptio, & gloria, & testamentum, & legislatio, & cultus, & promissiones, & ex quibus Christus qui est super omnia benedictus*, quæ omnia, & alia, quæ Deus posset in confirmationem suæ erga Iacobi posteritatem dilectionis adducere libèter omittit, quasi non ita efficaciter illam testarentur, & interrogationi, in quo dilexisti nos? Satisfaciens proponit odium, & mala, quæ Esau posteris contulit, etiam dum pessimam terram ad inhabitandum concessit, vtpote qui probè nouerat homines sic affici odio erga inimicos suos, sibique oppositos, vt potius vellent illis mala inferre, quam in se bona recipere, & possidere; qua in re maxima ostenditur inimicitia humana.

Exod.4. num. 22. *Deut.7. num.6.* *Rom. 9. num.4.*

Hæc est ratio cur Deus volens populo Israël legem ferre, cúmque ad suorum mandatorum obseruantiam adducere, vt melius, & facilius eos allíceret ait. *Hæc dices domui Iacob. Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Vbi *Caiet.* pro nostro argumento sic aduertit; prius mala illata Ægyptiis, deinde bona collata Israëlitis commemoranda mandat: pluris siquidem faciunt homines mala, quæ infliguntur hostibus suis, quam bona, quæ accipiunt: & quoniam Dominus hoc nouerat, inquit *Oleast.* ibi, hóc summè placere Iudæis, hoc illis primum inter collata beneficia proponit.

Exod. 19. num.4.

Conquerebatur sæpius Saül, quod nemo esset qui eius gratia odisset Dauid, & coniuratos aduersum se asserit, ac dolet seruos suos, quia nullus est de Dauide annuntiabat eum persequeretur, & comprehenderet: *Coniurastis*, inquit, *omnes aduersum me, non est qui vicem meam doleat ex vobis.* Volebat enim vt omnes insensum animum haberent, & ostenderent erga Dauidem, & eandem crudelitatem in eum exercerent, & plus dolet ex eo quod Dauidem non persequantur, quam gaudet ex eo quod sibi obtemperantes videat, & ab eisdē diligatur, præualet siquidem odium inimici hominis, vt omnes secum in eodem odio vellet comites habere, quo melius, & citius crudelitatis insaniam ad exitum, valeat perducere.

1. Reg. 22.n.8.

Interrogauit Petrus Magistrum, & Dominum, *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies?* idest, si frequenter offendat me, quoties dimittam ei? Vsque septies? An si etiam septies peccauerit in me patienter ferendum, & mox ipsi condonandum erit? Vbi *Franciscus Lucas* ait. Videtur Petro numerus septenarius abundè multus, imò æquo maior esse, ex carnis sensu. Cui Christus Dominus dixit. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies*, numerum finitum ponens, nempe, septenarium, pro infinito, & incerto vt poni solet, patétque ex *Prouerb.24. Septies in die cadit iustus.* Hunc igitur numerum ponit in denarium conuersum, & per eundem multiplicatum, vt magis infinitum reddat. Itaque breuissimo numero contentus est in dimittendo Petrus, etiam dum abundè multus sibi esse videtur, at verò Christus infinitum ponit numerum ad remittendas offensas, vt augustum animum hominis denotet, quem crudelissimum aliàs, & minimè satiatum in persequendo sæpe videre possumus. Cæterùm aduertendum, quod hunc infinitum numerum apposuerat iam Lamech ad sui vindictam, cum dixit: *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies.* Etenim vindictā, furorem & odiūm vsque in infinitū protrahit, & extēdit humana sæuitia;

Matt.18. num.21. *Prou.24. num.16.* *Genes. 4. num.24.*

& inimicitia, venia verò, & indulgentiam paruo numero concludit ; quia odium in persecutione illius, quem inimicum censet, multa quærit, excogitat, inuenit, & expectat ; in dimittendo verò nimis coangustatur, & quam breuissimè concluditur.

Hoc quidem videre est in Pharaone, qui populum dimisit post multas plagas
Exod. 12. num. 34. à Deo illatas *Surrexit enim nocte, & omnes serui eius, vrgebántque Ægyptij populum ex terra exire velociter.* Sed iterum nunciatum est Regi, quod fugisset populus:
Exod. 14. num. 5. *Immutatumq; est cor Pharaonis, & seruorum eius super populum, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel. Iunxit ergo currum, & omnē populum, &c.* Ecce angusta, & limitata nimis dimissio Pharaonis: sed audiamus multiplicem vindictam, accensum furorem, & insatiabile odium, *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea,* breui tempore dimittit, sed longissimo odio insequitur, etenim inimicus homo dimittere nescit, solam persecutionem intendit, mortem minatur, & infert, neque sola contentus morte, nouos persequendi modos excogitat, cum minimè satietur.

Redeat in comprobationem humani odij Saul, cui Dominus per Samuelem dixit,
1. Reg. 15.n.3. *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid:* sed paulò post dicitur,
Sup.n.7. *Percussit Saul Amalech, & apprehendit Agag Regem Amalech viuum, & pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid verò vile fuit, & reprobum, &c.* super quæ verba sic audiendus est *Theodoret.q.34.* Oportebat intelligere stultum, quod vna gutta diuinæ benignitatis, & clementiæ vincit omnem hominum bonitatem, sed infelix cum Deus iussisset punire, misertus est, & cum Deus morte damnasset, ipse vt existimauit vitam tribuit, & cum Deus iussisset, vt ex præda nihil lucrifaceret, ipse referens plurima, atque pulcherrima ex gregibus, & armentis, & aliis omnibus reuersus est. Et ipse quidem cum anathema sanxisset, vt nemo sumeret cibum, aut potum, illum quidem, qui ex ignorantia decretum erat transgressus voluit interimere, cum Deus autem vniuersorū Amalech subiecisset anathemati, non propter illius in ipsum im-
A pietatem, sed propter illius in populum maleuolentiam, non parua, aut pauca aliqua, sed plurima accepit ex anathemate. Vbi *Theodoret.* Confert præceptum à Deo impositum Sauli, cum præcepto imposito à Saule populo quando dixit, *Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis.* 1. Reg. 14.n.2. Huius igitur præcepti voluit populum esse obseruantissimum, quod quidem ex odio, quo erga inimicos æstuabat, oriebatur; volebat enim illos penitus extinguere, & ne quis-
B quam ab vltione manum leuaret, prohibuit, ne quis comederet, aut biberet, quia verò missa sorte comprehensus est Ionathas, *Qui cum non audisset, cum adiuraret pater eius populum, extendit summitatem virgæ, quam in manu habebat, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum. Dixit Saül, Morte morieris Ionatha,* tandémque moreretur; nisi populus liberasset Ionatham, vt non moreretur. Voluit itaque obseruari præceptum ex odio impositum, etiam occidendo illius
C violatorem ex ignorantia, qui filius erat, & salutem in populo mirabiliter fecerat, nec sanguini parcens, nec ignorantiæ cedens, nec meritum respiciens. Idemq; postea à Deo admonitus, & præcepto illius adstrictus, & Agag reseruauit, & armentis, vestibúsque, & optimæ cuique substantiæ pepercit, qui nec filio pepercerat, etenim homo odio percitus, & vindictæ cupidus nullum inimicitiæ obstaculū patitur, imò Dei legem conculcat, præcepta despicit, iussa contemnit, totius odij, & crudelita-
D tis explendæ memor.

Et cum amor naturalis sit homini, & proprior affectus quàm odij, vnde sicut eleganter dixit *Tertull.* Sine causa fortè amare licebit, non sic sine causa odisse, imò & obiectum datur quod ad amorem, eiúsque exercitij necessitatem obliget, vt patet in diuina essentia respectu beatorum, non sic verò datur obiectum, quod ad odij exercitium necessitet: attamen odium humanum ipsam veluti naturam superans, magis odio ducitur, quam ami-
E citia, plúsque apud homines valet vindictæ cupiditas, quam amoris debitum, & meritum.

Nec omittendum in hanc sententiam id quod notauit *Theodor. in eodem Saule,* quando iussit occidi Sacerdotes ex odio, quo deflagrabat in Dauidem, vbi enim percepit ipsum accepisse ab Achimelech gladium Goliat, & panes propositionis, misit ad accersendum Achimelech, & omnem

omnem domum Sacerdotum, qui erat in Nobe, quos omnes vniuersos coram se iussit occidi dicens emissariis: *Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini, nam manus eorum cum Dauid est, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo, Nobe autem ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouem & asinum, & ouem in ore gladij.* Is ergo qui pepercit ouibus, & arietibus, inimicitia furens in ore gladij vniuersa percussit. Ait verò *Theodoret. quæst.* 53. hæc Saulis cædes fuit omnibus aliis peccatis magis impia, nam cum Deus iussisset vt penitus perderet Amalec, non solum seruauit Agag, sed etiam quæcunque erant digna, quæ possiderentur, sed cum sola eum mouisset ira, non solum occidit Sacerdotes, sed etiam cum ipsis viris ciuitatem, vt qui iusserit vt non adolescens, non infans, non mulierculà esset salua. Item facilius odio, & iræ obtemperant homines, quam Deo, maiórque est inimicitiæ vis, & impetus, quam pondus amoris, quis enim non mirabitur tam facili negotio soluisse Dei iussum eum, qui è media vel minima domo tribus Beniamin fuerat à Deo assumptus, quod ipse etiam fatebatur, eundémque summa obseruantia, & diligentia leges propriæ iræ, & odij obseruasse. Id quod licet in omnibus hominibus maximè sit cauendum & verendum, in Regibus tamen, qualis planè erat Pharao, periculosissimum est, quia potestas Regum odio ipsorum subordinata inseruit, proindéque nisi diuina occurrat potestas, quæcunque ipsi ex odio, iráque intendunt, & excogitant, quam citissimè ad effectum reducunt, cum maximo totius Reipublicæ detrimento. Ideóque in Regibus, & Principibus occurrendum est odio, & inimicitia, quod optimè prosequitur *Gregor. Epist.* 126. *ad Recharedum Regem*, dicens: Ipsa regni gubernacula magno sunt moderamine temperanda, nè potestas mentem surripiat, tunc enim Regnum benè regitur, cum regnandi gloria animo non dominatur. Curandum quoque est, ne ira surrepat, ne fiat citius omne quod licet, ira quippe etiam cum delinquentium culpas exequitur, non debet menti quasi domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, vt ad faciem iussa veniant, nam si semel mentem possidens cœperit, iustum esse deputat, etiam quod crudeliter facit. Quid verò remedij superest, si ira tanquam iustum proponat

1. Reg. 20. n. 9.

excidium, cædem, & perniciem aliquorum illi, cui potestas subest, etiam faciendi, quæ iniusta sunt, si iuxta potestatem velit operari, quam feeit deuoluit odium, & trahit quocumque voluerit.

Vnde iam patet ratio, cur Dauid maxima ira efferbuerit in Nabal, quando necessitate pressus in die conuiuij ad eum misit proponens beneficia, quæ ipse Dauid, & milites eius contulerant in Nabal, & in pastores illius, qui respondit. *Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos, iratus autem Dauid ait, hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem.* Mirari enim iure optimo poterit qui aduerterit patientiam, & lenitatem eius, qui nolebat mittere manum in Saulem cum posset, & cum eum Deus videret tradidisse in manus suas, deinde ei pepercit, quando dormientem inuenit in tentorio, imò prohibuit Abisai volentem interficere, & in Nabal totum furorem soluit, vt in illum debaccharetur? Ratio huius rei ea est, quia Rex iratus nihil omnino expendit, sed furorem totum exerit, iuta soluit, æquitatem dirimit, & solam voluntatem prauè affectam, quam potestas comitatur sequitur; at verò quilibet alius debita obsequia soluere facilè reminiscitur, & rationis imperio adducitur, sic exposuit hanc difficultatem *Theod. q.* 57. *in* 1. *lib. Regum*, vbi post relata conuitia Nabalis sic ait. Recordatus ergo Dauid illorum beneficiorum, auditis suis conuitiis, & contumeliis, magno impetu versit armatus. Cogitabat enim quod Saül quidem occasionem, & irritamentum iniuriæ haberet potentiam, & regni inuidiam, iste autem nullum habens prętextum arrogantiæ aduersus eum, extremis vsus sit maledictis. Vbi vides potentiam dici occasionem, & irritamentum iniuriæ, quæ proinde moderari debet, ne in exitium & perniciem subditorum prosiliat, & ad extremum desæuiat.

1. Reg. 25. n. 22.

Sed quid nos crudelitatis & insaniæ humanæ aliunde exempla conquirimus cum in crudele Pharaone suppetant? Etenim eò vsque crudelitatis deuenit Pharao, vt præceperit obstetricibus Ægyptiis, vt quando Hebræarum mulierum partus adueniret, si masculus nasceretur, interficerent, fœminas verò reseruarent: & quasi parum fuerit, hoc obstetricibus præcipere, omnibus in vniuersum Ægyptiis idem

Exod. 1. num. 16. præceptum impoſuit dicens: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit in flumen proycite, quidquid fœminini referuate*: quæ verba expendens *D. Auguſt. ſerm.* 81. *de tempore*, ait. O prodiga furoris inſania, nec dum natis pœna mandatur, & ante principium vitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo inſaniam tuam, quos ne dum vides inſequeris? Quid ſceleſtius? Nondum natos occidis? Seruet ordinem feritas tua, naſcantur ante quos puniat. Et *Lipom.* ibi aliquid amplius in hac tyranni immanitate inuenit, ſic enim habet. Impudentiſſima, & maximè execranda tyranni crudelitas intelligitur, quod fœminarum quoque officio tàc obeſſe conatur, cum maxima illis neceſſaria eſt fides, & commiſeratio, quid immanius cogitari potuit, quam infantes occidere, paruulos necare, innocentibus, qui necdum lucem aſpexerant vitam eripere, & lucem? Audet tamen ſceleratus Rex tenebratum, à quo etiam ſimilem, quam in noſtro contextu crudelitatem reperimus, hic alius Pharao natura videtur hauſiſſe.

Mirantur ſancti Patres, nimiúmque exaggerant Herodis ſæuitiam, qui innocentes, *à bimatu, & infra iuſſit occidi*, ſed multò magis execranda crudelitas Pharaonis illius, qui in ipſo ortu extinguit, & vitæ principio necem infert, & infidelitatem voluit matres reperire, quando illis perneceſſaria fides erat, dúmque tabo infectum, & veluti iugulatum in lucem edit natura infantem, voluit crudelior homo ſtatim experiri tyrannidem, priuſquam vitam. Crudelem vtique nouercam appellauit *Plinius* naturam, ex modo, quo hominem in lucem edit, ſic enim habet *in præfatione ad lib. 7. natural. hiſt.* Hominis cauſa videtur cuncta genuiſſe natura, magna, & ſæua mercede contra tanta ſua munera, vt non ſit ſatis æſtimare parens melior homini, an triſtior nouerca fuerit, hominem nudum in nuda humo natali die abiicit, ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullúmque aliud tot animalium ad lacrymas, & ad has protinus in vitæ principio ab hoc lucis rudimento, quæ ne foràs quidem inter nos gemitas vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus iacet manibus, pedibúſque deuinctus, flens, animal cæteris imperaturum, à ſuppliciis vitam auſpicatur, vnam tantum ob culpam, quia natum eſt, quibus ſimilia dixit *Plutar. lib. de natiua charitate in ſuam progeniem*. Nihil, inquiens, eſt tam informe, & immundum,

Matt. 2. num. 16.

A vt homo cum naſcitur, cui vni nec purum quidem dedit natura in lucem ingreſſum, ſed ſanguine imbutum, ac tabo aſperſum, & iugulatum potius, quam naſcentem referens. Hic eſt naſcentis hominis miſer, & miſerabilis ſtatus inter vagitus, & lacrymas, qui à cuiuſcumque videntis oculis facile eas poſſit compaſſionis elicere, ſed longè crudelior ipſa natura impius Pharao, qui parum ducens ligamenta naturæ, & naſcentiū ſanguinis aſpectionem, iugulatos in ipſa natiuitate exire infan-B tes, voluit & proprium ſanguinem ſuperaddere, & commiſceri nouiter effuſum cum materno ſuperfuſo, & naſcentium ſanguinem aquis fluminum tunc ablui, cum ſuffocati interirent.

Poterat hic noſter Pharao poſtquam inſecutus eſſet Iſraëlitas tali victoria eſſe contentus; ſatis habens ex ea inſecutione, vel etiam pugna peperiſſe laudem vincentis, & hoſtem ex parte libertate priuaſſe, ſcilicet, poteſtate, quocumque vellet liberè euagandi, de cætero tractans illum hu-C maniter, lautè, & honorificè antiquis bonis ſuis liberè vti permittens, ſic enim priſcis temporibus pro ſolius laude victoriæ pugnabant inter ſe Reges, vt doceri ſolet ad illud *Gen. 10. Ille cœpit eſſe potens in terra.* Et Nabuchodonoſor poſt partam de Solymis victoriam, poſt captiuum Ieremiam liberaliter habuit, ſecundum illud *Ierem. 39. Præceperat autem Nabuchodonoſor Rex de Ieremia Nabuzardan magiſtro militum dicens: Tolle illum, & pone ſuper eū oculos tuos, nihilq; ei mali facias, ſed vt* D *voluerit, ſic facies ei.* Tale quidpiam accidiſſe Galliarum Regi ab Hiſpanis ad Tycinum capto noſtræ memoriæ annales produnt. Si verò fugientis comprehenſione minimè contentus erat, & ſpoliis indigebat ad triumphum, & militum ſatisfactionem, tolleret vtique ſibi, ſed animas ſeruaret, & incolumes vita conſeruatet, vt haberet ſuperſtites, quorum ſeruitio, & miniſterio ad vrbium reædificationem, & nouam conſtructionem poſſet abſque ſtipendio vti, at ſatiari nequit humani odij E ſitis, & immanis crudelitatis fames, *Perſequar*, ait, *comprehendam, &c.*

Gen. 10. num. 8.

Iere. 39. num. 11.

Tale quidpiam videbis in Nabuchodonoſore erga Sedeciam Regem Hieruſalem: *Fugit Sedecias*, ait ſacer textus, *per viam quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis, & perſecutus eſt Chaldæorum exercitus Regē.* En prima perſecutio dicta à Pharaone, *Perſequar, comprehenditq; eum in planicie Iericho.* Ecce ſecundum verbum, *comprehendam.*

4. Reg. 25.

hendam, sequitur spoliatio bonorum vnà cum dutissima comprehensi Regis tractatione, nam dicitur. *Rex Babylonis locutus est cum eo iudicium* (hoc est locutus est verba dura, aspera, & probris plena) statimque additur spoliatio facta, quando quæcunque bona erant, non aurea tantum, & argentea, sed insuper, ærea, columnas, scilicet, æreas, ollas, trullas, tridentes, scyphos, mortariola, & omnia vasa, thuribula, phialas tulit princeps militiæ, acceditque filiorum occisio coram parentis oculis, qui in ipsis pariter moriebantur, sed vt diutius moreretur, neque tam cito terminatam videret, & finitam materiam exercendæ crudelitas, oculorum luce, quæ vita carior est, priuauit Sedeciam Nabuchodonosor, nam *oculos eius effodit*, ait textus, *& vinxit eum catenis & adduxit in Babylonem*, ad perpetuum exilium, & lentam mortem subeundam, odium siquidem humanum, & vindictæ cupiditas non in vno sistit supplicio, sed præceps ad plura graditur, donec progrediendi non sit liberras.

In quam sententiam facit id, quod *Cicero.12.offic.* refert nempe Annibalem cum veller significare quanto odio inter se Carthago & Roma dissiderent inflicto in tertam pede, suscitatóque puluere dixisse tunc inter eas fore belli finem, cum altervtra pars in habitum puluteris esser redacta, in puerili pectore tantum vis odij potuit, quid non in virili, ac potente euincet, sicut in Pharaone videre est?

Illud autem in his verbis nostri textus, *Persequar, & comprehendam, &c.* Notandum maximè est, quod Rex, qui ius, & iustitiam seruare debet, nullum ordinem in puniendo seruat, nullum in iudicando ius, sed iræ ac furori habenas laxat, & persecutionem, ac mortem solum proclamat, cum nihil nisi iuxta iuris, ac iustitiæ normam facere debeat, & possit: cum enim potestatem à Deo sint consecuti, Dei legi, & dispositioni debent subiici, & rationis, ac iustitiæ decreta seruare, & cum prius deberet hic audire puniendos, nihil ab eo auditur, nisi *Persequar, & comprehendam, &c.*

Longè aliter supremus Dominus, qui prius delinquentes vocat, & audit, quam puniat, cum tamen illi omnia apertissimè pareant, & nulla prorsus disquisitione indigeat. Notú omnino illi erat Adæ peccatum, & tamen ad Adam venit, vocat, & de crimine inquirit, eundémque morem seruare solet, sicut ibi prosequitur *Chry-* A *sostom.* Vnde & de Deo dicitur: *Vt peruerteret hominem in iudicio Dominus ignorauit iudicium*, idest, non est Dei peruerso iudicio, & iniusta calumnia hominem opprimere, sed post iudicium punire, fetuat enim ordinariam, & consuetam causarum cognitionem, & præscriptum suarum legum, legésque suas æquissimas, vnde eas vocat iudicia, & *Esai.* 11. loquens de Rege Messia principe pastorum, & Regum omnium exemplari ait, *Non secundum visionem iudicabit, neque secundum* B *auditū aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes.* Symmachus legit, *Iudicabit rectitudine pauperes, & erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorum renum eius:* Vbi Procopius annotauit pro regio cingulo, auro, & gemmis insignito, & pro insigni potestatis habiturum iustitiam, & veritatem, longè aliter ac homines habere solent, *Paraphr. Chald.* & interpretes Hebræorum, præsertimque *Rab. Salom.* sic explicant, quasi dicat Propheta. *Et erunt iusti circa eum, & fideles, aut* C *veraces appropinquabunt ei*, & vt plenius dicamus iusti, & fideles seu veraces, cuiuscumque tandem generis fuerint semper circum circa illum, & familiariter adhærebunt ei, coniungentúrque instar cinguli, vt planè intelligamus illius æquitatem, & iustitiam in iudicando, cui nihil nisi iustum placere potest, & non secundum visionem, aut auditum iudicat, sed præuio examine, & præmissa discussione.

Thren. 3. *num.* 36.

Esai. 11. *num.* 3.

Vnde apud Ezechiel. *Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum, & pollu-* D *tum, & inter mundum, & immundum, & cum fuerit controuersia stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt*, scilicet, iuxta eadem iudicia, quæ ostendunt quid iustum, & rectum sit, quid agendum iure, quid etiam omittendum, ne secundum iudicium humanum iudicet vt à Deo iudicentur. Imo & vt exprimeret discrimen inter suum iudicium, & iniquorū ait apud Oseā. *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertam vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & non homo*, vbi in originali habetur nomen, E *El*, quod fortem, & potentem significat, vt planè ostendatur minimè deflectere, & detorquere à recto Dei potentiam in puniendo, neque infligere quæcunque potest mala, totúmque furorem exerere, hominem verò tantum nocere, quantum valet & potest, nullámque malè de pauperibus merendi, & infirmiores lædendi, ac sibi infensos perdendi occasionem prætermittere, sicut iniquo Regi ab

Ezec. 44. *num.* 23.

Osea 11. *num.* 9.

2. Mach. 7. 16. ab adolescente sanctissimo dictum est *Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis.* Et certè de huiusmodi potentibus, & diuitibus sub nomine, & metaphora vacarum pinguium dictum est Amos in *cap. 4. Quæ dicitis Dominis vestris afferte, & bibemus*, id est, dum (Amo. c. 4. num. 2.) ad bibendum sit facultas, quidquid propinetur exsorbebimus, putant enim per potestatem, & magistratũ omnia sibi licere, quæ possint: etsi occasio ferat, fieri etiam sibi exsorbendi, & exugendi sanguinem pauperum facultatem, propterea enim B perpetuo cognomento huiusmodi potentiores homines dicuntur viri sanguinum, quod nihil aliud intendant, quam aliorum substantiam sanguinémque exugere, cum id in ipsorum potestate sit constitutum. Aduertit autem *Plutar. lib. de doctrina principum* periculosum esse velle quæ non decet eum, qui quæ velit facere potest. Et *D. August. lib. 5. de ciuitat. cap. 24.* Felices dicit eos, qui imperant, si iustè imperent, si tardius vindicent, facilè ignoscant, si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque Reipubl. non pro saturandis inimicitiarum odiis exerceant: C Et *Ambro. 1 offic cap. 8.* ait. Huiusmodi viro salutem nostram, & æstimationem committimus, qui sit iustus, & prudens, &c. 24. causam merita discernant, &c. Et *Bernar. epist. 178. ad Innocentium Papam*, ait. Qui flagitiosi & contentiosi de populo, siue de clero aut etiam ex monasteriis pulsati currunt ad vos, redeuntes iactant, & gestiunt se obtinuisse tutores, quos magis vltores sensisse debuerant. Et *epistola* D *192. ad Guidonem*, qui postea fuit Papa Celestinus ait. Minus de vestra æquitate præsumo, si diu vos rogauero vt in causa Christi, nullum Christo anteponatis, etenim cum Christus Dominus iustitia sit, hæc præ oculis Principibus esse debet, vt secundum illum iudicent, rectorésque rectis, & iusti iudices semper sint, hoc enim præcipuum munus est Regnum, Principum, ac Maiorum; quo sensu exponunt aliqui illud, quando de Samsone dicitur: *Iudi-* (Iud. 16. num. 31.) E *cauit Israël viginti annis*, quibus nihil omnino de eius iudicio, & iustitia enarrat sacra Scriptura, sed de eiusdem præliis, & victoriis, cæterum quia præcipuum munus, & officium est eorum, qui præsunt, rectè iudicare, ius dicere, & æquitatem seruare, nihil aliud dicit fecisse præter iudicium, & iustitiam. Vnde ad hoc tantummodo Regem videbantur postulare, qui (1. Reg. 8. num. 6.) dicebant: *Da nobis Regem, vt iudicet nos;*

A ad quos igitur spectat maximè iudicandi munus, ad eosdem etiam pertinet iustè iudicare, & iuxta rationis, & æquitatis normam, non secundum affectum, amicitiam, odiumve.

Hallucinatus hac in re Pilatus dixit Christo Domino. *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* (Ioan. 19. num. 10.) Cum tamen potestas, quæ nulla alia est nisi à Deo, sit tantum ad dimittendos innocentes, & ad plectendos delinquentes, & non pro voluntate potentis hominis ad puniendum quemlibet, & absoluendum. Vnde *Ambr. serm. 20. in Psal. 118.* ait ad Pilatum. Vsurpas o homo potestatem, quam non habes, pro potestate, non pro æquitate crucifigendum Dominũm tradidisti; per potestatem absoluisti latronem, Authorem vitæ interfecisti. Mala potestas licere, quod noceat, potestas ista tenebrarum est: affertque *Ambrosius* in confirmationem istius doctrinæ locum illum vbi Christus Dominus dixit: *Non possum ego à me ipso facere quicquam: sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est*; quibus in verbis vt videre est apud *August. tracta. 19. 21. & 22. in Ioan. & lib. cont. serm. Arian. cap. 27.* (Ioan. 5. num. 30.) Non quidem significat Christus Dominus se esse auditorem, id est, minorem Patre suo, vt calumniabantur Ariani, sed potius iudicare ex Dei Patris voluntate, & simul cum eo, non solum quia Filius hominis est, sed quatenus Filius Dei est: esséque iustum iudicem, & irreprehensibile esse iudicium suum non minus, quam iudicium Patris, qui rectissimè, & iustissimè iudicat. Ait ergo *Ambros.* hic personam iudicis (Deique iudicis, vel à Deo constituti) propositum suscipit (Christus Dominus) bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed iuxta leges, & iura pronuntiat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum domo defert, sed sicut audiuit, ita iudicat, & sicut se habet negotij natura, decernit. Quid non potest, qui omnia potest, nisi quod posse nolit? Non vult posse quod damnet, non vult posse aduersus veritatem, vnde & dicit, sed sicut audio iudico. Audite quid Index dicat cælestis. Sic ille exponit errorem Pilati, qui vtrámque simul potestatem sibi collatam autumabat, crucifigendi, scilicet, & absoluendi, cum tamen vnam duntaxat habuerit, crucifigendi scilicet, illum, qui culpas, & crimina commiserat morte luenda, absoluendi

soluendi itidem, & eripiendi è manibus nocentium, innocentem.

Qua in re grauiori errore lapsus est Nabuchodonosor,& ideo grauissimo supplicio in eum animaduersum est à Deo, sicut Daniel retulit nepoti eius Balthasaro, licet enim eius dicatur filius, nepos quidem fuit,& licet Daniel appellet Nabuchodonosorem patrem illius, Hebræorum more loquitur, qui omnes progenitores,siue auos,siue proauos patres appellant, quæ est sententia Hieronymi, quam potiores interpretes sequuntur. Ait itaque Daniel Balthasaro de Nabuchodonosore.

Dan. 5. num. 18. *Deus Altissimus Regnum, & magnificentiam, gloriam,& honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo, quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.* Vbi *D. Hieronymus* ait. Proaui ponit exemplum, vt Dei iustitiam doceat;si autem Nabuchodonosor, quos volebat interficiebat,& quos volebat percutiebat, quos volebat exaltabat, & humiliabat, in huiusemodi honoribus, & percussionibus, exaltatione, & humiliatione, non est Dei prouidentia, nec præceptum, sed eorum voluntas, qui percutiunt quos voluerint.

Quod cum ita sit, quærendum est, quo sensu illud legatur. *Cor regis in manu Domini,quocumque voluerit, illud declinabit:* Prou. 21. num. 1. Nisi forte sanctum quemque dicamus Regem,cuius non regnat peccatum in mortali corpore. Ille igitur Rex, qui virtutem,& iustitiam non sequitur,& cuius cor Deus non gubernat, sed relinquit in manu consilij sui, potestatem habet dimittendi,& absoluendi simul,& quos vult occidit, & quos item vult viuificat. Cæterum quia Nabuchodonosor, & eum imitatus Balthasar hanc curuam regulam, & nefariam normam sequebantur, & simul exercebant hanc potestatem, nec faciebant distinctionem, inter absoluendos, & puniendos,vt reos pœna afficerent, & innocentes impunes abire permitterent,posterior ille audiuit diuisionem à Deo factam,pro confusione iniusta ab ipso facta:

Dan. 5. num. 28. *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis*, gerebatur enim bellum nomine Darij Medorum Regis per Cyrum nepotem eius, Persarúmque Regem, quemadmodum *Herodotus* indicat, Regnúmque inter se partiti sunt,donec mortuo sine liberis Dario,tria regna, Babyloniorum, Medorum, atque Persarum in vnum Cyrum coiërunt. Debent igitur

A Reges dictam confusionem cauere, & in iudicando iustam diuisionem sectari, & instar Dei sese habere, vt prius audiant causas, & discernant, deinde vel absoluant, vel puniant, & non fit pro ratione, vel æquitate voluntas, odio, vel amore affecta, siue infecta.

Leuit. 24. *Egressus filius mulieris Israëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel; iurgatus est in castris cum viro Israëlita, cumq; blasphemasset nomen Domini, & maledixisset ei, adductus* Leuitic. 24. n. 10.
B *est ad Moysem, miseruntq; eum in carcerem, donec nossent quid iuberet Dominus, qui loquutus est ad Moysem: Educ blasphemum, & lapidet eum omnis populus.* Non præcipiti consilio statim in eum est animaduersum, sed positus prius fuit in carcere,deinde inquisitum de eo. Quod rectè expendit *Saluian. lib. 1. de prouidentia*, dicens.

Numquid non præsens Dei est, manifestúmque iudicium,& prolata quasi iuxta humani examinis formam cælesti di-
C sceptatione sententia? Primum enim qui peccauerat comprehensus est. Secundò quasi ad tribunal adductus. Tertiò accusatur,deinde in carcerem missus. Postremò cælestis iudicij auctoritate punitus. Porrò autem non punitus tantùm,sed punitus sub testimonio, vt damnare videretur reum iustitia, non potestas.

Totum proculdubio potestatis est,quod audiuimus ab iniquo Rege, *Persequar, & comprehendam, &c.* Ideóque de huiusmodi potentibus videtur rectè dixisse
D *Gregor. homil. 17. in Euangel.* Multi cum regiminis iura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, & quibus prodesse debuerant, nocent: & quia charitatis viscera non habent, Domini videri appetunt, Patres se esse minimè recognoscunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant, & si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus sæuiunt, hac vna re differunt ab iniquo Rege Pharaone, qui interius ardet, & sitit, vnde dicit, *Implebitur*
E *anima mea*, exterius verò sæuit, clamat, & minitatur.

Contra huiusmodi potentes facit *Paulus* cum *Timoth.* ait. *Argue,obsecra,increpa*, vbi *Chrysost. homil. 9.* ait. *Argue prius,* 2. Tim 4. num. 2. *tunc increpa,nam si absque argumentis increpes, temerarius esse videberis, nullusq; te perferet, vbi verò præcessit probatio, tunc & imprecationem facilius suscipit, ita fermè in medicis dicimus. In omni patientia*

itaque, & qui arguit patientia, & longanimitate opus habet, & increpatio, & obsecratio, & doctrina cum patientia sunt exercenda, ne quasi irascens, neque vt aduersans, neque vt modico feruens impetu, aut inimicum reputans id facias: verum his omnibus omissis, quasi amans, & dolens, magis quam ille ipse lugens, atque in illius casibus tabescens, cuncta exequaris; In omni (ait Apostolus) *patientia, non in qualibet, sed in omni, vt nihil patientiæ desit.* Sic *Chrysostom.* ad cuius verba fœdior apparet impatientia Pharaonis, nulla præcedente increpatione, nulla præmissa discussione, nullo præuio examine, sed solam resonans spoliationem, solam clamans persecutionem, necem, & perniciem minitans, plena denique sola potestate tyrannica; nihil retinens iustitiæ, & æquitatis.

Longè aliter omnipotens Deus, qui prius se amicum probat, iis etiam quos, vt inimicos puniendos constituit, sic enim

Apoc. 3. *num.* 19. recte exponit Glossa illud: *Quos amo, arguo, & castigo.* Quos (inquit interlinealis) arguo, hoc est causa præmissa, facio cognoscere peccatum suum, tunc demum castigo, at verò, qui odit, & inimicus est, persequitur, spoliatur, & occidit. *Persequar* enim tyranni est, non Regis, *comprehendam, & diuidam spolia*, latronum est potiùs quàm parentis, *implebitur anima mea*, Regem non indicat, sed sitibundum auarum, *euaginabo gladium meum*, prouocati ad certamen militis potiùs vox est, quàm imperatoris, *interficiet eos manus mea*, carnificem prorsus probat. Totum denique hostile, & odiosum, non Regium videtur esse, & ideò iure tacet textus, qui talia effutit verba neque Pharaonem dicit, neque Regem asserit, sed inimicum nominat cum ait: *Dixit inimicus.*

In confusionem igitur tyrannici huius sermonis proponendus nobis est Dauid, qui volens ostendere, quo tandem animo ad supplicium Ioabo inferendum accesserit, illud per totam vitam distulit, & in

3. *Reg.* 2. *num.* 5. morte filio commendauit dicens: *Tu nosti quæ fecerit mihi Ioab, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasa filio Gether: Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos.* Vbi si quæras cur non punierit Dauid Ioab: neque vindictã sumpserit de nece duorum Principum. Respondet *Abulensis quæst.* 12. quod licet Ioab offendisset in hoc Dauid,

A fecerat tamen ei multa seruitia, & magna, procurauerat ei multum honorem, nam ipse erat dux in omnibus bellis Dauid, & absente Dauid ipse habebat interdum multas victorias, & quod magis erat laborabat vsquequo hostes essent quasi subiecti. Inhumanum ergo videbatur, quod Dauid post tot obsequia sibi præstita, quasi in præmium occideret Ioab, distulit itaque Dauid satis promeritum supplicium Ioab, ob seruitia sibi facta, at iniquus Pharao persequutionem minatur, di-

B strictum vibrat gladium, interitúmque, & extremum promittit exitium, in præmium tot annorum, quibus filij Israël, liberi cum essent, captiui seruierant, muros extruxerant, eique ciuitates ædificauerant. Cumque ausus non fuerit Dauid iudicis proferre sententiam, filióq; commiserit, & ferendam, & exequendam. Inimicus Pharao, solo furore, & odio ductus, odiosam profert sententiam, tyrannique verba eloquitur, latronisque morem imitatus, ad Dominum viatores de-

C prædari constituit, idque antequam faciat, veluti lætabundus proclamat. Sed quid insuper addat *Abulensis* videamus. Licet Dauid, inquit, vellet quod Ioab, exigente iustitia, occideretur, tamen compatiebatur ei, & nolebat quod per ipsum, vel per alium in diebus suis occideretur, imò gratissimum ei esset, si ita posset earum iniuriarum curam deponere, vt neque filio traderet compensandas: at verò impius Pharao tempus non expectat, lictores non vocat, carnifices non adhibet,

D sed illicò ad persequutionem accinctus, non gladio quidem accinctus, sed eo districto, & spoliationem, spoliorúmque diuisionem per se faciendam pollicetur, & Israëlitarum necem nulli alij committens manu propria exercendam prædicat, quid crudelius? quid hostilius? qui proinde iure optimo, illius figuram, & personam, gerit, qui homicida fuit ab initio, & qui se libenter diuinæ iracundiæ obtulit, se ad Achab decipiendum, ad Iobum bonis omnibus, & ipsa etiam cute, spolian-

E dum obtrusit.

Neque etiam timet effundere sanguinem innoxium, quod maximè timendum est Regibus, sicut ostendit Salomon cum dixit: *Amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab, & à domo patris mei.* 3. *Reg.* 2. *num.* 31. Vbi videndus est *Abulensis*, qui ostendit sanguinem innocentem posse esse, & appellari alicuius, qui etsi nocentissimus sit, dummodo ipse minimè mereatur effusionem

nem

nem ab illo qui effudit. Et ideò illi vndæ rubri maris meritò pro sanguine fundendo respondent, dum ipsum cum exercitu suo penitus obruerunt, tantique in hoc facto, & à Deo illato supplicio piaculi esse comprobatur hominem occidere, & humanum sanguinem fundere, vt non solum puniatur qui effudit, sed etiam, qui effusionem tantum minatur, qui districtum gladium intentat, & necem secum proponit.

Grauia supplicia minatur Deus monti Seir, cum ait. *Propterea viuo ego, dicit Dominus, quoniam sanguini tradam te, siue quoniam in sanguine peccasti, & sanguis te persequetur.* Ex quo intelligimus, ait *Hieronym.* ibi, quod quicumque gladium arripuerit contra filios Dei, & dolosè aliquid egerit, & obsederit eos, tradatur in manus gladij, sicut mons Seir in tempore iniquitatis extremæ. Est autem, & aliud peccatum montis Seir, vt quoniam oderat sanguinem iustorum, quem singulis persequutionibus ab ipso sanguine sustineat persequutionem, vbi vides desiderio effundendi sanguinem, correspondere effusionem sanguinis, multóque maiori cum ratione, mors Pharaoni respondit, cui conseruatio innocentis sanguinis, & vitæ ex officio incumbebat; & ideò mare rubrum erudiuit stultum Regem, mansuefecit tyrannum, & puniuit latronem. Etenim sicut Nabuchodonosor vbi ad fornacem accessit, & tres illos iuuenes vidit cum quarto alio velut colludentes, suos verò satellites in stupæ similitudinē igne assumptos, exclamauit dicens: *Benedictus Deus eorum.* Vbi *D. Hieronym.* ait. O quam sapiens ignis, quam inenarrabilis Dei potentia, vinculis stricta sunt corpora, vruntur vincula, corpora non vruntur, sed nescio quomodo Rex impius Dei Filium videre mereatur: sic, & nos possumus dicere, quam sapiens mare, quia Regem superbum, & tot mala minitantem erudiuit, & docuit tam cito, & tam sero; cito vtique antequam comprehenderet, & deprædaretur; sero item, quia nihil omnino hæc illi profuit scientia. Illúdque mirum quomodo Rex impius Deum videre, & cognoscere potuit, sed in ea maiorem sui confusionem, & pœnam dum ait: *Fugiamus Israëlem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.*

Ezec. 35. num. 6.

Dan. 3. num. 95.

Ostendit autem hic locus impios, & superbos Dei contemptores, & seruorum illius persecutores in solis cogitationibus, & verbis remanere quantumvis innumera mala minentur, & intendant; diuinitus namque retardantur, ne quod intendunt, ad effectum perducant, sed maneant intra iniquam mentem, & futilia verba; in quam sententiam interpretatur *Theodoret. Orat. 4. in Daniel.* illud Isai. *Visitabo super fructum magnifici cordis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius,* quæ verba ipse legit: *Inducet Dominus super mentem magnam, principem Assyriorum, & super altitudinem gloriæ oculorum eius.* Mentem autem magnam, inquit *Theodoretus*, ipsum appellauit Nabuchodonosor, vt eum, qui sibi magna cogitatione finxisset, ac somniasset, quæ pauló post enarrauit. Tu enim dixisti: *Super astra ponam thronum meum, & ero similis Altissimo.* Ideò proceritatem arboris videt vsque ad cœlum peruenisse, non arboris naturam significans, sed cogitationes, & quæ ille sibi animo fingebat; & quia cœlum ascendere somniauit, illinc sententiam de se latam sentit, & quia non satis ei fuere ædes regiæ in terris deorsum, sed simul etiam superiores dementer appetiit, iis etiam priuatur, quas deorsum obtinebat, & qui cœlum rapere voluerat, è terra quoque expellitur; succisáque est arbor, & ipse ad infima dettactus, qui in cœlum ascendere moliebatur, & confusus mansit, sicut etiam, & impius Pharao, qui tot secum parabat mala inferre filiis Israël, & tam crudelia verba contra eosdem proferebat, irrisit autem altissimus elatum cor, & impleuit aquis superbum os.

Isai. 10. num. 12.

Proponendus item cōtra impium Pharaonem idem mitissimus Dauid; dum egressus è Metropoli sua Hierusalem fugiens parricidam, & rebellem filium dixit ad Ethai Gethæum, qui ipsum comitabatur cum sexcentis viris electis, quique nupet patriam reliquerat, factúsque fuerat cum suis subiectis proselytus. *Cur venis nobiscum? Reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi:* Quæ verba expendens *Theodoret.* duo notatu dignissima in eis inuenit, & benignitatem scilicet in parricidam filium, & pietatem etiam in peregrinum, & alienigenam hominem, sic verò ait. Iure est admiranda Dauidis lenitas, & mansuetudo, quem cum persequeretur, & bello inuaderet execrandus filius, non eum nominauit parricidam, non fratricidam, sed Regem, & cum multo egeret auxilio, curam gessit salutis proselyti: &

2. Reg. 15. n. 20.

statim q.30. aduertit, quod cum nunciarum esset Achitophelem esse in coniuratione cum Absalon dixit: *Infatua quæso Domine consilium Achitophel.* Cognouit, inquit *Theodoretus*, proditionem Achitophelis, sed confestim ad suum confugit Dominum, non iubens, vt ferrietur fulmine, sed inane, & vanum redderetur eius consilium, & *quæst.* 32. obseruat, qualiter se habuerit in Semei, qui ipsum maledicebat, & puluerem in eum spargebat. Cum enim Abisai non ferret contumeliam, & se offerret ad caput illi amputandum, dixit: *Quid mihi, & vobis*
1. Reg. 16.n.10. *filij Saruiæ? Dimittite eum, vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid.* Ait verò *Theodoretus.* Est iste, quidem lorum Dei, & virga, non video lorum, sed video eum, qui me flagro cædit, meis iniquitatibus adscribo calamitates, non tango virgam, ne eum irritem, qui percutit. Cùm ergo Dauid ita se haberit erga inimicos, & de peregrino tantam curam gesserit, meritò illum Pharaoni possumus opponere, qui peregrinos, quibus amicitiam, & beneuolentiam multis de causis d. uetat, & inimicos dicit, & persecutionem intentat, & bonorum deprædationem, & extremum exitium minitatur. Vnde iam patet quanta cum ratione Pharao à sacro textu appelletur inimicus.

Illud etiam notandum maximè est pro humano odio, nullibi scilicet posse esse securum aliquem ab eo. Nunquam audiram rem fecerat Deus, & præstantissimum ediderat miraculum, vt filios Israël securos redderet, & in tuto collocaret, viam in medio mari aperuerat, vt transirent, columna duxerat, quæ detinuerat Pharaonis exercitum, sed per apertum mare eos insequitur, & quæ columna non plus vltra persequendos Israëlitas ipsum docuerat, metàque itineris debuerat esse, nihil omnino eum retardat, aut illi moram affert, quinimò calcaria adhibet, acriúsque concitat, vt persequatur. Sic, & Saül cum Dauid habitaret in locis tutissimis. Engad-
1. Reg. 31.n.1. di, nuntiauerunt ei dicentes: *Ecce Dauid in deserto est Engaddi; assumens Saül tria millia electorum virorũ ex omni Israël perrexit ad inuestigãdum Dauid, & viros eius etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt, & dum inuia, & tutissima loca ingreditur, quæ Dauidi præstabant refugium.* Factum est, vt idem locus (speluncam dico) quæ fugienti Dauid fuerat remedio, ad euitandam mortem, fuerit

A opportunus ad eam inferendã Sauli, quemadmodum mare rubrum eam attulit Ægyptus ipsum ingredientibus, nisi tactus Religione Dauid, militibus suis interdixerit, & sibi ab occidendo Rege temperauerit, dicens: *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut descendens in prælium perierit: propitius mihi sit Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini, & confregit viros sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Dauid.* Prosequitur hoc
B argumentum *D. August. tractans illa verba: Misit Pharao ad videndum, nec erat quicquam mortuum de his, quæ possidebat Israël, ingrauatumq; est cor Pharaonis.* Vnde debuit, ait *Augustinus*, ad timendum, & credendũ moneri videns nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hinc magis ingrauatum est: quid aptius item ad commonefaciẽdum Pharaonem, quam via aperta in mari, & veluti in arida patefacta? Id tamen vnde oportebat submissiorem fieri, ipsum audaciorem; & Exod. 9. num. 7.
C crudeliorem reddidit, ad bellúmque cœlo etiam inferendum gigãtum more commouit; impletum vtique est illud: *Dedit Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam, oculi enim eius sunt in vijs illius.* Vbi propriè in Hebr. pro eo, quod habemus: *Ipse abutitur in eo superbiam*, habetur: *Ipse innitetur, vel fulcietur, aut sustentat se, vel indurat, & obfirmat cor suum aduersus Deum.* Vnde Patrocles apud *Plutarch. de sera numinis vindicta*, ait: Nihil aliud perinde, at- Iob 24. num. 23.
D que dilatio iustæ vindictæ iniuria affectorum spes eneruat, animósque eorum deiicit. Contra improbos ferocia, & audacia augens: & ideò secundùm *Gregory* expositionem additur: Oculi eius sunt in viis illius, sic enim habet *Gregor. 7. Moral. cap. 5.* Vias suas peccator intuetur, quia sola cogitare, sola cernere nititur; quo sibi ad commodum temporale suffragantur, via námque elati, superbia, via, raptoris auaritia, via lubrici, concupiscentia carnalis: in viis ergo suis
E iniquus quisque oculos deprimit, quia solis vitiis, vt per hæc omnino satisfaciat, intendit: vnde per Salomonem dicitur; *Oculi stultorum in finibus terræ,* quia hoc solum tota cordis intentione conspiciunt, per quod ad finem terreni sui desiderij perducantur: ad cætera verò quæ ipsos possent ab impiis conatibus abducere, cæcurientes penitus sunt: sic enim solet odium nostræ mentis oculos obturare; Prou. 17. num. 24.

1.Ioan.2. num. 11. obturare; vnde Ioannes dixit: *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebra obcæcauerunt oculos eius*: ablata siquidem charitatis claritate, de qua Christus Dominus dixit: *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus*; vbi videndus est *D.Cyrill. lib.2. in Ioann.cap.16.* cum ait. Necesse est, vt cæcutiat omnis intellectus creatus, & innumera incurrat mala, & absurda committat; nulla autem maior cæcitas, quam iniqui odij potest reperiri. Ioan.17. num. 22.

Illi qui in capienda Hierusalem, & arce Sion maxime restiterunt Dauidi; claudos, & cæcos ei opposuerunt, dixeruntque: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc, cœpit autem Dauid arcem Sion, hæc est ciuitas Dauid. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos, & claudos odientes animam Dauid.* Qui locus obscurissimus est, etenim Hebræi à quibus narratio rei repetenda erat diuersa comminiscuntur, & ex incertis nos incertiores dimittunt, suntque eorum, vt minimum quatuor explicationes, quas missas facimus, vt aliam apponamus, quæ nostro instituto viam præstruit, si vetè expositioni eam etiam non præbet, est autem *Iosephi lib.7. Antiquit.* qui asserit Iebusæos qui in arce morabantur, teuera cæcos, & claudos, & leprosos ad irrisionem Dauidis in muris, & propugnaculis statuisse, addentes solos hosce sufficere ad ipsum ab arce repellendum, & ideò munitione loci confisos, omnes obsidentium, & impugnantium conatus insuper habere: cum Iosepho videtur consentire *Abnezra* apud *Pagninum*, sed apertius grauissimi scriptores, *Tertull. libr.4. cont.Marcion.cap.36.Cyrill. Alex. lib.3. in Isaia cap.29. Procop. Anselm. Angelonus, & Vatabl.ibi, & Ioannes Zonaras, libr.1. Annalium*, quam historiam si sequamur dicemus. Iudæos, arce expugnata, dicterium illud Iebusæorum per Sarcasmum confirmasse illo prouerbio, quod sacer textus affert; *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum*, ac si dicerent verè iactabatis arcem vestram inexpugnabilem esse, & vel à cæcis, claudisque defendi posse: sed id contra similes vobis, quibus nec prudentia, nec robur ad tuendum fuit, hoc est cæcos, & claudos: cæcis enim, & claudis prorsus similes estis; at non contra vestri similes qui consilio, & fortitu- 2. Reg.5. num.8.

A dine, & dexteritate, & iudicij claritate pollemus: vbi vides cæcos figurasse & gessisse personas Iebusæorum, qui cæci profectò erant, dum præ inimicitia, & odio sic faciebant, & existimationem inanem habebant de robustissimis Dauidis militibus, vt illis oppugnantibus arcem opponerent claudos, & cæcos odientes animam Dauid, sic enim solet odium obcæcare intellectum eorum, qui illo laborant. Sed planior, & verior, & conformior nunc videtur sacro textui expositio, quæ dicit B cæcos, & claudos dici Iebusæos, non quod aliquam in membris maculam, aut neruorum contractionem haberent, aut obturatos, effossósve oculos, sed quod odio obcæcati essent, & duplici dilectione, Dei scilicet, & proximi omnino carerent, etenim in sacro textu dicitur propositum ibi fuisse præmium illi, qui abstulisset cæcos, odientes animam Dauid, iam hi potiùs erant, Iebusæi ipsi, quam verè cæci, & claudi ibi positi: ideóque Chaldæus non cæcos, & claudos vertit, sed peccatores, C atque reos, ratione scilicet odij, & inimicitiæ, & quia exprobrabant e muro instar cæcorum, qui acutiorem habent linguæ aciem in eos, quos oderunt, & instar claudorũ, de quibus Salomon dixit: *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nũtium stultum*, vbi *Lyranus*: qui eum ad quem mittitur ad iram prouocat, scilicet sicut claudus, qui debilis pedibus dicaciori, & mordaciori lingua valet: addendúsque insuper est hic in loco *Augusti. in Psal.33.* vbi per pedes intelli- Prou. 16. num.6. D git duplicem charitatem, Dei scilicet, & proximi, quibus profectò caret, qui cæcus præ odio est. Sic ergo habet *August.* Duos pedes habeto, noli esse claudus: qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis scilicet Dei, & proximi; Qui ergo odio Dauidis laborabant, pedibus vtique carebant, & quia qui fratrem reliquit habentem contra se aliquid prohibetur à sacrificio Domini, maiori cum ratione prohibetur ab ingressu templi odio cæcus, & dilectione claudus; quod videtur respicere Pro- E uerbium de quo ibi fit mentio: *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum*, & qui pulchros laudat discipulorum pedes, quia Euangelizabant pacem, & prædicabant hanc duplicem dilectionem per *Isaiã* dicens: *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacẽ*; à suo templo reiicit eos, qui odio laborant, & ab arce in quo construendum erat templum aufert cæcos præ maleuolentia, & odio. Isaia 52. num.7.

Habes igitur odij cæcitatem, vnde inferes, & eam, qua Pharao laborabat, vt nihil prorsus, quo retardaretur videret, cum tam multa videnda superessent; imò iis, quæ malo suo expertus fuerat nihilo emollitus, & fractus, sed durior, & peruicacior in dies euadés per terram, per mare, contra cælum, & contra Deum superbus, temerarius, & audax insequitur, & persequitur Israëlitas.

Rabsaces Assyriorum ductor exercitus, capta Samaria, capiendam putauit, & Iudæam, & Hierusalem, aitque: *Vbi est Deus Emath, & Arphaxad? Vbi est Deus Sepharuaim? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea? quis est ex omnibus dijs terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Hierusalem de manu mea?* Quid ergo Dominus superbienti, & insano furori dixit? *Cum fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Vbi *Theodoret.* ait. Vt brutum tractat Dominus eum, qui anima rationali præditus rationem corrumpit. Clarius *Forerius.* Quia furere non hominum est, præsertim contra Deum, eum iam brutis confert: bubalis enim, & aliis nonnullis animalibus anulus, seu hamus in nasum iniicitur; vt hoc pacto frænata circumducantur, & pareant: asinis autem, & mulis, chamus, seu habena, qua constringuntur maxillæ: Ecce igitur quales reddat homines insana superbia: & cum odium lucem rationis extinguat, quæ est differentia inter odium, & iram posita ab *Augustino in primam Epist. Ioan.* Cum ira perturbet, si odium superbiæ adiungitur, crudelissimum vtique est, & nunquam finiendam inimicitiam generat, qualem videmus in Pharaone, qui ideò rectè dicitur inimicus.

Isaiæ 36. num. 19.

Isaiæ 37. num. 26.

Cæterùm ad nostram eruditionem hinc elicere debemus, solum Pharaonem superbum, durum, & lapideum posse dici inimicum, non verum Christianum, qui nullius est hostis, sicut ex *Tertulliano* retulimus. Vnde *D. Chrysostom. homil. 2. in Matth.* explicans parabolam talentorum dimissorum ad illa verba: *Sic, & Pater meus cœlestis faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris,* ait. Non dixit pater vester, sed meus, non enim digni sunt isti, quorum Pater Deus vocetur, cùm ita nequam sint, vt homines odio prosequantur. Videndus item *D. Hieronym. in Psalm. 119.* ad illa verba: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus,* vbi ita ait. In Euangelio dicitur: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris ibi quod frater tuus habet aliquid aduersum te, &c.* Vide, inquit *Hieron.* quid dicat, non dixit si habes aliquid contra fratrem tuum, sed si aliquid frater tuus habet contra te, rem quasi iniustam videtur nobis imponere, si enim dixisset, si habes aliquid contra fratrem tuum in nostra erat potestate, quod habebamus, nunc verò quid dicit? Si recordatus fueris, quod frater habet. Respondeo ei. Non est hoc in mea potestate. Si frater meus, aliquid habet contra me, ego nihil contra eum habeo, & quare non vis suscipere munus meum? Respondet tibi Dominus: Male scrue intelligo animum tuum, nihil habes contra fratrem tuum? Amas illum? Quare ergo saluari eum non vis; si amas illum, vade, roga eum, ne ille contra te habeat, vt saluari possit. Vade ergo ad eum, mitte te ad pedes eius, &c. omnia nobis curate præcipit ne inimicitia aliqua inter nos sit, & cum inimici alterius minimè simus, hoc sufficere minimè arbitratur, nisi enitamur vt alius nobis inimicus minimè sit.

Matt. 18. num. 35.

Matt. 5. num. 23.

Et quia naturalis admodum nobis ira est; ne in odium tandem euadat, & inimicitiæ vim aperiat, præcipit *Apostolus,* ne sol occidat super iracundiam nostram, idest, vt ante solem occidentem reconciliemur fratri, quem offendimus, vt rectè exponit *Chrysost. tom. 5. homil. 30.* Et *D. August. in Psal. 25.* & alibi sæpè, quem etiam locum afferens *Theodoret. in sanctorum Patrum histor. cap. 4.* ait. Diuinus Apostolus considerans humanæ naturæ imbecillitatem, eam quam fert legem, natura metitur, inquiens: *Irascimini, & nolite peccare, sol non occidat super iracundiam vestram,* nam cum iræ quidem motus nosset esse naturæ, non nostri arbitrij voluit lege ea decernere, quæ essent laboriosa, & fortè eiusmodi, vt fieri non possent, sed naturæ, & iræ tempestati mensuram præfinit diem, iubens rationi, vt eam compescat, & quasi fræno reprimat, & non concedat progredi vltra terminos: nam ratio etsi obtinere non possit, vt ne praua desideria quidem sentiamus, tamen nihilominus cogere potest, vt ne prauis desideriis consentiamus, quemadmodum eleganter dixit *Iosephus Iudæus* in quodam libello, quam inscripsit *de imperio rationis,* alio verò nomine *de Machabæis,*

Ephes. 4. num. 26.

Psal. 4. num. 5.

Marhabais, vbi sic ait. Ratio non potest obtinere, ne desideretur aliquid, sed potest cogere tamen, vt quod desideratum fuerit prudentis consilij ratione vincatur, vt puta obtinere non potest, vt ne irascaris, sed cogere tamen potest, vt nullum scelus iratus admittas, turpissimas quoque voluptates non ne concupiscas, sed ne his satisfacias obtinebit; hoc igitur voluit Paulus in ira. Nisi etiam voluerit, & maximè, quod nostrum intentum est, vt quam breuissimè fieri possit iram aduersum fratrem conceptam deponamus propter periculum, nam ira inueterata, fit odium, quantumlibet iusta, & necessaria esse videatur, sicut docet *August. Epist.* 149. vbi ait. Nulli irascenti ira sua videtur iniusta, ita enim inueterascens ira fit odium, dum quasi iusta doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpat; itaque melius multo nec iustè irascendo in odium ab ira occulta facilitate delabimur. Quibus habet similia *Epist. 87. ad Felicit. & Rustic.* dicens. Maiorem date operam concordandis vobis, quam redarguendis, quia sicut acetum corrumpit vas, si ibi diutiùs fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem durauerit.

Quam sententiam, & doctrinam Augustini refert eius discipulus *Prosper. in lib. sentent. ex August. sentent.* 130. Vnde *D. Hieron. Epist. 36.* ait. Si Apostolus inter-
Eph. 4. pretatur. *Sol, non occidat super iracundiam*
num. 26. *vestram*. quid agemus nos in die iudicij, super quorum iram non vnius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? Et *Nazianz. Orat. 4. de Paschat.* Loquens de agno Paschali ait. Quemadmodum enim in ira die tota non perseuerare, sed ante solis occasum illam dissoluere, bonum, & Deo est acceptum, temporaliter, & anagogicè (siquidem non est securum nobis iraris iustitiæ solem occidere) ita cibum talem non pernoctare, neque in posterum vsum reponere decet.

Hæc est causa, cur Iacob de Simeone,
Gen. 49. & Leui filiis suis dixerat: *Maledictus fu-*
num. 7. *ror eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*, vbi *Caiet.* ait. Duritia Simeonis, & Leui increpatur, quod Ruben suadenti: *Nolite peccare in puerum*, non acquieuit indignatus animus eorum aduersus innocentem fratrem. Clamabat olim sanguis fratris vindictam, dicente
Genes. 4. Domino: *Vox sanguinis fratris tui cla-*
num. 10. *mat ad me de terra*, quod sic explicat

A *D. Ambros. lib. 2. de Abel, & Cain. cap. 9.* Benè vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat, hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat, non accusat frater, ne videatur parricida, non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti, tuum te ergo facinus, non frater accusat, dedecebat enim, vt innocens, & iustus Abel vocem odij, & vindictæ haberet, essetque contra fraternitatis rationem, si fratrem frater accusaret. Vi-
B deas igitur quanto magis contra rationem fraternitatis foret si inimicus esset fratris, qui illius frater esset, & ideò sanguis clamat effusus quasi impatiens accusator esse non posset, dum in venis continebatur fratris, nec clamare posset nisi post effusionem.

Videndus hac de re *Chrysost. homil. 63. in Genes.* cum ponderat id, quod Ioseph in *Genes. 4.*
carcere dixit pincernæ Pharaonis: *Me-* *num. 14.*
mento mei cum tibi benè fuerit, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia
C *furtim sublatus sum, & hic innocens in lacum missus sum.* Attende obsecro, ait *Chrysost.* quomodo nihil dicat: neque narrat fratrum in se inhumanitatem, sed tectis omnibus dixit, recordate mei, neque scelus in se commissum narrat, sed hoc vnum curat, non vt illos condemnet, sed, vt pro se solo dicat, neque enim videtur stare cum fraternitate, fratrū accusatio: cum ergo & nos omnes fratres simus nati ex eodem sanguine in cruce effuso, imò, & renati, & iisdem doloribus enixi,
D caueamus ne fraternitatem scindentes aliquid contra fratres committamus, sed fratrem vnum prę oculis habentes, fratres omnes in eo diligamus, & nullum omnino aut inimicum habeamus, aut illius inimici dicamur, hoc enim solus Ethnicus, impius, & Idololatra esse potest, de quo noster textus habet: *Dixit inimicus.*

Pro cuius rei complemento videndus est *Chrysost. homil. 61. in Matth.* ad finem, vbi ostendit amicitiam inter homines fa-
E cilè dissolui, quia debili nititur fundamento, quo deficiente, etiam amicitia corruat necesse est, at inter Catholicos stabilis est, & perpetua amicitia, etiamsi plura interueniant scandala, & acerbæ addantur iniuriæ, quia scilicet dilectionis causa, & fundamentum Deus est: *Qui caducis*, inquit ille, *citoque instabilibus causis copulantur, eorum cõiunctio perpetua esse non potest, sed, vel contemptus,*

vel

vel pecuniarum iactura, vel liuor, vel gloriæ cupiditas, vel aliud huiusmodi amicitia dissoluta, dissidium induxit: vbi si spiritalis esset radix, nulla res secularis eam euelleret: ea certè charitas, quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis, atque inuicta est, nec vlla re conquassatur, non obtrectatione, non periculis, non morte, non alia re temporali, nam qui hac de causa diligit, nullo dissidio disiungitur: qui enim amat, quoniam redamatur, si quid minus iucundum ab amico ad eum profectum fuerit, finem amandi illico fecit: qui verò Christi B *charitate amicis conglutinatur, nunquam ab amando desistit:* Idcirco *Paulus* quoque dicebat: *Charitas nunquam excidit,* 1. Cor. 13. num. 8. *nunquam ab amando desistit, quid enim dicere poteris, an quia honoratus abs te, contumeliæ vicem, honoris loco retulit; an quia pro beneficiorum gratia interficere conatus est? Sed si propter Christum diligis, hac ipsa ad maiorem te impellunt charitatem, omnia enim, quæ seculares amicitias tollunt; spiritualem confirmant amorem magis, atque stabiliunt: quo pacto inquies? Primum, quia* C *hæc præmia tibi præparat amicus, deinde, quia magis ope indiget tua, qui sic miserè affectus est. Quapropter qui hoc amore spiritali diligit, non generis nobilitatem, non præstantiam patriæ, non excellentes diuitias, non denique quantum redametur inuestigat: verum etiamsi odio habeatur, si contemnatur, si interficiatur, quoniam sufficiens sibi ad amandum Christus causa est, perseuerat in amore. Firmus ergo ac stabilis stat, fixus, & immobilis ad Christum respiciens à quo inimici, contemptores, obtrecta-* D *tores, perfecutores, qui nec videre ipsum aquo animo poterant supremo amore, quo maiorem excogitare non possumus, amati sunt.* Sic ille, ex cuius doctrina apertè constat neminem Christianorum posse appellari inimicum, cum omnes, vt amicos diligat, & omnium amicus sit, sed solum impium, induratum, & obstinatum Pharaonem cum suis, qui eius impietatem imitantur, inimicos iure dici, & appellari.

ANNOTAT. III.

Persequi pharaonicum, & diabolicum est.

PRimùm igitur, quod inimicus loquitur est, *Persequar,* & reuera inimici prima vox est persequutio, neque verò ali- A cuius alterius est persequi, nisi inimici, & illius inimici, qui diabolus est hoc inuentum asseritur elegante ab *Athanasio in Apologia pro sua fuga,* vbi ita ait. Persequi diabolicum inuentum est, & ab omnibus ille hoc nomine accusatur. Hinc est, quod apud Zachariam, cum Deus Prophetæ ostenderet Iesum Sacerdorem magnum stantem coram Angelo Dei: *Stabat sathan à dextris eius, vt aduersaretur ei,* Zach. 3. num. 1. quod certè est persequi, nam stare, vt aduersetur persecurionem denotat, & non B transitum iræ, vnde, & sathan dicitur, quæ vox aduersatium indicat, vt patet, vbi habetur: *Nunc autem requiem dedit Deus meus mihi per circuitum, & non est Sathan,* 1. Reg. 5. num. 4. *neque occursus malus.* Et persecutores nostros appellat dæmones *Hieron. Epist. 1. & Chrysost. homil. 40. ad populum.* Hos igitur imitantur, qui homines persequuntur, qui vsque ad finem sæculi non parcunt piorum cordibus, sicut hoc in loco, neque Pharao vsque ad internecionem quieuit, & donec diceret: *Interficiet eos manus* C *mea,* quod prosequitur *August. Epist. 145. ad Sebastianum,* vbi ait: Piorum cordibus à malis hominum moribus nunquam parcitur vsque ad sæculi finem, sed ramen pia est ista tristitia, & si dici potest, beata miseria, vitiis alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi, hæc est persecutio, quam patiuntur omnes, qui volunt in Christo viuere, & in hoc sensu dixit *Gregor. lib. 9. Epist. 39.* Ego Abel esse non suspicor, quì Cain non habuerit, & *Ber-* D *nard. serm. de conuers. D. Pauli,* Videbatur, inquit, iam cessasse persecutionis tempus, sed, vt palam factum est, nunquam deest persecutio Christiano, quæ fortè fuit ratio, cur Christus Dominus *Math. 5.* vltimo loco persecutionem posuerit dicens: Matt. 5. num. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur,* quoniam vsque ad vltimum vitæ terminum nobis persecutio instat toleranda.

Vnde *D. Petr.* ait: *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit; quasi noui aliquid vobis contingat,* quæ verba sic 1. Pet. 4. num. 12. E explicat *Chrysostom. homil 8. in 2. ad Timoth.* Nolite peregrini esse circa persecutionem, non sit vobis res noua, vt peregrinis, est enim necessarium, vt cognoscamus nobis veluti innatam esse persecutionem, & simul cum vita duraturam, ne vnquam nobis velut peregrinis contingat, cum potiùs in mediis persecutionibus, & viuere, & mori debeamus, adeò, vt tunc maior adsit persecutio, cum nulla prorsus adesse

adesse videatur, quod prosequitur *Chrysostom. homil.* 14. *in Act. Apostol* vbi ait. Vides nunc maiorem esse persecutionem, inuadentibus nos vndique affectionibus, tanquam bestiis? Nunc est grauis persecutio, vel ob hoc, quod non putatur esse persecutio. Quibus similia habet *Hieron. Epist.* 1. *ad Heliodorum*, videndúsque est, *Orig. homil.* 7. *in Genes.* vbi eleganter rem prosequitur. Cùm igitur persecutio necessaria sit imitatoribus Abelis, meminisse debent, Caini filios, & imitatores, diaboli etiam esse discipulos, cuius inuentum persecutio est, à qua, vel etiam honore ducti cessare debuissent, quod dixit *Athanasius* loco citato his verbis. Si malum est fugere, multo peius est persequi, alter ne perimatur occultat sese, alter verò persequitur volens occidere, desinant insidiari intelligentes, quod eorum, quos vrget persecutio, fuga magna persequentium est redargutio, nullus enim fugit mansuetum, & benignum, &c.

2. *Reg.* 21. dicitur de magna fame, & egestate, quæ cötigit in diebus Dauid tri-
2. *Reg.* 21. *n.* 1. bus annis iugiter, *Consuluit Dauid oraculum Domini, dixitq́; Dominus propter Saül, & domum eius sanguinũ, quia occidit Gabaonitas.* Et quanquam Scriptura non explicet quãdo Gabaonitæ à Saule cæsi fuerint, certissimum cum sit fuisse occisos, non est improbabilis Rabbi Dauid Kimhi sententia, dum existimat fuisse peremptos Nobe, cum Doech Idumæus calumniis Saül instigatus fas omne abrupit, & nefariis illius sicarij manibus Abimelech, & cum eo octoginta quinque Sacerdotes
1. *Reg.* trucidauit, vbi subditur. *Nobe autem ciui-*
22. *n.* 18. *tatem Sacerdotum percussit in ore glady.* Cum ergo Nobe Sacerdotum ciuitas fuerit, planum vtique est ibi multos Gabaonitarum periisse, qui cum ob fraudem Iosue tempore excogitatam, puuiendi essent, nec iam occidi possent propter iusiu-
Iosuè 5. randum, *Decreuit princeps Iosue illos esse*
num. 27. *in ministerio cuncti populi, & altaris Domini cædentes ligna, & aquas comportantes vsque ad præsens tempus in loco, quem Dominus elegisset, &c.* Cúmque Deus tunc Nobe in tabernaculi, Sacerdotúmque domicilium elegisset, fit planè consequens Gabaonitas, qui publici eorum serui erant, ibidem debuisse commorari cum Sacerdotibus, paritérque videtur fuisse occisos cum eis: at verò vt ibi *Abulens.* notauit *quæst.* 8. Etiam si Saül occiderit Gabaonitas, & peccatum illius fuerit, Deus tamen puniuit totum populum, quia totus popu-

A lus consensit ei in hoc, cum manifestè malum esset, quod fecit fortè vt placeret Sauli, & tamen tenebatur resistere, & sese opponere Regi, cum notorie esset malum, & tunc cessasset Saül à cæde Gabaonitarum, sic enim quando Saül iurauit quod occideret Ionatham, *Dixit populus ad* 1. *Reg.* 14.
Saül. Ergóne Ionathas morietur, qui fecit *num.* 45.
salutem magnam in Israël? Hoc nefas est: Viuit Dominus si ceciderit capillus de capite eius in terram. Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur. Posset igitur,
B & Gabaonitas liberare si vellet, & se Regi opponeret. Magna itaque vrgente fame tribus annis placari potuit ira Gabaonitarum contra posteros Saül, & contra Israëlitas, maximè vero postquam notum factum est fuisse illud supplicium inflictum à Deo in vindictam Gabaonitarum, quæ enim maior vltio dari poterat, quam vniuersalis egestas, & vrgentissima fames? *Dixit igitur Dauid ad Gabaonitas, quid faciam vobis, & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini? Dixe-*
C *runtq́; ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento, & auro quæstio, virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israël, &c.*

Iam quidem à Deo præcesserat facta vindicta in Gabaonitas, modo proponitur ab eis persecutio exercenda in posteris Saül: nam velut alter Pharao dicunt inimici: Euaginabimus gladios, interficiet eos manus nostra, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius: adducit autem
D Rabbi Salomon, teste *Abulens.* in exaggerationem huius execrandæ, persecutionis, quod Dauid primo petiuit ab omnibus Gabaonitis, vt remitterent iniuriam pro pretio, & noluerunt, deinde putans quod omnes simul erubescerent dimittere, & condonare indulgentiam, petiuit à quolibet sigillatim, & hoc probat, quia vbi nos habemus: *Non est nobis quæstio super argento*, in Hebr. habetur *Non est mihi quæstio super argento*, idest, omnes simul dixerunt Dauid, *Non est nobis quæstio super ar-*
E *gento*, & quilibet illorum dixit, *Non est mihi quæstio.* Illud ergo aduertendum maximè est, quod facer textus antequam referat hanc duritiem, & obstinationem Gabaonitarum ad persequendos, & penitus extinguendos posteros Saül, notanter, & veluti vigilantibus verbis dixit, *Porrò Gabaonitæ non erant de filys Israël, sed reliquiæ Amorrhæorum.* Quid igitur opus erat hac animaduersione, cum notum satis

Aaa cuili

cuilibet, vel medioctiter in ſacris literis
verſato ſit Gabaonitas non eſſe de filiis
Iſrael, ſed huic tacitæ obiectioni occurrit
Lyran. & Rabbi Salomon dicendo. Si Ga-
baonitæ fuiſſent de filiis Iſraël, fuiſſent
magis miſericordes; & indulſiſſent facta
Saulis contra eos, perſequi enim offenſo-
res, & obſtinatum animum habere aduer-
ſus proximum, ad eas gentes pertinet, quæ
extra Eccleſiam Dei degunt, & notitia di-
uinæ benignitatis carent, & dæmonem
magiſtrum ſequuntur, cuius inuentum eſt
perſequi, & Pharaonem imitari, cuius ob-
cæcatus animus, & induratum cor perſe-
cutionem proclamat, quia inimicus du-
riſſimus eſt, & ideo de eo dicitur: *Dixit
inimicus, perſequar, &c.*

Sed quoniam de Gabaonitis nobis ſer-
mo occurrit, ipſi adhuc materiam exhi-
bent luculentius proſequendi hanc perſe-
cutionem Pharaonis. Aduertendum ergo
eſt, quod, ſicut Saül occidit Gabaonitas,
1. Reg. ſic & Sacerdotes Domini interfecit: *Dixit*
22. n. 17. *enim emiſſarys, qui circumſtabant eum: con-
uertimini, & interficite Sacerdotes, nam
manus eorum cum Dauid eſt, & conuerſus
Doëg Idumæus irruit in Sacerdotes, & tru-
cidauit in die illa octoginta quinque viros
veſtitos Ephod lineo.* Cur ergo non miſit
Deus famem, aliúdve ſupplicium in Iſrael
ob necem ſuorum Sacerdotum, quorum
vltio, & vindicta magis ad diuinum tri-
bunal videbatur pertinere, quam mors
Gabaonitarum? Neque verò hac tantum
in re Dei offenſam incurrit, Dauidem
enim armata manu perſecutus eſt, & ex-
tenſa manu haſta petiuit, Pythoniſſam
1. Reg. conſuluit, Amalechitas non excidit, vt à
28. Deo ei fuerat iniunctum, & iuſſus à Sa-
1. Paral. muele expectare, præcepti negligens ſa-
10. crificium obtulit: his tamen omiſſis ſce-
leribus, quaſi leuia eſſent, de illo tantum-
modo ſæuiſſima ſumitur vindicta, ídque
1. Reg. 15. regnante iam Dauide, ſi huius rei ratio-
nem quæras, inter alias, quas *Abulenſ.
quæſt.* 13. affert, hæc ſanè placet: Deus ad-
1. Reg. 13. monuerat Iſraëlitas valde vt diligerent
alienigenas, & non nocerent eis, vt patet,
Exod. 22. vbi dicitur. *Aduenam non contriſtabis, ne-*
num 21. *que affliges eum,* & Deut. 10. *Dominus Deus*
Deut. 10. *veſter amat peregrinum, & vos ergo amate*
num. 18. *peregrinos.* Ad oſtendendum ergo quod
amabat illos, puniuit populum pro pecca-
to facto contra illos, & non pro morte
inflicta Sacerdotibus.

Quod ſi apud *Serarium quæſt. 2. in c. 5.
Ioſuë, cum Iulio, & Tremellio*, admittas
eodem zelo à Saule Gabaonitas occiſos,

A quo pythones, atque arioli ab eo extermi-
nati ſunt ob diuini cultus imminutionem,
vt adimpleret quod de excidendis genti-
bus Deus præceperat *Exodi* 23. *Deuter.* 7.
& 20. & ex eodem textu patet recto Sau-
lem zelo fuiſſe concitatum, ſic enim hac
de re habetur. *Voluit Saul percutere eos* *2. Reg. 8.*
zelo quaſi pro filys Iſraël & Iuda: Hoc in- *num. 2.*
quam maiorem ingerit difficultatem, cur
Deus tam ſæuiter vltionem ſumpſerit de
cæde ſic facta, attamen inde etiam elici-
mus qualiter peregrinos tractari velit, &
B alienigenas, quorum iniuriæ etiam cum
videntur ob diuini honoris æmulationem
illatæ, ita acerbè à Deo puniuntur, quia
certè ad Dei bonitatem videtur pertinere
peregrinos, & aduenas tueri, & protegere,
quandoquidem nullus facilius decipi, &
opprimi poteſt (ſicut dixit *Caietan. ad ci-
tata verba Exodi* 22.) quam peregrinus,
vnde ſæuitia, & crudelitas Pharaonis ma-
ximè cernitur in eo, quod perſequi inten-
dit aduenas, & peregrinos, quos potius
tueri debuerat, ſi verus Dei cognitor, &
C cultor Rex eſſet.

Illuſtre hac in re Regibus reliquit
exemplum Dauid, cum bellum inferens
Moabitis ob necem patris, & matris Da-
uid, ſi credendum eſt commentis Rabbi-
norum, ait ſacer textus. *Percuſſit Moab,* *2. Reg.*
& menſus eſt eos funiculo coæquans terræ, *num. 2.*
*menſus eſt autem duos funiculos, vnum
ad occidendum, & vnum ad viuifican-
dum*; non penitus extinguens eos, à qui-
bus parentes ipſius fuerant extincti, ne-
que enim hac in re nobis placet expoſi-
D tio *Abulenſis*, dum ait. Funiculi men-
ſura vſum eſſe tanquam nihil curantem
quibus vitam concederet, quibus tan-
quam gregibus adimeret, ſed magis ad-
mittenda videtur expoſitio quam habet
Torniellius anno mundi 2551. dicens alios
quidem, nimirum qui ei reſiſtere auſi fue-
rant, omnino deleuit, coæquans terræ
municipia eorum, alios verò, videlicet
non reluctantes, coëgit ſeruire ſub tri-
buto Iſraëli, & hoc, inquit ille arbitror
indicari figurato illo loquendi modo,
E *Menſus eſt duos funiculos, &c.* Clarius
tamen *Vatablus*, qui ita habet: *Menſu-
rauit eos fune.* hoc eſt, eos menſura cer-
tiſſima, numeróque certiſſimo, & eo nu-
mero, quo voluit interfecit, & veluti ad
funiculum exegit eos, quos interficere
voluit. Sed aliquid amplius hoc in loco
latere oſtendit textus Hebræus, qui ita
habet: *Menſus eſt duos funiculos, vnum
ad occidendum: & plenitudinem, ſiue in-*

tegrita

tegritatem, siue integrum ad viuificandum, quorum verborum sensus videtur esse quando Dauid mensus est duobus funiculis, illum quo metiebatur ad mortem contrahebat quidem, & colligebat, ne multos posset comprehendere, aut metiri, sed paucissimos, vtpote quia breuis tum temporis aderat funiculus, & veluti dimidiatus, sed quando applicabatur illis, quibus concedenda erat vita, plenum quidem extendebat funiculum, integrumque protendebat, multos quidem comprehendentem; optimáque est pro nostro argumento expositio *Caietani* ibi dicentis: Non promiscuè, & ferino more iussit occidi multos, sed cum mensura proculdubio iustitiæ ad exemplum aliorum Principum, vt discant metiri iustitiæ funiculo cladem; maiórque clementia significatur dicendo, & plenitudinem funiculi ad viuificandum, vt funiculus mortis insinuetur mancus, vitæ plenus, propensiores enim esse debent Principes ad vitam hostium, quam ad mortem, &c.

Propensissimus nobis adest Pharao non Princeps, sed inimicus, non Rex, sed tyrannus, non ad parcendum hostibus, sed ad persequendos Dei seruos, quibus beneficia conferre debuerat, non mortem inferre, non gladium stringere, & bonorum omnium, ac vitæ maioris boni spoliationem minitari, cui possemus non iam Dauidem, sed barbarum etiam Regem opponere Darium, cuius humanitas, vt expendit *Theodoret. orat. 6. in Daniel.* maximè apparuit, dum coactus à Satrapis Danielem in lacum misisset. *Abyt in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibiq; non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* Possemus & Neronem obiicere, qui aliquando, scilicet, inter ipsa imperij primordia cum iudex offerret chartam subscribendam, qua capitalis duorum hominum sententia proferebatur, exclamauit, sicut refert *Seneca lib. 2. de clementia cap. 1.* dicens. Vellem nescire literas, at verò impius Pharao diaboli discipulus, & figura, diabolicam indicit persecutionem dicens. *Persequar, & comprehendam, & diuidam spolia.*

Dan. 6. num. 18.

Illúdque obseruandum in calce istius annotationis, quod inimicus Pharao fuerit non in hostes, sed in hospites, quibus peculiari ratione tenebatur opitulari, debent siquidem Principes viri patrocinium, & subsidium præbere iis, qui sub eorum tutela, regno, domóve degunt, quod notauit *Homerus in Iliad.* obseruatum fuisse ab Achille, ille enim miserum Regem Priamum per medios hostes ad suum tentorium contendentem, vt corpus filij Hectoris demortui lacrymis impetraret, hospitio excepit humaniter, & curauit maximè ne à quopiam de exercitu læderetur, sic enim habet.

Vade senex, fessos dulcis sopor irriget artus.

Nec magis hic standum est.

Similis ille locus apud Poëtam 1. *Æneid.* cum Dido dixit miseris Troianis.

Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.

Qua etiam ratione & Loth hospites, quos humaniter exceperat, defendere conatus est à petulantibus hominibus. At impius Pharao contra humanitatis iura hospitibus redditur inimicus, & quos tutari tenebatur, persequitur, vt occidat, spolietur, & extinguat.

Gen. 19. num. 6.

ANNOTAT. IV.

Impius homo nullam requiem habet, nec in vno sistit peccato, sed ad deteriora prolabitur.

DVm tot mala intendit Pharao in verbis præsentis carminis naturam & ingenium iniquorum hominũ nobis proponit, qui nullam omnino requiem in malis habent, sed ex vno in aliud incidunt, præcipitésque aguntur, quod vt melius innotescat, ex opposito proponamus tranquillitatem iustorum, vt inde impiorum agitationem in Pharaone prosequamur. Conspicitur igitur iustorum tranquillitas in eo, quod notauit *Nazianzen. Orat. 1. apolog.* vbi ostendit similitudinem cum Deo, & imaginem Dei in nobis reperiri, quando mentes nostræ compositæ omnino sunt, & ad rationis normam ordinatæ, quod solis iustis contingit, sic verò habet *Nazianzen.* Nihil mihi tam optandum esse videbatur, quam occlusis sensibus, atque extra carnem, mundúmque positus animus, & in se ipsum collectus, secum ipso, & cum Deo colloquens superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, diuináśque species puras semper circumfert, vt enim, inquit *Elias Cretens. in comment. huius Orat.* qui in speculo solem intuetur, etsi in cælum ipsum oculos defixos minimè habeat, tamen solem in speculi splendore conspicit,

eodem modo nos quoque si ad imaginis A gratiam quæ nobis à principio indita est, recurramus, id quod exoptamus habebimus, futuri æui bono iam fruentes, *Regnum enim Dei*, vt ait Dominus, *iam intra nos est*. Similia sunt quæ habet *D. Augustin. tract. 57. in Ioann.* cum explicat ea verba, *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Ita quiesco, vt audiam, otium meum non impenditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ, vaco, & video, requiesco à negotiosis actionibus, & animus meus diuinis attendit affectibus; etenim licet B diuina Sponsa dicat se vigilare, id non ita intelligendum est quasi vigilia requiem, & quietem impediat: nam sicut corporis requies in vacatione ab externis negotiis, & temporalibus occupationibus consistit; sic animi tranquillitas in contemplatione summi boni, & in vigilia illius visionis, & cognitionis consistit, vt etiam in beatis videre est.

Luc. 17. num. 21.

Cant. 5. num. 2.

In quam sententiam venit id, quod notauit *Philo lib. de profugis*, cum explicat locum de Labano insequente Iacobum, C eúmq; asserit scrutatum fuisse totam supellectilem Iacobi quærentem idola, quæ ipsi furata fuerat Rachel; ponderat ergo *Philo* Labanum scrutatum fuisse totam animalem domum meditatoris, minimè tamen repetisse idola, aut simulachra inania: totus enim plenus erat Iacob negotiis, non somniis, & vanis imaginibus, qualis profectò solet esse anima viri iusti, in qua vanæ, & vmbratiles imagines, & de vna in aliam trãseuntes, ipsámque animam mobilem, & inquietam reddentes minimè D reperiuntur, quod argumentum clariùs prosequitur *D. Ambros.* vt solet, cum *Philonizat. lib. 2. de Iacob, & vita beata, cap. 5.* vbi sic scribit. Illud mysticum est, quod venit ad eum Laban, hoc est dealbatus, nam & sathanas transfigurat se in Angelum lucis, & cœpit ab eo sua requirere. Respondit ei Iacob; *Cognosce si quid est tuorum apud me*, idest nihil tuorum habeo; quære si quid agnoscis vitiorum tuorum, & criminum, nihil mecum abstuli fraudum tuarum, dolique consortia vlla non E habeo, omnia tua tanquam contagium refugi. Et quæsiuit Laban, & nihil suum reperit: quam beatus vir in quo inimicus nihil inuenit, quod suum possit dicere, in quo diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret; impossibile videbatur istud in homine, sed typum gerebat eius; qui dixit in Euangelio, *Venit huius mundi princeps, & in me inuenit nihil*, nihil enim

Gen. 31.

Ioan. 14. num. 30.

est, quidquid est diaboli, quod nullã possit habere perpetuitatem, atque subsistentiam, ipse autem est, qui præfigurabatur in Iacob Dominus Iesus, sponsus duarum coniugum, idest legis, & gratiæ, qui virginem Rachel ante dilexit, & prædestinatam sibi in coniugio pio amabat affectu; quod si Laban nihil suum inuenit apud Iacobum, qui ideò tanta securitate conquerenti socero respondit; totum profectò suum diabolus inuenit in Pharaone, qui propterea typum illius gerere solet, inuenitur enim, & inuentum diaboli persecutio, comprehensio, & alienæ substantiæ deprædatio, innocentúmque mors, quod totum diaboli opus esse solet.

Hanc etiam animi tranquillitatem ponderat *D. Ambros. lib. de ciuit. cap. 9.* In eo quod Iacob intra semetipsum sese colligens præsentibus rebus moribundus se subtraxerat, & nouissimis diebus futuræ miscebatur ætati; neque verò potuit non habere summam animi tranquillitatem, & quietem is, qui sese colligens intra se, totúsque adhærens Deo, nihil de hac vita secum deferre profitebatur: è contra verò, qui aliena bona per summam auaritiam deprædari nitebatur, & alienum sitiebat sanguinem, innocentúmque viam, & vitam intestino persequebatur odio, internis motibus quatitur, prauísque affectibus concutitur, nullámque requiem habere ostendit, externis etiam verbis, vt solet impiis hominibus euenire. Gen. 49. num. 32.

Longè aliter contigit Prophetæ Moysi, qui vndequaque circunclusus, mari, scilicet rupibus, & Pharaonis copiis sæuientibus, nihil prorsus procellosum videtur pati, nihil verbis profert, sed animo Deum alloquitur, & oculis cælum petit, expostulaturus supernum auxilium, & ideò nihil de eo audimus, qui solum Deum voluit auditorem, & exauditorem habere. Verùm etenim est quod dixit *D. Bernard. serm. 2. in festo omnium Sanctorum*, cum stratum componit quiescenti, ac iustæ animæ. Hæc est, inquit, animæ suauissima, & salubertima requies, conscientia munda, quieta, secura sit ergo beatæ animæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit opertorium eius securitas, in hoc strato dominat delectabiliter, feliciter requiescat. Non sic autem impius homo, cuius imaginem videmus in Pharaone, qui ad exitum Israëlitarum magnam congregat manum, multas armat copias, & validissimum profert exercitum, sermósque Dei dum insequitur, persequi profitetur Exod. 14. num. 15.

compre

comprehensionem minitatur, deprædationem prædicit, internecionem intentat & dum sibi requiem, & securitatem promittit, magis se inquietum, & exagitatum prædicat, sitibundum, esurientémq; ostendit, & quasi ipse agnosceret se morti proximum; tunc maiora mala intendit, quando minimum vitæ tempus habebat, quæ fuit ratio, cur de diabolo dixerit *Ioannes*, (*Apoc.12. num.12.*) tunc maiora mala intentasse, cum modicum tempus haberet, & ideò quando in nobis modicum vitæ tempus sentit, mortíque proximos cernit, maiores exerit tentationes, actiúsque nos insequitur, comprehenderéque nititur, & supernaturalia detrahere spolia, cum tamen iusti, & sancti homines, cum modicum tempus vitæ habent, maiora operentur, & loquantur bona, tunc enim substantiam suam pauperibus diuidunt, piis attribuunt operibus, & quæ per totam vitam comparauerant bona, bene expendunt, diuidúntque viduis, orphanis, languentibus, & egentibus, qua in re Sanctum Sanctorum imitantur, qui in extremo vitæ curriculo mirabiliora edidit opera, maiora contulit beneficia, clarioráque reliquit exempla, vt ipsorum qualitate, & magnitudine, temporis breuitatem superaret, neque enim alia ratione existimo dictum fuisse ab Euangelista (*Ioan.13. num.1.*) *Ioanne c.13. Sciens quia venit hora eius*, nisi vt inde deduceret; abundantius sese diuinam bonitatem communicasse hominibus, quando extremum aderat tempus, & vltima appropinquabat hora, sic etiam eodem tempore nobis eundem Dominum, quamuis semper verba vitæ æternæ loquentem, diuinius multo, pulchrius, & dulcius in vitæ confinio disserentem, sicut etiam Moyses *Deut.31.& 32.* quando iam morti proximus erat diuinius quam vnquam locutus est, indéque videtur hausisse *Plato in Phedone*, vt introduceret Socratem cygnea voce loquentem in extremo vitæ tempore, instar cygnorum, scilicet, qui dulcius feruntur canere in morte. Et *Cicero 1.de diuinatione*, dixit, appropinquante morte diuinior est natura. Et *Xenoph.lib.8.* Anima hominis tunc si vnquam aliàs Diuina esse videtur, in morte diuinior est: sic loquuntur, sic quiescunt, sic operantur viri iusti in morte. At verò impij instar Pharaonis in vno peccato, minimè sistunt, sed ex vno gradatim ad aliud deterius progrediuntur, seu potius præcipites ruunt, ita vt grauioribus in dies peccatis sese implicent, quod prosequitur *Philo lib.de confusione linguarum*, dicens.

Ita est profectò: insipiens non aliunde accipit, sed ipse sibi quærendo mala inuenit, non contentus his per quæ misera natura vltro incedit, sed cumulans ea malis artibus, & exercitiis.

Prosequitur hoc argumentum *D. Hieron.in cap.16.Ezech.* ibi *Et fornicata es in filijs Assyriorum*, dicens. De aliis peccatis ad alia sæpe transimus, cumque non egerimus priorum scelerum pœnitentiam, augemus delicta delictis: & nullo errore satiamur: sed quasi fune longo; & corrigia iugi vitulæ trahimus peccata: & testamentum nostrum, siue fornicationē multiplicamus in terra Chanaan, quæ interpretatur fluctuatio, semperque vestigia habemus in salo, & nunquam possumus dicere, *Statuit supra petram pedes meos*, (*Psal.35. num.3.*) quæ verba magis explicans idem *Hieron.* post multa ait. Semper errantium fluctuāt pedes, nec sunt solida vestigia, quæ contra veritatem sunt, sed huc, illúcque discurrunt, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem, & cum in primis frustra se sudasse cognouerint, à secunda ad tertiam transcendant. Hoc videtur dixisse Dauid cum ait. *Erraui sicut ouis, quæ perijt*, (*Ps.118. num.vlt.*) ouis si quidem perdita longius semper à pastore recedit, qua in re differt à non viuentibus, quasi drachma fuit; quam cùm perdiderit mulier, non alibi quæsiuit, (*Luc.15. num.8.*) sed domum totam euertens, ibi reperit, quia inde non abierat, at verò miser peccator velut ouis perdita, longius semper abit, recedit, & difficiliorem sibi reditum reddit.

Quod etiam videre possumus, vbi dicitur, *clamor Sodomorum*, idest, clamorosum (*Gen.18. num.20.*) & publicum Sodomorum scelus, *Multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis*, quibus in verbis, & multitudinem peccatorum vides, sicut notauit *Oleast.* & additam insuper grauitatem: postquam enim dixit, multiplicatus est, adiecit, & aggrauatum est, vt ostenderet sceleratorum hominum peccata, & numero creuisse, & grauitate excessisse, nam erga proximos inhospitales, atq; inhumani erant, vt discretè narrat *Iosephus lib.1.antiquitat.* & habet fundamentum in *Ezech.* cum ait. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, &c.* (*Ezec.16. num.45.*) Manum egeno, & pauperi non porrigebant; erga seipsos verò spurcissimi, & infames, sicut prosequitur *Philo lib. de Abraham*, vbi sic habet, non solum in fœminas insaniendo alienos polluebant thoros, verum & mares contra naturæ leges, cum maribus execranda libidinis fœditate misceban

ſcebantur, muliebrique mollitie in corpus recepta, animóſque reddidere ignauiſſimos, & quantum in ipſis fuit vniuerſum corrupere genus hominum; nec quidquam illis proficiebat reprehenſio, &c. Et denique aduerſus Deum erant valdè impij, vtpote qui idololatræ erant, ſicut expreſsè tradit *Ioſephus*.

Eſt optimus in confirmationem locus apud *Chryſoſt. homil.* 87. *in Matth.* vbi in hunc modum proſequitur quo pacto diabolus in leuiora peccata inducat miſerum peccatorem, vt ipſum poſtea ad grauiora protrahat, in dieſque in profundum iniquitatum démergat. Veterator, inquit ille, malorum diabolus à minimis plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. 1. Reg. 28. Studebat in Pythoniſſæ deriſionem Saül Regem detrudere, iterum quia non adhibuiſſet ille mentem ad Pythoniſſas, paulatim ipſum inducit; nam quoniam Samueli non obtemperauit, & holocauſta offerri præparauit, illo abſente accuſatus ait: Neceſſitas hoſtium facta eſt maior, cúmque flere oportuiſſet, quaſi nihil mali feciſſet, lætabatur: iuſſit deinde nonnulla de maledictis Deus, ea quoque tranſgreſſus fuit. Hinc aduerſus Dauid illum inſaniuit, ac ſic paulatim labens non ſtetit, quoúſque ad ipſum perditionis barathrum ſeipſum immiſit. Similiter etiam de Cain factum eſſe videmus, non enim confeſtim cædem fratris illi ſuggeſſit; ne magnitudine rei commotus tã ſceleſtum facinus abominaretur, ſed prius perſuaſit deteriora offerre, nullum eſſe id dicens peccatum, deinde inuidiæ veneno ſuccendit, nihil etiam hinc mali ſecuturum perſuadendo, ita ſenſim in eum illapſus, ad cędem fratris, & ad negatione ſceleris impulit; nec prius ceſſauit, quam malorum omnium verticem impoſuit. Repellenda igitur ſunt malorum initia, nam etiamſi ad maiora, prima non progrederentur peccata, non eſſet tamen negligendum, nunc verò poſt iſtam incuriam gradatim ſemper aſcendunt, quapropter omni ſtudio, atque opera funditus principia peccatorum ſunt euertenda; non enim vim delicti ſolam conſideres, nec quia paruum ſit cogites, ſed illud præcipuè tene, quia ſi radicem non euulſeris, magnus inde labor ſuccreſcet; mirabile quidem, atque inauditum dicere audeo: ſolet mihi nonnunquam, non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe vitanda, quanto parua, & vilia. Illa enim natura ipſa ſponte auertuntur, hæc autem hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides red-

A dunt, & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt, negligentia noſtra, ſic in Iuda maximum proditionis malum concreuit, niſi enim putaſſet paruum eſſe pecuniam inopum ſurripere, in tantam proteruitatem non deueniſſet. Iudæi quoque niſi putaſſent inanis gloriæ delictum minimum eſſe, vſque ad cædem Chriſti lapſi non fuiſſent. Hac via omnia ſcelera fieri videbis, nemo enim repentè ad extremam impro-
B bitatem inſiliet, hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cum vltra quam oportet viui, ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto ſimulachra, & ſtatuæ adoratæ ſunt, hoc pacto denique fornicatio, & cætera vitia dominantur, ſic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit, & inde ad deſperationem detrudit: ſi apertè pugnaret, facilis eſſet victoria, ad omnes has vias, armauit nos Deus, non eſſe contemnenda parua conſulens. Audi quod Chriſtus admonet. *Qui dixerit fra-*
C *tri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis*, & qui Matt. 5. num. 21. ad concupiſcendam mulierem aſpexerit, adulter eſt, ridentes etiam quaſi miſeros Mat. 12. num. 36. deflet, & vbique initia, & ſemina peccatorum radicitus tollit, & de otioſo nos verbo relaturos rationem aſſerit, & Iob Iob 5. cogitationes filiorum purgabat, noli dicere, quid etiam ſi pauperem hunc præteribo? Hoc enim pacto etiam alium tranſcurres, deinde alium, atque alium, ac tandem omnes contemnes. Noli dicere quid eſt ſi rem proximi deſiderabo? Hoc enim
D Achab Regem perdidit, ſic *Chryſoſtomus* oſtendit qualiter initia peccatorum debeamus obſeruare, & cauere, ſolet enim 3. Reg. 21. miſer peccator, vbi primum vnum, etiamſi leue ſit peccatum, admiſerit, cætera grauiora, etiam vſque ad grauiſſima committere.

Proſequitur hunc peccatoris, & peccatorum decurſum, *Strabus in Gloſſ. ordin. mora.* 4. *Reg.* 25. in Sedecia, & in malis, quæ ipſe paſſus eſt. Per primum enim, quod eſt eius obſidio ſignificatur multi-
E moda dæmonum tentatio, quæ circuit, & circumuallat hominem quærés quem deuoret. Per ſecundum, quod fuit eius fuga, ſignificatur puſillanimitas tentati, in quo ſcilicet non inuenitur reſiſtentia; contra admonitionem *Iacobi cap.* 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Per tertium, quod eſt Iacob 4. num. 7. eius comprehenſio indicatur tentati, non reſiſtentis lapſus in peccatum mortale. Per quartum, quod fuit occiſio filiorum, ſignificatur

significatur omnium præcedentium bonorum, quæ peccator in gratia existens fecerat mortificatio, sunt enim opera nostra quasi quidam partus nostri, iuxta illud.
Isai.66. *Antequam parturiret peperit, & antequam*
num.7. *veniret partus eius peperit masculum, quis audiuit vnquam tale? Aut quis vidit huic simile?* Qui locus ad literam intelligitur de primitiua Ecclesia. Quantumcumque igitur bona sint, ac meditatoria opera, quæ quis edit in gratia, per superueniens læthale peccatum fiunt, si non mortua, at certe tamen mortificata, iux-
B
Ezec.18. ta illud, *Si auertit iustus à via sua iusta,*
num. 24. *& fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur.* Intellige, interim dum permanserit in statu iniquitatis, qua de re plura qui velit adeat relectionem *Suary de reuiniscent. meritor. in fine opuscul.* Per quintum, quod fuit obcæcatio ipsius Sedeciæ repræsentatur ignorantia, & cæcitas mentis, quæ maior sesequitur ad peccatum, iuta illud. *Excæcauit illos malitia eorum*: & secundū eam *venit lux in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, erant enim* C *eorum mala opera.* Vidèdúsque est Olcoth.
Sap.2. *lect.28. in Sapient. & D. Aug. in Psal.35. &*
num. 21. *Gregor. ad illa verba Iob.39. Priuauit eum*
Ioan.3. *Deus sapiētia, nec dedit illi intelligentiam.*
num. 15. Sextum fuit concatenatio, significátque magnam resipiscendi difficultatem, quam post diuturnam in peccato perseuerantiam, & cæcitatem mentis, iusto Dei iudicio peccator incurrit, denegatis scilicet illi auxiliis efficacibus, aut in lōgum tempus, aut, interdum etiam per totam vitam D reliquam, in hunc autem miserum statum, cum quispiam detrusus est, tenetur vtique vinctus, & arctissimis quasi catenis constrictus, vt inde auolare, & ad Deum confugere non valeat facilè, nec reuera redibit interim dum se ita habuerit, quanquam semper sua culpa, cum non destituatur auxiliis ad sui emendationem, & resipiscentiam sufficientibus, qua de re optimè dixit *Augúst. lib.3. de libero arbitrio c.8. tom.1. illa est peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque quo bene vti noluit,* E *cum sine vlla posset difficultate, si vellet, id autem est vt qui sciens rectè nō facit, amittat scire quid rectum sit, & quia rectè facere cum posset noluit, amittat posse cum vellit, nam sunt vera omni peccanti animæ duo ista pœnalia ignorantia, & difficultas, ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit.* Hæc *Aug. & lib. retract. cap.9. tom.1.* monens hæc longè antequam

A Pelagiana hæresis pullularet sic à se dicta, & disputata esse, velut si contra Pelagianos iam disputaret, qui hominem scire, & posse rectum etiam in hoc humani generis statu dictitabant viribus naturalibus id confutat. Post hanc igitur concatenationem meritò sequitur vltimum Sedeciæ Regis supplicium, quod fuit abductio in Babylonem per quam figuratur missio in gehennam, Babylon enim confusionem sonat, iuxta illud: *Idcirco voca-* Gen.11.
tum est nomen eius Babel, quia ibi confu- num.9.
sum est labium vniuersæ terræ. De gehenna autem, etiam ad litteram dicitur, *Nullus ordo*, (excipe ea, quæ se tenent ex parte Dei, qualis est mensura tormentorum) sed sempiternus horror inhabitat, & consequentet summa confusio, rerúmque perturbatio. Iob 10. num. 22.

Hanc autem malorum gradationem Ps.108.
videtur significasse Dauid cum dixit: *Di-* num. 17.
lexit maledictionem, & veniet ei, & intrauit, (scilicet maledictio) *sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius,* ptius autem dixerat, *induit maledictionem*, nempe, *sicut vestimentum.* Notandæque sunt tres similitudines appositæ, quæ rem videntur exprimere, vestimentum, aqua, & oleum, collocat enim primo loco vestimentum, inde aquam, tertiò oleum: Vestimentum enim quantumuis aptè, & arctè cadat, non se tamen intra hominem fundit, sed exterius ambit: aqua verò in stomachū cadens, inde quasi cibi, sanguinísque vehiculum in venas, porósque illabitur, sed oleum aqua longè penetrabilius ad ipsa etiam ossa peruadit, & ad ossium medullas serpit: simili planè progressu maledictio, seu peccatum, quod peccator miser dilexit, peccatoris animum afflictabit, imprimis enim, vt eodem *Psalm.* dicitur: *Non est recordatus facere* Ps.108.
misericordiam, cum facere teneretur, si- num. 16.
quidem proximus erat inops, & medicus, & compunctus corde, idest, afflictus spiritu, & proinde grauiter egens, deinde verò *persecutus est*, talem proximum *inopem, & mendicum, & compunctum corde, mortificare*, id est, vsque ad necem, seu statuit non cessare donec extremum vitæ terminum poneret.

Hoc etiam possumus deducere ex *Pau-* 2.Tim.3.
lo vbi ait: *Mali autem proficient in peius* num. 12.
errātes, & in errorem mittentes, sicut enim de sancta, & perfecta anima dicitur, quod velut aurora consurgit, quæ maiorem semper claritatē haurit; & perfectiori lumine lucet, donec in perfectum diem

exorto

exorto sole, abeat, quod idem Salomon dixit. Prou. 4. num. 18. *Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*, sic & impij in peccatis proficient, quod deficere quidem est, quod Ecclef. 3. num. 29. etiam Ecclesiasticus dixit. *cap. 3. Peccator adiecit ad peccandum*, Græca verò significantius habent: *Peccator apponet peccata super peccata*, quod sanè verbum grauiter metuendum est, nam sicut dixit *Gregor. homil. 11. in Ezech.* Peccatum, quod per pœnitentiam lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati, quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus obligetur: qui quidem loquendi modus, dum appellat aliquot antecedentia, peccata causam subsequentium, & subsequentia pœnam antecedentium placuit eidem *Gregor. 25. Moral. cap. 12. alias 9.* vbi ait, Vnum, idémque peccatum est, & pœna præcedentis, & causa culpæ subsequentis, quia, & transacta, dum exaggerat, damnat: & adhuc sequentia, quæ damnari debeant seminat. Idem habet *August. lib. 5. contra Iulian. c. 3. tom. 3.* vbi latissimè, & planissimè hanc doctrinam proponit & exponit, *& lib. de nat. & grat. cont. Pelag. c. 22.* habet. Et *Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 15.* cum ait. Pœna peccati peccatum admittitur, quando pro merito cuiúsque peccati, Deo deserente, in aliud peccatum deterius itur, de quo amplius qui admiserit, sordidetur: præcedentia itaque peccatum sequentium criminum sunt causa, vt illa quæ sequuntur sint præcedentium pœna.

Ostendit hoc ipsum locus ille, vbi dici- Psal. 68. num. 27. tur: *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt: Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, & non intrent in iustitiam tuam*, quæ verba non malam continent precationem, sed Prophetiam, vt plerúmque in Scriptura contingit, & docuit *Aug.* celebri illo Canone, quē multis in locis affert, sed præcipuè in *Psalm. 61.* ibi: *Decidant à cogitationibus suis, &c.* Qua de re nos latiùs infra dicemus. Est igitur præcitati versus sensus. Quoniam perfidi Iudæi (de illis enim loquitur ibi ad literam Christus Dominus cum patre) nullis affectionibus meis satiati dolorem dolori addiderunt, & vulnus vulneri, ita quoque iusto iudicio tuo in vltionem iustam adiicies eis iniquitatem supra iniquitatem, idest, sic eos labi permittes, vt noua semper iniquitas addatur priori, ne eo vnquam perueniant, vt participes fiant iustitiæ fidei, idest, iustitiæ per fidem in

A Christum, qui est vera iustitia tua, non qua tu iustus es, sed qua iustificas impium. Rectè autem ad nostrum institutum locum sic explicat *Genebrardus*, vbi ait. Deus peccata peccatis punit, non infundendo malitiam, sed subducendo gratiam, & alia iustitiæ media, sine quibus non magis impij ad Deum conuertentur, quam in sublime aues, sine alis volabunt.

Sed fortè mirabitur quis, dum audiat vnum peccatum esse pœnam alterius; cum omnis pœna iusta sit, & à diuina descen-
B dens iustitia, sicut prosequitur *August. 1. retractat. cap. 9. & lib. 3. de lib. arbitr. c. 18.* Peccatum verò iniquum, & iniustum est, ac demum Deus nō est Author peccati, est autem Author pœnæ. Ad hoc igitur dicendum est pœnam præcedentium peccatorum, esse subtractionem diuinorum auxiliorum, quæ à Deo prouenit, de qua iam diximus, & iterum dicemus, cuius causa Deus est, & quia ex tali subtractione sequuntur grauissima peccata, idcirco ipsa quoque peccata figurato, & vulgari mo-
C do loquendi dicuntur pœnæ antecedentium peccatorum, & Deus dicitur posterioribus peccatis vindicare priora, & sic intelligendum est id, quod diximus formaliter, scilicet, quod peccatum, vt peccatum est, pœna sit, nam si materialiter loquendum sit, dubium non est id, quod est peccatum, multis aliis rationibus annexis posse esse pœnam antecedentis peccati, quod mihi videtur dixisse *D. Tho. 1. 2. q. 80. art. 2.* cum ait. Peccatum si consideretur per se, idest, secundùm formam, &
D naturam suam, non habere rationem pœnæ, nec posse vllo modo esse pœnam peccati, propter allatam rationem, benè tamen si consideretur per accidens, idest, ex parte causæ vnde oritur, quæ est remotio prohibentis, sunt enim causæ inclinantes ad peccatum passiones, tentationes diaboli, & alia huiusmodi, quæ impediuntur per auxilium diuinæ gratiæ, quæ subtrahitur per peccatum; vnde cum ipsa subtractio gratiæ sit quædam pœna, & à Deo non permissa solum, sed volita, potuit
E enim hoc velle cum iustum sit, sequitur quod per accidens etiam peccatum, quod inde sequitur pœna dicatur, quod latiùs docet idem *D. Thom. in c. 1. ad Rom. lect. 7.*

Vidit hanc difficultatem Magister sententiarum in *2. d. 36.* sicque soluere conatus est, peccatum scilicet dici pœnam peccati, non vt habet rationem culpæ à libera voluntate commissæ, sed secundum effectum, quem in anima peccantis produ-

cit,

cit, qui est corruptio boni naturæ, facit erum inordinationem quandam in anima, & inclinationem ad malum, & reatum æternæ mortis, at vero hac ratione peccatum, etiam primum, posset dici pœna, quod quidem alienũ est a sententia *Pauli Rom.* 1. Et *August. quæst.* 1. *retractat. c.* 15. tradit quædam esse peccata, quæ non sunt pœna aliorum, apertiúsque declarat in *Psalm.* 57. ibi: *Super cecidit ignis, & non viderunt solem*: Attamen respondet Magister, licet quodlibet peccatum sit pœna peccantis, non tamen omne peccatum est pœna alterius peccati, sed tantum subsequens præcedentis.

Cæterùm si non aliter peccatum est pœna, nisi propter corruptionem boni naturalis, & reatum æternæ mortis, vt ipse vult, cum talis (vt ita loquat) pœnalitas proueniat ex proprio peccato vnde efficitur, non debet ea referri ad aliud peccatum, sed assignari tantum debet proprio peccato, à quo efficitur. Et certè *Paul.* pœnas peccatorum præcedentium commemorat peccata, ea ratione, vt peccata sunt grauissima, & fœdissima. Et *August. Greg. & Isidor.* vt verba eorum, quæ retulimus indicant, peccatum, vt peccatum, faciunt pœnam peccati, non autem propter illam corruptionem boni naturalis. Ex quibus iam colliges, quod erat nostri argumenti intentum, impios non in vno sistere peccato, sed in dies grauiora, & plura inemere, ídque etiam in pœnam præcedentium commissorum.

Rom. 1. *num.* 26. *& 27.*

Neque vero omittendum censeo hoc in loco impiam iniquorum naturam, & indolem, qui ab inceptis & conceptis malis nunquam desistunt, donec vel illa compleant, vel à Deo impediantur, sicut nequissimo contigit Pharaoni. Nouerat hoc ipse Deus eum dixit de impiis ædificantibus superbam turrim: *Cæperunt extruere, neque desistent à cogitationibus suis*, hic namque est iniquorum mos, vt non desistant à cogitationibus impiis, donec perficiant eas. Et in hanc sententiam est optimus locus apud *August. lib.* 3. *de consensu Euangel. c.* 13. vbi nititur conciliare Marcum Euangelistam in eo, quod dixit *c.* 15. scilicet *Crucifixum fuisse Christum hora tertia*, cum eo, quod dixit *Ioannes* id *factum fuisse hora sexta*, expendens igitur locum *Marci*, ait. Res diligentissimè considerandaest, ne magnum faciat errorem, sunt enim, qui arbitrentur hora quidem tertia Crucifixum, à sexta autem hora tenebras factas vsque ad nonam, & posset hoc rectissimè intelligi, nisi *Ioannes* diceret: hora quasi sexta Pilatum sedisse pro tribunali, sequitur enim erat Parasceue, hora quasi sexta, & dicit Iudæis. *Ecce Rex vester.* Illi autem clamabant: *Tolle, tolle, Crucifige eum*: deinde rem concludens asserit ideò dictum fuisse Crucifixum Christum Dominum hora tertia à Marco, quia impij Iudæi ipsum Crucifigendum clamarunt, a quo minimè cessarunt donec tandem ipsum Cruci affixum viderunt: Intelligitur ergo, inquit ille fuisse hora tertia cum clamauerunt Iudæi petentes, vt Dominus Crucifigeretur, & veracissimè demonstratur eos Crucifixisse, quando clamauerunt: Cum enim mali non desistant à concepto, & incepto malo, idem reputauit *Marcus* voluisse, intendisse, & clamasse Iudæos necem Domini, atque actu fuisse occisum, Cruciqne affixum.

Gen. 12.

Marc. 15. *num.* 25. *Ioan.* 19. *num.* 4.

Hoc etiam videre est in Esau, qui cum in corde suo tantum dixerit, se occisurum fratrem Iacobum, sic enim habet sacer textus: *Dixit in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Et statim Pater illum vocauit, eíque dixit: *Vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, &c.* Græci vero codices (teste *D. August. quæst.* 82. *in Genes.* habent non vade, sed fuge, tam cito enim illi maturandam censuit fugam à concepta adhuc occisione, & animo proposita fratris nece, quam Patri reuelauerat Deus, vt idem *August.* expendit: Nouerat enim nullatenus abolendum esse impium propositum donec actu compleretur ab impio Esau, proinde non solum illi air, vade, sed fuge. Longè aliter pij, ac iusti homines, qui etiamsi aliquod toto animi conatu videatur intendere, ac velle: facili tamen negotio desistunt, ac retardantur, vt videre est in Dauide, qui iurauerat non rem ausurum in domo Nabalis de omnibus, quæ ad ipsum pertinebant vsque mane: statim tamen ac vidit Abigailem, sedato, ac tranquillo animo illi dixit: *Benedicta tu, quia prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.*

Gen. 27. *num.* 41.

Gen. 28. *num.* 2.

Cum ergo Deus viderit Pharaonem plurima mala destinasse inferre, dicendo: *Persequar, & comprehendam, &c.* Si possetque reuera illaturum seruis suis, ipsum diuinitus retardauit, ac impediuit, alioqui quæ est iniquorum conditio non in vno inferendo malo persistere, sed plura, & grauiora contra Deum committeret, & Dei seruis inferret.

1. *Reg.* 25. *n.* 33.

ANNOTAT. V.

Sola bona temporalia potest inimicus auferre.

ILlud deinde hoc in loco maximè aduertendum est ad nostram consolationem, & ad ferendam æquanimiter inimicorum persecutionem, quid tandem scilicet minetur tyrannus inimicus: *Persequar & comprehendam, & diuidam spolia, &c.* Sola vtique temporalia, quæ nullius fere B momenti sunt, non verò spiritualia, quæ verè bona sunt, & proinde pluris æstimanda, & ducenda, vnde Dauid, vt eum interpretatur *D. August.* nouaculam appellauit prædonem, ac tyrannum, qui pulchriorem, & expeditiorem reddit iustum superfluis ablatis, dixit enim *Psal. 51. Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Vbi *August.* ita habet. Ecce quid faciunt Sanctis mali, capillos radunt; nam capilli superflua rerum temporalium significant: illi qui adhærent corde Deo sic habent ista terrena tanquam capillos, quia sine sensu præciduntur, acuat sicut nouaculam linguam suam Doech, acuat dolum quantum potest, ablaturus est superflua temporalia: Nunquid ablaturus est necessaria sempiterna? Quibus habet similia *August. serm. 6. de verbis Domini*, cum ait: Insidiatur contra te potens, acuit nouaculam, vnde capillos radat, non vnde caput incidat, quod dixi modo audistis, sicut nouacula acuta fecisti dolum: quare dolum potentis, malæ nouaculæ comparauit? Quia non admittitur nisi ad superflua nostra, sicut capilli in corpore nostro tanquam superflui videntur, sic quidquid potest tibi facere iratus potens, inter superflua tua numera, tollit paupertatem tuam, nunquid tollit diuitias tuas? Paupertas tua, diuitiæ tuæ in corde tuo, superflua tua potuit tollere, damno potuit afficere permissus, & vsque ad lædendum corpus: etiam vita ista cogitantibus aliam vitam inter superflua deputanda est, nam, & Martyres non vitam perdiderunt, sed vitam acquisierunt: Idem etiam aduertit idem *August.* ad illa verba: *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus, custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Ait ergo *August.* ossa iustorum esse patientiam, & tolerantiam, idémque potest dici de cæteris virtutibus. Custodit ergo Dominus ossa iustorum, ne frangan-

Psal. 51. num. 4.

Psal. 33. num. 12.

A tur in tribulatione, quia illorum seruat patientiam, gratiam, charitatem, & cæteras virtutes: Persequatur proinde inimicus, comprehendat, & spolia diuitiarum detrahat. Euaginet gladium, interficiatque; hæc enim omnia ipse potest facere, eripere bona, & mortalem vitam auferre, sed vnum ex ossibus non conteretur, aut comminuetur, quia veræ diuiniæ inconcussæ manebunt, & securæ durabunt animam, eámque comitabuntur in vitam immortalem.

Mirabiles, dixit Dauid, *elationes maris*, sed *mirabilis* etiam *in altis Dominus*, poterunt enim excitari, & commoueri contra nos procellosæ tempestates, & fluctus ascendere vsque ad cælos, & descendere vsque ad abyssos, sed naufragos, nudos, & boni, omnibus spoliatos, quales solent esse ij, qui tempestatem euadunt, suscipiet Dominus, & de omnibus his liberabit, imò, & cumulabit bonis sempiternis. Ideóque *August. in eundem Psal.* Suspendantur fluctus quantum volunt, fremat C mare, quantum vult, mirabiles quidem suspensuræ, vel, elationes maris, mirabiles minæ, mirabiles persecutiones, non terreamur, quia mirabiles elationes maris, mirabilis est in excelsis Dominus. Sic ille. Qui rectè ostendit nudatum quamquam à persecutoribus, & in mare iactatum, qualis plane fuit Ionas, suscipiendum à Deo, & vera stola induendum, & suscipiendum in æternam requiem, ac gloriæ corona ornandum. Quod argumentum prosequitur *Gregor. lib. 7. Epist. 126. ad Recharedum Regem, Visigothorum*, vbi ait, quis D nesciat quam prosperum fuit, quod beatus Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit? Sed nauis cordis in marinis fluctibus integra stetit; Etenim quando iusti exuuntur, tunc melius à Deo exornantur; quando diripiuntur, verè ditantur; quando occiduntur, vita immortali denuò donentur. Et ideò idem *Gregor.* monet non diuitias custodiendas, & conseruandas temporales, sed spirituales poE tius solicitè amplectendas. Sic ergo monet Regem, qui magnam auri copiam à Iudæis pro abolenda constitutione contra ipsos lata, recusauerat. Itaque fili excellentissimè fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti. Magna sunt hæc, & omnipotentis laudi tribuenda, sed inter hæc vigilanti sunt studio antiqui hostis insidiæ cauendæ, qui quanto maiora in hominibus

Psal. 92. num. 4.

Act. 27.

dona

dona conspicit, tanto hæc auferre subtilioribus insidiis exquirit. Neque enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos, qui auri vascula, vel argenti ferunt: via quippe est vita præsens, & tanto quisque necesse est, vt insidiantes spiritus caueat, quanto maiora sunt dona, quæ portet. Hæc proinde, dona, vasa & hi thesauri custodiendi, & conseruandi sunt, at verò bona temporalia parui facienda, & contemnenda, neque multum curandum, si à persecutoribus auferantur, cum vera, & solida bona nequeant diripere.

Facit in confirmationem huius argumenti *Philo lib.2.legis allegor.* vbi expendit locum illum: *Cumq; leuaret Moyses manus vincebat Israël, sin autem paululum remisisset superabat Amalech*: Quibus verbis, ait *Philo*, hoc docemur, quod mens, quando attollit seipsam supra mortalia, & sublimis fertur, vim concipit, vt Deum videat, quod est Israël; quando verò neruos suos hæc remittit, relaxátque mox affectus præualet, scilicet Amalech, qui interpretatur populus elingens, reuera enim absumit totam animam, & abligurit ne semen quidem aut scintillam virtutis reliquam in ea faciens: quamobrem scriptum est: Principium gentium Amalech. Ergo quibus mentibus Deum pacem largiri donatur, in his pollicetur deleturum se sub cœlo memoriam Amalechitarũ, hos autem deuincit quisquis instar Moysis animam eleuat à terrenis; sicut autem Aaron, & Hur, manus Moysis sustentabant & eleuabãt, ita prorsus animam sæcularibus rebus superiorem, & eminentiorem reddunt, quicumque subtrahunt sublunaria bona, & terrestres diuitias.

Exod.17. num.12.

Quod si quis nobis obiiciat sanctos veteris Testamenti, qui tam multa bona possidentes præclari in virtute extiterunt, summáque Dei amicitia fruiti sunt, quales prorsus fuere Abraham, Isaac, & Iacob, & Iob. Dicendum vtique est, hos sanctos diuites quidem fuisse rebus, sed pauperes spiritu, & cupiditate, qua de re videndus *D. August. lib. de gradibus ascensionum, grad.8* cum explicat illa verba: *Est quasi diues cum nihil habeat, & est quasi pauper, cui multa diuitiæ sunt.* Quasi pauper ergo, ait *Augustinus*, in multis diuitiis est humilis spiritu. Nobilis ergo inopia est mentis humilitas, & hæc certè erat Sanctorum Patrum veteris Testamenti, qui in tãtis diuitiis humiles spiritu erant,

Prou.13. num.7.

A animúmque velut abstractum à rebus terrenis, & eisdem eminentiorem habebant, & in diuitiis maximè humiles; qua de re videndus *D.Gregor.10.Moral.c.17.* vbi ait. Sunt nonnulli qui dum terrenis se opibus abundare conspiciunt, veras Dei diuitias non requirunt, atque æternam patriam non amant; quia hoc sibi sufficere, quod rebus temporalibus fulciuntur, putant; non est ergo census in crimine, sed affectus. Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum verò diuitem tormen-

B ta cruciabant; sed tamen diues Abraham fuerat, qui in sinu Lazarum tenebat, qui tamen authori suo colloquens dicit: *Loquar ad Deum meum cum sim puluis, & cinis?* Quid itaque iste diuitias suas æstimare nouerat, qui semetipsum puluerem, cinerémque pensabat? Aut quando hunc res possessæ extollerent, qui de se quoque eorum, videlicet possessore, tam abiecta sentiret? Meritò proinde pauperem rebus in vita, suscipit post mortem pauper spiritu Abraham, & qui ad vitam in-

Gen.18. num.27.

C gredi debet, aut res omnes debet dimittere, eisque prorsus carere, aut illarum amore, & cupiditate, vt sic aptior, & capacior remaneat ipsius animus ad Deum suscipiendum, & amandum, &c. Similisque est ille locus apud *D.Hieronym.lib.1. dialog. contra Pelagianos*, vbi ait: *Abraham, & cæteri, quos in veteri Testamento legimus diuites ingressos regna cœlorum, non sibi, sed alijs diuites fuerunt, & dispensatores magis Dei, quam diuites sunt appellandi.* Sic ille. Cui addendus *Plato lib.2.*

D *de leg.* vbi ait. Vir bonus, & iustus beatus erit siue pauper, siue diues, siue sanus, siue ægrotus, & debilis siue liberos habeat, siue illis careat; è contrario viro iniusto si cætera omnia constent, quæ bona à mortalibus appellantur, eo tantum quia iniustus, etiamsi immortalis fuerit, sanum esse, & omnino viuere abundanter pessimum est, si cum horum possessione semper vixerit, expers virtutis, quæcumque enim temporalia sunt, parum conducunt ad animi integritatem, imò super-

E flua quædam sunt, ideóque idem *Plato Epist.8.* Quam scribit ad *Dionys.* propinquos ait. Locupleres, & opulentos appellare felices sermo amens est, & infelix, & mulieribus, & pueris conueniens, quibus scilicet non tam viget rationis lumen, & ideò non perfectè cernunt, quæ vera sint, & solida bona.

Vnde Dauid sæpè alias, & maximè *Psalm.143.* ait. *Beatum dixerunt populum* Ps.143. num.15.

cui hæc sunt, beatus populus cuius Dominus Deus eius, ac si aperte diceret. Vulgus beatum existimat cui supperunt magna copia auri, & argenti; & maxima suppellex, ego verò illum populum beatum censeo, qui veram pietatem tenuat, & verum Deum colit. Et hæc est ratio cur sacra Scriptura non inde potissimum nobis commendatum voluerit beatum *Iobum*,

Iob 1. num. 2. quod ingentes facultates, & opes habuerit, sed potius ob eximiam virtutem, pietatem, & Religionem, indeque facer Author eius commendationem auspicatus B est, secundo verò loco commemorauit fœcunditatem, & liberorum multitudinem, quæ bona externa sunt, sicut dixit *Aristoteles 1. Ethic. c. 8.* vbi distinguit tria genera bonorum, alia scilicet externa, alia circa animam, & alia circa corpus, & inter bona externa præcipuè numerat bonum prolis, & fœcunditatis, qua de re videndus *August.* tum sæpè alibi, tum *lib. 1. de nuptijs, & concupisc. c. 13. & 16. & lib. de bono coniugali, cap. 5. & 10.* Tertio tandem loco, & infimo commemorauit pos- C sessiones, & facultates eius. Primo itaque loco virtutes enumerauit, quæ verè, & propriè bona sunt, & quasi bona bonorum, sicut vocat *August. lib. de Spiritu, & litera cap. 11.* & quod magis mirari est *Aristot. loco cit.* illa bona, quæ sunt circa animam (virtutes scilicet) propriissimè bona fatetur esse, & *Origen.* ad illa verba *Iob: Fuit possessio eius, &c.* Pulchrè annotauit ideò sacram Scripturam addidisse, diuitias Iobi, vt ostenderet, nihil etiam impedimento extitisse, quominus, iusti- D tiam, & virtutem consequeretur, & consectuaret. Licet enim impiè errauerint Pelagiani, & Manichæi, qui asserebant diuitem, præsertim Christianum vtentem diuitiis non posse consequi vitam æternam, nisi priùs omnia sua venderet, qui error refellitur ab *August. Epist. 85. ad Hilarium quæst. 4. & ab Hieronymo lib. 1. aduersus Pelag.* Solent tamen diuitiæ multoties malis perpetrandis nutrimentum, & materiam fouere, licet etiam materia, ac leges beneficentiæ, misericordiæ, & hospitali- E tatis exercendæ esse soleant, sicut prosequitur *August. in Psalm. 66.* ad illa verba: *Illuminet verbum suum, &c.* Semper tamen fatendum est, cum eodem *Augustino* bona temporalia, neque esse præmium virtutis, & pietatis, neque esse bona, quæ soli boni possideant, & quæ solis amicis Deus communicet, sicut habet idem *August.* in dictum *Psalm. 66. & in Psal. 62.* ad illa verba: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias*, qua de re videndus etiam *serm. 237.*

Proinde igitur licet à nobis hæc bona auferantur, nihil veri boni, ac veræ substantiæ aufertur, cum veræ nobis remaneant diuitiæ, & magnifaciendā bona, quidquid insuper tanquam extremum malum impius Pharao minatur dicens: *Persequar, & comprehendam, & diuidam spolia, &c.* Inter superflua numerari debet, *2. Reg. 2. num. 7.* quibus ablatis, pulchrior, & expeditior redditur iustus, vt possit sisti coram Domino, qui *solus potest pauperem facere, & ditatem*, sicut optimè dixit Anna, quantumcumque enim nos depauperare nitatur impius tyrannus (sic enim habet textus Hebr. pro eo, quod nos habemus, *interficiet eos*) veras tamen diuitias minimè deprædabitur. Nam sicut dixit *Ambros. serm. 10.* Nudi in sæculo nascimur, nudi accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque & expediti ad cæli ianuam properemus, quam autem incongruum, & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscepit Ecclesia, diues intrare velit in cælum. Vnde dicit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Vsque adeò nuda virtus apta est cœlo, vt quamuis iustus, *Matt. 19. num. 21.* quamuis sanctus, aurum, vel diuitias possidens non possit esse perfectus. Nudus Adam incola fuit paradisi.

En ergo quid mali minetur Pharao, dum remouet impedimenta, quæ detinere possunt filios Israël ne expeditiores ad viam promissæ terræ redderentur. Videndus idem *Ambros. Epist. 25. ad Vercellensem Ecclesiam*, vbi ait. Christus in cruce corpus exuit, non diuinitatem amisit, sic iustus vir in tormentis, & persecutionibus tyrannorum exuit corpus, exuit opes, & honores, & temporalia quæque omnia, at gratiam, & charitatem non exuit, neque Deum in quo veri thesauri possidentur, amittit. Ideóque Eliphas apud *Iob* dixit: *Erit omnipotens contra hostes tuos, & argentum tuum coaceruabitur tibi*: vbi *Iob 22. num. 25.* *Vatablus* legit: *Aurum tuum erit omnipotens. Caietanus* habet: *Erit Saddai in thesauros tuos, & argenti fortitudines tibi*, quod etiam habent Regia Complut. *Argentum in fortitudine tibi*, alij, *in multitudine tibi*, vt Rab. Abraham iunior: quem Hebraïsmum sic Latinè possumus exponere: *Tibi erit auri, & argenti magna vis, magnaq; copia*, qui enim habet Deum comitem, & adiutorem, auro argentóque super

superabundat: vnde *Rab. Moseph* legit; *Argentum tibi tanquam montes*, Vatablus veto, *argentum duplex erit tibi*. Namque vbi manet qui dedit omnia, nihil obest, si quis auferat omnia, quæ ipse dedit. Qua de re videndus *August. serm.* 205. cum ait. Quid habet diues, qui Deum non habet? Quid non habet pauper, qui Deum habet, & 3. *confess. cap.* 8. *Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est*, & *in Psal.* 66. ad illa verba, *Iob cap.* 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*, ait. Manet qui dedit, abstulit quod dedit, subtraxit data, sed non subtraxit datorem, adest consolator, qui abstulit, &c. Permanente enim Deo datore omnium bonorum, nihil refert si inimicus cætera omnia auferat, & fontem diuitiarum relinquat, imò, qui nihil de terra possidet, securius videtur Deum ipsum possidere. Quod optimè assecutus *Philo lib. de plantatione Noë*, dixit: Quis enim potest dicere, ipse mihi solus est Deus, nisi qui nullum istarum infectiorum rerum amplectitur? Et hæc fuit ratio cur cum Deus vellet coli, & amari à primo patente, quem condidit, quæcumque ei necessaria ad vitam esse poterant, illi contulit, vt nullam curam impenderet in acquisitione alicuius externi boni, sed totus se Deo diligendo, & colendo dederet, quod notauit idem *Philo libr. de opific. mundi*. Mox, vt natus est homo paratum inuenit, quidquid ad vitam opus erat, vt futura disceret, quasi dedeceret Monarcham totius orbis circa alias res occupati, vel de aliis rebus curam agere, præterquam de Deo, à quo omnia acceperat bona, & in quo poterat inuenire, & possidere quidquid exoptare posset.

Iob 1. num. 21.

In quam sententiam videndus est *D. August. in Psalm.* 127. vbi asserit seculi homines infeliciter felices sunt, Martyres autem feliciter infelices. Namque eos, quos mundus felices reputat, quia omnibus abundant, & plurima bona possident, infeliciter felices vocat, at verò eos, quibus tyranni externa bona pariter cum vita abstulerunt, feliciter vocat infelices, idest, secundùm vulgi opinionem infelices, cum reuera felices potiùs sint, quibus Dominus pars, hæreditas, & plenus thesaurus est, & in hoc sensu videtur interpretari, idem *August.* verba illa eiusdem *Psal. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem*. Noli quærere, ait *August.* illas benedictiones, quæ non

A sunt ex Sion, benedicat, te ergo Dominus ex Sion, & videas quæ futura sunt bona Hierusalem: Nam ista, quæ attendis bona, cæcus vides; videas, sed illa bona, quæ corde videntur, & quamdiu videbo bona Hierusalem? Omnes dies vitæ tuæ, in æternum videbis bona Hierusalem: ista autem fratres mei bona sunt, sed non omnes dies vitæ tuæ, vides ergo tu alia desideria bona, quæ videas omnes dies vitæ tuæ, dici possunt ista? Aurum est? Argentum est? Fundus amœnus est, tecta laqueata sunt? Absit ista abundantiùs pauperes habent in hac vita, sic *August.* ex cuius doctrina nihil aliud tyrannus facit dum bona temporalia aufert, quam spiritualia abundantiùs elargiri, iùsque conferre ad pleniorem in futurum possessionem, imo addit *August.* Plus est pauperi videre cælum stellatum, quam diuiti tectum inauratum. Vnde *Hieronym. in cap.* 7. *Ezech.* concludit Sanctos, & iustos homines debere esse non habitatores terræ, sed peregrinos, dicerèque cum

B (marginal letter beside "Argentum est?… tecta laqueata")

C Dauid: *Aduena ego sum, & peregrinus sicut omnes Patres mei*. Quamobrem, inquit ille, & Abraham Hebræus, idest, peregrinus, transitórque memoratur de præsenti sæculo ad futurum transire festinans.

Psal. 38. num. 13.

Videndus in hanc sententiam *Bernard. in Vigil. Natiuit. serm.* 1. vbi ostendit Filium Dei de cælis ad terram venisse, vt pretium, & dignitatem paupertatis hominibus ostenderet, & in illius amorem mundum adduceret, loquens igitur de

D *Christi Natiuitate*, ait. Erat qui fortè sublimia quærenda arbitraretur esse palatia, vbi cum gloria Rex gloriæ susciperetur, sed non propter hoc *à regalibus illis sedibus venit in sinistra eius diuitiæ, & gloria, in dextera longanimitas vita*: Horum omnium æterna in cælis affluentia, suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris abundabat, & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, vt eam eli-

E gat tibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam: adorna thalamum tuum Sion, sed humilitate, sed paupertate, in his enim pannis complacet sibi: illúdque hoc in loco annotandum, quod cum Christus Dominus tanti faciens in se paupertatem viderit à nobis prorsus despici, nec recipit, quam ipse nunquam dimisit, sed secum detulit ad crucem, dum & matrem reliquit, & discipulum,

quem diligebat, & veſtes etiam, quibus induebatur, vt nudus thalamum paupertatis aſcenderet, proinde, vt ſaltem propoſito præmio eam conſectaremur, & amplecteremur, primo ſtatim ſermone quem Matt. 5. num. 3. ad turbas habuit *Matth.* 5. dixit ipſius eſſe regnum cælorum, qua in re meritò ſimilem dixerim Chriſtum Dominum, parenti qui ſeniorem filiam habens, eam tamen minimè decoram, ſed potius intuentium oculis fœdam, ſi illam diligit, ante alias ſorores matrimonio nititur locare, ſicut Laban prius tradidit Liam Iacobo, & ne marito diſpliceat, dotem addit, & diuitias multiplicat, muneráque auget, ſic filia quam primam habuit Parens virtutum in terris Filius ſcilicet Dei in carne paupertas fuit, quam amplexatus eſt in præſepio, & cum videret eam ab hominibus deſpici, & abiici, dotem auget, muneráque addit, vt ſic tandem homines præmij, & diuitiarum cupidi eidem faciliùs adhæreant, cuius interuentu Deo approximent, & nihil de terrenis curent, qua de re videndus *Auguſt. in Pſal.* Pſ. 136. num. 1. 136. cum interpretatur illa verba: *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus.* Flumina, inquit ille, Babylonis ſunt omnia, quæ amantur, & tranſeunt: fluuius Babylonis eſt, & quod multum ſonat ſtrepitus aquæ in ſaxa percutit, attende quia fluit, percutit, attende quia labitur. Et ſi attendas quia fluit, & labitur, caue quia trahit. O Sion ſancta! vbi totum ſtat, & nihil fluit, ſed eamus, & ſic fleamus, ſuper flumina, non infra flumina: inde oportet, vt fleas recordando Sion, multi gaudent lucris, & flent damnis, vtrumque de Babylonia eſt: quaſi velit *Auguſt.* veros Hieruſalem habitatores non debere flere, aut concuti damnis, neque erigi lucris, ſed agnoſcentes vera, & ſolida bona, & ea inquirere, & de eis lætari; temporalia verò velut impedimenta viæ parui pendere, neque de ipſorum amiſſione triſtari, quæ quamuis aurea ſint, vincula tamen aurea ſint, quibus homines ligantur ſicut dixit *Bernard. ſerm.* in illud: *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, &c.* Vbi ait, ſi exire volumus, quid compedes noſtros nobiſcum trahere laboramus? Ponamus aureos eſſe, ſed multò meliùs eſt ſine his liberari, quam eorum occaſione teneri, non æſtimamus pretium, ſed impedimentum conſideremus.

Videndus hac de re *Auguſt. in Pſal.* 94. ad illa verba: *Nos autem populus eius, & oues paſcua eius*, vbi in rem noſtram

A iuſtos viros, & perfectos in Eccleſia Dei comparat ouibus detonſis, quæ ſuperflua, & terrena amiſerunt, ſeu reliquerunt, ad cœleſtia tantummodo anhelantes, putátque de eiſdem dictum: *Dentes tui ſicut greges tonſarum*, ſic verò habet: Cant. 4. num. 2. *Nullus hominum ſibi facit oues, emere poteſt, donari poſſunt, inuenire poteſt, facere oues non poteſt: at verò Dominus noſter fecit nos, ideò populus paſcua eius, & oues manuum eius ipſi ſunt, qui ſibi ipſi facere dignatus eſt gratia ſua, has etenim oues laudat, & in* B *Canticum Canticorum, perfectos quoſdam dicens, tanquam dentes Eccleſiæ ſanctæ ſponſæ ſuæ. Dentes tui ſicut grex detonſarum aſcendentium de lauacro, quæ geminos pariunt, & ſterilis non eſt in illis, quid eſt dentes tui? Per quos loqueris, dentes enim Eccleſiæ, per quos loquitur Eccleſia, quales dentes tui? Tanquam grex detonſarum aſcendentium de lauacro, quare detonſarum? Quia ſarcinas ſæculi depoſuerunt, nonne detonſæ erant oues illæ, de quibus paulò ante dicebam, quos præceptum Dei toton-* C *derat dicentis: Vade, vende omnia tua, &* Mat. 15. num. 21. *da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni ſequere me. Fecerunt hoc præceptum, detonſi venerunt, & quia baptizati ſunt credentes in Chriſtum, quod ibi dicitur, Aſcendentium de lauacro, id eſt, aſcendentium de mundatione.* Sic *Auguſt.* qui rectè oſtendit diuitias, & facultates noſtras, onus quoddam, & impedimentum eſſe, proindeque neceſſarium, vt eas deponamus, ſiue tondeamur, idque vel per diſtributionem voluntariam in pauperes, D vel per renuntiationem eatundem, ſiue per ablationem: inſuperque, vt intelligamus nos perfectiores tunc remanere, cum ea amittimus; & expeditiores reddi, cum expendimus, & ideò aſcendentes dici, quia quamdiu facultatibus onerati deprimimur, ad perfectionem nullatenus aſcendere valemus, neque ad ſequelam Chriſti Domini idonei reperimur, donec relinquamus omnia, ſicut teſtatur *Petrus* cum ait; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:* & cum vellus hoc ne- Mat. 13. num. 27. E ceſſariò deponendum ſit, vel in vltima vitæ tonſura, ſi ante deponatur, vita, & prudentia erit, & ſi auferatur gratulandum, vt perueniamus ad id, quod nunquam detrahendum eſt, ſed perpetuò permanſurum, quod notauit *D. Bernard. Epiſt.* 24. cum ponderat illa verba: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Num ita, & pecunia, inquit *Bernar.* quæſtuoſum ſanè,

sanè, honestúmque commercium illam, quæ præterit, pro illa darem, quæ permanet, sic semper tibi negotiari detur, bonæ & omni laude prosequende magister, paupertatem æquo animo ferre, virtutis patientiæ est, sponte appetere, sapientiæ laus est; laudatur, & admirabilis prædicatur, qui post aurum non abiit, qui vero & abiecit plus nihil merebit: si ergo paupertatem appetere sapientia est, si patienter ferre patientia, quid mali infert Christi omnibus, nisi quod meritum auget, iusque ad maiora, & sublimiora bona tribuit, vnde idem *August. in Psalm.* 137. ibi. *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam,* &c. ait, sæuiant inimici quid possunt facere inimici? pecuniam tollere, expoliare, proscribere, in exilium mittere, doloribus, tormentisque cruciare, & ad postremum si permissi fuerint, & occidere? Nunquid & amplius? Sæuiat quantum potest inimicus, non me separat à Deo.

Similia sunt quæ habet hac de re *Chrysost. in imperfecto hom.* 4. vbi ponderat promissionem illam, quam diabolus proposuit Christo Domino, cum eum tentauit dicens, *hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* Potestas, inquit, diaboli in quo est nisi in superbia, & in inuidia, in ira, in vana gloria, & his similibus? vbi autem hęc non exercentur, diabolus non colitur, neque regnat, quomodo ergo regnum sibi tolleret, & illi daret? deinde quid si sancti erant in mundo aliquod regnum tenentes? Nam si peccatori dare, & tollere potest diuitias Iob? Sed non potuit nisi quando permissus est, nunquid non voluit, si potuisset tollere regnum de manu Dauid? Nam re vera non est mundus diaboli, neque regna illius, scriptũ est enim, *Per me Reges regnant, per me principes imperant, & per me tyranni scribunt iustitiam,* sed ea, quæ per iniquitatem aguntur in mundo, vtputà per furtum, aut per vim acquisisti diuitias, aut aliqua perditione animæ tuæ suscepisti honores, illas tibi diuitias Diabolus dedit, sed non ipsæ diuitiæ Diaboli sunt, qui creauit eas ad probationes Sanctorum, & peccatorum, & inter duas conditiones posuit illas in medio, vt Diabolus possit illas dare, & Deus, &c. Diabolus non quibus ipse vult dare potest, sed qui volunt ab illo accipere, homo autem in potestate habet à quo vult eas accipere, siue à Diabolo, siue à Deo, &c.

Matth. 4. *num.* 5.

Prou. 8. *num.* 14.

Concludit proinde *Chrysost.* Diabolum A eas diuitias, quæ ipse iniquè tribuit posse auferre, non verò quæ à Deo data sunt, quod si Diabolus nequit auferre bona à Deo data, quomodo illius ministri id tandem facere poterunt; sicut iniquè, minabatur Pharao seruis Dei? De quibus idem *Chrysost. hom.* 6. ait peccator in peccatorem aliquid forsitan potest: quia nec est valde sub cura Dei peccator, in hominem autem Dei sine dubio nihil potest, quia *protector est Deus omnium sperantium in eum.* Et ideo si quando permittatur auferre, B id profectò est, quia cedit in commendationem, & profectum iustorum, qui sarcina diuitiarum liberati celerius, facilius, & felicius ad promissam terram euadunt.

Psalm. 7. *num.* 31.

Vnde intelliges opus diuinæ dextræ esse, si quando bonis temporalibus abundantes, seu onustos ad immortalem vitam traducat, qua de re videndus *Bernard.* super *Ecce nos reliquimus omnia,* vbi ostendit quomodo Antiqui Patres cum perfecti essent, terrenas diuitias possidebant, di- C cens. Sicut sacrificiis illis, sic & diuitiis carnalibus adhuc populis dispensatio diuina morem gerebat, nimirum vt tanquam paruuli paulatim à Gentilium secederent ritu. Vbi sanè cælestis promissio sonuit, spiritualia iam necesse est spiritualibus comparari: aurum ergo repudiemus cum cæteris superstitionibus Iudæorum: deinde ad rem præsentem addit. Nimirum longè aliud est, in luto aquarum multarum diuisi fundo maris iter carpere, terrena licitè possidendo, aliud ipsam D quoque nouis gressibus vndam calcare omnia relinquendo: sed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur, quibus in verbis acutè explicat *Bernard.* perfectionem Euangelicam in relinquendis diuitiis, & dimittendis, quæ possidentur bonis quorum euacuatione, & contemptu sic euadit superior animus, vt pene ipsas sæculi vndas calcare possit (sicut Petrus *venit ad Christum ambulans super aquam*) & supernatare mundo, cælóque viciniorem apparere, at verò antiquis Hebræis E diuiditur, & aperitur mare, vt pote qui onusti diuitiis erant, & onerati auro, & argento, quibus facile deprimerentur, & deuoluerentur in profundum, & ad hunc sensum adducit claudicationem Iacob, sic verò habet: vbi *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* iam nobis tradita est imago vitæ, & conuersationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque sequentes vestigio, non

Matth. 14. *num.* 29.

Ioann. 1. *num.* 14.

vlterius

quem diligebat, & vestes etiam, quibus induebatur, vt nudus thalamum paupertatis ascenderet, proinde, vt saltem proposito præmio eam consectaremur, & amplecteremur, primo statim sermone quem ad turbas habuit *Matth.* 5. dixit ipsius esse regnum cælorum, qua in re meritò similem dixerim Christum Dominum, parenti qui seniorem filiam habens, eam tamen minimè decoram, sed potius intuentium oculis fœdam, si illam diligit, ante alias sorores matrimonio nititur locare, sicut Laban prius tradidit Liam Iacobo, & ne marito displiceat, dotem addit, & diuitias multiplicat, muneráque auget, sic filia quam primam habuit Parens virtutum in terris Filius scilicet Dei in carne paupertas fuit, quam amplexatus est in præsepio, & cum viderit eam ab hominibus despici, & abiici, dotem auget, muneráque addit, vt sic tandem homines præmij, & diuitiarum cupidi eidem faciliùs adhæreant, cuius interuentu Deo approximent, & nihil de terrenis curent, qua de re videndus *August. in Psal.* 136. cum interpretatur illa verba: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus.* Flumina, inquit ille, Babylonis sunt omnia, quæ amantur, & transeunt: fluuius Babylonis est, & quod multum sonat strepitus aquæ in saxa percutit, attende quia fluit, percutit, attende quia labitur. Et si attendas quia fluit, & labitur, caue quia trahit. O Sion sancta! vbi totum stat, & nihil fluit, sed eamus, & sic fleamus, super flumina, non infra flumina: inde oportet, vt fleas recordando Sion, multi gaudent lucris, & flent damnis, vtrumque de Babylonia est: quasi velit *August.* veros Hierusalem habitatores non debere flere, aut concuti damnis, neque erigi lucris, sed agnoscentes vera, & solida bona, & ea inquirere, & de eis lætari; temporalia verò velut impedimenta viæ parui pendere, neque de ipsorum amissione tristari, quæ quamuis aurea sint, vincula tamen aurea sint, quibus homines ligantur sicut dixit *Bernard. serm.* in illud: *Beatus homo qui inuenit sapientiam, &c.* Vbi ait, si exire volumus, quid compedes nostros nobiscum trahere laboramus? Ponamus aureos esse, sed multò melius est sine his liberari, quam eorum occasione teneri, non æstimamus pretium, sed impedimentum consideremus.

Matt. 5. num. 3.

Ps. 136. num. 1.

Videndus hac de re *August. in Psal.* 94. ad illa verba: *Nos autem populus eius, & oues pascua eius*, vbi in⁻tem nostram iustos viros, & perfectos in Ecclesia Dei comparat ouibus detonsis, quæ superflua, & terrena amiserunt, seu reliquerunt, ad cœlestia tantummodo anhelantes, putátque de eisdem dictum: *Dentes tui sicut greges tonsarum*, sic verò habet: *Nullus hominum sibi faciet oues, emere potest, donari possunt, inuenire potest, facere oues non potest: at verò Dominus noster fecit nos, ideò populus pascua eius, & oues manuum eius ipsi sunt, qui sibi ipsi facere dignatus est gratia sua, has etenim oues laudat, & in Canticum Canticorum, perfectos quosdam dicens, tanquam dentes Ecclesiæ sanctæ sponsæ suæ. Dentes tui sicut grex detonsarum ascendentium de lauacro, quæ geminos pariunt, & sterilis non est in illis, quid est dentes tui? Per quos loqueris, dentes enim Ecclesiæ, per quos loquitur Ecclesia, quales dentes tui? Tanquam grex detonsarum ascendentium de lauacro, quare detonsarum? Quia sarcinas sæculi deposuerunt, nonne detonsæ erant oues illæ, de quibus paulò ante dicebam, quos præceptum Dei totonderat dicentis: Vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me. Fecerunt hoc præceptum, detonsi venerunt, & quia baptizati sunt credentes in Christum, quod ibi dicitur, Ascendentium de lauacro, id est, ascendentium de mundatione.* Sic *August.* qui rectè ostendit diuitias, & facultates nostras, onus quoddam, & impedimentum esse, proindeque necessarium, vt eas deponamus, siue tondeamur, idque vel per distributionem voluntariam in pauperes, vel per renuntiationem earundem, siue per ablationem: insuperque, vt intelligamus nos perfectiores tunc remanere, cum ea amittimus; & expeditiores reddi, cum expendimus, & ideò ascendentes dici, quia quamdiu facultatibus onerati deprimimur, ad perfectionem nullatenus ascendere valemus, neque ad sequelam Christi Domini idonei reperimur, donec relinquamus omnia, sicut testatur *Petrus* cum ait; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: & cum vellus hoc necessariò deponendum sit, vel in vltima vitæ tonsura, si ante deponatur; vita, & prudentia erit, & si auferatur gratulandum, vt perueniamus ad id, quod nunquam detrahendum est, sed perpetuò permansurum, quod notauit *D. Bernard. Epist* 24. cum ponderat illa verba: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Num ita, & pecunia, inquit *Bernar.* quæstuosum sunt,

Cant. 4. num. 2.

Mat. 15. num. 21.

Mat. 13. num. 27.

ſanè, honeſtúmque commercium illam, quæ præterit, pro illa datem, quæ permanet, ſic ſemper tibi negotiati detur, bonæ & omni laude proſequendæ magiſter, paupertatem æquo animo ferre, virtutis patientiæ eſt, ſponte appetere, ſapientiæ laus eſt; laudatur, & admirabilis prædicatur, qui poſt aurum non abiit, qui vero & abiecit plus nihil merebit: ſi ergo paupertatem appetere ſapientia eſt, ſi patienter ferre patientia, quid mali infert Chriſti cultibus, niſi quod meritum auget, iuſque ad maiora, & ſublimiora bona tribuit, vnde idem *Auguſt. in Pſalm.* 137. ibi. *Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam*, &c. ait, ſæuiant inimici quid poſſunt facere inimici? pecuniam tollere, expoliare, proſcribere, in exilium mittere, doloribus, tormentiſque cruciare, & ad poſtremum ſi permiſſi fuerint, & occidere? Nunquid & amplius? Sæuiat quantum poteſt inimicus, non mè ſeparat à Deo.

Similia ſunt quæ habet hac de re *Chryſoſt. in imperfecto hom.* 4. vbi ponderat promiſſionem illam, quam diabolus propoſuit Chriſto Domino, cum eum tentauit
Matth. 4. num. 5. dicens, *hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me*. Poteſtas, inquit, diaboli in quo eſt niſi in ſuperbia, & in inuidia, in ira, in vana gloria, & his ſimilibus? vbi autem hæc non exercentur, diabolus non colitur, neque regnat, quomodo ergo regnum ſibi tolleret, & illi daret? deinde quid ſi ſancti erant in mundo aliquod regnum tenentes? Nam ſi peccatori dare, & tollere poteſt diuitias Iob? Sed non potuit niſi quando permiſſus eſt, nunquid non voluit, ſi potuiſſet tollere regnum de manu Dauid? Nam re vera non eſt mundus diaboli, neque regna illius, ſcriptū eſt enim,
Prou. 8. num. 14. *Per me Reges regnant, per me principes imperant, & per me tyranni ſcribunt iuſtitiam*, ſed ea, quæ per iniquitatem aguntur in mundo, vtputa per furtum, aut per vim acquiſiſti diuitias, aut aliqua perditione animæ tuæ ſuſcepiſti honores, illas tibi diuitias Diabolus dedit, ſed non ipſæ diuitiæ Diaboli ſunt, qui creauit eas ad probationes Sanctorum, & peccatorum, & inter duas conditiones poſuit illas in medio, vt Diabolus poſſit illas dare, & Deus, &c. Diabolus non quibus ipſe vult dare poteſt, ſed qui volunt ab illo accipere, homo autem in poteſtate habet à quo vult eas accipere, ſiue à Diabolo, ſiue à Deo, &c.

Concludit proinde *Chryſoſt.* Diabolum eas diuitias, quæ ipſe iniquè tribuit poſſe auferre, non verò quæ a Deo data ſunt, quod ſi Diabolus nequit auferre bona à Deo data, quomodo illius miniſtri id tandem facere poterunt; ſicut iniquè, minabatur Pharao ſeruis Dei? De quibus idem *Chryſoſt. hom.* 6. ait peccator in peccatorem aliquid forſitan poteſt: quia nec eſt valde ſub cura Dei peccator, in hominem autem Dei ſine dubio nihil poteſt, quia *protector eſt Deus omnium ſperantium in eum*. Et ideo ſi quando permittatur auferre, id profectò eſt, quia cedit in commendationem, & profectum iuſtorum, qui ſarcina diuitiarum liberati celerius, facilius, & felicius ad promiſſam terram euadunt. Pſalm. 7. num. 31.

Vnde intelliges opus diuinæ dextræ eſſe, ſi quando bonis temporalibus abundantes, ſeu onuſtos ad immortalem vitam traducat, qua de re videndus *Bernard.* ſuper *Ecce nos reliquimus omnia*, vbi oſtendit quomodo Antiqui Patres cum perfecti eſſent, terrenas diuitias poſſidebant, dicens. Sicut ſacrificiis illis, ſic & diuitiis carnalibus adhuc populis diſpenſatio diuina morem gerebat, nimirum vt tanquam paruuli paulatim à Gentilium ſecederent ritu. Vbi ſanè cæleſtis promiſſio ſonuit, ſpiritualia iam neceſſe eſt ſpiritualibus comparari: aurum ergo repudiemus cum cæteris ſuperſtitionibus Iudæorum: deinde ad rem præſentem addit. Nimirum longè aliud eſt, in luto aquarum multarum diuiſi fundo maris iter carpere, terrena licitè poſſidendo, aliud ipſam quoque nouis greſſibus vndam calcare omnia relinquendo: ſed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur, quibus in verbis acutè explicat *Bernard.* perfectionem Euangelicam in relinquendis diuitiis, & dimittendis, quæ poſſidentur bonis quorum euacuatione, & contemptu ſic euadit ſuperior animus, vt pene ipſas ſæculi vndas calcare poſſit (ſicut Petrus *venit ad Chriſtum ambulans ſuper aquam*) Matt. 14. num. 29.
& ſupernatare mundo, cælóque viciniorem apparere, at verò antiquis Hebræis diuiditur, & aperitur mare, vt pote quia onuſti diuitiis erant, & onerati auro, & argento, quibus facile deprimerentur, & deuoluerentur in profundum, & ad hunc ſenſum adducit claudicationem Iacob, ſic verò habet: vbi *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, iam nobis tradita eſt Ioann. 1. num. 14.
imago vitæ, & conuerſationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque ſequentes veſtigio, non

vlterius

vlterius cum Patriarcha Iacob altero femore claudicemus: vbi enim audiuimus quia, *nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et
Gen. 32. item, *Si vis perfectus esse, vade, & vende*
num. 31. *omnia quæ habes & da pauperibus, & ha-*
Luc. 14. *bebis thesaurum in cælo*, omnia sunt relin-
num. 33. quenda.
Matt. 15. Adeóque hoc necessarium existimauit
num. 21. Christus Dominus, vt præcipuum miraculum, quod intendit, & operatus est Filius Dei in carne ex sententia *D. Chrysost.* fuerit homines auertere a diuitiis conquirendis, & ideo in ipsorũ oculis *numu-*
Ioann. 2. *lariorum mensas euerterit*, eósque e loco
num. 15. lucri eiecerit, quod solus facere poterat, sicut fecit Christus Dominus. Sic ergo habet *Chrysost. homil. 14. in cap. 11. Marc. Venit Hierosolymam, & intrauit in templum, & cæpit eijcere vendentes, & ementes.* Vides quoniam eo tempore, quo eiiciebat eos de templo, erant dies Paschæ, in diebus autem Paschæ lege præceptum
Deut. 16. erat, *vt omnes venirent in templum: & si*
num. 6. *quis nõ veniret exterminaretur anima illa de populo suo.* Considerate ergo, & in animo vestro depingite quanta tunc ibi fuerit multitudo, mirantur cæteri, quod Lazarus suscitatus est: Mirantur quod viduæ filius suscitatus est, mirantur cæteri in aliis signis, ego præsens signum magis miror. Vnus homo, qui putabatur filius fabri, mendicus nõn habens domum, non habens vbi caput reclinaret, non habens exercitus, non erat dux, quam itaque habuit potestatem, vt faceret sibi flagellum de funibus, & tantum eiiceret multitudinem? Vnus inquam homo eiiceret tantam multitudinem & quam multitudinem eiiciebat? Quæ vendebat, quæ lucra sua in templo redimebat. Videtur mihi in ipsis oculis, & in ipso vultu Domini Saluatoris quicquam fuisse diuinum, vt potentem affectum diuitiarum dissolueret, & homines ad perfectionem eueheret, quæ maximè cõsistit in abiectione temporalium, & cum Filius Dei ad docendam perfectionis viam venerit, præfatum contemptum primariò intendit: hanc ipsissimam sententiam habet *D. Hieronym. in cap. 21. Matt.*

Existimat igitur supra citatus *Bernard.* claudicationem Iacob indicare adhæsionem terrenis rebus, & propterea ipsum libero pede minime ambulasse, quia adhuc detinebatur terrenis diuitiis comprehensus, at nos iam diuinitus edocti, & perfectiores redditi calcantes potius terrena, quam adorantes, sicut loquitur *Clemens Alex. orat. ad gentes*, & quæcumque inferiora sunt pedibus terentes, ad superiora anhelamus. Vnde non solum firmis incedimus gressibus, & liberis gradimur pedibus, sed potius stantes ipsos habemus, quasi totum corpus subleuantes, & minima tãtum pedum parte terram attingentes, quod fieri necesse est, quia adhuc in terra degimus, hunc enim situm habet, qui stantes pedes habet, vt extremis tantum pedum digitis adhæreat terræ, cæteras vero corporis partes sursum habeat eleuatas, erectas, & veluti cælum iam apprehendentes.

Quod si cui fortè arriserit ea expositio, quam habet *Rupertus lib. 8. in Genes. cap. 9.* de claudicatione Iacob, sciat ipsum imaginem ferre cælestis, & spiritualis viri, cui via ad cælum primò oblata est, & proposita. Sic ergo interpretatur *Rupertus*. Claudicat is, qui vicit, quia tetigit qui victus est neruum femoris eius, & emarcuit, quomodo claudicat? Videlicet vno pede terræ innitens, alterum à terra suspendens. Iste claudus salit, vel ascendit sicut ceruus, terrámque vix tãgere dignatur, nam conuersatio eius in cælis est. Veruntamen ex parte, vno enim tantum pede, nunc interim suspensus est, donec veniat quod perfectum est. Sic ille, cuius verba pulchram in se continent similitudinem, vel saltem illa possunt enucleari: etenim is, qui ascẽdere vult, pedem vnum è terra eleuat, & suspendit ad ascensum, alterum vero in terra defixum habet, donec totum è terra eleuetur corpus nullo in ea relicto pede, sic igitur verus Iacob, qui cælum petit, & ascendere constituit, quandiu viuit fixum in terra pedem habeat necesse est, quo scilicet sustentetur terrenum corpus, affectum enim in necessariis ad mortalem vitam vtcunque sustentandam conquirendis habere oportet: at vero superiorem animi partem expeditam, & à terra eleuatam habet: vnde & dicit, nostra conuersatio in cælis est, & qui sic viuit, superflua quæque abiicit, & contemnit. Ideóque *Bernard. 2. de consider at.* rectè dixit de diuitiis: si habere contingat, vtere non pro libito, sed pro tempore, sic eris vtens illis, quasi non vtens, ipsa quidem quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala, vsus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo peior, quæstus turpior.

Hoc ipsum etiam dixit *August. serm. 33. de verbis Domini* post medium, vbi ita 1. Ioan. 2.
habet. Attendite sanctum Ioannem Apost. num. 15.
&

& Euangelistam: *Nolite diligere mundum, ne, ne ea, quæ in mundo sunt.* Non dixit nolite habere, sed nolite diligere, habuisti, possedisti, dilexisti. Amor rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarum,
Psal. 54. num. 7. ecce concupisti, hæsisti: *Quis dabit tibi pennas vt columbæ*, quando volabis vbi verè requiescas, quando hic, vbi malè hæsisti peruersè requiescere voluisti? *Nolite diligere mundum*, tuba diuina est, continuo huius tubæ verbis orbi terrarum, & vniuerso dicitur mundo. *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt*, quisquis B dilexerit mundum non est charitas patris in eo, etenim sicut docuit *Bernard.* super *Ecce nos reliquimus omnia*: hæc fugiendarum causa diuitiarum præcipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri, limosa quidem, & glutinosa nimis non modo exterior, verum etiã interior substantia nostra videtur, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat adhæret, securius proinde, & melius viscum, & laqueos humanarum rerum euadet, qui suspensum habuerit affectum, velut Iacob C habuit pedem, & qui minima parte adhæserit deposito diuitiarum onere, vt ad diuinam vocationem, de terra liberè valeat euolare, & ascendere.

Vnde iam intelliges vsitatum Hebraismum sacræ Scripturæ, quo vocat diuites oneratos, seu onustos à verbo chabad, quod significat grauare, onerare, & diuitem esse, ac honorabilem, sicut videre est apud *Oleast. in c. 22. Numer* in expositione litt. quod etiam dixit *Bernard. epist.* 103. vbi ita habet. Beatus qui post illa nõ abiit, D quæ possessa onerant, amara inquinant, &c. Videndus *Nazianzen orat. ad Iulian* cum in hanc sententiam interpretatur il-
Psalm. 4. num. 3. lud *Psalm. 4. Filij hominum vsquequo graui corde.* Vbi *Iansonius* ait. Quamdiu habetis cor in amorem rerum temporalium deorsum, grauium rerum more propensum. Videndus etiam *Bernard. serm. 24 in Cantic.* cum exponit illa verba, *Recti diligunt te*: Quid indecentius, inquit, quam curuum recto corpore gestare animum? Peruersa res est, & fæda, lutenm vas, quod E est corpus, è terra oculos habere sursum, cælos liberè suspicere, cælorúmque luminaribus oblectare aspectus, spiritualem verò, cælestémque creaturam suos è contrario oculos, idest, internos sensus, atque affectus, trahere in terram deorsum, & quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto tanquam vnum de suibus, amplexarique stercora; erubesce anima mea, diuinam in pecuniam commutasse similitudinem, erubesce volutari in cœno, quæ de cælo es, erubesce anima (ait corpus) in mei cõsideratione. Huiusmodi ergo curuæ animæ non possunt diligere sponsum: quoniam non sunt amicæ sponsi, cum sint mundi. Ergo quærere, & sapere, quæ sunt super terram, curuitas animæ est; & è regione meditari, atque desiderare quæ sursum sunt, rectitudo, & hanc rectitudinem, vt sit perfecta in omnibus, inueniri necesse est sensu, atque consensu. Illum verò rectum corde dixerim, qui & rectè in omnibus sentiat, & à recto quod senserit, in nullo dissentiat.

Sic ille óptime ostendit, quomodo diuitiarum pondus animam ad terram inflectat, & veluti recuruet deorsum, & ad inferos, centrúmque terræ, quo grauia vergunt, deducat, ideóque *Clemens Alex. orat. ad gent.* ait. Ne ergo porcis efficiamur similes, sed vt germani filij lucis intueamur lucem, & 7. *stromat.* loquens de sapiente iusto ait. Propterea omnia mundi bona, quæ sunt in promptu, & ad manum non diligit, ne humi remaneat.

Et in hanc etiam sententiam facit expositio *Theodoret.* ad illa verba, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*, nam ex eo quod sponsa oculos lucri cupidos in sponsum coniecerat, respiciendo ad vtilitatem, quam inde sibi prouenturam sperabat, fecit auolare Diuinum sponsum, qui animas terrena sperantes, & diligentes facilè fugit, & relinquit. Pro qua re videndus erit *Augustin. serm. 1. de conuers. Paul.* vbi eleganter ostendit in Paulo conuerso adumbratam fidelem animam, etenim post vocationem Pauli de cælo factam, & post obedientiam ipsius dicitur in sacro text. quod *Paulus apertis oculis nihil videbat*, cum tamen Christum *Actor. 5. num. 8.* videret, tunc temporis, & cum ipso colloqueretur. Ait ergo *Augustin.* eo tempore, quo cætera non videbat, Iesum videbat, in eius excitate mysterium reformabatur credentium, quoniam qui credit in Christum, ipsum intueri debet, cætera nulla computare, cætera creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat.

Videndus idem *Augustin. lib. 50. homil. homil. 38.* vbi ponderat vniuersã virtutum pulchritudinem, decorem, & ornamentum, quod in anima sancti Iob laudabiliter reperiebat voluisse dæmonem inficere, ac perdere, dum ipsum terrenis adhærentem, & temporalia diligentem asserebat dicendo: *Nunquid Iob frustra timet Deum?*

Et certè omnes virtutes facilè intereunt A in anima, quibus temporaliū rerum cupiditas viget, nam sicut dixit *Clemens Alex. 2. pædag. cap.* 3. Est arx vitiorum vbi omnia colliguntur, vt inde bellum virtutibus possint inferre, & ideo *Pineda* explicans prædicta verba diaboli ait. Quid si hac enumeratione omnium facultatum Iobi latentet significare contendat dæmon fieri non posse, vt tanta sanctitas, quanta de Iob prædicatur, cum tanta diuitiarum copia bene consentiat? Cum illud maiori
Eccl. 11. *num.* 10. ex parte vere dicatur, *Si diues fueris, non* B *eris immunis à delicto*, quod argumentum prosequitur, & probat *D. Hieronym. in cap. 3. Ionæ.*

Et in hanc sententiam pulchrè carpit
Gen. 47. *num.* 22. *Origenes homil. 16. in cap. 47. Genes.* Sacerdotes Ægyptiorum, quibus Ioseph liberam terram reliquit, cum tamen reliquam aliam terram à cæteris hominibus emeret: Quod per hoc, inquit ille, nequiores cæteris ostenduntur, & in nostram doctrinam optimè concludens ait. Festinemus ergo transire à Sacerdotibus Pharaonis, C quibus terra possessio est, ad Sacerdotes Dei, quibus Dominus possessio est. Cum igitur simus gens sancta, & sacerdotium regale, hac in re similes debemus esse veris Sacerdotibus, dissimiles verò iniquis, & impuris Sacerdotibus, vt nihil præter Deum velimus, & facilè vendamus terrena omnia ad lucrifaciendum æterna, etenim sicut notauit *Hieronym. epist. 34. ad Iulian.* Elias cum raptus est à Deo in cælum reliquit pallium, idque miraculosum cum esset, & mirabilia ad contactum ede- D
4. *Reg.* 2. *num.* 13. ret. Elias, inquit ille, ad cælorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo reliquit vestimenta: si verò ad ascensum in cælum pallium prægrauabat Eliam, quid mirum si diuites detineant onerando, quas possident diuitiæ? Quod etiam assecutus *Seneca epist.* 85. dixit. Relinque diuitias, aut periculum possidentium, aut onus, plura hac de re habet *August. tractat. 2. in 1. epist. Ioan. Gregor. 1. moral. cap. 28. 29. 34. & 35. Bernard. epist. 107. Plotinus Platoni anead. 1. lib. 6. de pul-* E *chro cap. 8. & 9.*

Proinde igitur constare poterit quomodo is, qui promissam terram viuentium petit, minimè curare debeat si inimicus persequatur, & deprædetur ea bona, quæ à summo bono assequendo nos retardant, & à libertate spiritus nos præpediunt, idque melius tolerabimus si veras diuitias in tali spoliatione remanere conspiciamus, quod dixit *Ambros. epist. 7.* his verbis. Cum regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest. Hoc enim est pretium, quo æternæ diuitiæ comparantur, scilicet, nihil terrenum possidere, & tunc melius comprehendemus, quando vacuas manus poterimus ad Deum extendere, proinde extendat quantum volet impius Pharao manus suas ad nostri spoliationem, & comprehensionem, tunc enim melius nos euacuabit, vt repleamur, depauperabit, vt ditemur, & bonis omnibus in vno bonorum bono afficiamur.

In quam sententiam notauit *Philo lib. quis sit hæres rer. diuin.* illa verba quæ Deus dixit Abraham, *Non erit hic hæres tuus* *Gen.* 15. (vernaculus, scilicet,) *sed qui egredietur* *num.* 4. *de vtero tuo, ipsum habebis hæredem*, seu, vt ipse legit, *qui egredietur ex te.* Sic igitur ille argumentatur. Ergo si cupis o anima hæres diuinorum bonorum fieri, non tantum terram corpus, & cognationem sensuum, & domum paternam, rationem deserere, sed & te ipsam fuge raptam extra te ipsam, sicut lymphatici, & phanatici. Sic *Philo* ostendit quomodo solus is, qui terrena omnia demittit, ad cælestia admittatur, qui etiam videndus est post principium libri secundi leg. allegot. vbi expendit oblationem Regis Sodomæ Abrahamo factam, & hunc dicentem ad Regem. *Leuo manum ad Dominum Deum excel-* *Gen.* 14. *sum possessorem cæli, & terræ, quod à filo* *num.* 20. *subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Ait ergo *Philo*: Sicut Abraham cum Rex Sodomorum conaretur ei bruta reddere pro rationalibus, equos pro viris, negat se quicquam accepturum ex rebus illius, sed extensurum animæ actionem, quam figuratè manum nominat, ad Deum Altissimum, nec enim accepturum se quicquam suum à funiculo, vsque ad corrigiam caligæ, ne ille diceret Prophetam à se ditatum & ne ipse videretur paupertatem cum virtute coniunctam posthabuisse diuitiis, quibus in verbis ostendit *Philo* summum paupertatis pretium in ordine ad diuitias supernaturales comparandas.

Et in hanc sententiam exposuit *Clemens Alexand. 1. pædagog. cap. 5.* id, quod Christus Dominus dixit. *Nisi conuersi fue-* *Matt.* 18. *ritis, & efficiamini sicut paruuli, non in-* *num.* 2. *trabitis in regnum cælorum.* Vult igitur vt hæc conuersio in puerilem ætatem in eo consistat, quod sicut pueri paruuli nihil proprium omnino habent, nec de acquirenda, conseruanda, & custodienda re

aliqua illis est cura, sic nihil terrenum curandum nobis est, sed sola cælestia, ac cælestem Patrem diligendum, & inuocandum. Rerum, inquit ille, ac negotiorum, quæ hic sunt iubens curam abiicere, & suadens solum patrem attendere, pueros imitando, quasi alioqui non probauerimus nos filios cælestis Patris de nobis admodum soliciti, si solicitudinem de terrenis habuerimus.

Hæc est ratio cur *Bernard.* appellauerit bona pauperum paupertatem, ait enim *serm. de villico iniquitatis.* Bona sunt diuitum diuitiæ suæ, ne eos paupertatis molestia frangat, bona sunt pauperum penuriæ suæ, quibus castigantur, ne per incontinentiam defluant, scilicet, ab itinere capessendo, & addit de eadem penuria: pius conditor ad bonum nostrum nobis quotidie confert, scilicet, vel ad correptionem prauitatis, vel ad profectum virtutis, sic enim melius in vitam diriguntur homines, velocius currunt, citius perueniunt, quanto minus terrenis adhærent, eisve detinentur.

Pro qua re videndus *Hieron. in cap. 16. Ezechiel.* vbi sanctos viros rotis comparat, quæ minima parte, & in puncto tantummodo planum contingunt, quod & perfectis in virtute contingit, qui *habentes alimenta, & vestimenta, quibus tegantur, contenti prorsus sunt*, & citatissimo cursu ad patriam voluuntur: Quamob-

Psal. 76. num. 19. rem, inquit *Hieron.* & ad eum dicitur: *Vox tonitrui tui in rota*, in his modicis vestigiis contingunt terrã, de quibus scriptum.

Zach. 9. num. 16. *Lapides sancti voluuntur super terram.* Vox tonitrui Domini, & excelsorum dogmatum personat. Personat igitur insana vox Pharaonis contra populum Dei, cum persecutionem minatur, comprehensionem prædicat, direptionem, & mortem profert, cum nihil horum nobis noceat, neque etiam nostrum sit, sed totum Dei, & proinde non multum dolendum de amissione istorum, ne alienorum appetitores comprehendamur, si aliena bona deploremus, & caduca bona potius velimus, quam æterna, dixit illud *Tertull lib. de patient. cap.* 7. his verbis. Nihil nostrum, Dei omnia, cuius ipsi quoque nos, itaque si damno affecti impatienter senserimus, nõ de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur: alienum quærimus, cum alienum amissum dolentes, ęgrè sustinemus, & *Gregor. 2. moral c.* 13. si nos ab illo accipimus, quibus in hac vita vtimur, cur doleamus, quod ipso iudicante

A exigimur, &c. Videndus hac de re *Philo lib. de Cherubin.* vbi ostendit nos in hac vita alienis tantum vti possessionibus, & nihil quod verè proprium dici possit, possidere. Similia sunt, quæ docet *Plutarch. orat. consolat. ad Appollon.* vbi docet, & monet ne vnquam doleamus de amissione alicuius rei temporalis, quibus cõiungenda sunt, quæ habet idem *Plutarch. in vita Demetrij* cognomento Poliorcetis de Stilpone Megarensi, qui interrogatus à Demetrio, virum in obsidione aliquid damni

B accepisset à militibus, & aliquid rerum suarum fuisset ablatum, respondit omnia sua bona secũ habere, nihilq; suum fuisse ablatum, iussit tamen Demetrius illi omnia restitui. Videndus *Epictetus Philosophus in Enchirid. cap.* 8. vbi præcepit ne in iactura, & amissione cuiusque rei externæ dicamus: illud perdidi, sed illud reddidi.

Vnde & *Cicero paradox.* 5. ait. Nihil neque meum est, neque cuiusquam, quod auferti, quod eripi, quod amitti possit, quibus accinit *Seneca epist.* 42. dicens multa

C possum tibi ostendere, quæ acquisita, acceptáque libertatem nobis extorserunt: nostri essemus, si ista nostra non essent. Hæc ergo tecum ipse versa, non solum vbi de incremento agetur, sed etiam vbi de iactura. Hoc periturum est nempe aduentitium fuit: tam facilè sine isto viues, quã vixisti, si diu illud habuisti, perdidisti postquam lacratus es: si non diu perdis antequam assuescas, pecuniam minorem, habebis, nempe, & molestiam: gratiam minorem, nempe & inuidiam. Circumspice

D ista, quæ nos agunt in insaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus, scies non damnum in his molestum esse, sed opinionẽ damni, nemo illa perisse sentit, sed cogitat: qui se habet, nihil perdidit: sed quot cuique habere se contigit? Dixerat autem idem *Seneca epist.* 4 nullum bonum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus, magnæ diuitiæ sunt lege naturæ composita paupertas: lex autem naturæ quid? Non esurire, non sitire, non algere, &c. Proinde non multum do-

E lendum erat de summo malo, quod Pharao filiis Israël minabatur, quibus summum bonum aderat possidendum.

Cæterum aliter rem disponente Deo, factum est, vt nec persequeretur Pharao, nec comprehenderet, sed potius fugam, vellet arripere, fluctibus tamen velut lictoribus comprehensus, & ligatus ad littus diripiendus, & spoliãdus eiiceretur, & qui gladium distringendum proponebat,

sensit super se diuinæ iustitiæ gladium, & qui volebat implere animam Israelitarum bonis, implet potius fluctibus, & aqua satiatus, imò suffocatus, miseram mortem, quam aliis prædicebat, ipse perpetitur, etenim, qui iustos persequitur etiam dum eos percutit, sibi nocet, aliquando verò sibi tantùm ea mala infert, quæ aliis inferenda proposuerat, quod *Philo* prosequitur *lib. quod det. pot. insid.* vbi ait. Insurrexit Cain in Abel, & interfecit ipsum, prima quidem specie Abelem occisum subindicat, sin autem diligentius rem expendas ipsum Cain à seipso, proinde sic legendum, *Insurrexit Cain, & occidit seipsum*, non alterum, & meritò quidem, anima enim, quæ ex seipsa tollit dogma pium, & virtutis amicum, virtuti est mortua. Itaque Abel, quod vix credas, interemptus viuit, exemptus enim ex insipientis mente, viuit in Deo vitam felicissimam: attestatur nobis diuinum oraculum, quod vociferari eum ait, & clamore prodere, quæ à malo socio passus est, alioquin si non amplius erat, quomodo loqui poterat? Sic ille, qui in eundem sententiam interpretatur id, quod Deus dixit
Genes. 4. num. 10. Caino, *quid fecisti?* Idem valet, inquit *Philo*, quod nihil fecisti, sic etiam, & Pharao nihil fecit iis, quos insequebatur, sed sibi potius intulit quæcumque aliis proposuerat mala.

Sap. 10. num. 17. Illúdque hoc in loco notandum maximè est noluisse, scilicet, Deum, vt Pharao auferret ea bona, quæ Deus contulerat filiis Israël, iuxta illud: *Reddidit Deus iustis mercedem laborum suorum*; qua de te videndus est *liber Exod. cap. 3. num. 21. & cap. 11. num. 2. & cap. 12. num. 35.* Iubente itaque Deo vasa aurea, & argentea, ac vestes, & magnam supellectilem per magnam compensationem acceperunt Israëlitæ, præter quam quod Deus cum sit omnium Dominus, potuit absque iniuria, liberaliter, & gratis, aliis erepta prædicta bona Hebræo populo donare, & ita duplici nomine, ac titulo iustè acceperunt ea omnia: præterea in compensationem, & pretium iniuriarum, vt pluribus exaggerat *Philo lib. de vita Moysis*, maximè verò libertatis oppressæ, quæ pretio haud satis æstimari valet, ita vt per se ipsi vendicare sibi potuerint, quæ debebantur, nec aliter poterant recuperare, quamuis non præcepisset nominatim Deus: adde cum *Irenæo lib. 4. cap. 49.* quod indignissimè ac ingratissimè genrem eam Ægyptij tractauerant, cui, & vitæ, & rerum debi-

A tores erant ob Patriarchæ Ioseph præcedentem benignitatem.

Data itaque hæc bona à Deo non potuit auferre inimicus, quantumcumque id intenderit, & proclamauerit, nam *quæ Dominus dedit, Dominus aufert*, sicut *Iob* Iob 1.
dixit, quod rectè prosequitur, & ostendit num. 27.
Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 5. vnde quia Iacob à Deo acceperat quæcumque bona habebat, dixit. *Minor sum* Gen. 32.
cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, num. 10.
quam expleuisti seruo tuo; in baculo meo
B *transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis egredior, erue me de manu fratris mei, qui valdè eum timeo*, senserat enim se iam fuisse ereptum a persecutione Laban, modo Deo exponit, quæ ab ipso acceperat bona, vt qui dederat, tueretur, ne inimicus auferret, solet enim Deus, quæ contulit bona tueri, & conseruare. Vnde meritò *Theod. quæst. 41. in 3. Reg.* ri- 3. Reg.
det impium Ieroboam, de quo sacer textus ait: *Dixit Ieroboam in corde suo, nunc* 12. n. 26.
reuertetur regnum ad domum Dauid, si
C *ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalē: & conuertetur cor populi huius ad Dominum suum Roboam Regem Iuda, interficientq; me, & reuertentur ad eum, & excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Hierusalem: Ecce dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti, posuitq; vnū Bethel, & alterū in Dan.* Quod totum fecit, vt acceptum à Deo regnum tutaretur, & decem tribus sub ditione sua, absque externis incursibus conseruaret.
D Ait ergo *Theod.* Miser, & ter infelix iste, accepta potestate, aggressus est eā habere humanis, & impiis artibus, oportebat autē stolidum intelligere, quod qui dedit regnum, id possit illi custodire, & cōfirmare.

Possumus autem addere non solum posse Deum, sed solere, quæcumque contulit bona, tueri, & conseruare. Quod si aliquando ob impietatem eorum, qui ea possident, auferuntur, nullatenus credas ab alio oblata, quam ab ipso Deo, qui concesserat. Constare hoc nobis poterit aper-
E tè ex *cap. 1. Daniel.* vbi ita incipit. *Anno* Dan. 1.
tertio regni Ioachim Regis Iuda venit Na- num. 1.
buchodonosor Rex Babylonis in Hierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius partem vasorum domus Domini, &c. quæ verba expendens *Theodor. orat. 1. in Daniel.* sic ait. Ne quis suspicaretur propriis viribus vsū Nabuchodonosor vrbem Deo dicatam superasse, omnésque planè intelligant, propterea quod Deus eam

eam ante tradiderit, & eam gratiam, qua ciuitatem pridem custodiebat ademerit, ideirco subiectâ hostibus fuisse, hoc item per *Isaiam* Prophetam declarans Auctor *Isaia 10.* omnium rerum Deus ait. *Nunquid gloria-* *num. 15.* *bitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?* Sic ille ostendit ea, quę Dei sunt, si quando auferantur ab iis, quibus tradita fuere, non ab alio, quam ab ipso largitore Deo tradi in direptionem, & hoc fortassis videtur attigisse Nabuchodonosor, licet in re maximè deceptus fuerit, *Dan. 1.* namque, vt ait sacer textus. *Asportauit* *num. 2.* *vasa templi in terram Sennaar in domum Dei sui.* Illius scilicet, quem ipse verum Deum reputabat ostēdens hac in re Deum non inuitum suis rebus priuatum fuisse, vt notauit etiam *Theod.* sed volentem tradidisse propter ingentia populi scelera, vt ab vna domo Dei, in aliam asportarentur, & tanquam vero Domino restituta dedicarentur, qua in re deceptus est, dum verum Deum existimauit illum, qui falsus omnino, nec Deus erat.

Insicienter etiam colligimus gloriatum Pharaonem de comprehensione, & spoliatione populi, quam etiam si contingeret, non sibi, sed Deo deberet tribuere, cum *non glorietur securis contra eum, qui secat in ea, nec exaltetur serra contra eum à quo trahitur*, quæ enim Deus concessit bona, solus ipse & custodit, quamdiu vult, & detrahit cum ei rectum videtur, & ideò de Nabuchodonosore in potentia sua se gloriante, sic in nomine Dei ait, *Theodor. orat. 4. in Daniel.* Quemadmodum fieri non potest, vt sponte securis, vel serra, aut virga moueatur, tunc enim vnumquodque horum operatur, cum aliquis admota manu ea voluerit commouere, sic etiam tu mea prouidentia fecisti, quæcumque fecisti propter eorum scelera, qui hæc passi sunt: ne itaque existimes propria sapientia, & virtute hæc tibi prospera successisse: quod si hæc nolis modestè intelligere, & arrogans supercilium comprimere, experientia disces hæc ita se habere, mittet enim Dominus Sabaoth in tuum honorem ignominiam, & in tuam gloriam ignem ardentem, &c.

Melius hac in re fuit iudicium sancti Iob, qui ea bona, quæ à Deo acceperat, ab *Iob 1.* eo etiam ablata censuit, quando dixit: *Do-* *num. 21.* *minus dedit, Dominus abstulit*, quæ verba ponderans *Greg. 2. mor. cap. 13.* dicit. Non ait, Dominus dedit, diabolus abstulit, sed Dominus dedit, Dominus abstulit. Fortas-

A se enim fuerat dolendum, si quod Dominus dedit, nostris abstulisset: at postquam non abstulit nisi ipse, qui dedit sua recepit, non nostra abstulit. Similia habet *D. Chrysost. homil. 5. de patientia Iob*, his verbis: quid dicis, *Dominus abstulit?* Fur abstulit, & tu dicis, *Dominus abstulit?* Ne miseris, nam & Iob, quæ diabolus surripuit, eadem, & Dominum abstulisse dixit. Eadem ferme habet *homil. 3. in 1. ad Thessal. c. 3.* quod ipsum prosequutur *D. August. in Psal. 31.* cum ita ait. Non dixit B *Dominus dedit*, diabolus abstulit, intendat ergo charitas vestra, ne forte dicatis, hæc mihi diabolus fecit, prorsus ad Deum tuum refert flagellum tuum, & cætera.

Et certe sicut Deus nobis bona sua commodauit, ita ipse eadem aufert à colonis suis, qui sunt omnes terræ habitatores, & possessores, quæ fuit ratio cur ipse præceperit, *vt terra non venundaretur in* *Leui. 25.* *perpetuum, quia mea est*, inquit, *& vos ad-* *num. 23.* *uenæ, & coloni mei estis*, quem locum sic versat *Philo lib. de Seraphim versus finem*, C dicens: Manifestissimè docet ius possessionis omnium rerum pertinere ad eum, vsum verò solum ad creaturam, nihil in perpetuum cuiquam creaturæ venditur, quandoquidem vnus est Dominus totius creaturæ possessor proprius. Cum igitur verus, & proprius Dominus reddiderit mercedem laborum seruorum suorum, bona, scilicet, Ægyptiorum, frustra minatur Pharao, *Comprehendam, & diuidam spolia*, pertinet enim ad Dei bonitatem, & potentiam augere, & conseruare, quæ D ipse contulit bona, quod si quando ob aliquam iustam causam auferenda sunt, ipse qui dedit, aufert, bona enim diuina prouidentia, & Dei adiutorio comparata, hominum malignitati, odio, & furori minimè subiacent.

ANNOTAT. VI.

Temporalia occupare possunt, saturare non possunt.

E ILlud insuper in stultis verbis Pharaonis venit ad notandum quomodo scilicet, ad diuisionem bonorum addiderit animæ repletionem, cum ait; *Implebitur* *Luc. 12.* *anima mea*, quasi anima nostra his infe- *num. 12.* rioribus bonis repleri possit, similisque videtur illi alteri, qui dicebat animæ suæ, *Requiesce, comede, bibe, epulare*, super quæ verba sic ait *Basil. homil.* celebri de illa similitudine *contra diuites auaros*. O verba

stultissima, ô dementiam singularem: nam A si porcinam habuisses animam, quid aliud ipse enumerare potuisses? Ita ne pecuinus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam, vt exceptes carnalibus epulis, & quæ alui secessus recipit, animæ destinasses? Si quidem illa virtutem habet, si plena est operibus bonis, si Dei gratiam sibi conciliauit, ac familiariter acceinit: tunc sanè multa bona habet, tunc lætari poterit bona lætitia. Sic ille rectè ostendit quibus bonis repleri possit anima nostra, spiritualibus scilicet non corporalibus, quibus B quantumcumque abundet, semper tamen esuriens inanis, & vacua remanet, & censetur, vnde Dauid dixit illum habitaturum in tabernaculo Domini: *Qui non accepit in vano animam suam*, quem locum ad nostrum institutum sic explicat *Bernard.* Quomodo non frustra accepit homo animam, qui tanquam vnum ex irrationabilibus animantibus corporeis voluptatibus solum sequitur carnis appetitum? Appollinarius verò, Græcique fermè omnes intelligunt non accipere in C vano animam suam, eum, qui res has vanas, & caducas nimis, & auarè non concupiuit, seu qui meminit non accepisse à Deo animam, vt huiusmodi res pertractet. In vano proinde habet animam, qui replendam esse putat, & saturandam corporalibus bonis, cum solis spiritualibus apta sit repleri, vnde *Paulus* dicebat: *Ne in vacuum gratiam Dei recipieremus*, qua sola anima repletur, & satiatur, & de Tabira dicitur: *Hæc erat plena eleemosynis*, cum tamen eleemosynæ euacuare soleant, D & exonerare crumenas pecuniis, & horrea tritico, domúsque suppellectilia, qui tamen replent animam gratia, cæterisque virtutibus, ideò ea mulier plena dicitur eleemosynis, aliter enim potiùs vacua dicenda foret, & inanis, quæ bona sua in pauperes erogauerat, & ideò eodem in *c. num.* 39. de ipsa mortua dicitur: *Circumsteterunt Petrum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis*, quasi vestes, quæ pauperes protegebant, & fouebant, viduam replerent, E & in hoc sensu Angelo, seu Episcopo Ecclesiæ Sardis dicitur: *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo.*

Psal. 23. *num.* 4.

2.*Cor.*6. *num.* 1.

*Actor.*9. *num.*36.

*Apoc.*3. *num.*2.

Quantumcumque ergo diues ille animam inuitaret ad temporalia, iisq; abundaret, semper tamen vacua inueniretur, quæ solis spiritualibus potest repleri, & ideò illi alteri dictum est, *quæ autem parasti cuius erunt?* Quæ verba *Clemens Alex. lib.*4. *Stromat.* sic legit, quæ autem ei, scilicet animæ, parasti, cuius erunt? Vbi relatiuum *ei*, decorem, & energiam, vel potiùs irrisionem indicat illius, qui temporalibus volebat animam suam saginari, & repleri, ostendúntque Pharaonis insaniam, qui animam capacissimam replere volebat iis bonis, quæ pauca admodum, & nullius ferè entitatis sunt.

Pro qua de re videndus *Hieron. in c.*25. *Matth.* cum ponderat illa verba: *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*, vbi pauca dicit esse omnia, quæ in mundo sunt, & in præsenti habemus, quantumcumque magna videantur, & plurima. Quid ergo poterunt implere pauca eam animam, quæ capax Dei participatione est? Vnde *Philo lib. quod det. potiori insid.* copiã istarum rerum inferiorum, famem appellauit, solent enim in anima notitiam veri Dei habente maiorem famem, & sitim eiusdem Dei ingerere, qui summum bonum est, & in quo excellentiori modo, quam in se sunt, omnia bona continentur, & ideò ille Angelus, qui Tobiam comitatus est discessurus dixit: *Videbar vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor*, quasi erubuerit Angelus videri manducare, & bibere etiam in assumpto corpore, cum enim spiritus esset, qui nutriri, aut satiari nequit corporalibus rebus, noluit, vt videntes eum hac in re deciperentur, & fortassis putarent Angelum manducare, & bibere, cum longè excellentiorem cibum in mensa Dei haberet scilicet ipsum Deum.

Mat. 25. *num.* 21.

*Tob.*12. *num.* 19.

Hæc est ratio cur Salomon dixerit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, vbi paraphrasis Chald. habet: *Dixit in verbo suo. Vanitas vanitatum sæculum hoc: vanitas vanitatum omne, quod laboraui, omnino vanitas.* Et *Gregor. Nyssen. in comment. huius loci.* Vanum diffinit sine re somnum, qualia sunt vocabula nihil prorsus significantia: deinde cuius nullus vsus scopus certus, licet magno studio fiat, vt in arena ædificium, de quo *Matth.*7. Venatio venti, certamen in vmbra, cum quis frustratur fine, illud autem aduertendum est cum eodem *Nyssen.* quod Salomon dum vanitatem, seu vacuitatem rerum omnium temporalium prædicat, non id facit, vt plerique solent, qui non habent in potestate sua illa, quæ delectant, quæve replere possunt animam, si possent, & appetitum satiare, qualia erant

*Eccl.*1. *num.*2.

*Matt.*7. *num.* 26.

erant ea omnia, quæ vana dicebat Salomon, sed omnia abundantissime habebat, vt vel ex eo habet summam auctoritatem eius sermo, dum illa accusat, vanáque docet, quæ ipse expertus fuerit, nos enim non omnia experientia nostra didicimus, neque reuera sumus experti, sed sola cogitatione, & desiderio, & cum alicui consilium damus, vt pro nihilo ducat, quæ homines in pretio habeant, qui ista audit in promptu habet illud, quod dicat, ideirco nos ista parui pendere, quod ea non simus experti, hanc verò totam obiectionem deleuit Salomon, loquens de iis, quæ re ipsa expertus est, quod quidem obser-
Psal. 39. uauit *D. Bonauen. proœmio ad Eccles.* Et
num. 5. *Chrysost. tom. 5. serm. de vanitate, & breui-*
Psalm. 4. *tate vitæ*, & cum omnia vana sint, quid
num. 3. replere possunt animam nostram, quæ so-
Psal. 59. la Dei gloria saturatur? Proinde *beatus*
num. 13. *cuius Deus spes eius, & qui non respicit in*
Pro. vlt. *vanitates, & insanias falsas, beatus* insu-
num. 30. per, *qui non diligit vanitatem*, vana ete-
Sap. 13. nim salus hominis, *vana pulchritudo, &*
num. 1. *fallax gratia*, vani in quibus non subest
Iona. 2. scientia Dei, & insani, *qui custodiunt va-*
num. 9. *nitate: frustra.* vnde *Iuuenal. satyr. 1. O cu-*
ras hominum, ô quantum est in rebus inane, quid insanus replendam prædicat animam pomis Sodomitis post deflagrationem; Quid cibis quos amatori Menippo Lycio Phenissa parauit, de quibus *Philostra. in Appolonio lib. 4. cap. 8.* de quo argumento videndus *Hierony. lib. 11. in Isai. Chrysost. homil. in Eutropium, tom. 5.* & legenda inductio, qua *Ascanius Martinengus tom. 1. pag. 2. glossa magna in Genes. declarat* inanitatem, ac vanitatem terræ in impiis, & in Regibus, eorúmque potentia, opibus, & delitiis. Videndus item *Gregor. 20. Moral. c. 16.* Vbi væsanam iniquorum mentem ridet, quorum figuram gerebant Israëlitæ, qui dum refectionem mannæ desuper percipiebant, concupierunt ollas carnium, pepones, porros, cepas, & potiùs cepas flagrare, quam cœlum volebant: Quid enim, ait *Gregor.* signatur in manna, nisi esca gratiæ, suaue sapiens ad refectionem interioris vitæ benè vacantibus desuper data? Et quid per ollas carnium, nisi carnalium opera vitæ, in tribulationum laboribus, quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros, ac cepas exprimitur, quæ plerúmque qui comedunt lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis, & non sine luctu agitur, & tamen cum lacry-

A mis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus, ac carnibus, porros, cepásque quæsierunt, quia videlicet peruersæ mentes per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus laboriosa huius vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt: contemnunt habere vbi spiritualiter gaudeant, desideranter appetunt, vbi carnaliter gemant, & inanibus penè, ac vacuis rebus implere nituntur animam, solo Deo, eiúsque participatione replendam, & occupandam.
B *Genus ergo cum simus Dei: Non debemus* Act. 26.
æstimare auro, vel argento, aut lapidi sculpturæ num. 29.
pulturæ artis, & cogitationi hominis diuinum esse simile, genus videlicet Dei dicimur, non ex eius natura editi, sed per spiritum illius, & voluntariè conditi, & adoptiuè recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque magis accedit, quanto magis per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renouatur. At verò sunt stulti, & ignobiles, qui quasi in abiectæ prolis vilitate sopiuntur, quo
C enim ad id, quod eruditi sunt non intelligunt, eo etiam cognationem acceptæ per imaginem generositatis perdunt. Stulti ergo, & ignobiles sunt ij, qui superna bona despicientes inania, & futilia solummodo exoptant, & suspirant, vnde *Bernard. serm. de primordijs, &c.* ait. Quid corde repis in terra? An non repere in terra, carnem sapere, carnalia desiderare, carnalia quærere? Memor nobilitatis tuæ pudeat te tantæ deiectionis, ne ignores pulchritudinem tuam, vt de fœditate am-
D pliùs confundaris.

Mirum est, quod vocati homines ad
cœnam magnam: *Cœperunt omnes simul* Luc. 14.
excusari: vnus emptione villæ, quam videre num. 16.
volebat, alius emptione boum, quos probare volebat, connubio, & societate vxoris. Vide, quid habet visio oculorum cum cœna magna, quid probatio boum cum plena bonorum affluentia, quid nuptiæ perituræ cum nuptiis agni, quid voluptas vxoris, cum torrente voluptatis, qua Deus suos in beatitudine pôtat? Sed si oculos aperi-
E rent, viderent vtique vilitatem rerum harum sublunarium, imò si oculos ad pulchritudinem cœlorum eleuarent, dum ipsorum regularissimos motus, varietatem stellarum, pulchritudinem planetarum contemplarentur: inde planè in contemplatione illius indicibilis pulchritudinis, quæ in cœlorum cœlo ostenditur beatis erigerentur, & ab exteriori pulchritudine, internam facilè indagarent, si

probato

probato consilio expenderent sæculi iugum, probarent vtique, & inquirerent illam requiem,quę ideo cœna vocatur,quia post labores ad cubitum,ac quietem præparatur, cum enim beatitudo sit finis, & summum bonum hominis,nihil post eam restet fruendum, consequendum, & expetendum, sicut etiam post cœnam nihil epulandum restat, vnde etiam *Ioan.* ait.
Apoc. 19. num. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*. Videndus hac de re *August. lib.* 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 7. *& lib.* 4. *contra Iulian. cap.* 13. *& in Psalm.* 8. *& in Epist.* 144. Cum ergo anima nostra, quæ ad sola spiritualia creata est,terrenis impleri nequeat, quid stultus Pharao clamat. *Diuidam spolia,implebitur anima mea?*

Cæterum stulte, & impie Rex esto cumuletur quam multis voles bonis, & suffarcinetur anima tua, occupari illa quidem poterit, impleri verò non poterit, sicut rectè simul, & acutè dixit *Bernard.* super, *Ecce nos reliquimus omnia*, ad medium ferè. Capacem Dei,inquit, quidquid Deo minus est,non implebit;quid cuique sufficere possit diligentius vestigato, & facilè est inuenire omnia desiderantem, neque enim ponere est concupiscentiæ modum donec videatur impleta, donec adepta sit, quibus valeat esse contenta. Cæterum nec amator pecuniæ dicet aliquando sufficit,nec libidinosus satiabitur voluptate, sic, & crudelis quisque semper sanguinem sitit, & ambitiosus, aut cupidus laudis humanæ adeptis dignitatum titulis, seu fauoribus, nullum exinde capit omnino remedium, sed desiderio æstuat ampliori. Minus autem inuenit requiem, qui sibi placere cupit, & suis, idest, quibusdam fatuis de semetipso testimoniis gloriatur dicens: *Manus mea excelsa*, putans sese aliquid esse &c. Magis famem hæc prouocant quam extinguunt, panis namque animæ iustitia est, & soli *beati, qui esuriunt illam, quoniam ipsi saturabuntur.* Inde est, quod naturali quidem desiderio summũ quiuis probatur appetere bonum,nullam,nisi adepto eo,requiem habiturus: cæterum errant miseri non inuenientes viam, & scriptum est, *ambulant impij in circuitu*, dum minora quæque bona quærentes, illud semper desiderant quod vicinius atque vtinam si fieri posset,cætera omnia obtinuisset vnus, eodémque proculdubio, & ipsum quod sibi solum deesset videre summum vtique bonum desiderio quæsiturus, quo cætera quoque semper experit non adepta. Sed innumera sunt hæc, & à cæteris quoque pariter requiruntur, quod valet quisque trahit in partem, nec aliquando poterit hic circuitus peragrari. Vis peruenire?incipe transilire, alioquin propiperis miser desiderio terrenorum, & à summo bono eo longius inuenietis, quod te amplius dederis caducis rebus,& transitoriis appetendis,in circuitu siquidem ambulas, hæc *Bernard.* quibus nihil elegâtius, & aptius, in rem nostram dici potest, proindeque non potuimus scribere aliud, sed ab illo transcribere, ostendit igitur stultitiam Pharaonis dum bouis ab Israelitis acceptis, & spoliis acquisitis, putat animam suam posse adimpleri, quæ solis spiritualibus diuitiis impletur in via, vacuáque dum illis caret reputatur: aduertentiam tamen adnotat Pharaonis, qui dixit, *implebitur anima mea*, & non saturabitur, cæteris enim bonis huius sæculi, etsi suffarcinata nobis proponatur anima, nunquam tamen eisdem saturabitur,vel in illis requiescet, quod extremæ miseriæ est respectu illorum, qui nihil aliud curant, quam de multiplicandis diuitiis,& de acquirendis denuo possessionibus, quibus nec replebuntur, nec etiamsi repleten-tur,saturari, & satiari possent, *replebimur enim bonis domus Dei*, sicut dixit Dauid *Psalm.* 64. Ipse enim Deus est, *qui replet in bonis desiderium nostrum*, & appetitum, Psal. 64. num. 5. & quia *Bernard.* locutus est de appetitu Ps. 102. num. 5. naturali respectu summi boni, quietantis ipsum appetitum,idest, æternæ felicitatis, intelligendus est de appetitu naturali pro actu elicito. Supposita tamen fide supernaturali ostendente, seu proponente talem felicitatẽ, quod si de appetitu innato intelligatur *Bernard.* appetitus interpretandus est naturalis entitatiuè: quamuis supernaturalis sit obiectiuè,& terminatiuè: atque ita satisfaciamus Doctoribus scholasticis,qui multi sunt in constituendo in nobis appetitu naturali ad summam Dei adeptionem, & possessionem non solum naturalem, sed etiã supernaturalem. Illius autem quod *Bernard.* ait appetitum, seu desiderium nostrum nullam requiem habiturum, nisi adepto summo bono ratio à priori est, quia appetitus noster cum non sit ad hoc, vel ad illud dumtaxat bonum, sed communiter ad omne bonum, dato illi quolibet bono,caret adhuc alio, cuius est capax, & proinde habet priuationem illius: priuatio autem parit desiderium, tunc proinde satiabitur appetitus,cum priuatione carebit:Illa verò tunc carebit,

catebit, cùm omne bonum præsens, possessumque retinebit,& quoniam solo Deo continetur, coërcetúrque omne bonum iuxta illud *Exod.* 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*, idest, me ipsum (nam, quod est bonum simpliciter continetur in Deo formaliter, eminenter autem, quod non simpliciter tale, cuiusmodi est omne bonum creatum) inde est, vt solius Dei possessione repleri, & satiari appetitus possit humanus,qua de re copiosus est *D. Thom. lib.* 3. *contr gent.cap.*63. Videndúsque est *Bernard. serm. de primord. &c.* cum ait. Sic se habent vniuersa sub sole, vt nihil sit in eis verè iucundum, sed ab vno semper transire velit homo ad aliud, soláque vicissitudine releuatur vtrumque, ac si prosiliat ab aqua in ignem, & inde rursus in aquam resiliat, vtpote, qui neutrum ferre possit, omnis siquidem laboris remedium, alterius laboris initium est, quod etiam luculentiùs habet idem *Bernard. tract. de diligendo Deum*, vbi ait. Videas iam multos prædiis, & possessionibus ampliatos, adhuc tamen indies agrum agro copulare, atque infinita cupiditate dilatare terminos suos. Videas, & qui regalibus domibus, amplisque habitant palatiis,nihilominus quotidiè coniungere domum ad domum, & inquieta curiositate ædificare,diruere,mutare quadrata rotundis, quid homines sublimatos honoribus, an non insatiabili ambitione magis, ac magis totis viribus conari ad altiora videmus? Et horum omnium idcirco non est finis, quia nihil in eis summum singulariter reperitur, vel optimum. Et quid mirum si inferioribus, & deterioribus contentus non sit, qui citra summum,vel optimum quiescere non potest? Sed hoc stultum,& extremæ dementiæ est ea semper appetere, quæ nunquam non dico satient,sed nec temperent appetitum, dum quidquid talium habueris, nihilominus non habita concupiscas, & ad quæque desuerint, semper inquietus anheles. Ita enim fit,vt per varia.& fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore discurrens fatigetur, non satietur,dum quidquid famelicus ingluterit, parum repetet ad id, quod superest deuorandum, sempérque non minus anxiè cupiat, quæ desunt, quam quæ adsunt lætè possideat,quis enim obtineat vniuersa? Sic directo tramite voluptas peruersa contendit ad optimum, festinat ad id, vnde possit impleri: imo vero his anfractibus ludit secum vanitas,incutitur

Exod. 33. *num.* 19.

A iniquitas sibi. Si ita vis adimplere, quod vis, hoc est illud apprehendere vis, quo apprehenso nihil iam ampliùs velis. Quid tentate opus est,& cætera? Curris per deuia, & longè antea morieris, quam hoc circuitu peruenias ad optatum. Hoc ergo *in circuitu impij ambulant*,naturaliter appetentes, vnde finiant appetitum, & insipienter respuentes vnde propinquent fini, finem dico, non consumptionis, sed consummationis, sed consumi vacuo labore accelerant,qui rerum magis specie,quam B auctore delectati, prius vniuersa percurrere,& de singulis cupiunt experiri,quam ad ipsum curent vniuersitatis Dominum peruenire, ideò *melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas*, Quoniam quidem, vt Sapiens loquitur, & insipiens experitur: *Qui diligit pecuniam, non saturabitur pecunia, qui autem esuriunt, & sitiunt iustitiam, ipsi saturabuntur.*

Psal. 36. *num.* 16.

Eccles. 5. *num.* 9.

Matt. 5. *num.* 6.

Est autem optima in præsentem rem explicandam ea similitudo, qua vtitur C *Ludouic. Legion. in Psalm.* 26. Etenim sicut ille, qui galerum capiti operiendo aptatum, vellet pedibus inserere,& ocreas capiti aptare, nec pedes calceatos haberet, imò nudos, caput tamen ipsum nihilo magis texisset, ipsúmque amisisset artis vsum, sic etiam is, qui animam replere vult terrenis,& satiare temporalibus frustra laborat, & inanem reddet animam, quæ solis spiritualibus repleri, solóque Deo satiari potest; ad cuius fruitionem condita est, & cætera infra Deum inepta D illi omnino sunt, & inadæquata. Videndus idem *Legion.* ad illa verba eiusdem Psalm. *Vnam pety à Domino, hanc requiram.* Libido, inquit ille, atque cupiditas plura appetit,neque satiatur vnquam, at rectè constituta ratio vnum bonum, quod, & ipsum summum sit bonum, desiderat.

Psal. 26. *num.* 4.

Cain reprobus, & terrenus à possessione denominatus est,vt ex sacro textu constat *Genes.* 4. At vero Abel probus,ac Deo probatus à vacuitate, ac vanitate deno- E minatur, illud autem hac in re dubium verum sie dicatur ex eo,quod propriæ vanitatis,seu vacuitatis conscius, quæcumque in se cognoscebat bona, ad Deum velut Auctorem referebat, sicut exponit *Ambros. lib.* 1. *de Abel, & Cain, cap.* 1. vel ex eo,quod agnoscens vacuitatem, & vanitatem rerum omnium sublunarium,sola spiritualia, & æterna curauit, quæ vera sunt bona expetenda, & amplectenda. At

Genes. 4. *num.* 1.

vero si Abelis nomenclatura leniter scribatur, pro luctu accipitur teste *D. August. 15. de Ciuitate Dei, cap. 18. & Origen. tract. 26. in Matth. & Ioseph. 1. Antiquitat. cap. 3.* Luctus enim iugiter, qui rectè agnoscit qualia sint huius mundi bona, dum quantum pro eis homines laboris insumunt, quantumque in eis conquirendis insudant expendit, vel etiam luget præ desiderio futurorum bonorum suspirans illam æternam requiem, veram lætitiam, & indefectibilem thesaurum. Alij, vt *Ruffinus*, Abelem interpretantur, nihil, eo, quod nihil ducat quæcumque sese offerant bona, eum sciat nihil omnino esse, quidquid haberi potest in hoc exilio, respectu eorum bonorum; *Quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit*, ea tamen habet Deus præparata diligentibus se, & præsentia arbitrantibus vt stercora: in quam sententiam interpretatur *D. August.* illud

Psal. 21. num. 27. *Psalm. 21. in exposit. 2. Edent pauperes, & saturabuntur*, sic vero habet, Dominus est diuitiæ pauperum, ideò inanis est domus, vt cor plenum diuitiis sit, diuites quærant vnde arcam impleant, & pauperes quærant vnde cor impleant, & videre fratres, qui verè pauperes sunt, cuius rei diuites sint, quia non in arca, non in horreo, viuent corda eorum in sæculum sæculi. Ideo ergo, & primus iustus, nihil, appellatur, quia nihil in hoc mundo desiderat, sed perpetuam sectatur paupertatem, vt veras sibi acquirat diuitias, quæ non contingunt nisi iis, qui nihil de terrenis possederunt. Similia habet in *Psalm. 32.* vbi inter alia ait. *Cum beatus fueris, melior vtique eris, quam cum miser es, fieri autem non potest, vt res deterior te faciat meliorem te. Homo es, deterior te est quidquid cupis, quo beatus esse desideras, aurum, argentum, quælibet corpora, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te. Vis esse melior te, & quæris per quæ id fiat, deteriora sunt te. Accipe ergo fidele consilium: melior te vis esse? Noui, omnes nouimus, omnes volumus: quære, quod est melius te, vt inde efficiaris melior te: intuere nunc cælum, & terram, & non tibi sic hæc pulchra corpora placeant, vt eis fieri beatus velis. Auare, quid inhias cælo, & terræ? Melior est, qui fecit cælum & terram, ipsum visurus, ipsum habiturus es, aurum si volueris, fortè non habebis, Deum cum volueris, habebis. Ergo desiderate, vt habeatis, tunc demum beati eritis. Hac sola beati eritis re meliore, quam vos estis, meliores eritis. Deus est, inquam, melior te,*

A *qui fecit te.* Sic ille, cui suffragatur *D. Hieronym. in Epist. ad Geruatias filias tom. 4.* vbi alludens ad illam emptionem sepulchri, de qua *Genes.* quando, *Abraham appendit pecuniam in possessionem sepulchri,* *Gen. 23. num. 16.* *quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Ait ergo *Hieronym.* Quid mirum si pauperculus, & peregrinus in terra aliena sepulchrũ emit Abraham à filiis Heth? O veritas, o altitudô sapientiæ, & scientiæ Dei, quid est sepul-B chrum? Locus quietis, vbi iuxta mundi rationem defunctorum corpora collocantur: vera ergo intelligentia locum sibi requietionis pater Abraham fide sua, & contemptu pecuniæ comparauit, possideat ille pecuniam, nos sepulchrum. Sic ille requiem comparandam docet pecuniæ, & diuitiarum transmissione, aliter minimè habendam in inferioribus bonis, etenim fecit nos Dominus ad se, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in illo, proindeque in nullo alio po-C terit requiescere, quanto magis repleri, nisi in Deo.

Insanus proinde deprehenditur Pharao, dum complendum desiderium suum existimat, & animam suam replendam prædicat spoliis Israëlitarum, & qui caducas, & inconstantes res inhiabat, in supplicium huius insaniæ, vndis repletus interiit, vt malo suo discat stultè locutum fuisse, & nos in alieno capite discamus, non porcorum siliquas exoptare, non vinum aspidum, quorum primum famem D potius irritat, secundùm verò sitim excitat, & prouocat, sed vera bona anhelare, quæ comparantur non mala inferendo, sed potius patiendo, & bona operando, ac largiendo.

Fugiamus insuper, & vilem huius Regis indolem, qui tam sitibundus bona Israëlitarum quærebat, & de eis quasi iam acquisitis inaniter gloriabatur, cum tamen, sicut dixit *Clemens Alexand. 2. pædagog. cap. 3.* Veræ diuitiæ sint paupertas cupiditatum: & vera animi magnitudo E sit, non propter diuitias sibi placere, & magnos spiritus sumere, sed eas despicere, non æquum studium suum in eis ponere, quæ volenti licet, vel etiam ex foro emere: adde, & nolenti auferre potest tyrannus, & solus stultus suspirare. Vnde *D. August. in Psal. 122.* ait. Infelix anima abundat, sed abundat nequitia, abundat malitia; at verò Christianus homo, non debet abundare, sed pauperem se debet

cogno

cognoscere, etsi habet diuitias, scire debet, quia non habet diuitias veras, vt alias desideret, qui falsas desiderat, veras non quærit: qui autem rectas quærit, pauper est, & rectè dicit, *pauper, & dolens sum ego.* Et deinde addit *Augustin.* quando laudatur diues, quid dicitur? Multum diues est, nihil illi deest, si nihil cupit nihil illi deest, si autem adhuc cupit maiora, quæ habet ad hoc accesserunt diuitiæ, vt egestas cresceret. Vnde non stultum solum dicemus hunc Regem, dum temporalibus intendebat replere animam solo B Deo perfectè complendam, sed pauperem insuper, & miserum, qui alienas diuitias sic exoptabat.

ANNOTAT. VII.

Iniqui cùm potestatem habent, eam in perniciem aliorum conuertunt.

ILlud etiam hoc in loco aduertendum C occurrit Pharaonem potestate, & multitudine exercitus sui gloriantem nihil nisi in perniciem, & exitium Israëlitarum proferre, quod proprium iniquorum hominum est, pro potestate scilicet, & pro voluntate eos affligere, & persequi, quos odio habuerunt, quod dixit *Philo lib. de præmio & pœnis*, his verbis. Quoties idem & hostis simul, & Dominus imminet, quis sustinere queat? Quando potestas ei præbet lædendi licentiam, nec voluntas deest propter inueteratum odium, quod D vtrumque repertum est in Pharaone, summa scilicet regni potentia, & odium inueteratum in Israëlitas, quos à multo iam tempore modis omnibus persecutus fuerat; longè aliter hoc cernere est in Christo Domino, qui quo tempore se potentem prædicat, statim eandem potentiam in hominum remedium, & vtilitatem conuertit: Etenim vbi primùm dixit
Mat. vlt. num. 18. *Matth. vltim. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, illico adiunxit, quasi per necessariam consequentiam. *Euntes* E *ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, &c.* Hinc igitur ad nostram institutionem deducimus iustos, & pios viros, qui Dei vestigia sequuntur, quando potestatem, & iurisdictionem nacti sunt, eam in aliorum vtilitatem conuertere, è conuerso autem pessimos homines in perniciem, &

A stragem aliorum, quidquid possunt, dirigere: quo sensu intelligi potest illud: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, quod *Exod. 7. num. 1.* non in producendis ranis, cæterisque animalibus, aut conuertenda aqua in sanguinem, infligendisve plagis consistebat, sed potiùs in malis auertendis, & in adhibenda medela damnis illatis, etenim quando Moyses aliquod inferebat supplicium impio Pharaoni, si ille sub Dei flagello diuinam opem implorabat, & Moysem deprecabatur, vt impositam pœnam remoueret, in hoc Moyses se Deum præbebat, & probabat, quod mala illa auferebat, & deprecantem exaudiebat, nam cum illa potestas à Deo promanasset, Dei naturam referebat, & imitabatur: longè aliter sese res habebat in Magis Pharaonis, qui cum ex diaboli pacto, eiúsque virtute, & potentia signa ederent, in perniciem, & incommodum ea patrabant, proinde plagas poterant inferre, supplicia suppliciis addere, mala malis cumulare, ea tamen auferre nullatenus poterant, quod prosequitur *Origen. homil. 13. in Num.* Cum ita inter alia ait. Produxerunt Ægyptiorum Magi sciniphes, sed non potuerunt repellere eas, Moyses vero & produxit eas, & restituit, Deus enim noster delere facit, & iterum restituit, contraria autem virtus malè quidem facere aliquid potest, sed restituere in integrum non potest. Sic ille.

Hinc est, quod, sicut refert *Plutarch. in Apophthegm.* cum quidam potentiam Philippi Maced. maximè commendare vellet, quod Olynthum Thraciæ vrbem euerterit, solóque æquauerit: Scitè alius illi respondit, atqui non potuit tam bellam struere, quibus verbis subnotauit alteriùs insipientiam, qui Philippi potentiam potiùs deduxerat ex euersione vrbis, quam exstructione, & fundatione illius, cum rectè potestas potiùs comprobetur ex collatione bonorum, quam ex illatione malorum, quapropter iure optimo gloriabatur August. Cæsar se Romam Latericiam accepisse, marmoream verò reliquisse.

Est optimus in hanc sententiam ille locus *Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 10.* vbi loquens de missione Apostolorum ad prædicationem Euangelij, ita ait. Non virgas in manu iubentur tollere Apostoli, sic enim *Matth.* scribendum putauit, quid *Matt. 10. num. 10.* est virga, nisi præferendæ potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris? Eos ergo misit ad seminandum, qui

non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent, nec enim Dei maiestas manifestatur hominibus malum aliquod infligendo, sed quocumque potius tollendo, & prius benignitatem, & beneuolentiam ostentat, deinde cum opus fuerit iustitiam prouocatus exerit; at verò è contra iniqua potestas nihil prius quam mala profert, nihil libentiùs infert, ideò Pilatus dixit Christo Domino:
Ioan. 19. *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te,*
num. 10. *& dimittere te?* Vbi primo loco crucem, & mortem loquitur, eámque potestati connectit, quia impij se potentes potiùs mortem inferendo, quam vitam largiendo ostentant, sicut videmus in Pharaone, qui nihil nisi malum loquitur, minatur, & intentat.

Vnde singulare Dei beneficium est potentiam adimere iis, qui illa ad nihil aliud, quam ad malum abutuntur. Notauit hoc eleganter *Philo lib. de Cherubin.*
Num. 22. *in Balam*, qui vocatus à Balac, & in via
num. 23. impeditus ne progrederetur ab Angelo, qui in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur stetit, eóque viso. *Asina cui insederat Balam iunxit se parieti, at ille verberabat eam sensei, & iterum, aperiénsque Dominus os asina locuta est. Quid feci tibi? Cur percutis me, ecce iam tertio, Respondit Balam, quia commeruisti, & illusisti mihi; vtinam haberem gladium, vt te percuterem.* Hæc igitur postrema verba expendit *Philo* prolata fuisse à Balamo contra irrationale animal, quod nullam omnino culpam commiserat, etenim, quod non procederet in via, impediebat Angelus, Balam verò gladium tunc temporis volebat habere, vt inculpabilem percuteret asinam. Ait ergo *Philo:* Gratia maxima conditori, qui sciens imprudentiæ rabiem, non dedit tanquam furenti gladium, ne quosque obuios maligna clade conficeret: vbi vides appellare malignos, furentes, ac penè amentes eos, quibus si districtus gladius committatur nulli omnino parcent, nec iustos reuerebuntur, nec innocentes pertransibunt, nec causas expendent, nec culpas discernent, sed in ore gladij cuncta vastabunt. Si verò aduertas gladium in facto, ac profano sermone potestatem, & iurisdictionem importare, meliùs innotescit *Philo-*
Baruc. 6. *nis* locus, enimverò *Baruc. c. 6.* dat Indi-
num. 14. cis in manu gladium, & *Sapient.* 18. dici-
Sap. 18. tur: *Omnipotens sermo tuus de cælo à re-*
num. 15. *galibus sedibus, durus bellator in mediam*

A *exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans*, quod *Vatabl.* ita reddit: *Omnipotens sermo tuus, bellator durus, acutum gladium minimè fictum mandatum tuũ gerens*, clarius Complut. *Omnipotens sermo tuus, durus bellator in medium perniciosa prosiliuit terra. gladium acutum, non simulatum imperium tuum ferens*, & responsum est à discipulo, *Ecce gladij duo hic*, humanarum, diuina- Luc. 22.
rúmque rerum potestatem sub Christianæ num. 28.
Reipublicæ principem peruenturam præ-
B monstratum asserunt fermè omnes Interpretes, & Christus in ore dicitur habere gladium, *Apocal.* 1. vt significaretur eius Apoc. 1.
potestas, quæ solo verbo omnia posset ef- num. 16.
ficere iuxta illud: *Ipse dixit, & facta sunt* Psal. 34.
mandauit, & creata sunt, quem locum num. 4.
expendens *Ambros. lib. 1. hexamer. c. 9.* ait. Non ideò dixit, vt sequeretur operatio, sed dictio absoluit negotium, vnde pulchrè *Dauidicum* illud: *Dixit, & facta sunt*, quia dictum impleuit effectus, quod etiam significauit *Paulus*, dicens: *Portans om-* Hebr. 1.
C *nia verbo virtutis sua.* & *Genes.* 1. Benedi- num. 3.
ctio Dei nihil aliud significat, quam ge- Genes. 1.
nerandi potestatem contulisse. num. 3.
& 28.

Hæc ergo summa potentia Dei in verbis significatur in gladio, quem ore dicitur gestare, & apud Chaldæos hoc idem indicatum videmus, cum Darius vaginam Acinacis, quam gestabat Persico ornatu conspicuam haberet, longè antequam Alexander è Græcia moueret in Asiam, eam ornatu Græcanico communiri iussit, quo facto Chaldæi responderunt, im-
D perium, quod Darius obtinebat in eorum ius venturum, quorum arma imitatus esset, & *Suet. Tranquil. in Vitellio c.* 8. memorat ipsi Vitellio Iulij gladium strictum detractum è delubro Martis in prima gratulatione porrectum. Et *Herodian. libr.* 3. inter suprema honoris decora, signáque Plautian Siri, ensis gestatione numerat, & *Dio Cassius, lib.* 53. Narrat Augustum gestandi gladij potestatem solis fecisse potestatem Proconsulibus, Legatisve, quos ad infestas mitteret pro-
E uincias, reliquis verò negasse, quo licentia necandi multos adimeretur, hodiéque etiam Regi Romanorum, Polonorum, & aliorum, gladij ab Archiepiscopis porriguntur cum in regiam inaugurantur potestatem.

Compertum igitur cum sit gladium potestatem, & iurisdictionem significare. Vides iam ad quid Balam gladium optabat, nempe vt animal omni prorsus culpa carens

earens occideret, vides item ad quid gladium regiæ potestatis gestabat Pharao, quem distringendum asseruit, cum ait: *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea*, quosnam verò interfecturus erat? Illos vtique qui proficiscebantur vocati à Deo, qui ipsi Pharaoni multis annis contra ius, & rationem seruierant, illi, quos operibus duris luti, & lateris oppresserat, quorum plurimi descendebant a Iosepho liberatore Ægypti, & pro quorum libertate tot perpessus fuerat plagas, tot senserat supplicia, tot viderat diuinitus edita B miracula. Gratia proinde maxima reddenda est conditori, qui sciens imprudentiæ, impudentiæ & stultitiæ rabiem, tanquam furenti, & iniustè iam frementi, quem dederat detraxit gladium, ne ipsum euaginare posset, eòque manu propria interficere, imò *viderunt recti, & lætati sunt, & omnis iniquitas opilauit os suum, confusiq; sunt, & erubuerunt*, omnes qui pugnant aduersus Deum, fuerunt quasi non essent, & perierunt viri, qui contradixerunt Domino, quæsiuit eos, & non inuenit viros C rebelles suos, qui oderunt eum indui sunt confusione, nam cum iustitia plena sit dextera Dei, occurrit, vt puniret, dextræ Pharaonis, eiúsque gladio, & potentiæ, quæ plena rapinis depingebatur, sanguine, & iniquitate, cum dicebat, persequar, & comprehendam.

Ps. 106. num. 40.

Sicut autem præclarum Dei donum est si Reipublicæ, Regno, & Imperio Principem, & Rectorem pium, & iustum tribuat, vnde D. *Ambrosius libro primo officior. cap.* 36. ponderat inde ortam fuisse D prælaturam Moysis, quando vidit eum succurrere oppresso Israëlitæ fratri ab Ægyptio, & Iob quem Deus etiam Regem constituit: sic & magni faciendum est, si impiis potestatem, & dominium, vel auferat, vel deneget.

Exod. 2. num. 12.

Optio data fuit Esther ab Assuero petendi quidquid optaret, vel etiam dimidiam regni sui partem, quæ iridem datur filiæ Herodiadis ab Herode, sed illa scilicet, Esther potestate à Rege data vtitur in libertatem totius populi Hebræorum E morte damnati, hæc verò capite Ioannis Baptistæ amputando abutitur, idque non aliunde factum esse existimandum est, quam quia potestas impiæ puellæ concessa, gladius vtique fuit in perniciem, & mortem innocentis Ioannis, qui gladius, si diu perdurasset, ad cæteros vtique sanctos, & iustos amputandos perueniret, ideóque D. *Hieronymus Apolog. contra Ruff.*

Esther 5. num. 3.

Marc. 6. num. 23.

A *libro secundo*, ait. Benè quidem malitia non habet tantas vires, quantos conatus periret innocentia, si semper nequitiæ iuncta esset potentia, & totum quod cupit nequitia præualeret, sin minus conijce oculos, admoue aures ad ea, quæ Pharao Israëlitico populo minabatur, & videbis quid de illis tandem actum esset, nisi diuina omnipotentia gladium è manu furentis detraheret.

In quam sententiam videndus est *Nazianzenus orat.* 1. *cont. Iulian.* cum ponderat in morte eiusdem Iuliani iustitiam diuinam præuenisse diuinam misericordiam, quæ solet supplicia retardare, ne citius aduениant, prout demerita videntur postulare, permisit itaque vt vita apostatæ Iuliano nequissimo persecutori Ecclesiæ eriperetur. Ait ergo inter alia *Nazianzenus*, Deo hic solum consueta sua patientia vti non sustinente, vbi multis perniciosa futura erat benignitas, atque iis, qui honestè & ex officio viuunt mœrorem multum, & peccantibus contemptum non parum allatura. Ecce itaque & denegata potestas nequitiæ, ne pereat innocentia, deinde ablata potestas ne iusti omnino perirent, & impij exaltarentur, dum persequitur comprehendendos, & occidendos iustos.

Vnde meritò *Philo lib. quod omnis probus sit liber*, interpretatur illam subiectionem, quam pater pro benedictione impertitus est Esau impio, vt subderetur fratri Iacob, quando illi dixit. *Dominũ tuum illum constitui*, in rem præsentem; sic enim ait. Communis amborum pater miseratus eum, qui à virtute desciuerat, precatur ei vt fratri seruiat seruitutem, quæ videtur maximum malum, existimans rem insipienti vtilissimam, ne si relinqueretur in sua potestate, prolaberetur in omnem licentiam, sed per potioris curam, emendatis moribus, in melius proficeret, quibus similia habet *lib. de nobilitat.* vbi loquens de parentibus Esau, ait. Qui Iacobo primogenituram dederant, alterum verò, inquit, hoc afficerent beneficio, vt fratri eum subiicerent, existimantes id ei perutile, si homo nequam in sua potestate non relinqueretur.

Gen. 27. num. 37.

Quod si perniciosum adeò est hominem nequam in sua potestate relinqui, eo quod liberè euagari, & bonis insidiari potest, quanto perniciosius erit in summa potestate collocari, vbi pro libito omnibus nocere possit, & iniquitati inseruiat potentia & qui omnibus prodesse

 debuerat,

debuerat, omnibus nocumento sit, quia potest?

Quod si monstruosa res est, sicut dixit *Bernard.2. de considerat.* gradus summus, & animus infimus, quanto horribilior erit eum, qui Dei naturam imitari debuerat (Rex namque sicut rectè dixit *Plato in polit. pro Oct.* Deus quidem humanus est) diabolum, qui aduersarius noster dicitur, malo nostro experiri, qualis erat Pharao, qui inimicus hoc loco dicitur. Hæc est ratio, cur tantum hoc malum in regnis dicat *Theod.* prouenire in pœnam subditorum, & in supplicium iniquitatum, sic enim habet *serm.7. de prouident. prope finem.* Quod si dominos, inquit, nimium crudeles, & insolentes admodum esse videns offenderis, dico quod istiusmodi hominibus non Deus imperium commiserit, sed subditorum nequitia horum imperium sibi ipsi contraxit, opus verò diuinæ misericordiæ, & bonitatis est furentibus huiusmodi hominibus occurrere, gladiúmque è manibus ipsorum eripere.

Et ideò pro tam singulari beneficio gratiæ sunt Deo agendæ, sicut Moyses, & Israëlitæ fecerunt, dum se liberatos viderunt ab impio Rege, qui potentiam totam in perniciem, interitúmque Israelitarum exercebat, & cum medicus Reipublicæ esse debuerit, sicut ait *Philo lib. de Ioseph.* carnificem se exhibebat dicendo. *Euaginabo gladium meum*, & cum communis suorum parens esse teneretur, sicut videre est apud *Xenophontem lib.8. de Cyro*, cum ait. Bonus Princeps nihil differt à bono Patre, quod etiam habet *Philo lib. de creatione Principis*, cum ait. Sunt Principes publici parentes ciuitatum, & idcirco sacra Scriptura filios appellat Hemor illos, qui serui erant, & 4. *Reg.5.* serui appellabant Naaman patrem, sicut etiam Iudæi appellabant Raziam patrem 2.*Machabaeor.* 14. Pharao se inimicum præbebat, quid proinde miserabilius, quam communium bonorum prædonem, ac latronem tolerare eum, qui pater esse debuerat, & audire *implebitur anima mea*, ab eo, qui velut anima suorum debebat esse, quod totum ex eo proueniebat, quia impius potestatem sortitus est, qua abutebatur sicut solent nequam homines cum ad altiorem locum perueniunt.

Gen.32. num.19.
4. Reg.5. num.13.
2.Mac.4. num.37.

TEXTVS.

Num.10. ***Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.***

EXPOSITIO LITERALIS.

SVPERBIS, ac crudelibus Pharaonis verbis, & minitationibus opponit Moyses Dei flatum, ac ventum, seu halitum, vt ostendat, qua facilitate diuina omnipotentia deposuit magnificum apparatum Pharaonis, & in eius exitium vertit verba illius, & elationem in mare deiecit, vigilantíque verbo vsus est, cum dixit, *operuit*, quasi mare operuerit tantam Regis ignominiam, qui potius se latronem gerebat, quam defensorem, & carnificem potius, quam medicum.

Dum ergo ille impiè, & impudenter cogitaret, ac loqueretur, & præsens periculum cæcus minimè cerneret, & commodum, quod nunquam consecuturus erat, auidè cuperet, ventus validus simul, & calens in aquas aceruatas incubuit, quæ partim impetu spiritus impulsæ, partim vi caloris dissolutæ in exercitum Ægyptiorum refluxerunt, libratóque pondere ruentes, ita vt ne modicum quidem sustinere se, & aquis supernatare valerent, omnes penitus obruere, & ad imum detraxere. Sicut autem in aëre cunei fulminis generantur, & lapidosę grandines, quæ subitæ procellæ ad terram impetu deferuntur: ita in corde superborum in quibus quidquid est, aër est, plumbei gignuntur lapides, quibus in terram ad sempiterna supplicia damnatorum prolabuntur præcipites, deficiūt siquidem superbi conatus, dum eleuantur, sicut dixit David: *Deficientes quemadmodum fumus deficiēt*, quod sic explicat *Gregor. lib.1.regist. Epist.5.* fumus quippe ascendēdo deficit, & sese dilatando euanescit, sic videlicet, fit, cum peccatoris vitam

Psal. 36. num. 20.

vitam præsens felicitas comitatur, quia vnde ostenditur vt altus sit, inde agitur, vt non sit.

Et quia non solum deficiunt superbi dum eleuantur, sed insuper deiiciuntur, quod etiam dixit Dauid. *Deiecisti eos dum alleuarentur*, ostendit iam Moyses quomodo eleuatus Pharao in superbia sua deiectus fuerit in profundum maris, indéque in terræ centrum, & quia superius iam diximus quotupliciter accipiatur nomen, *Spiritus*, in sacris literis, illud inde supponimus in præsenti significare ventum, & incitationem à Deo immissam. Neque enim admittendus est *Iansenius*, dum Spiritum sanctum interpretatur, & iuxta hoc posterius significatum, spiritus Dei, qui nunc flauisse dicitur à *Lyrano, Iacobo de Valen. Glossa interlineal.* & aliis, accipitur pro iussu Dei, quo vrgente, & quasi flante deciderint ex aggeribus, quibus subsistebant congelatæ aquæ, & ad pristinum locum relapsæ Ægyptios per siccum gradientes alueum depresserint; attamen sumpto spiritu pro impetu, seu incitatione verbum *flauit*, accipitur non propriè.

Psal. 72. num. 16.

Si verò accipiatur *Spiritus*, pro vento, propriè accipitur, & respondet adunatio vndarum, & relapsio aquarum, diuisioni ipsarum, maximè cum nos superius in ea fuerimus sententia, quæ asserit, assumpto vento velut instrumento, Deum diuisisse aquas, & vertisse in siccum alueum, vt dicitur *Exod.* 14. proinde aptius videtur intelligendum prædictum nomen, vt sit sensus; quod flante etiam vento, reduxit Dominus idem mare ad partes eas, vnde per diuisionem discesserat, adeóque *Caietan.* ait, Ventum interuenisse, reducendo mare ad locum suum narratur; & quadrat, vt quemadmodum vetus congelans hinc, & inde aquas, in diuisione affuit, ita ventus liquefaciens, in reductione affuerit. Sic ille. Hoc autem intelligendum est, non quasi ad eiusmodi descensum vndarū, earúmque reditum, & adunationem, quæ naturalis erat, non sufficeret natiua aquarum grauitas suo nutui, naturæque relicta, sed quo fieret reditus cum maiori impetu, & strepitu horribiliori, ex quo sequeretur Ægyptiorum depressio celerior, & sæuior, & ideo hic ventus appellatur, *ventus Dei*, sicut aduertit *Dionys.* ad significandam grādem imbrium, fulgurúmque tempestatem: ea enim celitus emissa, facilius resoluerentur niuei muri, & glaciales parietes defluerent cōfluentes in Ægy-

Exod. 14. num. 21.

A ptios, & tritum autem est in Scriptura, vt res magnæ dicantur Dei *sicut montes Dei* dicuntur montes altissimi. *Iustitia tua sicut montes Dei, & cedri Dei*, id est, altissimi, *arbusta eius cedros Dei, & per singulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vsque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei*, id est, maximus, ac numerosissimus, sic multi exponunt illud *Genes.* 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, ventus vehemens agitabat aquas, ne scilicet, computtescerent immotæ. Vel etiam

Psal. 36. num. 7. Psal. 75. num. 10. 1. Paral. 12. n. 22.

B potest hic ventus dici Dei, quia fuit non ordinaria naturæ vi, sed peculiari Dei prouidentia excitatus, ob hanc enim causam sæpius in Scriptura res aliqua dicitur esse Dei, aut à Deo, qualis illa pluuia sulphurea, ac ignita in excidium Sodomæ decidens, de qua *Genes.* 19. dicitur. *Pluit Dominus à Domino*, id est, pluit Dominus à se ipso, hoc est, misit Dominus pluuiam non à natura per causas solitas, sed à se ipso proximè, & extraordinario modo effectam. Et ideo *Theod.* hic legit. *Induxit*

C *Dominus mare in vento Austro vehemente, & Carthusian. Ex tua indignatione mota sunt aquæ*, medio scilicet, vento à te quidem immediatè excitato, & *Pagninus. Sufflaiti spiritu tuo*, idest, ait *Oleast.* vento à te emisso; ne aliquod effugium videretur relictum Ægyptiis postquam dictum est operuisse illos mare: additur verò, *Submersos fuisse, quasi plumbum in aquis vehementibus*, indéque nullum emersisse, sicut nec emergit plumbum immissum in profundum pelagus, & ita hæc posteriora

D verba explicant priora, sicut plerúmque solet sacra Scriptura, & tradit *D. August. serm.* 34. *de verb. Domini in fine*, insuperque declarant celeritatem illius demersionis, sicut enim plumbum in aquam iniectum propter nimiam grauitatem suam terream subito deprimitur, & quasi momento temporis ima petit, & tenet, sic Pharao cum suis naturalem veluti locum petentes, scilicet, inferos, ad vsque profundum maris secum pariter corpora detulerunt animæ, illa quidem depressa

E aquis, istæ petentes ignem, accommodatum vtrique supplicium culpæ Pharaonis, vt potè quia eleuatus in sede maiestatis suæ deprimere conabatur Israelitas, & in multitudine curruum, & quadrigarum, ac multa exercitus copia efferebatur? dignum proinde erat, vt deiiceretur in profundum cum suis, à quibus comitatus fuerat in culpa, vt eosdem etiam comites haberet in pœna.

ANNO

ANNOTAT. VNICA.

Omni plumbo grauius eſt onus peccati, & maximè auaritiæ.

CVm homo animal, ſit oneriferum tempore ſuæ mortalitaris, ſicut dixit *D. Bernard. ſerm. 15. in Pſal. Qui habitat*, quod ratione oneris peccatorum intelligendum eſt quæ nos maximè premunt, ſicut alibi expendimus, & ad profundum B inferni pertrahunt, vnde *Bernard.* dixit. Deus nos maximè onerare cum exonerat, ſcilicet, onerare beneficio dum parcit, dũmque exonerat peccatis, quæ maximum pondus ſunt, & ad infimum locum pœnarum nos pertrahunt, quæ fuit cauſa, cur Chriſtus Dominus nos vocauetit, vt onus

Matt. 11. *num.* remoueret. Cum ergo omne peccatum graue admodum ſit, peculiari ratione hoc conuenit auaritiæ & diuitiarum cupiditati, ſtatim enim atque ſacer textus nobis propoſuit Pharaonem ſitientem, & exo- C ptantem diuitias Iſraëlitarum, ſtatim eum cum ſuis dicit, *Submerſum quaſi plumbum in aquis vehementibus*, etenim cum ſedes auri, & argenti ſit profundum terræ, qui ſpolia Iſraëlitarum tam ſitiebat, quid mirum ſi ſedes auri, quam celeriter, & veluti plumbi grauitate adhibita deſcenderit? In quam ſententiam pulchrè explicat *Chryſolog.* verba illi Chriſti

Luc. 12. *num.* 34. Domini. *Vbi eſt theſaurus, ibi eſt & cor tuum.* Sic ergo habet *Chryſolog.* Homo mitte, & præmitte theſaurum tuum in cæ- D los; ne cæleſtem animam demergas in terram, aurum de profundo terræ, anima ab excelſis cæli: Melius proinde eſt ad ſedem animæ deferri aurum, quam in ſepulchro auri anima demergatur. Videndus *Hieronym. in cap. 52. Ezech.* vbi explicat cur Chriſtus Dominus diſcipulorum pedes lauerit aſcenſurus ad Patrem, quò ſcilicet, eos doceret non adhærere terrenis, quæ ipſos & detinere, & demergere in profundum poſſunt. *Dominus*, inquit ille, *aſcenſurus ad Patrem, Apoſtolorum lauat* E *pedes, vt mundatis, purgatiſq; veſtigijs ſcanderent regna cælorum, & imperat Apoſtolis, Vt in quamcumque ingreſſi fuerint ciuitatem, & non ſuſceperint eos, excutiant puluerem pedum ſuorum, quo ſcilicet, nihil munerum terrenorum ab eis apud ſe manere patiantur.* Sic ille, qui etiam hac de re

Dan. 3. *num.* 1. videndus *Daniel.* 3. vbi in ſtatua aurea à Nabuchodonoſe erecta vniuſcuiuſq; con-

A ſecratam aſſerit auaritiam, infiniti verò ponderis illam fuiſſe expendit, nam auaritia auri ponderoſa, grauiſque eſt vt ſecum deferat in profundum auari hominis animum, & cor ne cælum intueri, aut reſpicere liceat in imis depreſſo. Clarius adhuc hoc notauit idem *Hieron. in cap. 2. Naum. num. 9.* vbi loquens de Niniue à Chaldæis ſpoliata ait. *Diripite argentum, diripite aurum, & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus.* Septuaginta habent *Aggrauata eſt ſuper omnia* *Naum.* 2. *num.* 9.

B *vaſa concupiſcentiæ ſuæ.* Ait ergo *Hieron.* Quanto plus habebat multam auri, & argenti poſſeſſionem, & variam ſuppellectilem, quæ erat grauis, tanto magis ipſa aggrauabatur, quæ grauia diligebat. Vbi vides grauem dictam à *Hieron.* eam animam, quæ grauia diligit, illis adhæret, & ab illis deprimitur. Vnde iuſta eſt ea querela, quam habet idem *Hieronym. & D. Greg. lib. 34. moral. c. 9.* ad illa verba *Abac. 2. 6. Væ qui multiplicat non ſua, & aggrauat contra ſe denſum lutum.* Quæ ille ſic *Abac.* 2. *num.* 6.

C legit. *Vſquequo aggrauat contra ſe denſum lutum?* Intelligunt autem per denſum lutum terrenas diuitias, quæ animum aggrauant, & deprimunt. Quod argumentum repetit 3. *p. paſtoral. admonit.* 21. vbi ponderat eadem Prophetæ verba.

Hæc eſt ratio cur Dauid, hanc depreſſionem auaritiæ timens dixerit: *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam.* Vbi notandum illico venit, cur Rex Propheta vniuerſa præcepta Dei vni tantummodo opponat auaritiæ, cum hæc *Pſ.* 118. *num.* 6.

D ex *D. Thom. 2. 2. quæſt.* 118. liberalitati opponatur, non cæteris virtutibus. Obiectioni reſpondet Auguſt. ex Paulo. 1. *Timoth. 6.* vbi *radicem omnium malorum* dicit cupiditatem, ſiue vt alij legunt, *emolumentum.* aut *vtilitatem* ſecũdum alios, inter quos eſt *Hilar.* Sicut igitùr charitas radix eſt omnium virtutum ex *Greg. hom. 27. in Euang.* Sicut multi arboris rami ex vna radice prodeunt; ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Sic etiam & pleraque mala ex auaritia prodeunt, &

E cum radix terrena ſit, fructus minimè profert, qui ſurſum aſcendant, ſed qui ad terram trahant, & deuoluant. Videndus hac de re *Iſidor. Peluſiot. lib. 1. epiſt. 146.* vbi inter alia ait. Apud veteres hoc in more poſitum erat, vt poſt conuiuium lyram caperent, illudque canerent. O diuitiæ, vtinam nec in terra videremini, nec in mari. Et de malignitate auaritiæ, & quomodo omnes ſenſus infectos, & peſtilentes

lentes reddat videnda sunt, quæ habet *epist.*233.*&* 258.

Denique cum grauis sit auaritia, grauium naturam sequitur, quæ quò magis centro terræ appropinquant, celeriori motu cientur: sic etiam auaritia quo plura habet, magis augetur, & quo magis fini accedit, plus accenditur. Illud probat *Gregor. lib.*15.*moral.* vbi ait. Auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur: quo pacto etiam *&* *Aristot. qui* 3.*physic.* infinitum negauit. 1.*politic.* dixit. Desiderium diuitiarum vadit in infinitum. De secundo autem videndus *Isidor. Pelusiot. lib.* 3. *epist.*167. vbi ait. Cæteræ quidem

A pene omnes vitiosæ affectiones, & vigorem, & senium habent, & satietatem agnoscunt, ac ad finem omni celeritate contendunt, at horrendus pecuniarum amor, senium nescit, satietatem contumelia affert, finem capere minimè sustinet, imo indies vigens, vel vt rectius loquar, vigorem suum augens fortior se ipso, actior, & valentior esse contendit. Sic ille, proinde fugiendum hoc malum, quod tot

B opponitur bonis, & ad omnia defert mala, & cum Dauid dicendum. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam,* illa siquidem ad cælos eleuant, hæc ad profundum inferni deprimit. *Psal.*118. *num.*112.

TEXTVS.

Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia? *Num.*11.

EXPOSITIO LITERALIS.

EST in his verbis singularis energia, & quædam veluti rei narratæ cum interrogatione acclamatio, quam figuram (epiphonema) Græci vocant. Postquam enim Moyses Dei magnificentiam, & singularem virtutem, quibus potuit verbis exaggerauit, facta commemoratione victoriæ de Pharaone, & Ægyptiis diuinitus reportatæ; Deum omnibus Regibus, & Principibus, qui interdum Dij vocantur, anteferr, vel Diis etiam gentium, in quibus illi confidebant præponit, vel etiam angelis, qui fortes in Scriptura dicuntur, & cum admiratione diuinæ fortitudinis, sanctitatem magnificam, & formidandam in puniendis hostibus virtutem, ad cælum vsque laudibus extollit.

Cum vero familiaris sit in sacris literis interrogatio, & multis de causis illam fieri contingat, interdum enim vim habet
*Psalm.*4 *num.*6. optatiui, præsertim si fiat per dictionem (quis) quæ hoc loco habetur, cum verbo
Psal. 13. *num* 7. dandi, aut tribuendi, vt Psal.4. *Quis ostendit nobis bona?* Et Psalm.13. *Quis dabit ex*
Hierem. 9.*num.*1. *Sion salutare Israël?* Hieremiæ 9. *Quis dabit capiti meo aquam?* Psalm.54. *Quis*
Psal. 54. *num.*7. *dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo, & requiescam?* Et Canticorum 8. *Quis*

C *mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foras, & deosculer te, & iam nemo me despiciat?* Id est, vtinam ista omnia à Deo, qui solus potest, concedantur. *Cant.*8. *num.*1.

Interdum etiam interrogatio fit, vt ea, quæ certa sunt affirmemus, vt *Genes.*13. *Nonne ecce omnis terra coram te est,* sic enim habent. LXX. & in *libris Regum*, & *Paralip.* frequenter dicitur: *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum Regum Iu-* *Gen.*13. *num.*9.

D *da?* Similésque sunt illæ interrogationes, Psalm. 43. *Nonne Deus requiret ista,* & Psalm.61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea.* & Lucæ vlt. *Nonne cor nostrum ardens erat?* Et iterum ibi, *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et Act.2. *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt?* Vnde *Chrysostom. homil.*21. *in* 1.*ad Cor ante medium tom.*4. Per interrogationem, inquit, sermonem *Psal.* 43. *num.* 22. *Psal.* 61. *num.*1. *Luc. vlt. num.* 32. *Actor.* 2, *num.*7.

E suum Apostolus prosequitur, quod in rebus quàm certissimis fieri solet, ita inquiens. *Nunquid secundum hominem hæc dico?* Et eo pertinent quæ sequuntur: *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c.* 1. *Cor.*9. *num.*8.

Interdum etiam in facris literis interrogatio non dubitationis, sed admirationis nota habetur, vt videre est apud *Augustin.lib.locutionum in Gen.q.seu cap.56. tom.4.non procul à principio*, vt patet *Gen.*
Gen.17. num.17. *17. Putásne centenario nascetur filius? Et Sara nonagenaria pariet?* Et *Isai.63.* An-
Isai. 63. num.1. geli dicunt: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Et tamen Angeli iam diu incarnandi Verbi mysterium nouerant, ideoque non ignoranter interrogant, nam,
Ephes. 3. num. 10. quod dicitur ab Apostolo. *Vt innotescat Principibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* De dæmonibus multi interpretantur, vt alias solutiones hic omittamus, qui de Christi aduentu dubitabant, iuxta illud:
Matt.4. num.3. *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Vbi *Chrysostom.tom.2.homil.13.* ait: Cum audiuisset de cælo vocem venientem, atque dicentem: *Hic est filius meus dilectus.* Audisset etiam Ioannem testimonium illi tanquam insigne perhibentem, ac deinde ipsum esurientem videret, magno teneri cœpit ambiguo. Nam neque hominem illum esse nondum credere poterat, propterea, quæ diuina vox de eo protulerat: nec rursus istud recipere quod Filius Dei esset, quem esurientem videbat. Itaque maxima rerum conclusus angustia, voces emittit ancipites. Et sicut in rerum primordiis accedens ad Adam finxit illa quæ non erant, vt quæ etant disceret: ita hic quoque nesciens manifestè suscepti hominis ineffabile sacramentum, & quisnam esset hic præsens, alia retia iacere molitur, per quæ se absconditum istud atque secretum opinatur addiscere. *Si Filius*, inquit, *Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Non dixit quandoquidem esurias: sed si Filius Dei es: videlicet existimans posse se illi aliquid per laudum blandimenta suffurari. Magnitudinē quippe tantæ dispensationis ignorans, istud ei erubescendum putauit.

Nec obstat quod dicitur, *in cælestibus*, quia hic aër caliginosus in Scripturis dicitur cælum, & in eadem *epist. Paulus* sic
Ephes. 6. num. 12. appellauit dæmones, cum dixit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cælestibus:* quo in loco nominauit *principatus & potestates*, quas superiori loco vocauerat tribuens illis similiter in cælestibus,

A ita vt vnus locus alium videatur explicare, qui est optimus explicandi modus.

Hæc igitur interrogatio, *Quis similis tui? &c.* Admirariua planè est, & rem indicat prorsus impossibilem, qualis est illa interrogatio. *Generationem eius quis enarrabit?* Quæ verba multi intelligunt de Isai. 53. num.8. humana Christi generatione vt *Tertull. lib.contra Iudæos, c.13. Iustin.mart. q.67. ad Orthod. Chrys.hom.de Ioanne Baptista*, neque displicet *Hieron.* Alij verò plures de diuina generatione interpretantur vt
B *Clem.Papa in epist.1.Cyrill.lib.2.de Trinit. Basil. lib.1.contra Eunom.Iustin.in dialogo cum Tryphone, Chrys.homil.1.de incomprehensibili Dei natura. August. tract.31. in Ioan.& lib.1.de Symbolo ad Catech.c.3. Hieron.& Ambros.lib.1.de fide cap.6.* sunt etiam qui de vtraque generatione intelligunt, quia nomen generationis vtrique est commune, ita *Procopius* in hunc locum & *Cyrill.in Ioan.cap.12.* in illa verba: *Christus cum venerit:* Idē tenet *Gagneius in cap.8. act. & Vasques 1.tom.in 1. p. D.*
C *Thom.disput.18.c.6.* & sanè cum vtraque generatio prorsus sit admirabilis, & omnem creaturæ intellectionem naturalem excedat, impossibilis est explicatu, & prorsus ineffabilis & ad plenum indicibilis. Et illa Pauli. *Quis nos separabit à charitate* Rom. 8. *Dei;* & Abac.2. *Quid prodest sculptile, quia* num. 35. *sculpsit illud fictor suus conflatile, & ima-* Abac. 2. *ginem falsam?* Quasi diceret, ex idolis num. 18. nulla vtilitas prouenire potest, similisque prorsus huic nostræ interrogationi est illa: *Domine quis similis tibi?* quo in loco Psal. 34.
D *August.* ait. Quis dignè de his verbis ali- num. 10. quid dicat: Ego puto tantum pronuntianda esse, non exponenda: subiicit deinde inductionem creaturarum quibus ostendit Deum esse superiorem, *Hieron.* autem *in cap.58.Isai.& Gregor.V. moral.cap.23.* explicant fortissimos, ac præstantissimos sanctitate viros dum sese cum Deo comparant, cognoscúntque quam absint longè ab illius infinita perfectione, & in hæc verba erumpere. *Domine quis similis tibi?* Isai. 44.
& apud *Isaiam* habetur. *Quis similis Dei?* num.7.
E & iterum, *cui assimilastis me, & adæqua-* Isai. 46. *stis, & comparastis me, & fecistis similem?* num.5. & Propheta Baruch. *Non æstimabitur alius* Baruc. 3. *aduersus eum*, & Psal.112. *Quis sicut Do-* num. 36. *minus Deus noster, qui in altis habitat, &* Psal.112. *humilia respicit in cælo, & in terra.* Et num. 5. Psal.70. *Deus quis similis sit tibi?* Et Psal. Psal. 70. 82. *Deus quis similis erit tibi?* Videndúsque est *Orig.lib.8.in cap.10.epist.ad Rem.* num. 19. Psal. 82. *tom.2.* vbi de his interrogationibus sic ait num. 2.

ad

ad illa verba: *Domine quis credidit auditui nostro?* Obseruare debemus, quod sermo hic in Scripturis interdum pro raro, interdum omnino pro nullo ponitur, v.g. vt cum dicit: *Quis sapiens, & intelliget hac? Quis est homo qui vult vitam?* In his omnibus rarum quemquam significat. Vbi verò dicit, *Quis ascendit in cælum, hoc est, Christum deducere? Vel quis descendit in abyssum, hoc est, à mortuis reducere?* Hic, *quis*, nullus intelligitur: nullus est enim, qui ascendit in cælum Christum inde deducere. Sic ille, ex cuius doctrina elicimus qualis sit præsens hæc interrogatio, quæ impossibilitatem indicat in assignando alio quolibet vero Dei simili.

Sensus igitur est, cum in hoc facto magnum tuæ pietatis specimen dederit, æquum est, vt omnibus Regibus, Diis, Angelis, & cælestibus spiritibus te præferendum esse gentes, quæ illos tanquam Deos, & potentes venerantur, agnoscant, nihilque illos esse, nihil habere vitium, si tecum conferantur, intelligant, *Vatablus* habet. *Quis tui similis in dys Domine? Quis sicut tu magnificus in sanctitate, formidabilis laudibus, faciens admiranda?* LXX. *Quis similis tibi in dys Domine? Quis similis tibi glorificatus in sanctis, mirabiliter gloriose faciens miracula?* Paraphrasis Chald. *Non est absque te, quoniam tu es Deus Dominus: nullus est præter te Deus fortis in sanctitate: terribilis, laudabilis, faciens mirabilia.*

Licet autem lingua Hebræa repetitionibus gaudeat, vt iam aduertimus, hoc in loco additur repetitionis figura, non tantum ad orationis ornamentum, sed etiam ad maius quoddam sententiæ firmamentum, certitudinem & energiam, nam vt notauit *D. Augustinus* in illud *Psalm.* 14. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur*, firmamentum sententiæ in repetitione esse multis scripturarum locis docemur, inde est quod sæpe in Euangelio dicitur, *Amen, amen*, inde in aliquibus Psal. *Fiat, fiat*, ad significationẽ rei sufficeret vnum fiat, sed ad significationem firmamenti accedit alterum fiat.

Rex Ægypti Pharao *Genes.* 41. Vidit à septem macris consumptas esse septem boues pingues, & rursus à septem spicis exilibus consumptas esse septem fæcundas, interpretatus autem *Iosephus* dixit: *Non duo sunt ista somnia, sed somnium regis vnum est, quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, & velocius impleatur.* Hæc dixi, vt non putetis repetitionẽ in verbis sanctæ linguæ quasi loquacitatis esse appetitum, ibi repetitio firmamenti habet vim, Psalm. 56. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Psal. 26. *Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* *Psal.* 56. *num.* 8. *Psal.* 26. *num.* 14.

Innumerabiliáque talia sunt per omnes scripturas: sed his sufficit commendasse nos loquendi genus, quod obseruetis in omnibus scripturis. Sic *Augustin.* Quam doctrinam fusè repetit in *Psalm.* 94. ibi: *Iubilemus Deo salutari nostro, & in psalmis iubilemus ei.* Videndus *Hieron.* in illud *Iob* 3. *Timor quem timebam euenit mihi, & quod verebar, accidit.* Videndus *Euthymius in Psalm.* 131. *versu* 16. *Et sancti eius exultatione, exultabunt.* vbi sic ait: quidam Idioma esse dicunt Hebraicæ linguæ, quidam vero huiusmodi sermone vti dicunt scripturæ ad maiorem intentionem, & validiorem sententiæ confirmationem. Sic ille Hebræos etiam in repetitionibus imitantur Græci atque Latini, nam maioris intentionis causa dictum est, à Virgilio 6. Æneidos. *Psal.* 94. *num.* 1. *Iob* 3. *num.* 25. *Psal.* 131. *num.* 16.

Me me adsum qui feci, &c.

Et Egloga 1.

Ite domũ pasti, si quis pudor, ire iuuenci,

Et à Persio satyr. 3.

Imus, imus, præcipites, &c.

ab Horat. quoque lib. 3. carminum Ode 3.

Ilion, Ilion, fatalis, fatalis, incestusq; Iudex.

Verba igitur Hebræa si verbo reddantur hoc loco habent, *Elim Iehoua quis sicut tu?* quod & positiuè, & negatiuè supremum prædicat Deum, & nostra lingua Lusitana apposité dicit, *quem como vos? in fortibus*, habent LXX. *in Dys*, neque dissonantia aliqua est, quia in Hebræo diis, siue fortibus habetur *Eloim*, quod est plurale nomen à singulari, *El*, ipsum vero, *El*, vnum est ac primum ex decem Dei nominibus Hebraicis, de quibus *D. Hieron. tom.* 3. *Epist. ad Marcell.* quæ est 138. Attenta vero nominis Ethymologia, *El*, significat *fortem*, vnde ab Scriptura tunc vsurpatur, quando prodigium aliquod factum, & naturæ vim excedens à Deo editum commemoratur, vt cum Dathan, & Abiron ab hiante terra iam iam subuertendi sunt. *Domine fortissime, Deus spirituum vniuersæ carnis, &c.* In Hebræo pro superlatiuo illo fortissime, ponitur bis nomen, *El*, cum enim Hebræi careant superlatiuis geminato nomine positiuo superlatiuum exprimunt, rectè proinde mihi *Num.* 16. *num.* 22.

mihi videntur transtulisse LXX. *Quis*
similis tui in dÿs Domine? Siquidem *El*,
tam in singulari numero, quam in plura-
li nomen est Dei proprium; & cum de
aliis fortibus, non diis scriptura loquitur
Cabor, vel alio simili, vti consueuit, per-
Ps.134. indeque idem est: *Quis similis tui in dÿs*
num. 15. *Domine?* atque illud; *Deus noster præ om-*
nibus dÿs.

Neque verò vulgatus Interpres Lati-
nus omittendus hoc in loco est, rectè
namque etiam ille vertit, *Quis similis tui*
in fortibus Domine? Attendens enim ad
Ethymologiam nominis, *El*, vt sæpè fa-
cit, & vertit illud, vt appellatiuum, nec
proinde tamen negat esse nomen pro-
prium, sed quid Ethymologicè significet
ostendit, dum vertit, *in fortibus*, sicque
magis amplificat fortitudinem Dei, nam-
que anteponit illam cuiuscumque forti-
1. Reg.2. tudini, quãtauis illa sit, sicut Anna, 1. *Reg.*
num.2. 2. dixit. *Non est fortis sicut Deus noster.*

Tota dubitatio esse potest de nomine
Fortibus, quidnam hoc in loco significet,
fortes namque, seu filios fortium ange-
los dici multa probant sacræ Scripturæ
testimonia; satis modo sit vnum, *Iob*.41.
Iob 41. *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli,*
num. 16. quod in Hebræo est, *Timebunt dÿ, seu for-*
tes, & huic expositioni fauet noster cum
addit: *Quis similis tui magnificus in san-*
ctitate, sanctitas enim significat multo-
Deu. 33. ties multitudinem Angelorum, vt, *Appa-*
num.2. *ruit de monte Pharan, & cum eo millia*
sanctitatis, quod D. *Hieron.* vertit; *Et cum*
eo sanctorum millia, vbi sine dubio *sermo*
est de sanctis Angelis, Deum in sua maie-
state comitantibus, imò verò & LXX.
Interpretes, sic videntur intellexisse hæc
verba nostri Cantici, cum transtule-
runt: *Glorificatus in Sanctis*, vt etiam in
Psal.88. *Psalm*.88. *Deus, qui glorificatur in conci-*
num.8. *lio Sanctorum.*

Cæterùm videtur nomen *fortis*, in am-
plissima significatione hoc in loco acci-
piendum esse, vt indicet nihil omnino
forte, & potens reperiri posse, neque in
cælo, neque in terra, neque subtus terram,
quod cum fortissimo Deo possit compa-
rari, quantò magis Pharaonis, & suorum
fortitudo, quæ in populum Dei insurre-
xerat. Nullus ergo, ait *Origen.* in diis
similis Domino, inuisibilis, scilicet incor-
poreus, incommutabilis, sine initio, & sine
fine. Nullus creator omnium, nisi Pater
per Filium, & in Spiritu sancto omnia
sanctificans.

Magnificans in sanctitate, LXX. ha-

A bent, *in sanctis*: potéstque in primis re-
ferri ad ipsos Hebræos quos Sanctos ap-
pellat, idest, Dei cultui separatos: magni-
ficatus autem, seu glorificatus est in illis,
quia eorum libertate tali prodigio com-
parata mirum in modum glorificatus est,
& insigne suæ magnificentiæ specimen
dedit, & sic videtur hic locus allusionem
continere ad illud: *In exitu Israël de Ægy-* Ps.113.
pto, &c. Facta est Iudæa sanctificatio eius, num.1.
Israël potestas eius. Quorum verborum
sensus legitimus mihi videtur statutus in
B eo, quod populus ille liberatus est de ser-
uitute Ægypti, & de immundo, & impuro
populus separatus, & statim tribus Iuda
tanquam Deo consecrata, atque dicata est,
vt non adhuc populus Pharaonis, sed eius
populus sanctus, atque proprius esset, iux-
ta id, quod post egressum de Ægypto
Deus dicit, *Vos eritis mihi in regnum Sa-* Exod.19.
cerdotale, & gens sancta, idest, mihi pro- num.6.
priè dicata Israël quoque ad decem tri-
bus reliquæ factæ sunt potestas eius, hoc
est regnum eius, & sub illius ditione, &
C imperio, nõ sub Pharaonis dominatu, nam
pronomen, *eius*, vtrobique refertur ad
Deum, de quo proximè in fine superioris
Psalm. dictum erat: *Qui habitare facit ste-* Ps.112.
rilem in domo, vt hic *Psalmus* penè con- num.6.
iunctus cum superiori videatur. Distinxit
autem Iudam ab Israël, quia illius tribus
propriè erat principatus, vt dixit Dauid
1. *Paralip*.28. de Iuda enim elegit Princi-
pes, & illi datus est Principatus. Iuxta pa-
rentis vaticinium. *Non auferetur sceptrum* Gen.49.
de Iuda. Et cum sub signis castra per de- num. 10.
D fertum mouerentur, tribus Iuda cæteras
anteibat, vt habetur *Num*.10. Et cum es- Num.10.
set ad pugnam exeundum, illa tribus Prin-
ceps erat, ineundi prælij, vt habetur cum
dicitur: *Consuluerunt filÿ Israël Dominum* Iud.1.
dicentes: Quis ascendet ante nos cõtra Cha- num. 18.
nanæum, & erit dux bellî? Dixitq́; Domi-
nus, Iudas ascendet. Cum ergo sanctifica-
tionem exemptionem simul, & possessio-
nem quandam propriam significet, hæc
tribus, quam sibi propriam, & peculiarem
Deus asseruit, sanctificatio Dei dicitur,
E cum à Barbarico dominatu diuinitus li-
berata est, & Deo tanquam propria vin-
dicata, decem reliquæ tribus à potestate
impia exemptæ, Deo in regnum, & pote-
statem cessere.

Vnde iam constabat quomodo allusio
sit in verbis nostri contextus, *magnificus*
in sanctitate, ad illa verba: *Facta est Iu-*
dæa sanctificatio eius, magnificum enim se
ostendit Deus in eruendis Sanctis suis, &
sibi

sibi à potestate Pharaonis afferendis,nam A
in sacra Scriptura abstracta plerumque
Osea 9. ponuntur pro concretis, vt *Osea 9. Facti*
num. 10. *sunt*,(scilicet Israelitæ) *abominabiles sicut*
ea. quæ dilexerunt. Hebraicè habetur,
sicut amor eorum. hoc est, sicut res ab eis
amatæ, quæ nimirum turpes, & execrabiles erant, amore enim transit quisque veluti in naturam rei amatæ, iuxta illud *August.tract.2.in 1.Ioan.9.* Talis est quisque qualis eius dilectio est, terram diligis, terra eris, Deum diligis, quid dicam?
Osea 5. Deus eris. Et *Osea 5. Laqueus facti estis* B
num. 1. *speculationi.* Hebraicè habetur nomen abstractum, ponitúrque pro ipsis hominibus speculantibus, idest, Prophetis,& Doctoribus, non pro populo speculato, siue à Prophetis edocto,& in *Psalmis* frequen-
Psal. 21. tissimè habetur, *Tu es spes mea*, idest, res
num. 10. in qua spero, *Dominus illuminatio mea*,
Psal. 61. idest, illuminator meus. At verò noster
num. 8. Interpres cum in Hebræo huiusmodi ab-
Psal. 70. stracta reperit, & pro concretis probè ac-
num. 5. cipi intellexerit, aliquando vertit illa concretè, quia noluit reddere verbum C verbo,sed sensum sensui, qui est optimus modus, & clarissimus exponendi,& transferendi ab vna lingua in alteram. Interdũ verò vertit abstractè, vt lectores commonefaciat talis Hebraïsmi, & admittatur apud nos notitia idiotismi linguæ sanctæ,cuius ignoratio magnam parit obscuritatem in multis locis sacræ Scripturæ, qualis est ille, vbi Iacob ad Laban
Gen. 31. ait: *Nisi Deus Patris mei Abraham, & ti-*
num. 42. *mor Isaac affuisset mihi,forsitan nudum me dimisisses.* Vbi timor Isaac ponitur pro re D quam timebat, idest,pro Deo vero,éstque sensus: Nisi Deus quem coluit Abraham, & quem reueretur Isaac, affuisset mihi.
Gen. 31. Et paulò post? *Iurauit ergo Iacob per ti-*
num. 58. *morem patris sui Isaac*, idest, per Deum Patris sui Isaac: & hic loquendi modus apud profanos etiam reperitur, vt amor pro re amata, cura pro re curata sumatur, vt in Eglogis.

Nymphæ noster amor, & mea cura capella.

Quapropter cum hoc loco, *sanctitas*, E ponitur, potest accipi pro sanctis, vt LXX. sumpsere, & sermo erat de filiis Israël, quos Sanctos, idest, Dei seruos, eiúsque cultui dicatos appellat, in quorum liberatione se magnificum ostendit omnipotens Deus, & sic rectè constabit sensus istorum verborum.

Quod si quis refragetur, & vt multi volunt, contendat poni hoc in loco ab

A Hebræo textu, & nostro vulgato, *sanctitatem*, abstractè, & sic tandem intelligatur pro Dei sanctitate,sitque sensus: *Magnificus in sanctitate*, idest, eximius sanctitate, seu sanctissimus, vt *Sanctum est* *Psal. 64.*
templum tuum mirabile in æquitate, idest, *num. 5.*
æquitate admirandum, vel etiam secundum Hebræum, *robustum in sanctitate*, quia maximam exercuit fortitudinẽ cum sanctitate simul. Fortitudinem quidem dum Pharaonem Regem occidit, quod symbolum est diuinæ omnipotentiæ, iux-
B ta illud: *Terribili, & ei qui aufert spiri-* *Psal. 75.*
tum principum. Et illud: *Auferes spiritum* *num. 12.*
eorum, & deficient, & in puluerem suum *Ps. 103.*
reuertentur. Dum etiam mare turbauit,& *num. 29.*
ad nutum inuertit, & aperuit,se Omnipo-
tentem præbuit, iuxta illud: *Accinctus* *Psal. 64.*
potentia qui conturbas profundum maris so- *num. 7.*
num fluctuum eius.

Sanctum ergo se exhibuit Deus in hoc opere, qui supplicia intulit sceleratissimis hominibus, & impiissimo Regi, idque vt ex illorum faucibus eriperet inno-
C centes seruos suos. Sicut igitur Deus dicitur magna facere in sapientia, ita, & in sanctitate, quoniam sanctus est in omnibus operibus suis, & ideò *Dionysius* hoc in loco ait.Hercules,Alexander Magnus, Hector Troiæ, & consimiles fecerunt aliqua magna, non in sanctitate, sed in vanitate.

Terribilis, atque laudabilis, Hebr. *Formidatus laudum.* LXX. *Admirabilis in laudibus*, sensus est. Adeò laudabilis es,vt tua decora, tuæque laudes nos terreant,
D cum tantæ sint, vt eas pro merito commemorare posse desperemus. Vel etiam laudes, virtutésq; tuæ non eiusmodi sunt, vt commemoratæ ad tui amorem solum accendant animos,verum etiam ad sui admirationem, & venerationem tuæ maiestatis,namque vox Hebræa, *Nora*, quæ est omnium sententia idem valet, atque terribilis,& à nostro Interprete sic sæpè vertitur, quamuis interdum etiam vertatur
horribilis, vt *Ioël, Antequam veniat dies* *Ioël. 2.*
Domini, magnus,& horribilis,vbi in Hebr. *num. 31.*
E est eadem vox, hoc igitur in loco indicat admirationem,etenim quidquid timorem incutit, admirationem commouet, vnde
intelliges quid significet illud: *Sanctum,* *Ps. 110.*
& terribile nomen eius, dicitur enim ter- *num. 10.*
ribile, hoc est timendum; siue cum reuerentia, & timore tractandum. Sic etiam
aliqua loca dicuntur terribilia, vt, *Quam* *Gen. 28.*
terribilis est locus iste, vbi terribilis idem *num. 17.*
valet,ac Religiosus, propter Dei scilicet,

& Angelorum præsentiam ibi mirabiliter ostentam, similitérque ac Iacob, locutus est Poeta *Æneidos septimo*, de quodam alio venerabili loco, scilicet de templo, quod olim fuerat Regis Latini.

Tectum augustum, ingens centum sublime columnis.

Horrendũ syluis, & Religione parentum.

Vbi idem valet horrendum, siue horribile, quod terribile, & Dei opera dicuntur terribilia, idest magna, & secum trahentia admirationem sui. Vnde cum Propheta redemptionis opus describit similitudine assumpta à redemptione hac populi sui ait: *Viam fecisti in mari equis tuis*, quod sine dubio mari rubro intelligitur, addit verò: *Audiui, & conturbatus est venter meus*, & iterum, *Consideraui opera tua, & expaui*. & in *Psalm.* dixit Dauid: *Dicite Deo quam terribilia sunt opera tua Domine!* Vbi in Hebræo est, *quam terribile opera tua*, qua loquendi forma, sicut optimè ibi notauit *Agellius*, non vniuersa modo Dei opera, sed singula per se terribilia esse significauit, & id, quod addit Propheta eo in loco, huic nostro rectè potest adaptari: *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui*, quæ verba exponuntur per illa desumpta ex *Abacuc*, *Mentietur opus oliuæ*. Quod cum fructum oleæ spondere viderentur, colligendi tempore spem agricolæ fefellerunt, sic inimici tui, inquit Dauid, qui se prius fortiter tibi repugnaturos, & populum tuum oppressuros putabant, vbi tu virtutem, & potentiam tuam ostendisti, mentiti sunt, & sua sponte opinione frustratos agnouerunt, & debiles, se, & infirmos repererunt, *l. mentientur tibi inimici tui*, idest, propter magnam potentiam tuam, inimici tui simulabunt fidem, & seruitutem, ita, vt quamuis animos habeant à te auersos, cogantur tamen speciem beneuolentiæ, & amicitiæ præ se ferre, multa quidem per amorem, timoremque mentientes.

Abac.3. num.15.
Psal.65. num.3.
Abac.3. num.17.

Cum igitur hoc in loco Deus dicitur, *terribilis*, idem est, atque timendus, vel tremendus, siue clarius cum timore, & tremore colendus, iuxta illud: *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini*. Et in *Euangelio* ait Christus: *Eum timete, qui habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam ignis*. Quod autem addit Moyses, *atque laudabilis*, ad amoris, atque lætitiæ affectum pertinet, vt indicet mixtis timoris, & amoris officiis esse colendum illum Deum, qui non terribilis solum, sed, & laudabilis est. *Lyran.* sic explicat. Terribilis Ægyptiis, laudabilis Hebræis. *Dionys.* Laudabilis quia virtuosè, sapienter, & irreprehensibiliter omnia agens.

2. Cor.7. num.15.
Mat. 10. num.28.

Et faciens mirabilia. In hunc sensum dixit *Iob*: *Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Appellat verò mirabilia facta illa tam egregia, quæ fieri vix credi posset. Porrò miracula, siue mirabilia sic dicuntur ab admiratione, sicut notauit *D.Thom.in c.2. Epist.2. ad Thessalon. lect.2.* Videntibus, scilicet, hominibus effectus, & causas ignorantibus, namque hinc natam fuisse admirationem, sicut etiam ex admiratione Philosophiam docet *Aristot.1.Metaph. cap.2.* Est enim natura opus admiratione plenum, hominibus præsertim vulgaribus, & non Philosophis rem videntibus, & causam ignorantibus, quasi si solum nomen, eiúsque Ethymologiam attendas, tam vera, & expressa siue à Deo, Deíque ministris, siue à diabolo, & eius ministris fiant, quam simulata, & phantastica à præstigiatoribus solita fieri opera, quæ adiunctam secum admirabilitatem habent, mirabilia, siue miracula dici possunt. Itaque videas falsa præcursoris Anti-Christi, & Pseudo-Prophetarum eius miracula vocari. Interdum verò sine vllo additamento signa, & prodigia, idest, miracula, vt *Apocal.13. & 19. Apprehensa est bestia, & Pseudo-Propheta, qui fecit signa coram ipso*, idest, Anti-Christus, & ipsius præcursor, & *Matth.24. Dabunt signa magna, & prodigia, Pseudo-Propheta*, scilicet, contra Christum prædicantes. *Ita vt in errorem inducãtur, si fieri posset etiam electi. 2. Thess.2.* Anti-Christi signa, & prodigia non simpliciter dicit talia, sed cum additione multum imminuẽte signa, & prodigia mendacia, necesse est verum miraculum, & quod simpliciter tale debeat appellari, diffinitione alia magis arcta circumscribere.

Iob 9. num.19.
Apoc.13. num.13.
Apoc.19. num.20.
Mat. 24. num.24.
2.Thess. 2.num.9.

Igitur auctore *D.Thom.1.p. quæst.114. art.4.in corpore*, quem plerumque sequuntur recentiores tam scripturarii, quam Scholastici, vt constat ex *Perer. in cap.7. Exod.n.36.Suar.3.part.t.1. disp.31. sect.2.* Miraculum est opus insolitũ, & supra vim naturæ, intelligendo voce naturæ, quamcumque causam creatam non eleuatam. Dicitur insolitum videlicet in effectu, vel in modo efficiendi, quia quantumcumque sit opus ingens, naturæ vires excedens à solo Deo extraordinaria potentia editum,

editum, sic tamen non sit insolitum, sed ordinarium, & prope quotidianum iam admiratione carebit, iuxta illud *August.* experientia probatum, *tract.24. in Ioan.* Hominibus quotidiana vilescunt; vt pene nemo dignetur attendere opera Dei mira, & stupenda quibus totum mundum regit, quocirca rationem miraculi iam non obtinebit, & hinc est, quod impij iustificatio, & Eucharistię consecratio miracula non dicantur, etiamsi omnes naturę vires longè superent. Additur vero, supra naturam, idest, totius entis creati non eleuati, quia sic iam miraculum rigorose dici non potest, si producitur à causa secunda eleuata viribus, quamuis soleat respectu hominum dici tale, qui res quaslibet ipsis inusitatas, & quorum causas ignorant, quoniam eas magnopere admirantur, miracula vocant siue ab Angelis bonis, aut malis, siue etiam ab hominibus fiant, qualis illa tractio nauis à Claudia virgine Vestali, & portatio aquæ in cribro perforato à Tutia item Vestali, de quibus *August.* 10. *de ciuitate c.*16. *tom.*5. Qualis item Architæ columba linea volans, & similia quædam Archimedis, & Boëtij Seuerini. Vnde scitè *D. Thom. loco citato*, §. *Respondeo ait*, Si miracula propriè accipiantur Dæmones miracula facere non possunt, neque aliqua creatura, sed solus Deus, quia miraculum propriè dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, dicitur tamen quandóque miraculum largè, quidquid excedit humanam considerationem & sic Dæmones facere possunt miracula, faciendo, scilicet, ea, quæ homines mirantur.

Instabis tamen, & dices, multa ergo quæ pro veris, ac propriis miraculis Ecclesia colit, non sunt verè talia, huiusmodi sunt illa, quæ propter sui præstantiam D. Gregorio Neocesareæ Ponti Episcopo Thaumaturgi, idest, miraculorum operatoris cognomen dedere, translatio inquam montis ex vno loco in alium, fluuij in agros inundantis compressio, & id genus alia: Imò vero, & hæc nostra maris rubri diuisio, statio, atque in se ipsum iterata reditio, Solis item statio tempore Iosuę, eiusdem Solis retrogressio tempore Regis Ezechiæ à miraculorum propriorum nomine, & numero excludẽda erunt, etenim cum hæc omnia ad motum localem gignendum, sistendum-vè pertineant; constet autem inter Methapysicos, vt nũc supponimus, posse istum motum ab Angelis effici, aut impediri in re quapiam maiori, vel minori, pro ratione maiorum vel minorum Angeli virium, consequens esse videtur, vt prædicta opera fieri optimè queant per causas naturales creatas, nam, quod attinet ad quæstionem de facto, quamuis demus fuisse ista opera à Deo immediatè effecta, & non vllius Angeli, aut naturalis causæ interuentu, id videtur esse per accidens, & ad proprij miraculi naturam impertinens, ex sententia námque *D. Thom.* & Sanctorum Patrum ad rationem miraculi non requiritur, vt à causa naturali non fiat, sed, vt non posset fieri, & de facto non est, vnde constet ista prædicta opera non fuisse edita ab aliquo agente creato, sunt enim eiusdem prorsus generis cum tractatione nauis appositu Zonæ Claudiæ virginis Vestalis, quam nauem multa hominum millia trahere nequiuerant. Vnde *D. Thom. de potentia, quæst.6.art.*5. non dubitat ista opera Dæmonum vi, aut Angelorum ope fuisse patrata. Cur ergo non erunt similiter illa alia, fauet *August.* 10. *de Ciuitate, cap.*16. Vbi pleráque illa, quæ apud Ethnicos contigere mirabilia refert, & vocat miracula, constanter autem affirmat, vi, ac potestate Deorum Gentilium, hoc est, Dæmonum fuisse effecta.

Aliqui, vt argumento respondeant aduertunt, etsi Deus eam, quam videmus ordinariam mundi administrationem, & cursum tractet per Angelos, vt ostendunt intelligentiæ cœlorum motrices, & septem primates Angeli præsides orbis, *Apocal.*1. *& Hebr.*1. *Nonne omnes sunt administratory spiritus in ministerium missi*, extraordinarium tamen cursum, & moderationem rerum reseruasse sibi soli, non quod illa semper excedat naturales vires spirituum creatorum, sed, quia visum sit Deo certum terminum illis præfigere, quem non liceat transgredi in tractando mundo. *Hebr.*1. *num.*14.

Aliter respondendum puto, in hisce rebus prodigiosis, quæ quo ad effectum non superant naturæ vires, si pro miraculis propriis ab Ecclesia habentur, aut quando discutitur an sint habendæ, recurrendum esse ad faciendi modum, qui modus si sit supra naturam, idest, talis, vt nulla res creata posset illum præcipere, aut adhibere, cuiusmodi est Dei iussio Angelo, vt à cœlorum motu cesset, cohibitio concursus generalis primæ causæ cum re quapiam, ne in suas naturales actiones exeat, vt latè ostendit *Martinus del Rio* 1. *disquisit. magic.cap.*3. Sicut sequebatur ad

ad contactum, & verba Christi, atque Apostolorum, is modus erit satis vt prodigia sic edita propriè sint miracula, & in hoc sensu sunt explicandæ ambæ diffinitionis particulæ. Nostra autem rubri maris diuisio, quoniam saltem in modo faciendi excessit facultatem naturæ, siquidem ad extensionem virgæ Moysis super

Exod. 14. marinas aquas accidit, vt constat *Exod.* 14.
num. 21. quæ tamen virga nullam vim naturalem habebat talia præstandi, proculdubio fuit verum, propriúmque miraculum.

Sed nondum tollitur difficultas, licet B enim extensio virgæ, contactus vestis, aut carnis, prolatio certorum verborum, & alia similia careant vi naturali præstandi opera, de quibus est sermo; si tamen hæc opera possunt indifferenter à Deo, vel creatura fieri, siquidem quoad affectum, vt diximus, non excedunt vires naturæ, de ipso tamen modo, ad quem tandem recurrebatur ambigendi locus erit, etenim dicet aliquis: vnde constabit ad extensionem virgæ Mosaïcæ accurrisse Deum, & vel per se edidisse, vel bonis Angelis, vt C tale opus ederent præcepisse? Ac non potius Dæmonem ex pacto cum homine inito, & accurrisse, & tale opus patrasse, quemadmodum ad vocem auguris ante Regem Tarquinium nefaria sua auguria cohonestare volentis, Dæmon accurrit. Respondetur, id dubium latissimè patere, & non tam pertinere ad institutum præsens, qua de re videndus *Suar. 3. p. tom. 2. disp. 31. sect. 2. §. dices ergo*, vbi ponit multas circumstantias attendendas tum ex parte viræ, tum ex parte diuinæ personæ D operantis miraculum, & potestatis magna, qua operatur, non admiscens rem aliquam, aut verba aliqua, quæ vanitatem, aut superstitionem redoleant, quibus acriter expensis iudicari potest nullam cum Dæmone conuentionem interuenisse, ac proinde solum Dei digitum ibi adesse.

Ex hoc autem Hebræo versu initialibus dictionum literis coniunctis Iudas Machabæi nomen sibi adsciuit, & titulum, ac symbolum militibus suis dedit, vt

2. *Mac.* 8. habetur 2. *Mach. cap.* 8. *nu.* 23. vbi dicitur: E
num. 23. *Dato signo adiutorij Dei in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore*, signum autem erat, quod symbolum etiam dicitur Græcè, Tessera verò Latinè, quo milites internoscerentur, sunt autem initiales literæ Hebraicæ in hoc versu, Maccbai: quæ coniunctæ in vnam dictionem prima vocali subiuncta, nempè, A, post, m, efficiunt nomen, *Maccabei*, quod ad Græcam La-

A tinámque formam declinatum dicitur, *Maccabeus*.

ANNOTAT. VNICA.

Laudandus Deus, quia maximè laudabilis: & timendus, quia maximè terribilis.

CVm Moyses hoc in loco Deum prædicet fortissimum, mirabilia facientem, terribilem, atque laudabilem, illud in primis ostendit in Deo omnia bona sic reperiri, vt qui ea vellet prosequi tandem in laudes ipsius potius debeat resolui, quam pro merito, aut pro numero commendare, nam sicut eleganter dixit *Seneca 4. de benefic. cap.* 7. de Deo loquens. Quæcúmque voles illi nomina propriè aptabis, vim aliquam, effectúmque cœlestem continentia. Tot appellationes eius possunt esse, quot nomina: Hunc, & Liberum Patrem, & Herculem, ac Mercurium nostri putant. Liberum Patrem, quia omnium parens sit, quod ab eo inuenta seminum vis est. Herculem, quia vis eius inuicta sit. Mercurium, quia ratio penes illum est, numerúsque & ordo, & scientia. Quocúmque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi hunc naturam voca, fatum, fortunámque omnia eiusdem Dei nomina sunt, variè vtentis sua potestate, & iustitia: probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas vnius animi bona sunt: quidquid horum tibi placuit, animus placet. Sic ille, qui in mediis tenebris gentilitatis, Dei multiplicem perfectionem cum vnitate Deitatis pro captu suo agnoscit, quam optimè prosequitur *Cassiodorus* in illud: *Inquirentes autem Dominum non* *Psal.* 33.
deficient omni bono, vbi sic ait. Vnus est qui *num.* 11.
quæritur, sed in quo omnia continentur, ob idque Deum vocat compendium singulare omnium bonorum, doletque nostram miseram insaniam, & insanam miseriam, qui per diuersa fatigamur. Cum in vno omnia habeamus collecta, & *Greg.* 5. *Moral. c.* 26. ait. Deus nobis multum proficientibus, parum de se aliquid sensibus nostris aperit, si tamen dici in illo parum, vel aliquid potest, & rectè *Gregor.* hoc asserit, nam sicut in illo multo sunt omnia, sic, & omnia magna, imo, & infinita sunt, proinde non aliquid tantum in illo reperitur, sed quidquid velis, neque parum, sed infinitum: Ideóque *Bernardus lib. de anima c.* 6. cogita de Deo quidquid melius

melius potes, & de te quidquid deterius A
vales, de illo amplius credere debes, quam
cogitare potes, namque ficut dixit *Nazianzen.* quem rectè exponit *Vasques 1.p. q.3.disput.57.cap.3.* Deus ipsa diffinitione crescit, quia licet definitio dicatur terminus rei, quia illa veluti termino, & fine res clauditur, tamen cum Deum definire, & determinare contendimus dicendo esse hoc, aut illud, ita se habet, vt semper aliquid illius extra maneat. Vnde *August. in*
Psal. 85. num. 8. *Psal. 85.* ibi. *Non est similis tibi in dijs Domine*, quibus in verbis videtur imitatus B
Dauid nostrum Moysem in præsenti, cum ait: *Quis similis tui in fortibus Domine*, seu, *in dijs Domine*, sic ait. *Intendat charitas vestra. Deus ineffabilis est, facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus, omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aërem, non est hoc Deus, quidquid lucet in cælo, stella, sol, & luna, non est hoc Deus, ipsum cælum, non est hoc Deus, Angelos cogita, Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes, non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum C
potui dicere quid non sit. Quæris, quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris, vt ascendat in linguã, quod in cor nõ ascendit? Non est similis tibi in dijs Domine.* Sic ille.

Psal. 17. num. 12. 1.Tim.6. num. 16. Et certè cum Deus *posuerit tenebras latibulum suum, & lucem habitet inaccessibilem*, à nobis nequit agnosci, licet vero natura diuina, & domus Dei, vt docet *Nazianzen. orat. 2. de Theologia*, propter infinitam entitatem splendidissimam lux sit, tamen ob eius incomprehensibilitatem, tenebræ appellantur, & idcirco ad D
Exod. 19. num. 9. Moysem ait. *Veniam ad te in caligine nubis*, quia, vt ait *Nazianzen. in Apologetico*, quantum Deus percipitur, tantundem se subducit, amantésque sui ex eo, quod fugit, ac veluti iam comprehensus se proripit, ad superna illicit. Hinc Deus nõ aliter à nobis cognoscitur, quam in oratione sicut docet *D. Dionys. Areopag. cap. 7.* de diuinis nominibus cum non quid sit, sed potiùs quid non sit à nobis cognoscatur, & Dauid in hoc sensu E
Psalm. 8. num. 1. dicit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*, vbi *Chrysostom.* ait. Vbi sunt, qui Dei naturam curiosè peruestigant? Si enim cum nomen eius dixisset adeò admiratus est, vt obstupesceret, quomodo venia eis dabitur, qui se dicunt nosse Dei essentiam, cum Propheta, nec quam admirabile sit eius nomen agnoscere poterit.

Quibus similia habet in *Psalm. 115. in principio.*

Facitque, quod circa thronum Dei olim Seraphim stabant, & volabant, sicut habetur *Isaiæ 6.* quem locum expendens *Isai. 6. num. 2.*
Cyprianus in Prologo de Cardinalibus operibus Christi, ait. *Inaccessibilem naturam hinc, & inde Seraphim statu, & volatu circumeunt, statu immobilitatem æternitatis monstrantes, volatu vero altitudinem eius, sic eleuatam, vt quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, & comprehensionis importunitatem euadat.* Hæc *Cyprianus*, cui suffragatur *Ambrosius, lib. de Incarnat. Dominicæ Sacramento, cap. 3.* cum ait. Hoc solum benè scio, quod nescio quæ scire non possum. Et *D. Hieron. in Psalm. 82.* ad illa verba, *Tu solus Altissimus super omnem terram*, ait. *Psal. 82. num. 19.*
Erigat se qui vult, nos dicamus, tu solus Altissimus, quantumuis quis exaltetur, nos habemus Deum, cui excelsius nomen est. Et *Arnobius lib. 3. cont. Gent.* ait. Vnus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias, & sentias, nihil posse de illo mortali oratione depromi, & huius auditor *Lactant. Firmian. lib. 1. institut. cap. 8. & de ira Dei, cap. 11. ex Timæo Platonis*, laudat sententiam, quam Cicero Latinum fecit (est autem etiam Trimegisti ad Tatium, qui eam ineffabilem vocat) Deum inuenire difficile, cum inueneris, menteve conceperis, indicare in vulgus, nefas, enarrare verbis, impossibile. Denique citatus *Arnobius lib. 8.* dixit. Eloquar quemadmodũ sentio magnitudinem Dei, qui se putat nosse, minuit, qui non vult minuere, non nouit.

Proinde cum Moyses omnia supereminentem Deum fuit contemplatus, ad timorem, & laudem veluti ad sacras anchoras confugit; Deum enim, quem non possumus agnoscere, timere possumus, quemque terribilem experimur, ac omnipotentem credimus, iure possumus laudibus celebrare, peruenit enim laus, quò minimè peruenit cognitio, imò cum laus deficiens non adæquet, magis diuinam prædicat omnipotentiam, sicut acutè dixit *Nazianzen. orat. 20.* his verbis. Si ab illius præstantia longe absuerint laudes (quod omnino iis, qui Deum laudare instituerint accidat necesse est) re ipsa succubuisse declarabunt, cùmque omnem vim orationis superare. Qua in re solatium nobis sit *D. August. in Psalm. 66.* in principio, vbi ait. Nos etiamsi in laudando Deo maximè deficiamus, eadem tamen lauda-

Fff tione

tione augeri, & perfici, sunt autem eius hæc verba. *Cum benedixit nos Deus, nos crescimus, & cum nos benediximus Domino, crescimus. Vtrumque nobis prodest, non augetur ille benedictione nostra, nec minuitur maledictione nostra, qui maledixit Domino, ipse minuitur: qui benedixit Dominum, ipse augetur.* Sic *Augustinus.* Cui hoc in loco addendus *Gregor. lib.29. Moral. cap. 6.* vbi ait. Diabolus, vel homo, à statu conditionis propriæ elata mente

Isai. 14. corruerunt, vt vel ille diceret: *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo.* Vel iste audientes crederet. *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.* Idcirco ergo vterque cecidit, quia esse Deo similis non per iustitiam, sed per potentiam concupiuit. Sed homo per gratiam liberatus, qui Dei similitudinem peruerse appetendo ceciderat in reatu criminis sui longè Deo imparem se

Psal. 88. *num.* 9. esse cognoscens clamat: *Domine quis similis tibi?*

Adeóque laudabilem nimis Deum putat *Clemens Alexandr. 7. stromat.* vt non selectis tantum diebus, sed per totam vitam hoc agentes debeamus illi præsto adesse, sic ergo habet. Per totam vitam diem festum agentes, vbique, & ex omni parte, Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, laudantes nauigamus, &c. Quod si per totam vitam laudare debemus Deum, magis vtique laudabitur post hanc vitam cum illa alia verè viuida vita aderit, tunc enim indefectibilis laus prosequetur æternum Dominum, vt nunquam deficiat laus illi, qui in sæculum sæculi laudabilis permanebit, qua de re

Psal. 45. *num.* 1. videndus erit *August.* ad illa verba: *Laudabo Dominum in vita mea*, vbi sic ait. Quid est in vita mea? Quia modo in morte mea sum, laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter. Quare? quia *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, &c.*

Etenim cum maximè laudabilis sit Deus, iure semper, & vbique laudari debet. At vero homines laudari sæpè appetunt cum minimè laudabiles sint, & ideò solis laudibus læti permanent, cum meritum laudationis minimè curent, sicut notauit *D. Gregor. lib.15. Moral. cap. 3.* vbi ait.

Impij quia præsentem vitam diligunt, in ea proculdubio elati, percipere laudem quærunt, linguæ fauoribus extolluntur, nec esse boni, sed dici appetunt, cum tamen meliùs sit bonum esse, quam

A dici. Alij minimè laudari debent, quia laudibus efferuntur vt corruant, & vituperationem potiùs promereantur. Vnde *Theodoretus, serm. 8. de prouidentia*, ait. Hominum laus multis sæpè nocet, alacritatem enim remissionem facit, & cursui obstat, & arbitratus aliquis se ad cursus metam peruenisse (hoc enim laus persuadere solet) currere desinit, & victoria excidit, vnde Deus dicit: *Populc meus, qui* *Isai.* 3.
te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, &c. Et *num.* 12.
sic beatus Paulus cucurrit, nec laudibus

B se, nec concinnantibus aures præbens: *Sed ea quæ à tergo sunt, obliuiscens, &c.* *Philip.* 3.
Proinde eam, quæ ab hominibus pro- *num.* 13.
ficiscitur laudem nequaquam laborum mercedem iudicant diuinarum legum custodes.

Solus insuper, *laudabilis est nimis magnus Dominus*, sicut appellatur *Psalm.* 47. *Psal.* 47.
& Psalm. 95. Vnde etiam *Augustin.* suas *num.* 1.
exorsus est confessiones, *cap.* 43.29. *& se-* *Psal.* 94.
quentibus, quia semper, & vbique lauda- *num.* 4.
bilis, nullúmque est opus eius, quod lau-

C de dignum non sit, cum tamen ij, qui apud nos commendantur, iure potiùs aliquando essent vituperandi, vnde *Horat. Epist.* 2. dixit:

Qualem commendes etiam, atque etiam aspice,
Ne mox incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Et *Xenophon apud Plutarch. lib. de discrimine adulatoris, & amici*, ait. Agesilaum eorum habuisse collaudationes gratas, qui & culpare per occasionem vellent,

D ita eum amicum delectare, & gratificari censeamus, qui aliquando etiam molestia afficere, & aduersari possit, eam vero consuetudinem, quæ continentibus blanditiis vsa, omni morsu caret vitij suspectam habeamus. Sic ille. Namque cum homines sine vitiis minime reperiantur, si aliquid laude dignũ operantur, plerumque etiam, & plura reprehensione, ac censura dignissima incurrunt, vnde laudabiles pariter, & reprehensibiles existunt, & fortè maiori ex parte reprehensione feriendi; at vero

E terribilis Dominus, laudabilis in omnibus viis suis est, cui absque timore deceptionis semper, & vbique laus conuenit, proindéque reprehensibilis tantum censendus erit, qui ab eius laudatione cessauerit aliquando, in quem merito inuehitur *D. Ambros. in Psal.* 118. dicens. Christiane non vereris de te dicatur: *Populus iste nec* *Matt.* 15.
labijs me honorat? Iudæus vel labiis, tu ve- *num.* 8.
ro nec labiis, si illius qui vel labiis hono-

rat,

rat, cor longè est à Deo, quomodo potest
cor tuum prope esse, qui etiam labiis non
honoras? Diuide saltem Deo, & sæculo
tempora tua:vel quando non potes agere
in publico,quæ sunt istius mundi,& tene-
bræ prohibent noctis,Deo vacato, indul-
ge orationibus, &c. Videndus *Rupertus*
*lib.3.in Genes.c.13.*vbi affert illud *Isai.62.*
Isai. 62. *Qui reminiscimini Domini ne taceatis, &*
num.8. *ne detis silentium ei*, quomodo non dan-
dum silentium ei? Videlicet toto die, &
tota nocte non tacendo laudare nomen
Domini,verum est enim,quod ait *Tertull.*
eum scilicet, qui semper est, & à quo iu-
gis laudationis oriuntur iugiter rationes,
semper debere laudari, sic enim intelligit
lib. 4. cont. Marcionem illud Psalm. 21.
Psal. 21. *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, vbi
num. 26. in fonte habetur: *A te est quod laudibus*
celebrem.

Cæterum hac in re illud aduertendum
est,quod notauit *D.August.in Psalm.*141.
*Psal.*141. dixisse scilicet, Dauid: *Voce mea ad Do-*
num.1. *minum clamaui*, quia aliqui sic frigide, &
in alias res distracti Deum laudant, vt
aliena voce,vel saltem solius corporis vo-
ce Deum videantur laudare. Forte,inquit
*August.*non frustra additum est,mea,mul-
ti enim clamant ad Deum non voce sua,
sed voce corporis sui,homo ergo interior,
in quo cæpit habitare Christus per fidem,
voce sua, non strepitu labiorum, sed in
aspectu cordis clamat ad Dominum. Non
vbi homo audit, ibi Deus audit, nisi voce
pulmonum,& laterum, & linguæ clames,
homo te non audit, cogitatio tua clamor
est ad Dominum.Et *D.Chrysost.serm.quod*
Dauidica cantica diuersis inseruiunt no-
stris consolationibus,ait.Os canendo men-
tem erudiat, neque enim tenue illud, &
exiguum videri debet,siquidem cum lin-
guam,& cantum instruimus, pudebit ani-
mam,vel contraria sentientem,nō saltem
canentem illam imitari. Sic ille. Et ideo
1.Cor.14. *Apostol.*ait.*Psallam spiritu*,idest,vocis ha-
num. 15. bitu, *psallam & mente*,quod si alterum ex
his duobus defuturum esset, melius pro-
fecto esset vt lingua deficeret, & mens ad
laudandum Deum assurgeret, iuxta illud
Coloss. 3. Pauli. *Cantantes in cordibus vestris Deo.*
num. 16. Et,*Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud*
1.Cor.16. *quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*
num. 31. Etsi enim exterius homo occupetur, &
alicui vacet actioni, ita vt lingua non
possit in Dei laudem exire,si tamen inte-
rius mens eundem laudet,in eius gloriam
cedunt ea omnia, quæ homo tunc tem-
poris operatur. Vnde *Chrysost. homil. in*

A *Psalm.9.*ait. Psallere verbo,opere subse-
qui, fructus est inenarrabilis, &c. Vbi
ostendit quantum conducat ad profectum
virtutum Deum mente laudare.Et viden-
dus hac de re *Augustinus lib. 50. homil.*
*homil.2.*vbi plura habet.

Et cum in omnibus viis suis, ac operi-
bus laudabilis sit Dominus, imo adeo
laudabilis, vt maior omni laude dicatur
ab Ecclesiastico cum eum etiam terribi- *Eccl. 43.*
lem prædicat, & magnum, vehementem, *num. 33.*
mirabilémque potentiam ipsius, glorifi-
B cantes Dominum quantumcunque po-
tueritis,superualebit adhuc, & admirabi-
lis magnificentia eius: *Benedicentes Domi-*
num exaltate illum quantum potestis,maior
enim est omni laude. Proinde optandum
esset, vt membra nostra in linguas con-
uerterentur,si quidem vna non sufficit ad
Dei sufficientem commendationem,quod
eleganter aduertit *D.Ambros.serm.73.*vbi
ait: Propterea plures cuilibet Apostolo-
rum fuisse concessas linguas,quia ad lau-
dandam Dei bonitatem,& potentiam vna
C tantummodo minime sufficiebat, sic vero
habet. Non elatione aliqua,aut impuden-
tia contigit, vt viri Sancti peregrino ser-
mone loquerentur, sed prouidentia Diui-
nitatis factum est,vt quia ad magnifican-
dum Deum vna loquela non sufficit, per
plures linguas mentis deuotio solueretur.

Insuper, & terribilis dicitur Deus,quia
nullum aliū timere debemus sicut Deum
nostrum,vnde *Bernard.serm.6.de paruulis,*
dixit: Probatus timor nihil aliud quam
prudentia est,ordinatus timor nihil aliud
D quam iustitia,iam vero cui maxima reue-
rentia debetur, eundem maxime timere
debemus, vt sic eiusdem obsequio veluti
defixi adhæreamus,sic enim interpretatur
D.August. ea verba *Psalmi* 149. *Ad alli-* *Ps.149.*
gandos Reges eorum in compedibus, & no- *num.8.*
biles eorum in manicis ferreis. Quare ergo,
ait ille,*vincula ferrea,& nō aurea? Ferrea*
sunt quādiu timent,ament,& aurea erunt.
Attendat charitas vestra quid loquar, au-
distis modo Apostol. Ioannem. *Timor non* *1.Ioan.4.*
est in charitate, sed perfecta charitas foras *num. 18.*
E *mittit timorem,quia timor tormentum ha-*
bet, hoc est vinculum ferreum, & tamen
nisi timore incipiat homo Deum colere, non *Psal.110.*
perueniet ad amorem: Initium sapientiæ ti- *num. 10.*
mor Domini. Incipit ergo à vinculis ferreis, *Prou.1.*
finitur ad torquem auream:dictum est enim *num. 9.*
de sapientia. Et torquem auream circa *Eccles.6.*
tuam ceruicem; non tibi imponeret quidem *num. 25.*
torquem auream, nisi primum in compedi-
bus ferreis te alligasset,sed cæpisti à timore,

& consummaris sapientia : & maximè fratres mei, maximè Reges, & nobiles, quibus non facilè dicitur, quid fecisti? Nam homo etsi non timeat Deum, quia nullarum virium est, nullarum facultatum, ne secum commouerit in supplicium rapiatur, cessat timore hominis, & si non Dei : potentes autem mundi, Reges, Nobiles, nisi Deum timeant, qui timebunt? Timent pœnam, & timendo pœnam iam acceperunt compedes, & in vinculis ferreis erudiuntur. Sic *August.* nobis exposuit cur Moyses in præsenti prius Deum terribilem dixerit, & postea **B** laudabilem, prius enim ingreditur timor, vt eo præeunte, tandem accedat amor glorificando, & laudando Deum. Vnde *Augustinus*, dixit illud quod refertur *in cap. sicut Ceta de pœnitentia distinct. 2.* vbi comparat timorem acui, aut cetæ sutoris, quæ filum introducit, sic enim timor charitatem secum deferre solet, qua de re videndus idem *Augustinus libr. de catechizandis rudibus cap. 3. & Dorothei doct. 4.* tota est de timore Diuino, vbi vocat Isagogicum timorem, cui pœna proposita **C** est, docétque ab isto nos semper inchoare, quod frequentius verum est, & sic intelligendi sunt sancti Patres, cum hac de re loquuntur, namque fieri potest, vt quis ab amore ducatur, qui perfectissimus trahendi modus profectò est, & ideò nullatenus Deo denegandus, attamen nos loquimur de initiali timore, quem *Tertull. lib. de cultu fœminarũ*, appellauit fundamentum salutis, idest, initium, sicut dixit *Isaias, c. 26.* maximè si consulamus L X X.
Isaie 26. num. 18. Interpretes, sic enim habent : *A timore* **D** *tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis*, quod vulgatus Interpres dixit. *A facie tua concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis*, idest, propter te, seu timore tui cœpimus de nostra salute cogitare, cùm enim terribilis maximè sis, à timore exordimur conuersionem nostram, vt tandem ad cantica amoris, & laudationis encomia deueniamus, & totum spiritum in tui commendatione in conspectu tuo proferamus, cum pariter sis terribilis, atque laudabilis.

Nemo tamen est, qui non magis dolorem timeat à potente, quam voluptatem **E** quærat, sicut dixit *Philosophus, 3. Ethic. cap. 9.* quod latissimè prosequitur *D. Augustinus tom. 4. lib. 83. quæst. quæst. 36.* & clarius *tract. 9. in 1. Epist. Ioann.* & hæc certè est doctrina, quam tradunt Patres *Concilij Trident. sess. 6. can. 8.* cum asserunt, per metum gehennæ homines confugere **A** ad diuinam misericordiam, gehennam timentes, quem timorem maximè optabat *Ioan. Baptist.* quando dicebat. Quis vobis demonstrabit fugere à ventura ira? *Matth. 3.* Videndúsque erit *D. Hieronym.* *Matth. 3. num. 3.* ad illa verba : *Metuant eum omnes fines terræ.* vbi aduertit non postulasse amorem, *Psal. 66. num. 8.* sed timorem, quia timor incipientium est, & ingredientium viam Dei. Videndus item *Nicetas in orationem Nazianz. ad sancta lumina*, cum timorem scalæ instar dicit esse ad ascendendum ad vir- **B** tutum machinam, & ædificium, imò verò si virtutes gradus scalæ huius per quam ad Deum ascendimus, quis asserat, primum gradum timorem dixerim, quo iam à terra eleuamur, quem videtur proclamasse Iacob quando in inferiori parte ostensæ sibi scalæ dixit : *Quam terribilis est locus iste*, *Gen. 18. num. 17.* quæ vox profectò potiùs timoris videtur esse quam amoris, & ascendentis primum scalæ gradum, timorem, scilicet, de quo dixit *Theodoret. serm. 7. de prouidentia.* Timor ratione **C** obstrepentium affectuum motus frænare, & animæ propensionem ad malum coërcere consueuit, sæpè etiam ea, quæ ratio efficere nequit, timor rectè, & facilè peragit, & in hanc sententiam dixit *Clemens Alexandrinus 2. Stromatum*, sæpè quos non expugnat ratio, eos mansuefacit metus. Vnde *Plutar. in vita Cleomenis* docet, olim Lacedæmonios solitos fuisse timorem afficere diuinis honoribus, existimantes, neque Rempubl. neque Religionem, & probitatem aliter quam per **D** timorem, aut nasci, aut conseruari vnquam posse, est enim hic timor ex suo obiecto bonus.

Nec est quod nobis aliquis obiiciat timorem pœnæ esse malum, & seruilem hoc enim nullatenus admittendum est, cum oppositum sit de fide definitum in *Concil. Tridentin. loc. cit.* Et latè probatur apud *D. Thom. cum suis 2. 2. quæst. 19.* namque apud *Isaiam* relatum habetur : A timore tuo concepimus, vel propter timorem tuum in vtero accepimus, vbi *D. Hie-* **E** *ronym.* ait. A facie formidinis tuæ concepimus, & parturiuimus, & peperimus, non carnis liberos, sed spiritus, vt tota in te mente credamus, vt quem per beneficia non sensimus, per tormenta discamus. Siue igitur legerimus, propter timorem tuum Domine in vtero accepimus, siue iuxta Hebraïcum : A facie tua Domine concepimus, vtrumque ad id pertinet, vt ex timore concipiamus, imò, &

& incipiamus profectum virtutum, Et Prouerb. 15. dicitur. *Propter timorem Domini declinat omnis à malo.* Pluraque habet *D. Chrysost. homil. 5. in Epist. ad Rom. & August. serm. 18. de verbis Apostoli*, vt dicit, hunc timorem esse custodiam animæ, non salutem, & *Gregor. 28. moralium, c. 6. & Bernard. serm. 37. in Cant.* Prou. 15. num. 28.

Insuperque id ex eo probatur, quia timor alicuius mali sumit rationem suam, & consequenter honestatem ex illo bono, cui tale malum opponitur, nam malum ratione boni odio habetur, etenim B ex amore, desideriòve boni oritur odium vel fuga mali, qualis proculdubio est timorat verò bonum illud, cui gehennæ malum apponitur, est per se, & honestissimè amabile, nempe ipsa Dei visio, & beatitudo vltima, de cuius ratione est, vt sit propter se deligibilis. Vnde, & actus spei optimus proinde est, & per consequens actus etiam timoris. Neque verò imperfectio huius timoris, si in eo inuenitur, illi intrinseca est, aut essentialis, sed potius conditio, & imperfectio subie- C cti, sicut enim multa bona per se honestè amantur, vt salus, scientia, viuere, & cætera huiusmodi, & tamen in amore istarum rerum potest esse excessus ex defectu operantis, cum prædicta omnia secundum se recta ratione sint amabilia, si secundum debitam mensuram, & conuenientiam ad rectam rationem amentur: Sic etiam è contrario fugere, vel timere mala opposita non est per se malum, imò honestum, si debito modo, & proportione fiat, quod multo magis verum habet in timo- D re gehennæ.

Et vt magis rem aperiamus; vel timor concurrit vt occasio excitãs hominem ad aduertendũ quid mali, vel boni sit in operatione, quomodo dictum est illud, *vexatio dat intellectum*, vel concurrit timor per modum finis, etenim is, qui efficaciter timet, procurat, & intendit vitare malum illud, quod timet, & ex hac intentione potest eligere aliquod opus, quod necessarium, vel vtile sit ad vitandum malum illud, quod timet, quod attinet ad priorem E modum nemo est, qui non videat optimum, & honestum esse, quia ibi timor solummodo concurrit per modum efficientis moraliter, sicut qui consulit, & cum timor ille ad bonum excitet, nihil restat in quo possit esse malitia. Secundus verò modus est, quo Deus excitat peccatores ad pœnitentiam, per afflictiones scilicet, & comminationes pœnarum vt patet in Ni-

A niuitis, in Dauide, & in aliis, dũ enim peccator timet gehennam, non excludit debitum finem vltimum, scilicet Deum, & intentio finis propositi, voluntas scilicet fugiendi pœnam, bona est ex obiecto, & probauimus. Vnde *D. Thom 3. p. q. 85. art. 5.* dicit, quod motus timoris procedit ex actu Dei conuertentis cor, idque probat ex *Deuter. 5.* dicitur. *Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis, & filiis eorum in sempiternum?* Deut. 5. num. 29.

Et certè si timor optimus non esset, illum nõ exposceret Deus, qui *Malac. 1.* ait. *Si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Malac. 1. num. 6.
Ipsum insuper non exigeret Christus, qui ait. *Potius timete eum, qui potest & animam, & corpus mittere in gehennam*, non Matt. 10. num. 28.
doceret Dauid, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* & Psal. 5. *Ego autem in timore tuo introibo in domũ tuam.* Psal. 2. num. 11. Psal. 5.
Et cum inuitat omnes gentes *Psalm. 46.* num. 8.
vt plaudant manibus, & iubilent Deo in voce exultationis ad excitandum potinus timorem, ideò enim addit. *Quoniam Dominus excelsus terribilis, & Rex magnus super omnem terram*, tandem ait. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Psal. 46. num. 2. & seqq. Psal. 85. num. 11.

Bonus igitur in anima nostra timor, arcens, & expellens vt hostem peccatum *Ecclesiastici 1.* idq; ingredi minimè finens ad euertendam animam bonus insuper pincerna fundens lacrymas deuotionis, & miscens vinum compunctionis. *Qui enim pungit oculum, producit lacrymas, & qui pungit cor profert sensum. Eccles. 22.* Bonus insuper thesaurus, & custos virtutum timor, sicut illum appellat *D. Hieronym. Epist. 127. ad Fabiolam mans. 23.* Neque tantummodo bonus thesaurarius, sed pretiosus thesaurus, purum, scilicet, aurum, etenim & auri pondus habet, quo cæteræ virtutes tenentur ne inanis gloriæ aura dissipentur, & allidantur: pretiosus est, quoniam facit, ne quis vel se, vel sua magni æstimet, *sed seruum se inutilem reputet*, etiamsi quæcumque præcepta sunt, faciat. Et vt vereatur omnia opera sua *Iob 9.* Imitatur insuper timor pallorem auri, qui color timoris est, sicut & amoris, iuxta illud *Ouid. 1. de arte, Palleat omnis amans*, confugit namque sanguis ad cor, vt illi adsit, idque corroboret, & certè potiora columbinæ animæ, ac perfectæ, in hoc auri pallore cernuntur, *Psalm. 67.* Nam timor inter Spiritus sancti dona vltimum locum tenet apud *Isaiam, c. 11.* Insuperque thesaurus est timor, quia Deus secreta sua Eccl. 1. num. 27. Eccl. 22. num. 24. Luc. 17. num. 10. Iob 9. num. 28. Psal. 67. num. 14. Isaia 11. num. 3.

 reuelat

reuelat iis, qui cum maximè timent. Vnde
Psal. 24. illud *Psalm.24. Firmamentum est Domi-*
num. 14. *nus timentibus eum, & testamentum ipsius*
vt manifestetur illis. Græcè habetur. *Se-*
cretum Domini timentibus eum, & pactum
suum ostendit eis, quasi non aliis diuina my-
steria reuelet, & aperiat Deus nisi timéti-
bus se, qui maior autem potuit esse, & pre-
tiosior thesaurus quam ille, cui altitudo
diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei sese
infundit, ac præbet communicandam.

Quod si rem ad timorem filialem, &
reuerentialem deducas, quatenus illo du-
cti serui Dei sese illi submittunt, nec
æquare audent, sed *contremiscunt, & pa-*
Iob 26. *uent ad nutum eius, Iob.26.* Et beati etiam
num. 11. deponunt coronas ante pedes eius, *Apo-*
Apoc. 4. *calyp.4.* considerantes Deum potuisse per-
num. 10. mittere in ipsis culpam, eóque propter
illam punire, & potius voluisse præmia-
re, idque ante sæcula prædefiniisse, nullum
omnino dubium est, quod sit perfectissi-
mus, qua de re videndus *Gregor.17. moral.*
cap.15. & D.Thom. 2.2. quæst.19. art.11.
& 3.p.q.7. art.6. Et de hoc timore in via
videndus est *August. in cap.4. Epist.1. in*
Ioan. Vbi affert celebrem illam similitu-
dinem duarum vxorum, quarum altera
vitat adulterium ne vir eam interficiat, al-
tera ne vir, quem castè amat eam dese-
rat. Cæterùm circa priorem nolim vim
similitudinis in eo assumas, quod nisi ti-
meret, adulterium vellet, hoc enim est
voluntate esse adulteram, sed in eo sensu,
quo iam timorem explicauimus, & in eo
repetit eandem similitudinem idem *Au-*
gust. Conc.12. in Psal.112. & in Psal.127.
non longè à principio. Notandúsque est
Eccl. 21. hoc in loco *Ecclesi.21.* vbi dicitur. *Quasi*
num. 2. *à facie colubri fuge peccatum*, etenim qui
cauet peccatum propter pœnæ timorem,
non faciem ipsam, hoc est turpitudinem
spectat peccati, sed veluti caudam; effe-
ctúmque eius; ille quidem perfectius,
hoc autem absque imperfectione intrin-
seca fieri potest, vt patet ex dictis, & in
hoc sensu videtur locutus *Prosper, vel*
Ambros. Epistol. ad Demetriad. quæ apud
Ambros. est num.33. cum ait. Aliud est ti-
mere, quia peccauetis, aliud timere, ne
pecces. & ibi formido est de supplicio, hic
sollicitudo de præmio.

Est etiam timor virtutum omnium arx
munitissima, sicut eum vocat *Chrysostom.*
Iudith.8. *homil.1. ad populum*, vbi ait. *Timor nihil*
num.8. *aliud est quam murus, & turris inexpu-*
gnabilis. Et ideò Scriptura. *Cum maximè*
illustrem illam fœminam commendauerit,
A *ait: Erat hæc in omnibus famosissima, quo-*
niam timebat Dominum valdè. Et Cyprian.
de singularitate cleric. ait. *Ille tutius sibi*
consulit, qui circa malos semper insidias spe-
cies quascumque noxias extimescit. Pro-
uerb.14. *Sapiens timendo declinabit ab om-* Prou. 14.
ni malo, insipiens autem confidens sui mi- num. 16.
scetur iniquo. Magnum sapientiæ diuinæ
consilium inuentum est, vbi timoris auxilio
liberemur. Sic ille. Et *Ecclesi.cap.27.* ait. *Si* Eccl. 27.
non in timore Domini tenueris te instanter, num. 4.
citò subuertetur domus tua. & Salomon
B Prouerb.23. ait. *Qui in timore Domini est* Prou. 23.
tota die, habebit spem in nouissimo, & præ- num. 17.
stolatio eius non auferetur. Et certè cum
timor sit fuga mali, iure dicetur tutissi-
ma arx, nullo enim alio modo facilius
euitantur hostes, quam si fuga nos ab il-
lis proripiamus, qua de re plura iam su-
perius diximus. Bonus denique pædago-
gus timor, de quo *Tertull. lib. de Trinit.*
ait. Quibus ad honestam vitam deest ra-
tio, metus est necessarius. Similiáque ha-
bet *Clemens Alex. 2.Strom.* Et *Philo lib. de*
C *profugis*, vbi inter alia ait. Timor cohibe-
bit subditum, si parentis amor parum va-
let apud filium, & certè, *Qui timet Do-*
minum faciet bona, teste *Ecclesi.cap.15. Et* Eccl. 15.
qui timet Dominum ambulat in vijs Do- num. 1.
mini, sicut dicitur *Psalm.127.* neque tan- Ps. 127.
tummodo ambulat, sed *nimis volat in* num. 1.
mandatis Domini, Psalm.111. Viam, sci- Psal. 111.
licet, aperiente, monstrante, ac deducen- num. 1.
te timore, *& timenti Deum bene erit in*
extremis, & in die defunctionis suæ bene-
dicetur, *Ecclesi.1.* Plura qui de hac re ve- Eccl. 1.
D lit adeat *Chrysost. homil.8. in Epist. ad Phi-* num. 15.
lipp. & homil.15. ad populum. Videndus
item *August. q.35. in Exod.* vbi aduertit,
quod postquam Pharao timuit verbum
Domini, dixit: *Peccaui etiam nunc, Domi-* Exod. 9.
nus iustus & ego & populus meus impij. Et num. 21.
Moyses dixit illi: *Noui, quod, & tu, &* & 27.
serui tui, nec dum timeatis Dominũ Deum.
Et respondit optimè *Augustin.* timorem
hunc quem Pharao præ se tulit, fuisse ti-
morem pœnæ, non verò timorem Dei:
Facile est enim, inquit ille, pœnam time-
E re, sed non est hoc Deum timere, illo sci-
licet timore pietatis, quem commemo-
rat Iacob quando ait: *Nisi Deus patris mei* Gen. 31.
Abraham, & timor Isaac adesset mihi, nunc num. 42.
inanem dimisisses me.

Cum ergo Deus maximè terribilis sit,
& à nobis proinde maximè timendus, eò
iam impudentiæ, & insaniæ deuentum
est, vt nos plus timentes homines, quam
Deum, parui faciamus Dei offensas, dum-
modo

modo hominibus placeamus, quod deplorat *Oleast.* in eo quod obstetrices magis timuerunt Deum ne occiderent innocentes infantes contra præceptum Pharaonis, quam ipsum Pharaonem præcipientem illorum internecionem. Vnde, & dicitur: *Timuerũt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, sed conseruabant mares.* Ait enim ibi *Oleast.* Quid his fœminis fortius mundus tunc temporis habuit, quæ animositatem Regis non timentes, masculos contra eius imperium seruauerunt? A quibus discent aulici omnes timendum magis esse Deum, quam Regem, qui, vt voluntatibus Regum obtemperent, Dei mandata non curant, & Principes pro Diis colunt. Sic ille. Qui dum vult homines à mulieribus hac in re edoceri, nos addimus id maximè fieri debere, dum viri, & maximè aulici nostri temporis mulieres imitantur intortis crinibus, perpolita, si non depicta facie, sericis, ac odoriferis vestibus auro, gemmisque fulgentibus, proinde cum in ornatu fœminas imitentur, etiam hac in re imitari debent, vt magis Deum timeat, quam Regem reuereantur. Sed, proh dolor! illud contingit, quod dixit *Mich. cap.* 7. *Princeps postulat, & iudex in reddendo est*, id est, adiudicat Principi, quod petit, etiamsi reuera, & secundum iuris, ac institiæ normam, pauperi esset adiudicandum, quia plus timet Principem, quam Deum, cuius propria est causa pauperis; sic vniuersi Prophetæ Israël Achab vincendo, & morituro prophetabant vno ore dicentes: *Ascende in Ramoth, Galaad, & vade propere, & tradet eam Dominus in manus Regis.* Dominum minime consulentes aut timentes, sed Regi tantum morem gerentes.

Exod. 1. *num.* 17.

Mich. 7. *num.* 3.

3. *Reg. vlt. n.* 12.

Facit, & præsenti argumento ea ratio, quam affert *Theod.* cur scilicet, Angelus in diuersorio occurrens Moysi voluerit eum occidere, *Exod.* 4. Licet enim communis expositio afferat Angelum propterea voluisse interimere Moysem, quod filium suum non circumcidisset quo tempore oportebat, contra fœdus Dei initum cum Abraham, & posteris eius, vt constat ex *Genes.* 17. quod culpabilius, & vituperabilius videbatur esse in Moyse, mox futuro Legislatore, & Imperatore totius populi Israëlitici, quæ expositio est doctissimi Hebræorum Rabbi Dauid Kimhi, & ex nostris Isidori Pelusiotæ, *Rupert. Lyran. Abulens. Caietan.* & multis ante istos sæculis Tertulliani contra Iud. Licet igitur hæc sit communis expositio, nostro instituto inseruit ea, quam habet *Theod.* dum ait. Moyses cæteroquin vir magnus metuebat Pharaonem, vt indicant illa eius verba: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem Regem Ægypti?* Minabatur igitur illi pœnam mortis Angelus, metum minorem, videlicet, maiori metu repellens: perinde ac si per ensem illum nudatum dixisset ei: si Pharaonem timuisti, me multo magis timebis, qui modo inuisibili te vulnerare possum. Ex quo loco iuxta sententiam *Theod.* elicimus Deum maximè animaduertere in eos, qui Regum, ac hominum timorem, Dei timori præponunt, inuerso quidem ordine, nam sicut Deus maximè laudabilis est, sic etiam maximè terribilis, & ideo summoperè metuendus, vt ipsius timore pellendus sit quilibet alius timor, sicut clauus clauo truditur. Eandem expositionem affert *Diodorus* relatus à *Pererio, & Lipomano in catena*, qui ait: id totum factum est ea de causa, vt Moyses, qui Pharaonis timore correptus erat, adeo vt mittenti se diceret: *Obsecro Domine mitte alium*, tanquam ab Angelo interficiendus, mortis suæ discrimen, quod euaserat secum in mente circumferret, & timor vehemens, quem illi Angelus incusserat, Pharaonis timorem, vt clauus clauum truderet. Sic ille. Quam sententiam ait *Lipomanus* fuisse aliorum etiam Auctorum, qui in eo conuenerunt, vt Deus ægrè ferat, si nos plus homines, quam ipsum terribilem Deum timeamus.

Exod. 4. *num.* 24.

Exod. 4. *num.* 13.

Huic certè expositioni fauet, sicut, & nostro argumento, id quod notauit *D. Ambros. lib.* 7. *in Lucam. cap.* 10. Deum, scilicet, iam præmonuisse Moysem quando eum vocauit, & assumpsit in legatum suum ad Pharaonem, & populi sui ducem, & dixit illi: *Solue calceamentum de pedibus tuis*, vbi cum admonuit, vt abiiceret omnem protsus timorem hominum, & quia adhuc illum retinebat, acrius iam animaduersurus affuit Angelus, qui eum in diuersorio volebat interficere. Sic ergo ait *Ambros. Dum calceamenti solutionem explicat, mortale, atque terrenum calceamentum iubetur soluere, cum mitteretur ad populum liberandum, huius enim minister muneris timere nihil debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari, ipse enim cùm defensionem fratrum, hoc est Iudæorum voluntarius recepisset, calumniæ terrore reuocatus est ab incepto, & fugit ex Ægypto, & ideo cum Dominus affectum eius*

Exod. 3. *num.* 5.

eius probasset, conditionem autem vidisset infirmam, animi eius, mentisque vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum. Sic ille. Vbi illud notandum venit, scilicet, nihil prius Deum voluisse à Moyse legato mittendo, & imperatore constituendo, nisi, vt hominum timorem à se repelleret, publici enim ministerii muneris hoc præ oculis debet habere, & in se aliis imitandum præbere, vt scilicet Deum plus timeat, quam homines revereatur, alioquin iniuncto officio prout decet, minimè fungetur.

Quo in loco non omittendus est *Chrysost. homil. 15. de varijs in Matth. locis*, vbi optimè aduertit timorem hominum peccandi occasiones secum admittere, non sic vero timorem Dei, qui enim homines timent, ad tempus vtique cessant, & à peccando abstinent donec opportuna adsit occasio liberius delinquendi, at verò qui terribilem Deum contemplantur, perpetuo illius timore velut catena ligantur, aut tanquam clauis transfixi in officio, & lege Dei detinentur. Probat hoc in Herode, de quo *Matth. cap. 14.* ait. *Volens illum* (scilicet Baptistam) *occidere, timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant.* At vero quia solum populum, & non Deum reuerebatur, vbi nactus est occasionem, & in carcerem detrusit, & caput iussit amputari. Ait ergo *Chrysost. Facilè deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed homines formidat, hinc peccandi differt facultatem, non*

Matt. 14. num. 5.

A *aufert voluntatem: vnde etiam quos suspendit à crimine, auidiores reddit ad crimen, & æstuat animo quousque perficiat, quod contigit malum, solus enim Dei est timor, qui nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, &c.*

Similia sunt quæ habet *D. Augustin. in Psalmus 65:* ad illa verba, *Timuit omnis homo*, vbi ita habet, eum timere debet homo, à quo factus est homo, quod supra homines est time, & homines te non terrebunt, mortem sempi- Psal. 63. num. 10.
B ternam time & præsentem non curabis, voluptatem illam incorruptam, & quietem sine labore concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo, & time, ama, quod promittit Deus, time quod minatur Deus, nec contumperis ex eo, quod promittit, nec terreberis ex eo, quod minatur homo. Timuit omnis homo, qui non timuerunt, nec homines fuerunt: illi, qui non timuerunt, pecora potius nominandi sunt, bestiæ potius inima-
C nes, & truces, &c. quæ prosequitur: quæ Augustini doctrina optimè cohæret cum nostro textu, & præsens argumentum aptè claudit, sicut enim ipse iubet amandum Deum, pariter & timendum, sic & Moyses laudabilem prædicat, & terribilem, vt quatenus laudabilis est, super omnia diligatur, quatenus verò terribilis, præ omnibus timeatur, hoc enim modo sicut decet diligetur, sicut iubet timebitur.

TEXTVS.

Num. 12. *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.*

EXPOSITIO LITERALIS.

Ex re gesta ostendit Moyses quàm fortis sit Dominus, afferque similitudinem extensionis manus, vt describatur operatio, qua Deus Ægyptios subuertit, & submersit, intelligamúsque ea facilitate hoc miraculum à Deo fuisse editum, qua aliquis manum ad vsum motus soliti extendere posset. Septuaginta habent. *Extendisti dexteram tuam, absorbuit eos terra* Paraphr. Chald. *Leuasti dexteram tuam, deuorauit eos terra.* Vatabl. *Extendente te dexteram tuam,*
D *deglutiuit eos terra.* Et in Hebræo legimus, *dexteram.*

Pro intelligentia verò eius, quod est, extendere manum in Deo, videndus est *D. Hierony. in cap. 16. Ezech. num. 27.* ibi. Exod. 16.
Ecce ego extendi manum meam super te, num. 27.
vbi sic ait. Quæ hic extensio manus, alibi eleuatio, siue visitatio dicitur, quando enim peccantem non corripit Deus, contrahit manum suam, in quo quærimus, quid sit inter extensionem manus, & emissionem eius, *Iob. 1.* loquitur diabolus Iob. 1.
ad Dominum. *Extende paululum manum* num. 11.
tuam,

tuam, & tange omnia, quæ habet, nisi in faciem benedixerit tibi. Vbi *Hieronym.* legit. *Mitte manum*, & proinde ait. Videtur mihi mitti manus ad probationem eorum quibus mittitur. Extendi autem ad pœnas eorum, qui merentur supplicia. Et idem *Hieron.* in illud Sophon. 1. *Extendam manum meam super Iudam*, ait. Manum extendere esse irati, & gestum percutientis, quod probat ex Genes. 22. *Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Et ex Psalm. 105. *Eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto.* Et 1. Reg. 26. *Ne extendam manum meam in Christum Domini, &c.* Hic tamé interpretãdus Canon quem *D. Hieronym.* ponit vniuersalis non est, neque tanquam vniuersalis proponi censendus est, sed tanquam valde frequens; & ad intelligenda pleraque loca Scripturæ aptissimus, etenim aliquando oppositum eius, quod dictum est significat, nempe indulgentiam, & beneficentiam. Et Psalm. 54. *Extendit manum suam in retribuendo.* Et Matth. 9. *Impone manum tuam super eam viuet.* Et *Isai.* 65. citatus à Glossa interlineali. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem.* Eleganter vero explicat *Gregor. Nyssen.* præsentem nostri text. extensionem manus Dei, dicens: Quæ olim manus contracta erat ob tolerantiam, & patientiam, & bonitatem, extensa est contra Ægyptios.

Sophon. 1. num. 4. Gen. 22. num. 12. Ps. 105. num. 26. 1. Reg. 26. n. 9. & 11. Psal. 54. num. 21. Matt. 9. num. 18. Isai. 65. num. 2.

Vt autem repentinum Ægyptiorum interitum, & totum illum exercitum momento temporis è conspectu Israëlitarum sublatum ostendat Moyses, ait: *Deuorauit eos terra*, nam, quod deuoratur, non adhuc videtur, sed repente de oculorum conspectu quodammodo fugit, & disparet.

Tota ergo dubitatio est circa huiusmodi deuorationem, etenim *Nyssen.* ait: Cæterum terram eos absorbuisse ait voragine facta, postquam à mari ipsi obruti fuerunt, & à filiis Israël spoliati. Primum Deo volente filiis Israël persuadere eos penitus necatos esse, in conspectu ferente mari cadauera, vt ea spoliarent, ne putarent per imaginationem ea, quæ acciderant facta esse. Deinde rursus in eorum oculis illa cadauera fecit, vt euanescerent absorpta à terra; sicut accidit sæpe his, qui iuste puniti sunt; cum *Gregor.* consentit *Vatablus*, qui annotat. 25. ait, non solum absorptos esse Ægyptios aquis, sed etiam terram aperuisse se, & absorbuisse eos, quæ sententia insuper placet cuidam ex recentioribus.

Verum à solo mari fuisse absorptos constare videtur ex sacro text. *Exod.* 14. vbi dicitur: *Occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus, reuersaq́; sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis.* Et infra in eodem cap. dicitur. *Viderunt Ægyptios mortuos super littus, & manum magnam, quam exercuerat Dominus, timuitq́; populus Dominum, & crediderunt Domino, &c.* Vnde apparet non fuisse Ægyptiorum cadauera absorpta à terra, cum inhumata relicta fuerint diripienda feris, ac barbaris, iuxta illud: *Tu confregisti capita Draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.* Chald. habet. *Tu confregisti capita procerum Pharaonis.* Et *Genebrard.* ibi, diripiendos, & spoliandos obiecisti Pharaonem, & Ægyptios, dum eos mersos mare eiecit in littus Arabicum, & Æthiopicum. Hebræi appellant Æthiopiam, vtramque regionem littoralem maris rubri, tam Asiaticam, quam Africanam, ita populus Æthiopum dedit eos escam, idest, in escam, & in prædam: nam Israelitæ ex vna parte illos spoliarunt, ac exuerunt ornamentis, & opibus, ita, & Æthiopes ex altera, & hanc expositionem asserit *Genebrard.* fuisse aliorum Auctorum.

Exod. 14. num. 27. Suprà, num. 31. Psal. 73. num. 14.

Constat insuper à solo mari fuisse absumptos ex illo loco *Sapient.* 10 vbi dicitur de filiis Israel: *Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos, Ideo iusti tulerunt spolia impiorum.* Vbi pro illis verbis. *Ab altitudine inferorum eduxit illos.* Græcè habetur, *Ex profunditate abyssi ebullire eos fecit*, hoc est, ascendere, & *Iansenius* exponit de Ægyptiis eiectis in littus aduersum, abyssus vero significat aquam copiosam, ad cuius fundum non facilè penetretur deorsum versus, sicut docet *Basil. homil.* 2 *in Genes.* *Theodoret. in Psal.* 103. *August. in Psal.* 41. locúmque sic explicat *Lorinus*: Absorti sunt primùm Ægyptij descendentes in profundum quasi lapis, sicut dictum est supra *num.* 5. Posteà vero ebullientium aquarum impetu sursum eiecti. De ipsis igitur ad littus eiectis, ait text. *Ideo iusti tulerunt spolia impiorum*, quod intelligitur à Lytano. Et *Carthus.* de spoliis detractis ab Ægyptiis in littus eiectis, & certè particula causalis, ideò, respicit id, quod proximè antecessit, & spolia dicuntur ea, quæ ab hostibus victis, mortuísve detrahuntur, & sicut dicunt prædicti Auctores,

Sap. 10, num. 18. & seq.

multo ditiores feruntur Hebræi facti ex hac, quam ex prima præda, qua de re videndus *August. Epist.* 48. *&* 50. *& contra literas Petil. cap.* 43. *&* 59.

Facit insuper, & pro intelligentia huius loci, quia cum à Paulo dicuntur Æ-
Hebr. 11. gyptij, *deuorati.* *Ribeira* explicat deuo-
num. 29. ratos à mari, ideóque *Caietan.* hic ait. Iuxta Hebræum Metaphora tangitur deglutientis, describitur enim tanquam terræ guttur aqua, & dicitur, *deglutiuit eos terra*, significando id, quod primum subuersi homines incurrunt, videlicet iacere in fundo maris. Sic ille. *Lyran.* vero ait: *Deuorauit eos terra*, non quod intricauerint viscera terræ, sed quia descenderunt ad terram, quæ erat in fundo maris, ita operti, ac si fuissent à terra absorpti. Idem sentit *glossa interlinealis*, habétque *Abul. hic q.* 3.

Sed pro maiori intelligentia huius loci aduertendum est, ideo dici deuoratos à terra, cum à solo mari fuerint absorpti, quia sicut adnotauit *August. quæst.* 54. *in Exod.* pars ista extrema, vel infima mundi nomine terræ censetur secundum id, quod sæpe dicitur: Deus qui fecit cælum & terram, quasi dicat *August.* vsitatum esse in scriptura, vt terræ vocabulo significetur totus hic mundus inferior, & sublunaris, sicut etiam cœli nomine superior, & cœ-
Ps. 127. lestis pars intelligitur, vt, *Benedicat tibi*
num. 5. *Dominus ex Sion, qui fecit cælum & ter-*
Ps. 123. *ram*, & Psal. 123. *Adiutorium nostrum in*
num. 8. *nomine Domini, qui fecit cælum & terram*, idest, qui fecit omnia & supremá huius mundi, & inferiora illius, & *Ierem.*
Iere. 23. 23. *Cælum & terram ego impleo*, vbi no-
num. 24. mine terræ sublunaris hæc pars mundi intelligitur; in hoc igitur sensu deuorauit Ægyptios terra, idest, mundi pars inferior, quæ ex aqua & terra potissimum constat: & certè terræ nomen sæpe accipitur pro vnico globo ex mari, terraque conflato, vt cum Mathematici dicunt in totius orbis circulo cælum esse instar circunferentiæ, terram verò instar puncti, & centri, terræ vmbram sic, vel sic afficere lunam, & vsque ad talem planetam peruadere, vbi terræ nomine inuoluitur etiam mare.

Quod si inquiras cur hic inferior globus à terra potius denominetur quam à mari, ratio est in promptu, quia scilicet, prædicti globi maior, ac præcipua pars est terra, nam profunditas aquæ, vbi maxima est vis, ad tria milliaria peruenit, vt plurimum autem non excedit dimidium

A milliarij: at verò profunditas, siue diameter terræ amplius sex millia, & triginta milliaria continet, superficies autem extimæ tum aquæ, tum terræ, discoopertæ videntur esse æquales, vt latius videre est apud *Curs. Conimb. lib.* 3. *de cælo capit.* 5. *q.* 3. *art.* 2. Hæc igitur est ratio vt à parte longè maiori globus inferior denominetur, scilicet, à terra, & quod id minima eius parte accidit, dicatur accidisse in terra.

Et cum hæc locutio pene prouerbialis
B videatur, & metaphorica, iuxta *Abulens.* cui consentit *Caiet.* cernitur metaphora in eo, quia sicut illi, qui absorbentur terræ voragine, humanis occultantur aspectibus, quod apud Hebræos contigit in memoratissima illa Dathanis, & Abyronis absumptione abhiante, & deuorante terra facta, de qua dicitur, *Dirupta est* *Num.* 16.
terra sub pedibus eorum, & aperiens os *num.* 32.
suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum. Sic etiam illi, qui marinis fluctibus fuere
C operti, licet terræ viscera non subintrent, veluti deuorati occultantur, vel demersi deuorantur.

Iam verò in prouerbialibus, & metaphoricis locutionibus verificandis non ad verba sigillatim sumpta, sed ad sensum totius locutionis intentum, attendendum est. Et ne aliquis scrupulus hac in re maneat, vt tota delucidior appareat, aduertendum est cum *Ioanne Alba in sua centuria cap.* 1. terræ nomine hoc in loco appellari ipsum mare, secundum phrasim
D sacræ Scripturæ, quæ terræ nomine mare plerumque intelligit, vt ipse ibi ostendit, probatéque videtur locus ille *Ionæ*, 2. vbi Propheta ait. *Terra vectes concluserunt me* *Ionæ* 2.
in æternum, nomine terræ, mare ipsum *num.* 7.
appellans, & sicut aliquando scriptores sacri phrasi Hebræa vectes ciuitatis, pro ciuitate forti dicunt, sic dictum est vectes terræ, idest, maris, pro mari forti, pro magno, & profundo, nam fortè vocant Hebræi, quod magnum est in genere suo. Ita etiam in æternum vocant, quod ma-
E gnum, & excellens in genere suo volunt significare, & ita duplici Hebraismo eiusdem significationis dictum est, vectes terræ, in æternum pro mari profundissimo, quidquid insuper sit de intelligentia istius loci, in quo nos totam vim minimè ponimus, fatedùm necessario est aliquando mare, & aquas nomine terræ significari, sic enim oportet intelligi, illud, *In principio creauit Deus cælum & terram*, vt

nomine

nomine terræ aquæ intelligantur,quæ pariter cum cælo empyreo,& Angelis creatæ sunt, nam illud spatium quod erat intra quadraturam illius corporis, quo cælum empyreum tegebatur, non erat vacuum, nec repleri poterat, nisi aqua,nam cum firmamentum (idest orbes cælestes) factum fuerit secunda die in medio aquarum diuidens aquas ab aquis, vnde aliæ supra, aliæ infra cælestia corpora sitæ dicuntur, aqua repleuit totum spatiũ, quod erat intra illud corpus:necessariaque erat tanta aquæ immensitas, quoniam futura B erat omnium orbium cælestium, ac cæterorum elementorum, animm, piscium, reptilium, & aliorum mixtorum materia mediata, vel immediata, imo terram ipsam ex aqua condidit Deus, teste *D.*
1. *Pet.*3. *Petro* 2. *epist. cap.* 3. vbi expressis verbis
num. 5. ait: *Latet enim eos hoc volentes, quod cæ-*
Sap. 13. *li erant prius, & terra de aqua.* Et *Sap.*
num. 18. 11. dicitur. *Non impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa immittere illis multitudine vrsorum &c.* Vbi appellat aquam C ex qua orbem terrarum conditum esse dicit, materiam inuisam, vel informem, vt habet text. Græc. non quidem quod careret in primæua sui conditione omni prorsus forma substantiali; sed quia ex ea omnia essent facienda mediatè, vel immediatè sequentibus diebus, nimirum vsque ad sextam feriam, vnde apud veteres Philosophos, & Poëtas abyssus hæc chaos dicta est, sic enim *Ouid.* 1. *Metamorph.* dixit.

Ante mare, & terras, & quod tegit, D *omnia cælum,*
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos rudis, indigestáque moles
Nequidquam nisi pondus iners, &c.

Et *Hesiodus* idem scribit. Quod autem cæli ex aqua condita sint, habet *Theod. q.* 5. *in Genes.* probat *Eugubinus lib.* 7. *de perenni Philosophia c.* 9. ex *Mercurio Trimeg.*

Et quibus cõstat nomine *terra* in principio *Genes.* aquam appellari, cum in eo E instanti primo non potuerit terra ex aqua fieri, alioquin aqua ex qua terra tunc fieret, eodem momento desineret esse quod erat, ac proinde simul esset, & non esset, quoniam in primo esse terræ, quæ produceretur ex aqua, aqua illa non posset esse. Licet autem verum sit verba sacræ Scripturæ in proprio sensu debere intelligi,& maximè cum loquitur de prima rerum productione, ne historia nimis confusa, & incerta sit ex abusu vocum, cui quidem inconuenienti occurrere volens *D. Basil. homil.* 9. *Hexameron*, ait, ego cum fænum audio, fænum intelligo, bestiam stirpem, & piscem, & feram, & iumentum, omnia vti dicta sunt accipio: Attamen eo in loco nomine terræ necessariò debet intelligi aqua, vt vidimus ex circunstantia loci, neque ibi tam facilè aderat aberrandi periculum, quoniam priora tria capita *Genes.* non dabatur copia legendi, nisi viris doctis, ætate prouectis, & qui Rabinorum præceptis facile ducerentur.Sic proinde in præsentiarum ex circunstantia loci apud eundem sacrum Auctorem apparet nomine terræ esse intelligendam aquam, quod nouum iam non est in sacra pagina,& ideò cum noster text. habet, *deuorauit eos terra* idem est, ac deuorauit eos aqua nimia.

ANNOTAT. VNICA.

Terra, terrenáque bona deuorant Aegypti incolas, mundi scilicet amatores.

QVoniam celebris est ea allegoria, quam hoc in loco ponit *Orig.* eam proinde cum ipso in præsenti prosequemur. Sic ergo ille ait *hom.*6.*in Exod.* Impios etiam terra deuorat, quia semper de terrâ cogitant,terram desiderant, in eam spem suam ponunt, ad cælum non respiciunt, futura non cogitant, iudicium Dei non metuunt, nec promissa eius desiderant, talem cum videris, dicito, quia deuorauit eum terra: Item si quem videris luxuriæ, & voluptatibus corporis deditum,in quo nihil animus valet,sed totum libido possidet,dicito quia deuorauit eum terra. Sic ille explicat præsentem terræ deuorationem, de quo argumento videndus est *Clemens Alex. Orat.ad gentes*, cum ait. Ne ergo porcis efficiamur similes, sed vt germani filij lucis intueamur lucem, & sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehẽdat Dominus,quemadmodum sol aquilas, qui enim semper de terra cogitat, eamque desiderat, terræ se ingurgitat velut porcus, & luto volutatur, vt nec etiam oculos ad cælum leuare valeat, & huiusmodi homines graues corde appellat *Nazianzen. orat. ad Iulianum*, de iisque intelligit id,

Psal.4. num.3. quod Dauid ait. *Filij hominum vsquequo* A *graui corde*, & *Bernard.serm.24.in Cantica* ad illa verba, *Rectè diligunt te*, aptè in rem nostram ait: animæ curuæ non possunt diligere sponsum, quoniam non sunt amicæ sponsi, cum sint mundi. Quibus habet similia *August. tract.2. in Epist. Ioan.* vbi ait. Væ tibi si amaueris condita, & deserueris conditorem, pulchra tibi sunt, sed quanto pulchrior, qui ista formauit, &c. quæ prosequitur, taudémque concludit: talis quisque est, qualis eius dilectio est, terram diligis, terra es, con- B uertitur enim amator temporalium rerum in ipsas, dum eas diligit, & ab iisdem dum diligit deuoratur, qua de re videndus *Plotinus Platonicus, Enn.1.lib.6. & de pulchro, c.8. & 9.* vbi ait. Si quis ad hæc (scilicet temporalia bona) irruat quasi verò capessens, quæ tamen velut fumosæ imagines apparent in aqua, idem proculdubio patietur, quod (vt fabula tradit) ille perpessus est, qui vmbram captare contendens in aquam sese immersit, atque disperiit, &c. quæ similitudo maximè inser- C uit, vt explicet quo pacto impius terrenis inhians, ab iisdem absorbeatur. Ideóque *Clemens Alexand.7.Strom.* ait. Oportet si sunt bona, eis esse minimè deditum, sed eis esse superiorem, & conculcantem, quasi alioquin conculcandus, & emergendus sit homo ab iisdem bonis, si ea non conculcauerit, & infra se posuerit, quæ

Cant.1. num.4.

Sap.18. num.24. fuit ratio, cur vestis poderis *in qua totus orbis terrarum descriptus erat*, vbi *Vatablus* vertit *omnigenus ornatus*, ad pedes vsque demissa, & abiecta erat, quasi signifi- D cans ad centrum, infimúmque locum tanquam proprium, & ad pedes nostros propendere omnia, quæ in orbe terrarum pretiosa sunt, & ad decorem ornatum, & gloriam pertinent, & sic dependentia sese veluti offerrent pedibus conculcanda, & proterenda, sola verò magnificentia, & sāctitas Domini in diademate supra frontem Pontificis in aurea lamina relucebat sculpta, vt ibi dicitur, quæ lamina aurea in morem semicirculi præfixa erat mithræ, siue diademati, aut cideri, & cinge- E bar frontem ab aure, ad aurem, vt intelligeremus vnicam Dei sanctitatem, diuinitatem, & maiestatem supra caput nostrum imminere debere. Vnde *Ambros. lib.3. de Spiritu sancto, c.18.* ait. Nos quoque nihil pretiosius inuenimus, quo Deum prædicare possimus, nisi, vt sanctum appellemus, quodlibet aliud inferius est Deo, &c.

Probant insuper hoc ipsum, quod intendimus malogranata appensa limbo, *Exod.28. num.33.* seu laciniæ, ac fimbriis inferioribus secundæ vestis sacerdotalis per circuitum ex hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, quibus diuersa orbis regna denotabantur, siquidem constant illa poma granis multis, & quæ omnia follicolis distinguntur, súntque sub eadem corona, quod symbolū sanè magis expressum est, quam Iunonis coronatæ impositum manui malum punicum, de qua eius imagine videndus est *Pausanias libr.2.* Videndus insuper & *Cyrill. Alex. lib.11. de adoratione in spiritu*, vbi in malogranatis considerat vrbes, ac prouincias, sicut in tintinnabulis Doctores, & Magistros. Cum ergo malogranara coronas terram versus propendentes haberent, sicut & tintinnabula, id nobis inculcatum voluit Deus hac in re, omnes, scilicet terrenæ potestatis coronas, malogranatis adumbratas, humanæque sapientiæ, gloriæ, famæque thesauros, tintinnabulis significatos, ad pedes prorsus abiiciendos esse, ac eisdem pene conculcandos, ne cor nostrum secum dedoluant ad centrum terræ, locúmque inferorum, quo vergunt, pariter cum anima deuorandum.

Hoc etiam obseruatum est, quando ad pedes Apostolorum primi Christiani: *Pretia bonorum, quæ vendebant, proyciebant.* Sicut ibi notauit *Beda*, & *Arater* *Actor.4. num.25.* citatus à *Beda*. Et *D. Hieron. Epist.8. c.7. & Epist.24.* Quia verò hoc non fecit Ananias. *Et fraudauit de pretio agri afferens* *Actor.5. num.2.* *partem quandam, & partem aliam sibi reseruans*, ac veluti corde recondens, & adorans, non pede conculcans, & certè hoc sonare videntur verba illa: *Quare posuisti in corde tuo hanc rem?* Quia igitur corde veneratus est terram, in eadem statim sepelitur, veluti ab eadem absorptus. Vnde *Clemens Alex. 7.Strom.* loquens de viro probo, ac sapiente ait, ipsum omnia mundi bona patui pendere, ne in terra deprehensus maneat, vel ab ea absorbeatur. Propterea, inquit, omnia mundi bona, quæ sunt in promptu, & ad manum, non diligit, ne humi remaneat, sed ea, quæ sperantur, vel potius, quæ iam sunt cognita, sperantur autem vt etiam comprehendat. Et *D. Hieron. tom.4. Epistol.ad Demetrian.* in commendationem *Iob* ait. Auferebantur omnia, quæ extrinsecus possidebat, & extranea bona repentè decidebant, vt magis propria clarescerent. Sic ille habuit diuitias, vt se alibi diuitem

esse

esse monstraret. O virum ante Euangelium Euangelicum, & Apostolicum ante Apostolica præcepta. Videndus item *Chrysolog. serm.* 22. ad illa verba: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Adiecit, ait *Chrysolog.* quid faciendum sit regnaturis. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynas, facite vobis sacculos, &c.* Vendite, quæ possidetis, non potest dominari omnibus nisi is, qui propriis non tenetur, deiectæ mentis, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad Regnum, iacens animus plebeius, numulum thesauris regalibus anteponit, pauper sensus paruis incubans, perdit magna, inhians temporalibus, deserit sempiterna, inter insidias latronum, & tinearum morsus, quare tua non recondas obiurgat: peruigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora, ne tibi ipse facias commoneris: auri custos, seruator argenti, securitatem non habet, pœna diues est ille, non sensu: qui relinquenda seruat, alienorum custos est, non suorum, & tandem ad rem nostram concludens ait. Hoc facit thesaurus, qui cor hominis, aut per eleemosynam leuat ad cælum, aut per auaritiam demergit in terram.

Luc. 12. num. 32.

Obruerat sanè animum illius adolescentis terrenarum rerum grauis sarcina, & deuorauerat terrena possessio, qui cum omnia Dei præcepta ab adolescentia se seruasse assereret, vbi audiuit à Christo, *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, abyt tristis, erat enim habens multas possessiones,* sicut obseruat *Euangelista Matth.* Notauit autem *D. Chrysost.* ita depressum fuisse animum huius adolescentis graui pondere possessionum, vt nec responsum bono magistro, vt ipse appellauerat, dandum curauerit. Cum magna, inquit *Chrysost.* Christum lætitia adiisset, ita suffossus, atque obruptus fuit, quia eiiciendam pecuniam esse audiuit, vt nec respondere quidem potuerit, sed tristitia, ac mæstitia pressus discesserit. Longè aliter *Paulus*, qui, *Apertis oculis nihil videbat.* hoc autem expendens *August. in Psalm.* 67. asserit, adeptum lumen oculorum carnalium, vt innuat concessum lumen oculorum spiritualium, ponderat enim *serm.* 2. *de conuers. Pauli,* tunc temporis quando nihil apertis oculis terrenum videbat, tunc Christum Dominum, mundi lucem vidisse, oculis enim spectantibus primam lucem, secundæ res delitescunt, & in tenebris minimè conspiciendæ, ac æstimandæ latent, sic verò habet *Augustin. Eo tempore, quo cætera non videbat, Iesum videt, in eius excitate mysterium reformabatur credentium, quoniam qui credit in Christum, ipsum intueri debet, cætera nulla computare, cætera creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat.* Sic ille.

Mat. 19. num. 20.

Actor. 9. num. 8.

Videndus item hac de re erit *Origen. homil.* 16. *in Genes.* Vbi notauit locum illum quando Ioseph cum à cæteris hominibus emeret vniuersam terram Ægyptij, solis Sacerdotibus liberam dimisit terram. Propter hoc, inquit ille, nequiores cæteris ostenduntur: rémque deducens ad perfectiores viros, ac Sacerdotes noui Testamenti carpens interim idolorum cultores, & Sacerdotes sic concludit. Festinemus ergo transire à Sacerdotibus Pharaonis, quibus terra possessio est, ad Sacerdotes Dei, quibus Dominus possessio est, & cum simus, *Gens sancta, & Sacerdotium regale.* Hac in re similes veris Sacerdotibus debemus esse, dissimiles verò iniquis, & impuris Sacerdotibus, vt nihil præter Deum velimus, & facilè vendamus terrena omnia, vt æterna lucrifaciamus. Sic ills ostendit, qualiter per terram sublunarium contemptum ad cœlestia debeamus anhelare, ne aliter terrenarum pondere depressi à terra deuorati absorbeamur.

Gen. 47. num. 26.

1. Pet. 2. num. 9.

Neque verò nouum in Scriptura est terram homines deuorare, hoc enim reperimus in *lib. Num. c.* 13. vbi ij, qui cum Caleb terram Chanaan lustraturi abiertant, ei detrahentes apud filios Israël dixerunt. *Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos,* quæ verba expendit *Serarius lib.* 1. *in Iosuë c.* 8. *quæst.* 5. in hunc modum: qua quæso ratione terra deuorat habitatores suos? Aiunt quidam nimia terræ bonitate fieri, idque tripliciter. Primò, quia delitiis nimiis omnes eneruabat, corúmque vitam incidebat. Secundò, quia alio quopiam egredi, aut migrare vellet nemo: ideóque domi morarentur omnes. Tertiò, quia concupiscebatur ab omnibus, ideóque assiduæ in illa contentiones, rixæ, bella, & cædes: qui modi explicandi deuorationem hominum ab ipsa terra, prætetquam, quod cedat in commendationem terræ promissæ, explicat optimè modum, quo terra deuorare consueuit homines.

Num. 13. num. 33.

Primò igitur deuorat homines delitiis, quibus vitam incidit, attenuat, & extenuat,

nuat, quod videtur significasse illud *Iob* 20. vbi ait. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti,* etenim sicut punctus duo extrema terminat, iungit tamen, & copulat, sic,& gaudium, ac felicitas humana duo extrema iungit,& adunat, vitæ scilicet ac mortis, solent enim felicitates profanæ,& vitam terminare, & morti initium præbere, quod magis explicant L X X. qui legunt. *Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem iniquorum perditio,* præceps enim ruit in mortem, ac perditionem, qui sese voluptatibus terræ tradit; quod etiam videtur dixisse Salomon, cum ait. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Vide igitur quomodo gaudium hypocritæ extrema inter se coniungat, sicut punctus copulare solet extrema lineæ, finitur enim gaudium, vt inde luctus inceptus deducatur, neque verò expectatur, vt gaudium finem tandem habeat, aut ad extremum perueniat, quinimò medium gaudium luctus occupat, & intercipit, etenim si consulatur Hebræus codex, sic prorsus habet; *In risu dolebit cor,* vt sit sensus, dum quis adhuc ridet, & lætatur, mox dolet, gemit,& tristatur. Ideóque *Chrysost. in Psalm.* loquens de hac re ait. Multi qui hæc possident, vitam non esse vitalem existimant, & angoris fornacem in animo circumferunt, curarū multitudine exhausti, & continuis timoribus oppressi, quibus habet similia *Ambros. lib. de Naboth. cap. 6.* vbi aduertit diuitem auarum clamasse. *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Ait ergo *Ambros.* Satiato diuiti non est, quod finat eum dormire, excitat eum cupiditas, sollicitat abundantia, interpellat cogitantem, excitat dormientem, sed nec ipse quietum se esse patitur. De inopia quæritur abundans fructibus, miserior iste fœcunditatibus suis, quam pauper, cui periculum de egestate est. Suffragatur *Cyprian. Epist. 2. ad Donatum,* vbi ait. Sed,& quos diuites opinaris, hos etiam inter diuitias suas trepidos cogitationis incertæ solicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cuiusque locupletioris inuidia calumniosis litibus inquietet, non cibus securo, somnúsve contingit, suspirat ille in thoro,& in conuiuio, bibat licet gemma, quod eleganter *Tragicus* dixit.

Solicito bibunt auro superbi,
Quam iuuat nuda captare fontem.

Quod argumentum etiam dilatauit *Iuuenalis Satyr. 14.* Addit verò *Cyprianus:*

Iob 20. num. 5.
Prou. 14. num. 13.
Luc. 12. num. 17.

A *O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insana caligo, cum exonerare se posset, & leuare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere.* Sic ille. Cui addendus *Boëtius in lib. de consolat.* relatus à *D. Bonauent. tom. 1. cap. 16.* de voluptate, vbi ait. Tristes esse voluptatum exitus quisque reminisci libidinum suarum volet, intelliget. Et *Seneca Epist. 60.* dixit, quæ à Deo non sunt gaudia, sæpè initia esse futuræ tristitiæ, quibus in verbis acutè rem exposuit de termino gaudij cum initio subsequentis, nec terminandæ mœstitiæ.

B Facit, & quod idem *Seneca* dixit: Voluptates latronum more in hoc nos amplectuntur, vt strangulent, quas imitata Iahel cum dux Sisara bello fractus ad eam diuerteret, his verbis eum excepit: *Intra ad me Domine mi,*& cum aquam ille postularet, *Aperuit vtrem lactis,& dedit ei bibere,* & postea verò, *Tuli clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum:*
C *& ingressa abscondi te, & cum silentio posuit supra tempus capitis eius clauum, percussitque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram: qui soporem morti socians defecit, & mortuus est,* in quem locum *Procopius q. 73. in Scripturam,* ait. Aquam petenti lac præbuit, quo beneuolentiæ simulatione maiorem mereretur fidem, necnon humectatus, stragulisque calefactus in somnum delaberetur. Sic ille. Est siquidem lactis natura humidior, crassior, & fumosior, solétque vini instar caput
D petere, spiritúque, ac fumo densiore oppletum soporare. Vnde capitis dolore, ac vertigine laborantibus id à medicis denegatur, vt est apud *Plin. lib. 28. c. 4.* Susceptum igitur hospitio lacte potatum, pellibúsq; opertum clauo transfigit cerebrum vsque ad terram, vbi apertè ostenditur qualiter voluptates,& delitiç blandè, leniterque quemlibet nostrum amplectantur, lætitiáque operiant animæ nostræ oculos, vt decepta mortem incurrat, & soporem inanis lætitiæ initium interitus comite-
E tur, sicut de Sisara narrat sacer text. Ideóque *D. August. serm. 6. de verbis Apostoli,* aptè in hanc rem ait. Post concupiscentias tuas non eas, quia etsi quando subrepunt, & vsurpant sibi oculum, aurem, linguam,&c. Et *Greg. Nazianz. Orat. 4. contra Iulian.* deceptionem voluptatis detegens ait: facilè imposturam facit quidquid delectat. Videndúsque erit *D. Chrysostom. homil. 24. in Acta Apostol.* cum ait.

Iud. 4. num. 18.

Delitiæ

Delitiæ animum resoluunt quasi copiosissimus amnis. Et *Lactant. lib.6.de diuin. instit.* mortis est fabricatrix voluptas, &c. Qui ergo sese terrenis voluptatibus tradit, facilè à terra deuoratur, dum delitiis affluit, dum ei vita facilè attenuatur, & extinguitur, qui erat primus modus deuorandi à terra.

Secundò etiam homines deuorantur à terra, quando illi dediti nihil aliud curant, nec oculos ad cœlum tollunt, qui toti terrenis, & diligendis, & acquirendis inhiant, qua ratione secundum aliquorum expositionem vituperatur Ruben in
Iud.5. num. 16. *lib.Iudic.cap.5.* cum dicitur: *Quare habitas inter duos terminos, vt audias sibilos gregum.* Quo in loco accusantur Rubenitæ, quod studiis propriis, & solis commodis vacauerint, bello communi neglecto, & inter ouium suarum balatus, & causas residere maluerint veluti à terra deuorati, quam suis opitulari, cum possent, & deberent: Sic Issachar dicitur, *Accubans inter terminos quia vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis seruiens.* *Gen.49. num. 14.*

Qui locus ostendit Issachar priuatam, & tranquillam vitam elegisse, separatam à negotiis publicis, & alienis, contentum re familiari, & substantia sua, qualem vitam eligunt, qui habitant inter suos terminos, neque ab eis egrediuntur ducti bonitate, & feracitate soli: exponens vero hoc ait sacer text. Elegisse hanc vitam, quia placuit ei magis terram colere, atque etiam tributa soluere, & onera deportare, idque propter terræ vbertatem, namque sicut notauit *Adricomius in tabula Issachar.* fertilissima fuit ea regio. Cuius, inquit, Gleba optima est, fertilis supra modum in frumento, vino, & oleo, atque adeo rebus omnibus affluit, ita, vt qui eam aliquando suis oculis viderunt, affirment se nihil vnquam perfectius conspexisse, in quo scilicet natura sua omnia contulit, in hac enim regione est magnus campus Magedo, & campus Esdrelon, & planities magna Galilææ, est præterea fundata ad radices montis Tabor, & montis Efron, & prætereà ad radices montis Gelboe, in quibus omnibus defluit humor conficiens integrum torrentem Cisson, qui diuisus in duos riuulos, & defluens in oppositas partes totius huius sortis irriguos, & fertiles reddit campos, hunc enim situm ad fertilem agrum maximè desiderabat *Cato libr.1.de re rustica, cap.1.* cum ait, Tuus ager si potes, sub radicibus montis sit, &c. Similia habet *Varro, lib.1.de rustic.cap.7.& 9.* Suffragatur *Columella lib. de re rust.cap.2.* Et videri potest *Plin. lib.18. cap.5.* Vbi ex præcepto Catonis ita habet, agrum paraturus ante omnia intueri debet aquarum vim, & vicinum, alterum enim vberè reddit agrum, alterum quæstuosum, quæ omnia reperiuntur in hac sorte Issachar, fluminibus siquidem alluitur; & vicinum habet ex vtráque parte mare, ex altera enim parte clauditur littore maris Galilææ, ex altera vero terminatur littore maris magni, siue mediterranei. Ductus igitur bonitate illius soli accubabat Issachar inter terminos suos, vbi ipse, & filij eius ab eadem terra deuorabantur, neque enim inde egrediebantur alio, vbique *factus est tributis seruiens*, seu *tributis liquefactus*, hoc enim significat vox Hebræa, pro qua vulgatus vertit tributum scilicet, liquefactionem, vel dissolutionem, cum eleganti quadam analogia petita ab iis, quæ liquefiunt, & dissoluuntur, sic enim dissoluitur, & liquesit substantia agricolarum in tributa, qui est alius modus à malitia humana excogitatus, vt terra deuoret eos, qui illi inseruiunt, eandem subigendo, quod notauit *D.Thom.in comment.Genes.* Temporaliam scilicet bonorum copiam fecisse Issachar seruum, & seruum laboriosum; nam sicut notauit *D.Ambros.serm.81.* cum hoc reperiatur in diuitiis, multo magis inuenitur in iis, qui colendæ terræ inseruiunt.

Tertiò denique deuorat terra homines, qui sese illi maximè dedunt, quia concupiscitur ab omnibus, & inde bella, rixæ, & contentiones exurgunt, quibus conficiuntur homines & absumuntur, quidam, vt bona parta tueantur, alij, vt sibi denuo acquirant, quorum vtrumque probat locus ille *Osea*, vbi dicitur: *Diues effectus sum, inueni idolum mihi*, vbi aliqui *Osea.12. num.8.* ex Hebræo legunt: *Diues effectus sum inueni vim mihi*, quod dupliciter potest intelligi, actiuè scilicet, & passiuè: actiuè quidem, vt significet diuitem comparasse simul cum ipsis diuitiis vim maximam ad debellandos quoscumque, à quibus posset bona sua augere & cumulare, vel ad expugnandos eos, à quibus in aliqua re læditur, offensam-vè patitur, & certè diuitiæ, imò, & pecunia arma vocatur in Scriptura, etenim Iacob filium suum Ioseph allocutus, ait. *Do tibi partem* *Gen.48.* *vnam extra fratres tuos, quā tuli de manu* *num. 22.* *Amorrhæi*

Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Vbi *D. Hieron.* relatus à Glossa ait, rectè quidem arcum, & gladium dicit pecunias, quibus agrum emerat. Vnde, & *Chrysost. hom.* 30. *quod nemo læditur, nisi à se ipso, tom.* 5 ait. Amor pecuniæ sæuit, vt barbarus, feruet crudeliter, vt tyrannus, nusquam miseretur, nusquam pudet, proindéque deuorat amor terræ homines, dum illis vita eripitur, bellúmque infertur ab immani diuitiarum amore.

Secundò illud, *inueni vim mihi,* passiuè potest intelligi, vt significet diuitem inuenisse vim, quia vt ab eo deripiantur, & auferantur diuitiæ, maxima ab omnibus vis, & violentia infertur, lites commouentur, rixæ concitantur, & multis modis, propterea, quod factus sit diues, à multis impugnantur, & in causa sunt bona temporalia, vt ab aliis hiante ore, & sitiente appetitu deuoretur. Est pro hoc argumento optimus locus apud *D. August. in Psal.* 54. vbi de diuitibus intelligit illud eiusdem *Psal. Descendant in infernum viuentes,* sicut descenderunt Dathan & Abyron, sub quorum pedibus dirupta est terra. *Quæ aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descẽderuntq́, viui in infernũ operti humo, & perierunt de medio multitudinis*, sicut habetur *Num.* 16. Ad similitudinem proinde istorum, ait *August.* terram deuorare diuites, descenderéque in infernum viuentes, sic vero habet: quomodo replicauit, & recolere nos fecit, primum illud schismatis initium, quando in illo primo populo Iudæorum quidam superbi se separauerunt, noua mors super eos venit: aperuit se terra, & viuos absorbuit. *Veniat,* inquit, *mors super eos, & descendant in infernum viuentes.* Quid est viuentes? Scientes quia pereunt, & tamen pereunt: audi viuentes perire, & absorberi hiatu terræ, idest, deuoratione terrenarum cupiditatum absorberi. Si mortuus descenderes, quid ageres ignorares: cum vero scis malum esse, quod facis, & tamen facis, nonne viuus descendis ad inferos? Sic ille ostendit quomodo homines terrenarum cupiditatum mole depressi ad inferos viuentes, & videntes descendant, quod maximè deplorandum est: quomodo insuper homines deuorat, & absorbet terra, volentes ipsam deuorare, & in se recipere & possidere.

Psal. 54. *num.* 16.
Num. 16. *num.* 32.

Quia vero non solum illi homines, sed illorũ insuper tabernacula deuorata sunt, id maximè ostendit à Deo puniendos esse deuoratione terræ, qui in ampliandis, & implendis tabernaculis suis denuóq; erigendis, & construendis totam curam impendunt, qui sine dubio sunt habitatores illi terræ, qui in sacris litteris tam male sæpe audiunt, nam *Isaiæ* 24. dicitur: *Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ.* Et *Oseæ* 4. *Iudicium Domini cum habitatoribus terræ.* Qua de re videndus *Gregor.* 8. *moral. cap.* 22. vbi explicans illud *Iob.* 8. *Tabernaculum impiorum non subsistet,* ait, quod hoc loco tabernaculi nomine, nisi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur, per quam super se reprobi casura multiplicant, vt se à præsentis vitæ necessitatibus, quasi ab æstu, & imbribus defendant? Terrena aggreganda exaggerant, ne inopiæ frigore rabescant, contemnunt curare quod sequitur, & tota intentione satagunt, nequid in præsentibus desit, sola quæ adsunt cogitant, nec ad effectum cælestis patriæ vlla recordatione respirant. Gaudent sibi suppetere bona, quæ cupiunt, atque vbi carue quiescunt, ibi & mentẽ extinguẽdo sepeliunt. Vnde & Petrus iure reprehenditur, qui necdum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita in terra figere rabernaculum conatur: Iniusti quanto longius ab æternæ patriæ hæreditate diuisi sunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt.

Isaiæ 24. *num.* 17.
Oseæ 4. *num.* 1.
Iob. 8. *num. vlt.*
Matt. 17. *num.* 4.
Luc. 7. *num.* 25.

Hinc est quod ab ipso humanæ conditionis exordio Cain primum filiũ suum Enoch vocat, atque ex eius nomine ciuitatem, quam condidit appellat, Enoch quippe dedicatio dicitur: iniqui ergo se iu primordiis dedicant, quia in hac vita, quæ ante est, cordis radicem plantant: vt hic ad votum floreant, & à sequenti patria funditus arescant. Quasi munitum sibi diues ille rabernaculum construxerat, qui dicebat *Luc.* 12. *Anima habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, & epulare,* sed quia eius tabernaculũ in veritatis fundamento non subsistit, illico audiuit. *Stulte hac nocte repetunt animam tuam abs te, quæ autem parasti cuius erunt:* Ecce ergo dicitur tabernaculum impiorum non subsistet, quia vitæ fugientis amatores, dum studiose se in præsentibus construunt, repente ad æternam pœnam rapiuntur. Sic *Greg.* cuius doctrina rectè cohæret cum ea, quam ex *D. August.* proposuimus, ostenditque quomodo diuites, & terrenarum rerum amatores viui in infernum descẽdant, eósque viuentes, & volentes, terra ipsa deuoret.

Genes. 4. *num.* 17.
Luc. 12. *num.* 19.

Prosequi

Profequitur hoc argumentum *D.Hier.*
Ezech.7. ad illa verba *Ezech.7.Venit contractio fu-*
num.7. *per te qui habitas in terra*,vbi ait iuxta il-
Apoc.6. lud debemus accipere,*Va fuper omnes, qui*
num.13. *habitant in terra.* Sanctus enim non eft
habitator terræ, fed aduena, atque pe-
regrinus, dicitque, *Aduena ego fum, &*
Pfal.13. *peregrinus, ficut omnes Patres mei.* Qua-
num.13. mobrem & Abraham Hebræus, ideft, pe-
Gen.14. regrinus, trãfitorque memorator,de præ-
num.3. fenti fæculo ad futurum tranfire fefti-
nans. Sic ille oftendit,qualiter pater fidei
noftræ Abraham terram veluti peregri-
nus tranfiret, ne fi illi adhæreret deten-
tus ab eadem deuoraretur. Qua de re vi-
dendus *Chryfoftom.hom.* 48. *in Genef.* vbi
optimè expendit peregrinationem Abra-
Hebr.11. hæ ex Paulo dicente: *Expectabat enim ha-*
num.10. *beatem fundamenta ciuitatem, cuius opi-*
fex, & conditor eft Deus. Aduertit dein-
de ex *cap.23.Genef.*Abrahamum primam
poffeffionem in terra habuiffe fepul-
Gen.23. chrum Saræ, fic enim habet: *poftquam à*
num.6. *facrificio illo nouo, & admirabili rediit:*
Excepit eum Sara luctus. Cum autem pe-
tyffet à filys Seth poffeffionem fepulchri,
empto loco impofuit mortuum, hoc primum
principium poffeffionis fecit Patriarcha pro-
pter Sare mortem. Monftrans nobis Scri-
ptura diuina virtutem Patriarcha per om-
nia, & quod ficut peregrinus, & aduena
toto tempore egit,proprium fepulchrum non
poffedit,ficut nunc multi faciunt, agros, &
villas, infinitamque aliam fubftantiam
poffidere ftudentes: habebat enim fufficien-
tes diuitias mentis,& de aliis non erat an-
xius. Audiant qui repente,& in vno tem-
poris momento omnia corradunt, & vbique
(vt ita dicam) fua auaritia concupifcen-
tiam extendant: imitentur Patriarcham,
qui nullibi habuit locum,quo Sare collica-
ret reliquias, quare dic mihi cur tantopere
ftudes, vt colligas ea, qua non multo poft
hinc abripiendus, hic relinques, & ex eis
non folum nihil vtilitatis percipere valens:
fed & onus peccatorum in humeris propriis
feras, &c. Hæc *Chryfoft.* Cui fuffragatur
Gen.23. *D.Hier.epift.ad Gerunty filias de contem-*
num.9. *nenda hæreditate*, vbi inter alia fic ait:
Quid mirum & pauperculus, & peregri-
nus in terra aliena, *Sepulchrũ emit Abra-*
ham à filys Heth? O veritas! ô altitudo
fapientiæ,& fcientiæ Dei! Quid eft fepul-
chrum? Locus quietis, vbi iuxta mundi
rationem defunctorum corpora collo-
cantur. Vera ergo intelligentia, locum
fibi requietionis parat Abraham fide fua,
& contemptu pecuniæ comparauit: qui-

A bus in verbis alludit Doctor Max. ad pe-
regrinationem Abrahæ, etenim peregri-
nus, & aduena in terra, nullam in ea re-
quiem habuit, nifi in fepulchro, & tunc
folummodo requiem fibi, & dormitio-
nem propofuit, cum in Domino effet fe-
peliendus: neque enim vir prudens,& iu-
ftus, qualis proculdubio Abraham erat,
vllam in vita requiem nifi mortuus po-
teft inuenire, cum perpetuo motu agi-
tentur, & cicantur quæcunque in terra
funt, quod profequitur *D. Chryfoft. hom.*
B 35.*in Gen.* vbi affert illud Pauli *Præterit* *1.Cor.7.*
figura huius mundi: Monftrat,inquit ille, *num.31.*
quod omnia humana in figura tantum
funt, & ficut vmbra, & fomnium, nihil
folidum, nihil verum habentia. Quomo-
do igitur non fuerit mens puerilis vm-
bras tantum fpectans, & de fomniis fu-
perbiens, & alligata iis, quæ paulo poft
prætꝭribunt, præterit enim figura huius
mundi, itaque cum audieris quod præte-
rit;pofthac amplius quid quæris? Quan-
do audis figuram, folum funt humana
C omni veritate deftituta, quare volens ac
libens impofturam fers? Sic ille. Et ideo
Dauid,non fedem fibi pollicebatur in ter-
ra,fed ftantem, & paratum ad iter fe pro-
fitebatur dicens. *Mane aftabo tibi, & vi-*
debo. Vbi *D. Auguft.*ait. Aftabo quid eft, *Pfalm.5.*
nifi non iacebo? Quid eft autem aliud *num.4.*
iacere, nifi in terra quiefcere, quod eft in
terrenis voluptatibus beatitudinem quæ-
rere? *Aftabo*,inquit *& videbo.* Non eft er-
go inhærendũ terrenis, fi volumus Deum
videre,qui mundo corde confpicitur,imò
D maximè timendum eft iis, qui terrenis
inhærent, ne à terra deuorentur, quæ ha-
bitatores, & amatores fuis vifceribus fo-
let recondere, non quidem diligens eos,
fed volens potius, vt illi iuftè torquean-
tur in corde terræ, qui corda fua terræ
tradiderunt, diligendo, & adhærendo, &
qui corda habent cum auro in corde ter-
ræ, idque velut Deum adorant, & vene-
rantur, vnde nec contingere audent,apud
inferos à Dæmonibus torquentur igne.

In quam fententiam videndus *Chry-*
E *foft.hom.64. in Ioan.* Vbi inter alia fic ait:
Habent nonnulli pecunias, & his vti non
audent, fed intactas ad alios tranfmittũt,
& tanquam dona Deo dicata tangere mi-
nimè audent: quod fi quando coguntur,
tanquam ad nefas aliquod timide ve-
niunt, pro templo arcam præparantes, &
argenteis vafis recondentes;nónne ita au-
rum adoras vt idolum? Aliàs Dæmone
grauior eft pecuniarum cupiditas, qua

multi persuasi sunt magis quam illi ab idolis, quibus non omnia parent: huic vero omnia, & quodcunque faciendum suggerit, obsequuntur,& idolis boues sacrificant: auaritia autem offert mihi animam, inquit, & persuadet.

Iure igitur anima auro, argentouè omnino dedita,& deuota à terra deuoratur, nam sicut notauit *Bernard.* Aurum terra est rubra,alba autem argentum: sic enim ait *serm. 4. de aduentu.* Aurum, & argentum nónne terra est rubra: & alba, quam solus error hominum facit,aut magis reputat pretiosam? Similia habet *Chrysost.hom.2.de verbis Isaia.Vidi Dominum*,vbi ait:Aurum nihil aliud est, quam terra. Proinde anima,quæ se auro,argentoué congerendo, & congregando deuouit, ab iisdem ponderibus suis depressa ad inferiorem locum in æternum crucianda deuoratur.

Ne igitur nobis contingat id, quod contigit Ægyptiis, in quibus mundi huius amatores figurantur, quos deuorat terra terrenaque cupiditas,vel nobis proponendus erit Philosophus Crates Thebanus,spernens omnino terram, ne deuoraretur à terra, de quo *D. Hieron. lib. 2. cont. Iouin.tom.2.& epist.consol. ad Iulian. tom. 1.* ait *Crates Thebanus* non paruum auri pondus multarum possessionum pretium proiecit in mare, abite dicens, in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis: Tunc deinde *Hier.* vt Christianum quemque hominem ex eorum etiam numero, qui aliquos in virtute progressus fecisse videntur rubore suffundat, hæc verba subdit. *Philosophus popularis auræ vile mancipium totam simul sarcinam deposuit, & tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras?* Sic *Hieron.*

Sed non solus Crates nobis hoc in loco ptoponendus, neque multi alij Philosophi, qui diuitias contempserunt, sed tot Sanctorum virorum,virginum,ac mulierum millia, quæ cum Apostolis omnia prorsus relinquentes Dominum secutæ, à terrenis expeditæ, & quæ sursum sunt quærentes, ac quæ supra nos sunt sapientes,velocius è terrenis omnibus expeditæ ad cælum euolarunt. Illis verò qui inter aurum, argentum, pretiosas opes versantur, quales sunt Reges, ac Principes viri, quorum tamen gloria, & maiestas minime reprobanda est, dum rationis terminos non excedat: illud inculcandum est, quod dixit *D. Chrysost. hom. 58. ad populum*, his verbis:Non occidunt diuitiæ,sed esse diuitiarum seruum, & amatorem, proponendusque eis est Visigothorum Rex Recharedus, de quo quid scripserit *Gregor. Magn.* ad ipsummet Regem minimè omittendum est, inseruit enim ad commonefaciendos Reges, Imperatores, ac mundi Monarchas, ne se patiantur à terra rubra,aut alba, qualis plane est aurum,& argentum,per summam iniuriam, & impudentiam deuolui, & deuorari.

Sic ergo ait.*Greg. Dilectissimo filio meo Probino presbytero narrante, cognoui, qui cum vestra excellentia constitutionem quandam contra Iudæorum perfidiam dedisset, hi de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestræ mentis inflectere pecuniarum summam offerendo molliti sunt: quam excellentia vestra contempsit, & omnipotentis Dei placere iudicio requirens, auro innocentiam prætulit, qua in re mihi Dauid Regis factum ad memoriam venit:cui dum concupita aqua de cisterna Bethlemitica, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset allata, protinus dixit: Absit à me vt sanguinem istorum hominum bibam* 1. Paralip. 11. *Quam quia fudit, & bibere noluit, scriptum est: Libauit eam Domino. Si igitur ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit, itaque fili excellentissime fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti.* Hæc Greg. O si hunc Regem Reges imitarentur, si Principes Principem virum sibi proponerent,si Rectores, Magistratus, Iudices, & cuiuscumque superioris ordinis viri ob oculos sibi imitandum obiicerent Recharedum,vt vellent in causis Dei, viduarum, ac pupillorum, aurum, argentum, & pecuniam oblatam,fundendo potiùs,& confundendo pariter qui offerrent, Domino libare, quam sanguinem innocentum,& inopum deuorare, vt à terra in inferiorem eius partem cruciandi in æternum deuorentur.

1. Paral. 11. n.19.

TEXTVS.

TEXTVS.

Num. 13. *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti, & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Æc videtur secunda pars A huius Cantici præcipua, & quod ad sensum litteralem attinet, sicut superior pars, quam huc vsque exposuimus, est historica, & refert ea, quæ iam acciderant, ipséque Moyses oculatus testis viderat, sic & hæc secunda pars, quæ sequitur explicanda prophetica est, & refert ea, quæ quo tempore Moyses Canticum edidit nondum contigerant, sed in posterum contigere, beneficia scilicet quæ post maris transitum Deus contulit Israëlitico B populo, victorias de Philistæis, Idumæis, Moabitis, &c. Felicem denique ingressum in terram promissam, & possessionem illius, vt patet ex *lib. Iosuë, & lib. Regum.* Cum ergo hæc pars sit prophetica, seruat Moyses non historicum ordinem, sed propheticum modum, propter certitudinem enim futuri euentus, cum de rebus futuris loquatur, vtitur verbis præteriti temporis, *Portasti eum in fortitudine tua, &c.* quod nondum factum fuerat, maximè si C intelligatur de deductione ad Hierosolymitanum templum: Sic enim nobis potiùs placet, quam recurrere ad consuetudinem Hebraicæ linguæ, quæ in permutandis temporibus est liberalissima, & præterita pro futuris, ac è contrario sæpe sumit.

Hic igitur modus exponendi Prophetarum locutionem receptissimus est inter sanctos Patres, inter scholasticos Theologos, ac recentiores sacræ Scripturæ interpretes; etenim Vates omnia nouit; *quæ* D *sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahentur.* Sicut de suo Protheo dixit Poëta 4. *Georg.* & nos latiùs probauimus in *Conimbr. Academia in tractat. de prophetia.* Optimáque ad rei confirmationem sunt verba. *August. de serm. Domini in monte lib. 1. c. 24. tom. 4.* vbi ita habet. Prophetæ maximè solent futura prædicere, & figura A præteriti temporis ea, quæ ventura sunt, nec dum ceciderunt, affertque locum ex *Psal. 2.* complendum in coniuratione contra Christum Dominum ineunda tempore passionis, sicut dixit Petrus *Act. 4.* multis tamen ante sæculis per præteritũ temporis enuntiata. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Aliumque locum ex *Psalm. 21. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, quem locum ad tempus passionis refert *Ioan. Euang. c. 19.* ait autem *Aug.* Nec tamen Vates dixit, quare B frement gentes, & populi meditabuntur inania, cum ea non quasi iam transacta meminisset, sed futura prospiceret. Neque ab his verbis quis calumniatur, nisi qui non sentit varietatem istam figurarum in loquendo nihil veritati rerum minuere, & plurimum afferre affectibus animarum. In lib. autem 1. *de Genes. cont. Manich. c. 7. tom. 1.* probat hanc Prophetarum loquendi consuetudinem, non abhorrere à communi modo loquendi. In C consuetudine, inquit, sermonis nostri cum aliquid certissimè speramus futurum, dicimus iam factum puta, &c. Sed hac de re plura dicemus ad verba nostri text. *Portasti eum in fortitudine tua.*

Act. 4. num. 25. Psalm. 2. num. 1. Psal. 21. num. 19. Ioan. 19. num. 24.

Dux fuisti. Varabl. & Oleast. vertunt *duxisti.* LXX. *deduxisti*, Hebrææ autem dictionis significatio ad agendũ, & deducendum refertur, eo nempe modo, quo ducimus aliquod animal sine violentia. Vatablus pro *misericordia tua*, habet *duxisti in fortitudine tua.* Paraph. Chal- D dæa, *deduxisti in benitate tua.* LXX. *deduxisti iustitia tua populũ tuum hũc, quem redemisti*, & est sensus. Viam populo tuo præcedendo pandisti, non face magis, & columna ignis, quã tua misericordia, quæ illis pro face, & duce fuit: tua benignitate, consilio, prouidentia eduxisti populum, quem de terra Ægypti, Ægypriaque seruitute vendicares: *Dominus enim,*

Deut.32. inquit *Deut.32. solus dux eius fuit,& non* A
num.12. *erat cum eo Deus alienus.* Et videtur cla-
Exod.13. ra allusio ad illa verba *Exod. Dominus au-*
num.21. *tem præcedebat ad ostendendam viam per*
diem in columna nubis,& per noctem in co-
lumna ignis vt dux esset itineris.

Est autem vsitatum in sacris litteris vt
is, qui Remp. aliquam, gentémve guber-
nat, ante illam dicatur egredi,& ingredi,
sicut de pastore respectu ouium suarum
Ioan. 10. dixit Christus Seruator *Ioann.10. Ingre-*
dietur, inquit, & egredietur, & pascua in-
ueniet, & de seipso dixit idem Moyses, B
Deut.31. *Deuter.31. Non possum vltra egredi, & in-*
num.2. *gredi*, idest gubernatoris muneri satisfa-
1. Reg. cere, & de Dauid dicitur *1. Reg.18. Amo-*
18.n.13. *uit eum Saul à se, & fecit eum tribunum*
super mille viros, & egrediebatur,& intra-
bat in conspectu populi, idest, gubernabat,
& regebat mille viros illos:& de Salomo-
ne postulante sapientiam ad guberman-
dum populum sibi commissum, dicitur
3. Reg.3. *3. Reg.3. Nunc Domine Deus tu regnare*
num.7. *fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo:*
ego autem sum puer paruulus, & igno- C
rans egressum, & introitum meum, & ser-
uus tuus in medio est populi, quem elegi-
sti, populi infiniti, &c. Vbi per ignoran-
tiam ingressus, & egressus muneri regio
ineptum se fatetur, & regiminis ignarum
se dicit, & de Christo seruatore etiam
Actor.1. dixit Petrus *Act.1. In omni tempore, quo*
num.21. *intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ie-*
sus, quibus verbis significatur vniuersa
Christi Domini administratio, doctrina
& magisterium erga discipulos suos. Et
hue sine dubio mihi videtur facere illud D
Ps.120. *Psalm.120. Dominus custodiat introitum*
n.vlt. *tuum, & exitum tuum.* Videtur enim esse
quædam precatio pro crediti ministerij
& regiminis prospera administratione, &
sine querela regimine.

Cum ergo Moyses in præsenti ducem
illius populi prædicat Deum,qui eos præ-
cedebat, profectò asserere videtur ipsum
veluti Imperatorem fuisse illius populi,
vt intelligamus regimen, & administra-
tionem illius Reipublicæ primario pe-
nes Deum fuisse, qui ante eos egredieba- E
tur, & ingrediebatur, sicut de Regibus,&
Gubernatoribus dici consueuit in sacra
pagina.

Neque verò solùm in hac deducendi,
& dirigendi significatione Deus fuit Dux
populi sui, sed etiam in vera, & propria
significatione, qua communiter dicitur
dux exercitus. Pro qua re illud necessariò
aduertendum est Deum ex eo tempore,
quo populum eduxit ex Ægypto, Ducis,
& Imperatoris fortissimi personam susti-
nuisse:tum enim primum populum suum
vocare cœpit exercitum,vt patet, *Educam* Exod.7.
exercitum, & populum meum filios Israël num.4.
de terra Ægypti, quia ego sum Dominus,
qui extenderim manum meam, &c. Quæ
postrema verba magis indicant habitum
pugnantis, seu potius Imperatoris signum
præstandi militibus præbentis, sicut ab
eodem verbo dixit Deus ad *Iosuë: Leua* Iosuë 8.
clypeum, qui in manu tua est contra vrbem num.18.
Hai: cumque eleuasset clypeum, insidiæ,
quæ latebant surrexerunt, &c. Nam Im-
perator exercitus eleuata manu, clypeo,
aut vexillo elato (vt volunt Hebræi, &
Hebraizantes)& retinendo adhuc signum
eleuatum, signum dabat militibus aggre-
diendi, & congrediendi, vt planè colligi-
tur ex dicto *c. n.26. Iosuë non contraxit* Iosuë 8.
manum suam, quam in sublime porrexerat num.18.
tenens clypeum, donec interficerentur om-
nes habitatores Hai.

Hinc iam intelligetur cur Deus se pro-
mittens ducem & Imperatorem futurum
populo illi dixerit: *Redimam vos in bra-* Exod.6.
chio excelso, & extento, ab eadem radice. num.6.
Et cum dux illius populi esset, habitum
ducis assumit, quæ etiam fuit causa, cur
arcam, & tabernaculum fabricari iusse-
rit, illam in qua ipse sedere, & præsidere
videretur, at verò tabernaculum tan-
quam Imperatoris tentorium, quod in
medio exercitus collocari voluit pro mo-
re imperatorij tabernaculi, vt singuli il-
lius exercitus duces castra metarentur
per gyrum tabernaculi fœderis, sicut ha-
betur *Num.2.* Hinc etiam velut dux præ- Num.2.
cedebat milites, quandoquidem *arca Do-* num.3.
mini antecedebat exercitum. Ideóque di- Iosuë 3.
citur:*Ecce arca fœderis Domini omnis ter-* num.11.
ræ antecedet vos.

Et sicut dux belli initio cum de oppu-
gnanda vrbe Hiericho deliberatio fieret,
Deus ipse se videndum præbuit veluti Du-
cem, & Imperatorem euaginatum tenen-
tem gladium, suúmque aduentum, & au-
xilium promittentem *Iosuë c.5.* Hostem Iosuë 5.
deinde intra mœnia cohibet, ne vel con- num.15.
spectu quenquam terreat, denique ipse
vrbem expugnat. Deinde ad Hai tale suis Iosuë 8.
stratagema commonstrat,vt non nisi cum
aduersus hostibus pugnam conserere de-
beant. *Iosuë 8.* postmodum vbi iam Ha-
iensi victoria confirmatus, cum pluribus
simul Regibus committendus esset exer-
citus,primum ipse admirabili terrore ho-
stium animos consternat, ipsósq; in fugam
conuertit,

Iosuë 10. conuertit, *Iosuë* 10. Deinde cælesti grandine veluti cœlestis telis profligat, occiditque, ita vt plures à Domino duce, & bellatore fuerint occisi, quam a militibus *Iosuë* 10. Israëliticis; sic enim habet sacer text. *Do-* *num.* 11. *minus misit super eos lapides magnos de cælo, vsque ad Aseca, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israël.*

Postremò cum iam illud victoriosissimum bellum est confectum, non prius se hostes mouere patitur, quam sui salui, & incolumes ad statiua, multa cum præda, B & amplissimis spoliis reuersi, vires animósque denuò recepti probè se in postea *Iosuë* 11. rum recreauerint, ac refecerint *Iosuë* 11. Quanquam verò superata illa victoria satis tam per se animari esse, ac merito turpis ignauiæ, timiditatisque damnandi videri possent, si post hanc sibi à Chananæis timeant cum probatissimo experimento, repetitóque totius exemplo didicissent ducem se habere Deum, quo præeunte, nihil sibi fore timendum certo certiùs existimare deberent, tamen vt Israëlitæ C in expeditionem educantur spem certissimam victoriæ inijcit, & quo minus dubitent quid victis hostibus fieri velit, præscribit tanquam constituta iam, & parta victoria.

En tibi huius ducis habitus, munus, & officium, illius tamen ducis, qui non solum in prælio, sed in misericordia dux erat, proinde talem, támque peculiarem sui exercitus curam gerebat. Vnde etiam patet solutio illius difficultatis, quæ ex dictis videtur consurgere, etenim si Deus D illius gentis dux erat in fortitudine sua, & quasi vir pugnatoris, cuius nomen omnipotens est, cur sensim, gradatim lentóque gradu bellum cum habitatoribus promissæ terræ fieri voluit? Cur confectum statim noluit, & omnes ad solum Israëlitarum conspectum exterminare renuit, sóloque nutu funditus extirpare non constituit, & trans mare, trans Libanum, trans Iordanem, trans solitudinem denique metu perculsos, attonitósque à propriis sedibus, quocumque vellet abigere, E & suum populum in possessionem vacuam mittere, hoc enim videbatur spectare ad talem, tantúmque ducem?

Hoc sanè ad omnipotentem Ducem solummodo fortassis dixerim pertinere, non ad ducem misericordem, cui potius congruere videbatur, imò expedire suam illam Rempubl. firmiter constituere, cuius omnis salus, gubernatio, & perduratio in cognitione Dei, & perpetuam aduersus illum obseruantia atque obsequio posita erat. Probè enim nouerat Israëlitas nullis vnquam miraculis ad considerandam Dei potentiam, & supra barbarorum deos præstantiam satis excitari, vt eius beneficiorum quantumuis præstantissimorum memoriam gratis animis perpetuò, vt par, decens, debitúmque erat, vsurparent, recolerent, & conseruarent. Tantò enim superstitionum profanæ gentis, támque insano, & veluti puerili amore cæci tenebantur, vt etiam si interdum prodigio insigni, quale planè fuit maris rubri diuisio in ipsorum salutem, iteratáque adunatio in Ægyptiorum interitum, veluti expergefacti in cœlum mentis oculos, vocésque cum Moyse carmina huius Cãtici decantantes paulisper attollerent: mox quasi veternosi in profundam illius obliuionem relaberentur; nihilque hac in re opus est exemplis, cum vbique in sacris litteris sint obuia.

Is proinde qui dux erat in misericordia diuturnis bellis veluti perpetuis miraculis erudire voluit populum suum, & condocefacere, ac perpetuo exercere ad timendum, amandum, ac colendum Deum stabiliori, firmiorique ratione, sic enim pietas, sanctitásque longiori temporis spatio in illius gentis animis inueterascere, & tanquam in venis, medullisque inseri, & insidere melius posset. Deinde etiam ex huiusmodi moris, impedimentísque, quo magis ardua videretur possessionis terræ sanctæ occupatio, eo illustriot ad omnem posteritatem transmitteretur memoria curæ, & studij, ac amoris Dei ducis, quo is suam Ecclesiam condidit. Præterea inde discerent huius exercitus, milites, & istius Reipublicæ ciues durare in rebus aduersis, neque continuo animum despondere, si qua sibi posita ad salutem obstacula cernerent, quinimò existimare nihil esse tam difficile, quod non possit Deo duce perrumpi. Denique ista belli huius conficiendi procrastinatio luculentissimum nobis immensæ Dei misericordiæ testimonium subministrat, quam ipse in ducatu huius populi maximè ostentare voluit, ideò enim in ea dux asseritur, & decantatur, quod latè probat *Salomon in cap.* 12. sapientiæ statim à principio.

Quod si vis videre instructas acies, & quatuor in ordinem disposita agmina, in quæ totus exercitus veluti diuidebatur:

 memi

memineris Moyſem vocatis ad ſe de man-
dato Domini, Aarone, & duodecim Prin-
cipibus tribuum Iſraël, quorum nomina
recenſentur *Num.* 1. cœpiſſe cum eis no-
minatim recenſere aptos ad pugnam à
Num. 1. viginti annis, & ſupra, quando *inuenta*
num. 5. *ſunt ſexcenta millia, quingenta, quinqua-*
ginta præter Leuitas, poſtea verò diſtin-
xiſſe duodecim tribus in quatuor caſtra
habentia ſingula tres tribus ſub vnico in-
ſigniori vexillo, primum appellaſſe caſtra
Iudæ, ſecũdum Ruben, tertium Ephraim,
quartum Dan. Sub primo igitur vexillo
cum tribu Iuda erant tribus Iſſachar, &
Zabulon, ſub ſecundo cum Ruben erant
Simeon & Gaad. Sub tertio cum Ephraim
erant, & Manaſſes, & Beniamin. Denique
ſub quarto erant Aſſer, & Nephtalim; ec-
ce tibi propoſitus exercitus, imò & di-
ſpoſitus, neque deſunt argenteæ tubæ ad
conuocandos milites, & in aciem euo-
candos.

Licet autem Deus populo ſuo dederit
duces, & principes, non ſupremi quidem
erant, ſed ſub primo, ac præcipuo duce
tanquam ſub ſupremo Gubernatore, vn-
de & prælia iſtius populi prælia Domini
1. *Reg.* dicebantur, vt patet 1. *Reg.* 25. Vnde cum
25. *n.* 28. Holophernes Princeps militiæ Aſſyrio-
rum ſciſcitaretur à Principibus Moab, &
ducibus Amon de Iſraëlitarum gente di-
Iud. 5. cens: *Dicite mihi qui ſit populus iſte, qui*
num. 3. *montana obſidet: aut quæ, & quales, &*
quantæ ſint ciuitates eorum: quæ etiam ſit
virtus eorum, aut quæ ſit multitudo eo-
rum, vel quis Rex militiæ eorum, & quare
præ omnibus qui habitant in Oriente iſti
contempſerunt nos, & non exierunt in ob-
uiam nobis, vt ſuſciperent nos cum pace?
Reſpondit illi Achior dux omnium filio-
rum Amon, adducens omnia, quæ in fa-
uorem, & libertatem illius populi Deus
ediderat miracula, tandemque ait: *Vbicun-*
que ingreſſi ſunt ſine arcu, & ſagitta, &
abſque ſcuto, & gladio, Deus eorum pugna-
uit pro eis, & vicit.

Et quia plerumque contingit vt mili-
tes ſine duce manibus hoſtium occunbãt,
ſi quando cum illis congredi auſi fue-
rint; quia ſemel filij Iſraël abſque arca,
vbi reſidebat Deus, & contra eius impe-
rium, & voluntatem Moyſis prælium ag-
greſſi ſunt, arca autem Teſtamenti Do-
mini, & Moyſes non receſſerunt à caſtris
cum Iſraëlitæ ad pugnam recederent, vt
Num. 15. conſtat ex *lib. Num.* 15. *Deſcendit Amale-*
num. 44. *cites, & Chananæus qui habitabat in mon-*
te, & percutiens eos atque concidens, perſe-
A *cutus eſt eos vſque Horma.* Ecce quid fa-
ctum ſit de populo contra imperium du-
cis ſui, & ſine duce congrediente: imò
& quoniam præceperat eis Dominus *eo-*
dem c. vt poſtridie mouerent inde caſtra,
ipſi verò tanta clade accepta manſerunt
in Cades Barne multo tempore, vt habe-
tur, *Deut. c.* 1. *in fine*, ideſt multis diebus, *Deut.* 1.
nec eos hac de re ſacra Scriptura repre- *in fine.*
hendit, cogimur ſuſpicari, illos non vo-
luntariè, ſed neceſſitate cogente (ſcili-
cet vt plurimi in illo prælio grauiter ſau-
B ciati curari poſſent) ibidem permanſiſſe;
coniectarique noſtrum eſt milites ſine du-
ce, veluti oues ſine paſtore, huc, illúc-
que diſcurrentes multipliciter fuiſſe per-
ſecutos, & percuſſos ab Amalecitis, &
Chananæis. Denique quandiu populus il-
le requiem non habuit ab omnibus inimi-
cis ſuis, noluit Deus vrbanam aliquam
domum, vt ſtatim dicemus, ſed in tento-
rio ambulabat ad modum ducis in exerci-
tu degentis contentus ruſtico, & militari
tabernaculo, quaſi eiuſdem ſortis cum ſuo
C populo particeps, & ideò in hoc ſa-
cer Auctor meminit habitaculi ad diſtin-
ctionem tabernaculi, quando miſeri-
cors dux ſub diu degebat, propriámque,
& vrbanam domum non habebat, vn-
de dicebat. *Neque enim habitaui in do-* 2. *Reg.* 7.
mo ex die illa, qua eduxi filios Iſraël de ter- *n.* 6. & 7.
ra Ægypti vſque in diem hanc, ſed ambu- 1. *Reg.* 11.
labam in tabernaculo, & in tentorio per *num.* 11.
cuncta loca, quæ tranſiui cum omnibus
filijs Iſraël, quod penè agnouit Vrias cum
omnem domeſticarum, & vrbanarum de-
D litiarum voluptatem abiiciens dicebat.
Arca Dei Iſraël, & Iuda habitat in papi-
lionibus, & ego ingrediar domum meam, vt
comedam, & bibam, & dormiam? Ipſe
etiam Dominus dixit ad Dauid. *Cum com-* 1. *Paral.*
pleti fuerint dies tui ſuſcitabo ſemen tuum, 22. *n.* 10.
& confirmabo regnum eius, ipſe ædificabit 2. *Reg.* 7.
domum nomini meo. 2. Reg. 7. & 1 Paral. *num.* 12.
c. 22. & Dauid dixit *Elegit Dominus Sion,* *Pſ.* 133.
elegit eam in habitationem ſibi: hæc requies *num.* 13.
mea, &c. *Ioſuë* 9.

Quod ſi nobis obiicias ante ædifica- *num.* 23.
E tum templum Hieroſolymis, fieri men- *Iudic.* 18.
tionem domus Dei, vt patet *Ioſuë* 9. & *num.* 13.
Iudic. 18. & 20. & 1. *Reg.* 1. & 3. aliiſque & 19.
perpaucis locis. Dicimus tunc tempo- *n.* 18. &
ris minus propriè dici tabernaculum, *cap.* 20.
aut ſanctuarium domum Dei, cùm ipſe *num.* 26.
Deus, vt vidimus ex 2. *Reg.* 7. dicat non & 1. *Reg.*
habuiſſe domum, domus enim propriè 1. *n.* 24.
ædificatur erectis parietibus, ac funda- & *cap.* 3.
mentis, & ſuperpoſito tecto: at taberna- *num.* 15.
culum

cultum asportabatur, quod dixit *Theodoret. quæst.60. in Exod.* his verbis. Sicut accepta terra promissionis templum ædificari sibi iussit, ita peregrinantibus illis, ac desertum transeuntibus tabernaculum ædificari sibi præcepit, quod aliò facilè transferri posset.

In eo igitur suam magnam misericordiam testificatus est Deus, quod ducatum præstiterit Israëlitis, nam quia illi quam viam ingredi deberent prorsus ignorabant, & quia cum multis gentibus congressuri erant, ducem viæ, & ducem prælij sese præbuit, quod totum misericordem Deum redolet. Etenim vt ducem viæ se exhiberet, consulto duxit eos per viam

Exod. 13. *num.* 17.

deserti, vt scribitur *Exod.* 13. Vbi sicut notauit *Genebrardus in Psal.* 104. Nulla viarum extant vestigia ob arenas leui ventorum flatu mobiles, eaque de causa coguntur viatores, vt nautæ in mari, instrumentis quibusdam illic vti ad indicandas mundi plagas, & dirigendam viam. Magnæ igitur misericordiæ fuit, præeunte nube itineris demonstratrice, fieri Deum populum antesignanum, & viæ ducem, id quod manifestius adhuc illucescet si consideremus alios eiusdem nubis vsus tum contra feras, & hostes, tum contra solis exitium, qui desertas illas Sarracenorum, & Arabiæ solitudines, per quas Hebræi progressi sunt, vehementi solet ardore torrere. Hebræos autem non attingebat æstus, iuxta illud ad hoc beneficium respicientis:

Ps. 120. *num.* 6. *Sap.* 10. *num.* 17.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. Et clarius: *Deduxit illos in via mirabili, fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.* Mirabilis namque fuit deserti via, quia non peruia, nec sine multis miraculis, & diuinæ prouidentiæ magnis muneribus per annos quadraginta, & ideo cum exprobratione hanc viam describit Deus apud

Hierem. 2. *num.* 6.

Hierem. cap. 2. his verbis. *Et non dixerunt, vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo?* Ibi scilicet deerat, qui ostendere viam posset, ibi nec ad potum, nec ad cibum quicquam reperiebatur, ibi pericula multa ob difficultatem regionis asperæ præcipitisque, & propter feras, ac bestias. Legantur aliquot *de primis capitulis Deut.* vbi in *cap.* 8 sic habetur:

Exod. 8. *num.* 2.

Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrum custodires mandata illius, an non. Similiáque sunt quæ habentur

Exod. 16. *num.* 14.

Exod. 16. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Domini, vestimentum tuum, quo operiebaris nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te.*

Nugantur hoc in loco Hebræi, sicut solent, dicentes in via ouem ex improuiso apparuisse, locutámque demonstrasse viam conficiendam ab Israëlitis, idque significari verbis illis;

Psal. 79. *num.* 2.

Qui deducis velut ouem Ioseph. At verba illa profectò solam indicant pastoralem Dei curam, quam etiam proposuerat Dauid quando dixit;

Psal. 76. *num.* 21. *Psal.* 77. *num.* 19.

Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi, & Aaron. Item vbi dixit, quod *abstulit Deus sicut oues populum suum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto.* Mitto libenter fabulam aliam de onagro, qui sitienti populo prædux ad aquas fuerit. Vt idcirco postea cultus ab Hebræis asinus sit, quæ omnia refellunt Sancti Patres in apologiis contra Iudæos, & Iosephus contra Apionem.

Neque verò quis, ni fallor, ab scopo aberrauerit, si hoc in loco aduertat præpositionem illam, in, *dux fuisti in misericordia,* accipi loco illius alterius præpositionis, propter, vt sit sensus propter misericordiam tuam dux fuisti, ac imperator populi huius, qui iure dicitur tuus, quandoquidem emptus, & redemptus à te est, nam iuxta idioma Hebræum sæpe in hoc sensu sumitur dicta præpositio, vt,

Ephes. 4. *num.* 32. *Suprà num.* 2. *Rom.* 16. *num.* 2. *Colos.* 1. *num.* 16. & 17. 1. *Corint.* 15. *n* 48. 2. *Cor.* 7. *num.* 6. *Matt.* 11. *num.* 6.

Donantes inuicem sicut, & Deus in Christo donauit vobis, idest, propter Christum, & in eodem cap. prius dixerat. *Ego vinctus in Domino,* hoc est, propter Dominum. Et, *Commendo vobis Phœben sororem nostram, vt eam suscipiatis in Domino dignè Sanctis: Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt,* idest, propter ipsum. *Colos.* 1. *In hoc laboramus, & maledicimur,* idest, propter hoc, *quia speramus in Deum viuum, scientes quod labor noster non est inanis in Domino,* 1. *Corinth.* 15. *Non solum in aduentu Titi,* 2. *Corinth.* 7. idest, propter aduentum Titi, *Sed etiam in consolatione.* Et *Matth.* 11. *Beatus, qui non*

non fuerit scandalizatus in me, idest, pro-
Matt.26. pter me. Et *Matth.26. Omnes vos scanda-*
num. 31. *lum patiemini in me.* Imò, & Petrus ibi-
& n. 33. dem, *Etiam si omnes scandalizati fue-*
rint in te, vbi aperte constat, in, valere
idem atque propter. Cum ergo vsitatus
sit hic modus loquendi in sacra Scriptu-
ra, non mirum, si præsenti loco dicamus
conuenire, maxime cum optimum sen-
sum reddat, & rationem exponat cur de-
duxerit saluum, populum suum, nempe
in misericordia, idest, *propter misericordiam*
suam.

Illud deinde hoc in loco difficile pos-
set iudicari, scilicet, quomodo verum sit
Deum portasse ad habitaculum sanctum
suum, scilicet vsque Hierusalem, aut
vsque ad templum eundem illum popu-
lum, quem redemerat ex Ægypto, cum
ex tota illa multitudine, quę egressa est cũ
Moyse solus Iosue, & Caleb ingressi fue-
rint terram promissam, iuxta illud quod
Num.14. Deus prædixerat, *In solitudine hac iace-*
num. 29. *bunt cadauera vestra, omnes qui numera-*
ti estis à viginti annis, & supra, & mur-
murastis contra me: non intrabitis terram
super quam leuaui manum meam, vt ha-
bitare vos facerem, præter Caleb filium Ie-
phone, & Iosue filium Num, paruulos autem
vestros de quibus dixistis, quod præda hosti-
bus forent, introducam vt videant ter-
Iosuë 5. *ram, quæ vobis displicuit:* quibus coniun-
num.5. genda sunt ea, quæ habentur vbi dicitur:
Populus, qui natus est in deserto per qua-
draginta annos itineris latissimæ solitudinis
incircumcisus fuit: donec consumerentur, qui
non audierant vocem Domini, & quibus
ante iurauerat vt non ostenderet eis terram
fluentem lacte & melle, vbi Hebraicè ad
verbum sic habetur. *Donec consumeretur*
omnis gens virorum militarium, qui excesse-
rant ex Ægypto, eo quod non obtemperas-
sent voci Domini, quibus iurauerat Domi-
nus se non ostensurum ipsis eam terram,
quam iureiurando promiserat Dominus pa-
tribus illorum.

Ex quibus apparet ratio dubitãdi, quo-
modo portauerit Deus ad habitaculum
suum populum illum quem redemerat, si
eundem penè occidit in deserto? Huic
obiectioni, sicut & aliis in Scriptura sacra
respondendum est ex illa regula *Chrysost.*
homil.8. in Matth. tom.2. vbi ait. Autumo
hanc esse Prophetiæ morem, vt multa
sæpe in aliis dicantur quidem, sed in aliis
impleantur. Vt illud, quod de Simeone, &
Gen.49. Leui dicitur. *Diuidam eos in Iacob, & di-*
num.7. *spergam eos in Israël*, hoc enim non ipsis,

A sed in eis etiam factum est, qui de illo-
rum stirpe processerunt. Et quod in Cham, Genes. 9.
vel potius Chanaan dictum est à Noe, in num. 25.
Gabaonitis posteris eius impletur. Sequu-
tus hac regulam *Euthymius in c.2. Matth.*
explicat exemplum illud de Simeone, &
Leui: Nam Leui hæreditatem propriam
non accepit, sed in omnibus tribubus pau-
cas vrbes ad habitandum, & de Simeone
dicitur *Iosue 19.* quod proprium funicu- Iosue 19.
lum non est consequutus, sed de Tribu num.9.
Iuda partem aliquam accepit, sic enim
B habet sacer text. *Hæc est hæreditas filiorum*
Simeon iuxta cognationes suas in possessio-
ne, & funiculo filiorum Iuda. Affert dictus
Auctor in huius rei confirmationem il-
lud, quod dictum est à Iacob. *Esto Domi-*
nus fratrum tuorum, Genes.27. Et adorent Gen. 27.
te filij patris tui, quod non est impletum in num.2.
Iacob, cum ipse potius timuerit Esau, vt
constat ex *Genes.32.* Et, quod magis est Gen. 32.
genua coram ipso flectens adorauerit, vt num. 11.
patet ex *Genes. 33.* sed in posteris eius Gen. 33.
comprobatum, & impletum fuit, sicut te- num.3.
C statur *D. Hieron. in quæst. Hebr. in Genes.*
tom. 3. quando Idumæi seruierunt Iudæis,
sicut constat *2. Reg.8.* Et subdit *Euthy-* 2.Reg. 8.
mius, sic esse dicendum de illo loco Euan- num. 14.
gel. *Matth.2. & Osea 11. Ex Ægypto vo-* Matth.2.
caui filium meum, quod dictum est de re- num. 15.
uocatione Iudæorum ex Ægypto, & de Osea 11.
Christo Domino, qui natura Filius erat num. 1.
Patris æterni, & Virginis ducentis origi-
nem à Iudæis.

Sic similiter iuxta hanc normam nota-
uit *Origen. homil.4. in Ezech.* à medio, ver-
D ba illa, *Genes.49. Beniamin lupus rapax* Gen. 49.
mane comedet prædam, & vespere diuidet num. 27.
spolia. Beniamin nunquam fuisse lupum,
rapacem, nec ad vesperam dedisse escam,
sed eum, qui natus est tribu Beniamin,
Paulum scilicet Apostolum *Act. 22.* &
alias. Sic repromisit Deus dare Abrahæ
terram Chanaan in possessionem, & semi-
ni eius post ipsum, cum non haberet fi-
lium, sicut dicitur *Gen.15.* Et tamen sicut Gen. 15.
testatur Stephanus *Act. in cap.7. Abra-* num. 18.
ham nec passum pedis possedit in ea terra. Act.7.
E Similes etiam sunt promissiones in no- num.5.
uo Testamento, qualis est illa de Spiritu
sancto, quod maneret cum Apostolis in
æternum, *Ioan. 14.* Quod non in eis, sed Ioan. 14.
in successoribus impletur. Sic etiam, & num. 16.
D. Chrysost. homil.78. in Matth. explicans
illud, *Matth.24. Non præteribit generatio* Matt.24.
hæc donec omnia fiant, ait Quomodo, hæc num. 34.
generatio, dictum est? Non de viuentibus
tunc, sed de fidelibus dixit, vt solet loqui
Scriptura,

Scriptura, sicut quando dicitur: *Hæc est generatio quærentium Dominum.* Et *Generatio rectorum benedicetur.* Et de malis generationibus, ait Dominus, *Venient hæc omnia super generationem istam, &c.*

Psal. 23. num. 6. Psal. 111. num. 2. Mat. 23. num. 36.

Similiter etiam & D. *August. lib. 23. contra Faust. cap. 50. tom. 9.* agens de Iuda Patriarcha, qui concubuit cum nuru sua, & post hanc turpitudinem, benedictus, & super omnes fratres laudatus est, sic ait. Vt inde appareat non ad ipsum pertinere illam Prophetiam, sed ad Christum, qui eius tribu prænuntiabatur venturus. Et ideo non tacitum ab Scriptura est illud peccatum, vt in laudatione patris non ipse intelligeretur, sed Christus. Sic ferè *August.*

Ex quibus omnibus liquido constat, quomodo verba Scripturæ ad aliquos aliquando dicta non in ipsis impleantur, sed in eorum successoribus, vnde patet solutio ad propositam obiectionem, licet enim Propheta Moyses videatur loqui de illis, quos Deus eduxit, & redemit ex Ægypto, quibúsque mare aperuit, tamen portare eos ad habitaculū sanctum Dei, & introducere in promissam terram, non contigit, nisi posteris eorum, de quibus loquitur noster text. iuxta vsitatum Scripturæ morem.

Neque hanc solum affert difficultatem præsens hic locus, sed illam celebrem attingit, quæ petit vtrum Deus immediatè deduxerit populum Israeliticum, an verò Angelus præferendo columnam viæ indicem, & præmonstratricem, neque enim columna mota est à causis naturalibus, sicut rectè probat *Pererius Exod. 13. d. 3. & 32.* Nam hic locus apertissimè videtur ostendere Deum immediatè per se viam populo præmonstrasse. Similisque est ille: *Ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili.* Et, *Deus cum egredereris in conspectu populi tui.* Et Exod. 14. cum videatur facere text. loqui de Angelo statim se explicat, vt assolet, & ostendit quisnam sit Angelus, sic enim habet; *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël,* deinde ad maiorem explicationem addit: *Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis, & ignis interfecit exercitum eorum, &c.* Vbi appellat Dominum, quem superius vocauerat Angelum, illum scilicet quem *Isaias cap. 5.* vocat *Magni consilij Angelum.* Et *Malach. 3. Angelum Testamenti.* Estque hæc interpretatio *August. qu. 3. in Exod. & lib.*

Deut. 8. num. 15. Psal. 64. num. 8. Exod. 14. num. 19. Suprà, num. 24. Malac. 3. num. 1.

2. de Trinit. cap. 12. vt omittamus *Theod. qu. 5. in Exod. & alios.* Et probatur insuper, quia post fabricationem, & adorationem vituli, dixit Dominus Moysi. *Mittam præcursorem tui Angelum, vt eyciam Chananæum, & intres in terram fluentem lac, & mel, non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es.* Ipse verò populus luxit, vtpote dolenter ferens, & ægrè sustinens illam vicissitudinem rerum, & transmutationem ducum, seque ipsum qui prius à Deo præeunte dirigi solitus erat, non iam à Deo fore ducendum, sed ab Angelo, Moyses verò nequaquam accepit conditionem, sed multis restitit. Si ergo antea Deus populum non per se immediatè, sed tantum per Angelum sui partes agentem ductabat, quid nunc noui faceret, aut qui se iratum ostenderet dum eidem populo Angelum ductorem offerret, & populus, qui antea ductore lætus, & Moyses qui totius rei benè conscius fuisse Angelum non ignorabat, eoque ductore abundè contentus erat, cur nunc eodem perseuerante, nec denuo aliquid Deo disponente, lugeret vnus, tergiuersaretur alter? Hæc sunt, quæ probabilem faciunt eam sententiam, quæ asserit Deum immediatè deduxisse per se ipsum populum Israeliticum.

Exod. 33. num. 2.

Verùm, quod viæ dux, & columnæ ductor fuerit Angelus, ostenditur ex citato loco. *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Videndusque erit hac de re *Pererius cap. 3. Exod. d. 6.* atque etiam in *c. 32. Genes. d. 1.* & iam communiter pro certa habetur opinio *Dionys. Areopag. c. 4. de cœlesti Hierarch.* Quæ asserit, ex omnibus veteris Testamenti apparitionibus, quæ Deo tribuuntur, nullam fuisse factam immediatè à Deo, aut ab aliqua Diuina persona, sed omnes ab Angelo aliquo personam Dei gerente.

Exod. 14. num. 19.

Quod si sacræ literæ Deo tribuere videntur ducatum, ac gubernationem illius populi in via conficienda, id profectò est, quia Angelus Legatus Dei, & personam illius sustinens viam præmonstrabat, sicut Moyses vocatur Deus Pharaonis, quando illi dixit Deus: *Constitui te Deum Pharaonis,* quia ex parte, & nomine Dei agebat negotia populi cum Pharaone. Sic dixit Propheta; *Ego dixi Dij estis,* illi dicuntur *Dij ad quos sermo Dei factus est,* vt exponit Christus Dominus, eaque de causa Prophetæ postquam Dei verba, quæ ad ipsos facta fuerant populo euulgabant,

Exod. 7. num. 1. Psal. 81. num. 6. Ioan. 10. num. 35.

audacter, verèque subijciebant: hæc dicit Dominus. Si demum quod per amicos facimus, & multo magis quod facimus per famulos nostra iussa impletes, per nos ipsos facere censemur, quid si Angelus à Deo legatur, & Dei personam sustinens, dum ea legatione fungitur, vel à se, vel à Scriptura sacra, vocetur Deus, & quod ipse tunc facit, Deus dicatur efficere?

Figuratè igitur tunc Scriptura loquitur, cum appellat Deum, attamen, vt more suo se explicet, sæpe etiam appellat Angelum, & tunc proprie loquitur, quod B enim Angeli appellatione non debeat ibi tunc accipi secunda Trinitatis persona, ex eo etiam constat, quia hæc persona Filij Dei si quando Angelus dicitur ab *Isaia*. & *Malachia*, non nudè, & absolute sic nuncupatur, sed cum addito honorificentissimo, nempe *magni consilij Angelus*, vel *Testamenti Angelus*. *August*. vero citatus sub dubio, & sub opinione loquitur, vt legenti facilè constabit; & si pro alia sententia esset, propterea nos non dicimus eam omni prorsus probabilitate destitui C *Theod*. & alijs opponimus magnum *Dionys*. loco citato & alios Patres.

Exemplum ergo pro hac re sit accommodatum in *Ioanne Baptista*, qui *Matth*. 11. ab ipsomet Christo dicitur Elias, à se autem negatur esse, interrogatus enim:
Mat. 11. *Elias es tu? Dixit, non sum*, igitur non erat
num. 14. Elias personaliter, siue proprie, erat au-
Ioan. 1. tem Elias figuratè, idest, quoad officium,
num. 21. iuxta illud Angeli: *Ipse præcedet ante il-*
Luc 1. *lum in spiritu, & virtute Eliæ*. Similiter
num. 17. igitur vnus, & idem Angelus personaliter D est Angelus, & repræsentatiuè Deus, eaque repræsentatio satis est, vt absolutè, & sine addito dicatur Deus, quemadmodum satis fuit, vt Ioannes à Christo diceretur Elias.

Et per hæc patet solutio ad probationem, insuperque addimus quod Angelus Dei personam agens multis etiam, eximiisque beneficijs eidem populo collatis amicam Dei voluntatem erga illum testabatur, & ideò dicebatur Deus esse cum illo populo: sicut Abimelech Rex Geraræ, & Phicol dux militum, dicebant E
Gen. 26. Deum esse cum Isaac, idque se vidisse;
num. 28. *Vidimus tecum esse Dominum*, quia scilicet viderant puteales aquas Isacho Deum fuisse largitum, & id genus alia beneficia præstitisse.

Post adoratum autem vitulum, quia statuerat Deus non esse cum populo tam propitius, beneficusque vt prius, neque ita familiariter etiam per Angelum, neque ita manifeste, ac indulgenter, vt antea cum populo agere, idcirco dixit Deus deinceps non esse futurum cum populo, nec cum eo ascensurum, sed solum Angelum vix iam partes Dei agentem, certe quidem beneficentia tam dissimili à priori, vt non iam Deus, neque Angelus loco Dei ductare populum censeretur, sed nudus, ac solus Angelus à Deo quidem datus, sed Dei (saltem amici) partes non agens. Etenim sicut benè dixit Philosophus 1. *Poster*. 10. Si affirmatio est causa affirmationis, & negatio etiam erit causa negationis. Ita ferè *Hugo Cardinalis super Exod*. 33 ad illa verba *Num*. 3. *Non enim ascendam tecum*. Et *Lyran. ibidem*. deduciturque responsio ex *August. quæst*. 150. *in Exod*. sic ad ea verba scribente Deus cum iustis est visitando, miserendo, & consolando. Cum impijs vero vlciscendo, & puniendo: & tunc sensus talis est. Cum his non possum esse propter te, ô Moyses, vt vindicem, & puniam, nec propter eos, vt visitem, & consortem, mittam proinde saltem Angelum meum. Exod. 33. num. 3.

Misericordia autem hoc in loco potest deduci ad diuinam protectionem, qua custodiuit, & defendit Israëlem puerum suum, quo sensu intelligent *Chrysostom*. *Olymp. & Polyeron* illud: *Vitam & miseri-* Iob 10.
cordiam tribuisti mihi. Considerant nam- num. 12.
que misericordiam in custodiendo infante incluso inter angustias alui maternæ; quod videtur etiam obseruasse Dauid
cum dicit: *Suscepisti me de vtero matris* Psal. 38.
meæ, hoc est, liberasti quasi ex ingenti num. 13.
discrimine.

Cæterùm misericordia hic, sicut & alibi sæpe, est beneficentia vbertior, & beneuolentior beneficiorum collatio, vt patet
ex *Genes*. 21. vbi dicitur: *Iuxta misericor-* Gen. 21.
diam, quam feci tibi, facies mihi, & ita, *dux* num. 23.
fuisti in misericordia: significat, summa aduersus cum indulgentia vsus fuisti, cum illum induceres, ac deduceres, & hic videtur etiam sensus germanus prædictæ sententiæ Iob, *Vitam & misericordiam tribuisti mihi*, hoc est, non solum homini vitam dedisti, sed ingentibus beneficijs locupletasti, cumulasti bonis omnibus, quæ ad victum, honorem, & rem vitæ necessariam pertinebāt, postquam enim creauit Deus hominem extra paradisum, tulit eum, & posuit in paradiso, & adduxit ad eum cætera animalia, dedit adiutorium simile sibi, Regem, & Principem vniuersis alijs creaturis præposuit, fructuum dulcissimorum,

morum, atque vbertimorum copiam ingentem concessit illi in cibum, vna tantum excepta arbore, quibus omnibus concessa vita, misericordiam illi tribuit. Eodem igitur modo magna fuit misericordia Dei in educendo, ac deducendo populo suo, quia multa edidit miracula, magna contulit diuinæ prouidentiæ munera, per nubem protectionem, ac defensionem aduersus calorem Solis fecit, aërem omnem castris circumfusum temperando, columna nubis noctu arcendo, & feras, & hostes, & remouendo domesticas tenebras, poterant enim alij ignes incitari, licet non adeo luculenti, vt non solus hic igneus columnæ vsus videatur fuisse.

Sapient. 10. Dedit mercedē laborum suorum, dedit inimicorum spolia colligenda sine certamine, *transtulit illos per mare rubrum, & transuexit per aquam nimiam, inimicos autem illorum demersit in mare, & decantauerunt nomen sanctum Domini, & victricem manum eius laudauerunt pariter: direxit opera eorum in manibus Propheta sancti, steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicauerunt, &c.* quæ habet Salomon *Sapient.* 10. & 11. quæ omnia magnam misericordiam Dei, idest, beneficentiam erga populum suum testantur.

Sed quid cum misericordia, & beneficentia Dei versio L X X. quæ habet: *Dux fuisti in tua iustitia?* Videntur enim sese opponi misericordia, & iustitia in effectu, quanquam idem realiter sint in Deo, etenim Deus misericordia parcit, & iustitia punit potius, quam liberet. Dubio occurrit Nyssenus idoneè satis exprimēs, quam significationem habeat vocabulum, iustitiæ, positum hoc in loco, sic enim habet. Iustitia est quam verissima saluare hospites iniuria affectos, & qui in seruitutem abducti erant ab insidiis, & iniquo magistratuum imperio liberare. Sic veteres Patres apud *Theod.* eisdem verbis. Similia habet *Symmachus* dum ita interpretatur: adhortatus est custodiens ipsos in omnibus, & hostes vlciscens, & liberalem ipsis bonorum salutem largiens.

Est igitur sensus vtriúsque versionis ostendens Deum pariter, & misericordiam suam probasse educendo è captiuitate populum, deducendo miraculosè in itinere per desertum, quod ita prosequitur *Symmachus*: profectò insignis misericordia exprimitur dum Deus paterno affectu, & magisterio dux fuisse describitur populo suo ab Ægypto liberato per solitudinem vsque ad montem, in quo illi templum ædificatum est. Magna itidem iustitia, cuius opus est hospites, quales erant Israëlitæ in Ægypto iniuria lacessitos seruare: in seruitutem abductos, patriæ restituere; pios denique, impiorum insidiis circumuentos à periculo eripere. Aduertit autem *D. Ambros. de obitu Theodosij*, quod is, qui iustus est, nouit debere se infirmis, atque inopibus subuenire, qua in re, & iustum se præbet, & misericordem pariter se ostendit, & ideo vna lectio hoc in loco misericordiam Dei prædicat, altera verò iustitiam.

Nostra igitur vulgata misericordiam habet, quia cum illa sit super omnia opera Dei debet etiam, & nobis innotescere, vt misericordem ducem in via promissæ patriæ sequamur, etenim si *Augustus Cæsar* dixit, misericordiam, & iustitiam esse duo Imperatoris brachia, dextrum tamen, quod magis ad operandum extenditur, pluráque exequitur, & ab omnibus videtur, misericordia profectò debet esse, hanc igitur multo magis Rex Regum, & Dominus dominantium vult in se conspici, quando & illi magis naturalis est, quoad nos, quam iustitia, quod eleganter prosequitur *Bern. ser. 5. in vigil. Natiu.* vbi post multa addit: Rectè non Pater iudiciorum, & vltionum dicitur, sed Pater misericordiarum, non modo quod Pater videatur misereri potius, quam indignari, & quemadmodum Pater filiorum, miseteatur timentium se; sed eo magis, quod miserendi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi, vel vlciscendi magis est nostro. Similia habet *Ambr. lib. de paradiso cap.* 15. *& Chrysostom. homil.* 54. *in Matth.*

Populo quem redemisti. Redemptio hæc facta est dum Hebræos durissimam seruitutem in Ægypto sustinentes Deus eduxit, nam, vt ait *Hieron.* in illud ad *Ephes.* 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, tom.* 9. Ille redimitur, qui captiuus est, & in hostium veniens potestatem liber esse desiuit, & *Chrysost.* in illud *Psal.* 25. *Redime me, & miserere mei, tom.* 1. Ille captiuus ducitur, qui efficitur non potestatis suæ, sed ditionis alienæ, qui imperiis eius subditus est. Quia ergo Israëlitæ Pharaonis imperio subditi erant, quasi ab eo empti serui detinebantur, quanquam non alia pecunia empti fuerint, quam violentia, atque tyrannide, qua eos seruire coegerat. Ideo igitur dum Deus eos inde eduxit, quasi iterum emit: pecunia verò fuit ipsum beneficium eductionis, quo & ex potestate Pharaonis exemit, sibique

Ephes. 1. num. 7.

Psal. 25. num. 11.

sibique emit Israëliticum populum, quod
eleganter videtur attigisse Regius Vates,
Ps. 125. num. 1. Psalm. 125. cum de eductione populi ex
captiuitate Babylonica non eam vocat ca-
ptiuitatis solutionem, aut liberationem,
sed potius conuersionem captiuitatis, sic
Supr. n. 5. enim ait: *In conuertendo Dominus capti-
uitatem Sion facti sumus sicut consolati.* &
Psal. 52. num. 7. iterum: *Conuerte Domine captiuitatem
nostram.* Et *Cum conuerteris Dominus ca-
ptiuitatē plebis suæ*, quemadmodum enim
conuersio non est vnius rei sola deleti-
tio, sed in aliam commutatio, sic dum
Deus liberauit populū à captiuitate Ægy-
ptia, eundem sibi captiuum fecit, exe-
mit, sed emit, imo, & redemit sibi, sicut
[illegible] redemptionem à peccato nouam
Rom. 6. num. 18. Dei seruitutem dicit: *Liberati autem à
peccato serui facti estis iustitiæ*, quæ pla-
nè seruitus vera est libertas, iuxta illud:
Ioann. 8. num. 36. *Si filius vos liberauit verè liberi eritis.* Et
ideo in ista seruitute, & in isto capti-
uorum curru non sunt millia deploran-
tium miseram suam conditionem, sed
Psal. 67. num. 18. potius millia lætantium iuxta illud: *Cur-
rus Dei decem millibus multiplex millia læ-
tantium, &c.*

Portasti eum in fortitudine tua. Ad hūc
locum reseruauimus luculentiorem ex-
plicationem vsitatissimi modi loquendi,
quod Prophetæ futura per præteritum
Psal. 21. num. 17. vaticinari solent, vt patet in *Psalm. 21.*
Vbi plurima de futura Christi Passione
per præterita enunciantur, veluti cum
dicitur: *Foderunt manus meas, &c.* Et
Isaiæ 9. num. 6. Isaiæ 9. *Paruulus natus est, & Filius da-
tus est nobis.* Imprimis enim Prophetæ
hunc morem pro modestia sua seruant,
quod potius historici, quam Vates appa-
rerent, cum tamen Poëtis id vitio verti
posset, quod præterita iam, & completa
per futurum indicauerint, quo Prophetiæ
gloriam sibi arrogarent, vnde *Virgilius*
dixit de Romano Imperio 1. Æneid.

*His ego nec metas rerum, nec tempora
pono,*
Imperium sine fine dedi.

Et de progenie Æneæ *in 3. lib.*

*Hic domus Æneæ cunctis dominabitur
oris.*
*Et nati natorum, & qui nascentur ab
illis.*

Insuper etiam, & per præteritum loquun-
tur Prophetæ pro instinctu Spiritus san-
cti ad inculcandam inconcussam verita-
tem, & certitudinem verborum à se di-
ctorum; sicut enim ad denotandam ean-
dem veritatem Prophetia dici solet visio,

A & Propheta dicitur videns, qualis est ille
locus *Isaiæ 1.* vbi incipit. *Visio Isaiæ filij* Isaiæ 1.
Amos, quam vidit, &c. Et Psalm 88. *Tunc* num. 1.
locutus es in visione Sanctis tuis. Et Isai. 6. Psal. 88.
Videte visionem, & nolite cognoscere. Et num. 20.
Act. 2. *Iuuenes vestri visiones videbunt.* Isaiæ 6.
Vbi visio pro re visa ponitur: vocatur au- num. 6.
tem sic Prophetia ob certissimum rerum Actor. 2.
euentum, sicut quæ videmus pro certissi- num. 17.
mis habemus, & omnium sensuum cer-
tissimus habetur visus, sicut latè ostendit
Galenus lib. 18. de vsu partium, cap. 3 quo
B in loco ita habet: Sensuum aliorum cer-
tissimus est visus, vt qui maxima, & plu-
rima eorum, quæ corporibus insunt di-
scernat, scilicet, colorem, magnitudinem,
situm, positionem, quæ nullus alius sen-
sus ita facilè percipere possit, in quam
sententiam dixit *Philo libr. de Abraham.*
duo pulcherrima luminaria, imò sydera
omnia in ministerium oculorum fuisse
producta à Deo, vt scilicet lucerent, ne
oculi errarent, sed certissimè agnoscerent
omnia, quæ eisdem obiicerentur, & in
C hanc sententiam notauit *Plaut. in trucu-
lent.* pluris esse faciendum testem vnum
oculatum, quam decem auritos, & *Hora-
tius* in arte Poetica:

*Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus,
Et ipse sibi tradit spectator.*

Quia verò si visioni accedat auditus ad
cognitionem alicuius rei, ea certissimè
dicitur cognosci; sicut notauit *Bernard.
serm. de conuers. Pauli*, vbi ait. Nec dubi-
tare licet de veritate, quæ sese ingerit per
D vtrásque oculorum, & aurium fenestras,
sic in Iordane, & columba apparuit ocu- Ioan. 1.
lis, & vox de cælo sonuit, sic in Transfi- num. 32.
guratione & claritas visa est, & vox Patris Mat. 17.
audita, qui ordo semper obseruatus fuit n. 2. & 5.
ab Spiritu sancto, sicut notauit idem *Ber-
nard. serm. 53. in Cantic.* ex eo loco, *Audi* Psal. 44.
filia, & vide, sic enim Rex Propheta in- num. 11
troducit sponsam Ecclesiam, vt certa esse
posset de rebus sui sponsi, per auditum,
scilicet, & visum, qui totius certitudinis
fontes sunt, & initia, obseruauit hoc etiam
E *Chrysost. hom. 29.* supra, illis verbis *Ioan. 3.* Ioann. 3.
Quod vidit & audiuit hoc testatur, non num. 32.
enim visu, aut auditu cognouit Christus
Dominus ea, quæ nobis reuelauit, sed ma-
gis secundum hominem, captúmque no-
strum hæc dicta sunt, ea namque, quæ vi-
dentur, & audiuntur certissima reputan-
tur. Similia habet idem *Chrysost. hom. 74.
in idem Euang.*

Ad hanc igitur certitudinem inculcan-
dam

dam prophetia dicitur aliquando visio,
& auditio: de visione iam patet ex di-
ctis, de auditione verò constat ex illo lo-
Isaiæ 5. num. 3. co, *Isaia* 5. *Domine quis credidit auditui*
nostro. Et Habacuc. 3. *Domine audiui au-*
Habac. 3. n. 2. *ditionem tuam*. Et Nahum. 3. *Omnes qui*
audierunt auditionem tuam. Et de visione
Nahum. 3. n. 19. simul, & auditione est optimum testimo-
nium apud Abdiam dicentem in princi-
Abd. 1. num. 1. pio sui vaticinij: *Visio Abdiæ: Hæc dixit*
Dominus Deus ad Edom, auditum audiui-
Isaiæ 1. num. 1. *mus à Domino, & legatum ad gentes mi-*
sit. Et *Isaias* cum dixisset: *Visio quam vi-*
dit Isaias, non infert quid viderit, sed
subiungit: *Audite cæli, & auribus percipe*
terra, quoniam Dominus locutus est, quem
locum ponderans *Chrysost. homil. 3. de pœ-*
nit. paulo post medium, tom. 5. ad finem, ad-
uertit Prophetam appellasse visionem, &
postea auditionem, cum proponat ea, quæ
à Deo audiuit.

Cum igitur sic appelletur Prophetia
propter certitudinem, & infallibilitatem
futuri, ac prædicti euentus, propter ean-
dem etiam denotandam sacro Spiritu af-
flatus Vates ea, quæ futura sunt, vt iam
præterita enunciant, quo magis ipso-
rum dictis fides habeatur. Qua de re vi-
dendus *Pagninus lib. 3. institut. Hebraica-*
rum c. 3. Nazianz. Orat. 3. de Theologia.
Ambros. lib. 1. de Abrahamo, c. 8. D. Au-
gust. Epist. 57. & lib. de agone Christiano,
c. 27. & sæpe alibi. Et *Chrysost homil. 12. in*
Ioan. paulò post medium, vbi ita habet. Mos
est Prophetarum, vt sæpenumero, quæ fu-
tura sunt tanquam facta enarrant, nam, &
Isaiæ 53. num. 7. *Isaias de Christi morte locutus*, c. 53. non
inquit: ouis ad occisionem ducetur, quod
futurum erat, sed *ductus est*. Atqui non-
dum carnem induerat, verumtamen quod
futurum erat, Propheta tanquam factum
enarrat, & Dauid crucem significans non
Psal. 21. num. 17. inquit. *Fodient manus meas, sed foderunt,*
& diuiserunt sibi vestimenta mea, & de
Proditore verba faciens, qui nondum fue-
Psal. 40. num. 10. rat. *Qui manducat*, inquit, *panes leuauit*
contra me calcaneum meum, & de Passio-
& Ioan. 3. n. 18. ne locutus. *Dederunt in escam meam fel,*
& in siti mea potauerunt me aceto, &c. Ad
hunc igitur modum locutus est Moyses
hoc in loco dicens, *portasti eum*. cum po-
tius videretur dicendum portabis. Viden-
dus hac de re *Gregor. homil. 1. in Ezech.*
vbi plura de modis prophetandi scitu di-
gna affert.

Summæ igitur teneritudinis, necnon
& patientiæ index est verbum portandi,
quo sacer Auctor hoc in loco vtitur, pe-

A titur enim in eo metaphora vel ab aqui-
la, iuxta illud vbi etiam positum est hoc
verbum: *Expandit alas suas, & assumpsit* Deut. 32. num. 11.
eum, atque portauit in humeris suis. Ex-
pandere enim dicitur aquila alas suas cum
transferre pullos velit, non vt aliæ volu-
cres de vngue suspensos ferre, sed super
alas: quod illæ, vt infirmiores accipitrem
irruentē de superiori loco timeant, aqui-
la verò non nisi sagittam de inferiori lo-
co iactam pertimescat, cum accipitre sit
valentior. Itaque significat malle suum
B corpus sagitta transfigi, quam pullorum:
sic Dominum quamuis nihil à quoquam
timeret, in sequentibus Ægyptiis inter-
posuisse significat Moyses inter vtrunque
agmen Angelum, & columnam, vt ho-
stium tela ab Israëlitarum corporibus de-
pelleret, & fortitudinem maximam Dei
ostenderet in portandis super humeros
suos Israëlitis, sicut misericordiam exhi-
buit in educendo ex Ægypto, nam *Exod.*
14. dicitur; *Tollens se Angelus Domini, qui* Exod. 14. num. 19.
præcedebat castra Israël, abijt post eos, &
C *cum eo pariter columna nubis priora dimit-*
tens post tergum, stetit inter castra Ægy-
ptiorum, & castra Israël, & hoc est porta-
re eum in fortitudine sua.

Vel petitur metaphora à matribus, ac
nutricibus, quæ tenellos infantes non-
dum præ imbecillitate pedibus suis va-
lentes insistere, atque aliò progredi, vlnis
captant, & complexu brachiorum susten-
tatos, quò commigrandum est eos trans-
portant, tam indulgenter igitur toto
illius commigrationis tempore, se Deus
D gessit cum populo, quod dicitur illis ver-
bis. *Portauit te Dominus, vt solet homo* Deut. 1. num. 31.
gestare paruulum filium suum in omni via,
per quam ambulastis donec veniretis ad lo-
cum istum. Et hoc magis significat *Sym-*
machus dum vertit: *Quasi gerulus ac nu-*
tritius portasti. LXX. autem verterunt.
Pedetentim, videlicet, ac molliter euocan-
do eduxisti, vt pastores malè affectum pe-
cus sensim, voce potius, quam virga du-
centes, sic dixit *Isaias*. *Sicut pastor gre-* Isaiæ 40. num. 11.
gem suum pascet, in brachio suo congrega-
E *bit agnos, & in sinu suo ipse leuabit, fœtas*
ipse portabit, vbi similiter LXX. habent:
Grauidos consolabitur, vel euocabit. & ideò
Glossa interlinealis hoc in loco ait: Por-
tasti quasi bonus pastor ouem positam in
humero.

Sed magis ad rem nostram est versio
Symmachi, *Quasi gerulus, ac nutritius por-*
tasti, vnde *Oseæ* 11. *Puer Israël erat, & di-* Oseæ 11. num. 1.
lexi eum, & ex Ægypto vocaui filiū meum,

& ego quasi nutritius Ephraim (idest Israëlis, à parte enim maximè numerosa, qualis erat tribus Ephraim intelligitur dictus populus per synecdochen) vbi *D. Hieronym.* ait. Ego pater eram, nutritius factus sum, & paruulum meum in vlnis meis ipse portabam, ne læderetur in solitudine, & ne vel æstu, vel tenebris terreretur, in die nubes eram, & in nocte ignis columna. *Rupertus* verò ibi ait: Sicut nutrix infantiles ineptias perfert, & nunc verberat, nunc blanditur; ita ego feci.

Nisi fortè in hac similitudine proponat nobis Moyses rationē, cur Deus hunc populum assumpserit deducendum, ductus scilicet misericordia, & bonitate sua, etenim puer erat ille populus, paucis ante annis natus in filiis Iacob, puer etiam, qui rerum ignorantia, vixque qua gradiendum foret inscitia laborabat, viribus denique, & præsidio destitutus, quæ omnia diuinam misericordiam pulsabant, & prouocabant, vt tenello populo, & destituto infanti succurreret, & humerum suum supponeret ad portandum illum.

Vbi sese nobis offert illa alia humerorum suppositio in Issachar, de quo pater eius *Iacob* dixit: *Issachar asinus fortis vidit terram quod optima, & supposuit humeros suos ad portandum.* Vbi L X X. pro eo quod nos habemus, *Issachar asinus fortis*, habent: *Issachar concupiuit pulchrum*, vt iam non sit mirum si cum viderit terram optimam illius bonitate ductus supposuerit humeros ad omnem laborem in illius cultura tolerandum. Sic enim facere solent homines cum aliquid proprij commodi, & vtilitatis sese offert. At verò Deus noster non ductus merito, aut bonitate gentis illius, sed misericordia & bonitate sua, supposuit humeros suos ad portandum Israelem, inde quanto magis commendanda sit hæc dignatio Domini in portando. Meminimus autem meritò hoc in loco humerorum, quia sine dubio videntur coniungendi cum verbo, portasti, nam cum eam partem corporis in animantibus constituerit natura robustam, & fortem, ad portandum onera. Et noster text. habeat, *Portasti eum in fortitudine tua*, id mihi videtur significare, ac si diceret, portasti eum in humeris tuis, quæ fortissima pars est humani corporis: imò & humeri proculdubio vires, & fortitudinem significant, in sacris literis, sicut notauit *D. Gregor. in 1. Reg. 9. & Hieronym. Isaia 66. & Eucherius* relatus à *Pierio Valer. lib. 32. in fine*, vnde Prophe-

Gen. 49. num. 14.

A ta, inquit ille, cum magni arcani onus crucem ipsam gestandam prædiuinaret. Potestas, inquit, super humerum eius, imò & *Cicero lib. de senect.* cum humeris bouem sustineret viuum, & oratione pro Flacco. Respub. quam vos vniuersam in hoc iudicio vestris humeris, vestris, inquam, humeris Iudices sustinetis, & ita sæpius. Cum igitur *Moyses* ait: Portasti eum in fortitudine tua, idem est atque in humeris tuis.

B *Ad habitaculum sanctum tuum.* Volunt Hebræi, teste *Agellio* hoc in loco habitaculum sanctum Dei, dici montem Sina, ibi enim tetenderunt filij Israel & castris positis quieuerunt, sed certè vox Hebræa, *Naue*, non coarctanda est: significat enim & septa, & caulas, atque ouile, & templum, quo populus tanquam grex ad ouilia conuenit, & de voce plura iam diximus superius, magnámque conuenientiam habet hoc in loco, vox, *portasti*, cum ouili, aut caula, qualis planè est domus Dei, ac templum, verus enim pastor C imbecillas oues, sicut & perditas imponit in humeris suis gaudens, eásque ad ouile reportat, & eodem modo ingrediens Summus Pontifex Hebræorum typus, ac figura Christi Saluatoris, ac Pontificis futurorum bonorum in secretiorem, ac sacratiorem partem habitaculi Dei, scilicet, Sancta Sanctorum portabat in humeris suis filios Israël insuper humerali, sic dicto eo quod humeros, armos, & scapulas ab anteriori & posteriori parte vestiret vsque ad cingulum.

D Interlinealis glossa pro eo quod nos habemus, *habitaculum sanctum tuum*, habet terram promissionis, & *Caietan.* hic ait. Terra promissionis appellatur habitaculum sanctum Dei, eo quod ibidem habitauerit Deus in primis Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, & habitaturum se promiserit in semine eorum. *Lyranus* exponit ad locum vbi postea fundatum est templum. *Oleaster* re vera videtur de templo loqui, idest, ad locum in quo sanctitatem tuam habitare disposuisti. *Car-* E *thus.* ad montem Sion, seu Moria, & ad vrbem Hierusalem, vbi Deus elegit templum ædificari, in quo habitare dignatus est. *Agellius* de templo intelligit, quod vocatur habitaculū Dei, quia voluit ipse tam familiariter habitare, & tam domesticè conuiuere cum hominibus, quam familiariter habitat, ac quam domesticè conuiuit is, qui alicubi habet focum, furnum, & lares suos, quo loquendi modo ipse

[*Isai.* 13. *num. vlt.*] ipse Dominus se exposuit cum *Isaia* 13. A dixit. *Hæc dicit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem.* Proximè autem dixerat euersurum se hostes solymorum, & protecturum Hierosolymitanos ipsos, tunc addit citata verba, quasi dicat, neque mirum debet hoc videri cuiquam, siquidem tam familiariter vtitur Deus vrbe Hierosolymitana, vt habeat ibi cõstitutum domicilium suum, suósque lares, focum, & furnum. Ideóque [3. *Reg.* 8. *num.* 13.] Salomon dixit. *Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmissimum solium* B *tuum in sempiternum.* Et ipse Deus per [*Isai.* 56. *num.* 7.] Isaiam ait: *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Pientissimus enim Pater, qui maximam lætitiam ostendit in consortio hominum, vnde & dicebat delitias suas [*Prou.* 8. *num.* 31.] esse cum filiis hominum, *Prouerb.* 8. voluit domicilium apud ipsos habere, ibique lætissime agere, charissimis filiis stipatus, & sicut Iob partem suæ fœlicitatis non [*Iob.* 29. *num.* 5.] vltimam dicebat *cap.* 29. *In circuitu meo pueri mei*, sic sanè in templo Deus, & in C circuitu illius charissimi pueri clamantes, Abba pater, panem petentes, & alia subsidia paterna.

Pro qua re facit Goropius, qui in hermathena dicebat in sua illa primæua lingua, templum sonare locum, in quo Deus cum pueris ludit, & iucundissime delitiatur, eisque petita concedit, & necessaria diligentissimè prouidet, & iucunda libentissimè impertitur, ad hoc enim voluit Deus habitaculum habere cum hominibus, vt intelligerent maximam illi curam D esse de iis, quæ necessaria esse poterant; nam sicut dixit *Philo lib. de resipiscentia*, quisquis domum possidet necesse habet vt ei prouideat, quod nos dicimus domum suam respicere, & materno sermone, *olhar por sua casa*; atque huc sanè spectare videtur frequentissima illa templi appellatio, domus Dei, nam domus parentis alicuius eadem est totius familiæ, potissimúmque liberorum, qui in ea nati sunt, atque adeo etiamsi inde digrediantur, repetunt tamen suam originem, E suámq; domum salutaturi parentes, & patrios lares, cætera de Dei habitaculo, vt distinguitur contra tabernaculum, superius iam tetigimus.

Appellatur deinde sanctum hoc habitaculum, vtpote à quo omnes immundi, ac profani seuerissime arcebantur, quare non solum Sanctum Sanctorum, idest, locus ille arcæ sanctissimus habebatur, & A vocabatur, sed præterea quidquid ad templum attineret eandem aliquando appellationem Sancti Sanctorum obtinet in sacris literis. Vnde dicitur. *Omnis finis eius* [*Ezec.* 48.] *in circuitu Sanctum Sanctorum est*, idest, [*num.* 12.] omnia quæ templi ambitu continentur sanctissima, & purissima sunt, & ideo nihil frequentius in Scripturis, quam templi sanctitas, omnibus sanctitatis, siue nominibus siue inflectionibus significata, iam enim vocatur sanctum, iam sanctitas, sanctificatio, sanctificium: quam B summam esse sanctitatem, atque celsissimam significat *Hierem. cap.* 17. *Solium* [*Hier.* 17.] *gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ*, [*num.* 12.] idest, in nostro templo, nostræque sanctificationis loco summa inest celsitudo, summa maiestas, idest, sanctitas templi maxima est, atque celsissima.

Hoc etiam significat illa templi cum vnicorni comparatio de qua in *Psal.* 77. [*Psal.* 77.] vbi dicitur: *Ædificauit sicut Vnicornium* [*num.* 69.] *sanctificium suum in terra, quam fundauit* C *in sæcula.* Vbi licet aliqui ex Hebræo legant, *Ædificauit sicut palatia excelsa sanctuarium suum*, intelligántque superba palatia, nam dicunt vnicornes construere sibi magnificas, & insignes mansiones præ cæteris animalibus, & ideo coniungunt vtrumque ex originali, videlicet excelsum, & Rhinocerota: tamen amplior nobis videtur comparatio, ideóque simpliciter proponitur à nostra vulgata, & à *D. Hieron.* qui vertit, *in similitudinem Monocerotis*, in eóque potest consistere, D quia cum sanctum in sacro sermone ex propria significatione, significet id, quod separatum est à rebus communibus, & prophanis, vnicornis profectò in abditissimis locis, & ab omni humano vsu [*Isai.* 45.] remotissimis construit cubile suum tan- [*num.* 15.] quam sanctissimum: & similiter Deus in [*Exod.* 33.] templo habitans, sanctissimúmque red- [*num.* 7.] dens habitaculum vocatur ab *Isaia. cap.* [*Deut.* 12.] 45. *Deus absconditus*, vt qui habitaret [*num.* 13.] in sacello Sancti Sanctorum inaccesso, [*& c.* 14.] & ideo tabernaculum suum longius à [*num.* 23.] E castris subduxit Deus, Moyses quo- [*& c.* 26.] que tabernaculum retendit extra castra, [*num.* 2.] *Exod.* 33. [*& 1.*]

Commendat insuper & sanctitatem il- [*Paral.* 17.] lius templi, quod in illud confluxerit om- [*num.* 6.] nium aliorum locorum, & altarium san- [*& 2.*] ctitas, & Religio, ita vt nisi in illo sacri- [*Paral. c.*] ficare non licuerit, idque ex præcepto legis [6. *num.* 6.] *Deut.* 12. *&* 14. *&* 26. *&* 1. *Paralip. cap.* [*& Psal.*] 17. *&* 2. *Paralip. ca.* 6. *& Psal.* 77. Vnde [77. *n.* 68.]

Hieron.

Osea 4. *Hieron. in illud Osea 4. super capita mon-* A
num. 13. *tium*, ait. In lege præceptum est vt non
sacrificetur Domino, nisi in loco, quem
elegerit Dominus Deus, & iuxta altare
lucus & arbores non plantentur, ne, scili-
cet passiua, & voluptuosa Religio austeri-
tatem vnius, & veræ Religionis euertat.
E contrario Israel sacrificabat in monti-
bus excelsa terræ diligens loca, quia ex-
celsum reliquerat Deum. Videndus hac
de re *Theod. in lib. 3. Reg. q. 12. vbi Proco-
pius, Lyra. Abul. Caiet. 3. Reg. & 3. Reg. 22.
& 4. Reg. 14.* quibus etiam in locis *Cardi-* B
nalis Hugo. & communis interpretum in
illud *Hierosol. est locus vbi adorare oportet*,
vbi etiam videndi sunt *Cardinalis Tole-*
Ioann. 4. *tus, & Salmeron tom. 4. tract. 21. in Ioann.*
num. 20. *Maldon. Barrad. tom. 2. lib. 4. cap. 10. &
tom. 1. lib. 5. cap. 15. Gagnæius*, & videatur
Iosephus lib. 12. antiquitatum. cap. 1.

Vnde *August. q. 36. in lib. Iudicum* ait.
Quæri potest quare Gedeon ausus fuerit
offerre Deo præter locum vbi iusserat
Deus, præter tabernaculum quippe suum
Deus prohibuerat sacrificari sibi: cui ta- C
bernaculo templum postea successit, sed
intelligendum est quod illum Angelum
primo Prophetam putauerat, & tanquam
Deum in illo consuluerat de offerendo
sacrificio: quod si ille prohibuisset, non
vtique fieret: sed quoniam approbauit, &
vt fieret annuit Dei authoritate Gedeon
in faciendo secutus est, nam & sic Elias
extra tabernaculum Domini ad conuin-
cendos Sacerdotes idolorum sacrificauit:
quod ex præcepto Domini fecisse intelli-
gendum est, & tamen notantur Reges, qui D
licet opera laudabilia fec. non destruxe-
runt excelsa, vbi contra legem Dei po-
pulus sacrificare consueuerat, & qui de-
struxit maiori prædicatione laudatur. Sic
August.

Quoniam verò *August.* ait, Reges hac
de re subnotati, si quando videas eosdem
3. Reg. in Scriptura commendari, vt Asà 3. *Reg.*
15. n. 12. 15. *Qui excelsa non abstulit*, & Iosaphat. 3.
& 14. *Reg. 22. n. 43. & Amasias. 4. Reg. 12. & cap.*
3. Reg. 14. & Azarias 4. *Reg. 15. & Ioathan. 4. Reg.*
22. n. 43. 15. Hos ideo laudat Scriptura, vel quod E
4. Reg. in Dei Religione, & fide constantissimi
12. & c. fuerint, quamuis in quædam peculiaria
14. nu. 4. peccata inciderint, inter quę fortè fuit ne-
4. Reg. 15. glectus aliquis, & permissio excelsorum,
num. 4 vel si de omni peccato intelligendum est,
Sap. n. 35. certè in illis non fuit facultas tollendi
excelsa, ausúsque ob imminentia pericu-
la defuit, licet votum, & conatus non
defuerit: qua de re laudatur tandem Eze-
chias, quod excelsa abstulerit, 4. *Reg.* 18. 4. Reg. 18.
Et Iosaphat. 2. *Paral.* 17. cum dicitur: *Cum* num. 22.
sumpsisset cor eius audaciam propter vias 2. Paral.
Domini, etiam excelsa, & lucos de Iuda 17. nu. 6.
abstulit.

Voluit itaque vnicus Pater omnium
decem tribuum, omnes in vnam domum
collectos videre, & habere filios, & vni-
cam sic ostendere, & manifestare illius
habitaculi sui mirificam sanctitatem. No-
tandúsque est hoc in loco Hebraismus
geminis substantiui pro adiectiuo, pro eo
enim quod nos habemus, *habitaculum
sanctum tuum*, in Hebræo habetur, *habi-
taculum sanctitatis tuæ*, sicut etiam in
Psalm. 2. vbi legimus: *Super Sion montem* Psal. 2.
sanctum eius, Hebraicè legitur, *Super Sion* num. 6.
montem sanctitatis eius, quem Hebrais-
mum vulgatus Latinus nonnunquam in
sua phrasi relinquit, vt *Induxit eum in* Psal. 77.
montem sanctificationis suæ, id est, in mon- num. 54.
tem sanctum suum, id quod in aliis He-
braismis facere sæpe solet, vt interdum
relinquat, interdum verò latissimè trans-
ferat.

ANNOTAT. I.

Christus dux noster in via pro-missæ terræ vincentium.

Sicut ad educendum de Ægypto popu-
lum Dei, & deducendum in terram
promissam dedit illi Deus ducem Moy-
sem, sic & nobis cum venit plenitudo tem-
poris dedit ducem, ac præceptorem Fi-
lium suum, qui nos eduxit de terra Ægy-
pti, & seruitute spiritualis Pharaonis, id-
est, diaboli, qui nos mūdo, & impuris cu-
piditatibus seruientes affligebat operibus
duris luti, & laterum, nam qui voluptati-
bus indulgent, & honores, atque diuitias
indefesso labore captant miserrimi profe-
ctò sunt serui, & immunditiæ obsequun-
tur, & ideo illis dicitur *Ego Dominus* Leu. 26.
Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægy- num. 13.
*ptiorum ne seruiretis eis, qui confregi cate-
nas ceruicum vestrarum, vt incederetis
erecti*, minimè scilicet adhærentes pulue-
ri, aut luto terrenarum rerum. Neque sa-
tis fuit educere nos de Ægypto, sed in-
super ducem, ac præceptorem nobis dedit
Filium suum ad dirigendos pedes nostros
in viam pacis, Vnde & de cælo dixit: *Hic
est Filius meus dilectus in quo mihi bene
complacui ipsum audite.* Et ideō necesse est Matt. 17.
errare, ac desipere omnino, qui sibi potius num. 5.
credit,

A credit, alterúmve ducem sequitur, quam hunc à Deo constitutum ; sicut enim populo suo se ducem præbuit in Angelo,qui ipsius personam gerebat, præferensque columnam gradienti populo viam monstrabat, sic etiam nobis magni consilij Angelum dedit quem omnes adorant Angeli, nempe Filium suum, qui de se ipso dixit:*Ego sum lux mundi,qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*

Ioan. 8. *num.* 12.

B Et vt reformatio hominis creationi eius responderet,sicut in prima eius conditione ad imaginem, & similitudinem suam fecit Deus hominem,vt ipsū Deum imitaretur,sicut notauit *D. Leo serm.*1. *de ieiunio decimi mensis* his verbis: Si fideliter, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum,vt imitator sui esset Auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat. *Estote imitatores Dei*, ait *Paulus Ephes.* 5. sicut *fily charissimi*, quia verò voluimus inordinatè esse sicut Dij.*Genes.*3. & internam imaginem deturpauimus,neque eum imitati profecimus, sed potius à via ad supernaturalem beatitudinem defecimus, propositus est nobis Dei Filius in carne, vt eum imitari velut exemplar possemus & conformes fieri imagini ipsius, vt iam non quidem ironia, aut sarcasmus esset, sed veritas *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus*, *Genes.* 3. cuius proinde omnis actio,nostra instructio esset,quod ita prosequitur *Basilius in const.monast.*2. vbi sic incipit. Omnis actio charissime, omnis item sermo Saluatoris nostri Iesu Christi excolendæ pietatis, virtutisque obeundæ regula est : propter hoc enim etiam naturam humanam, suscepit, vt in se velut in tabula quadam veram nobis pietatem, ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis maribus simul, ac fœminis ante oculos statutā vnicuique pro viribus imitandam cum Archetypon proponeret. Neque enim alia de causa ille corpus nostrum gerit, nisi vt quoad fieri possit nos ad imitanda vitæ ipsius studia conformemus,&c.quæ prosequitur in hanc sententiam, *& c.*5.ait. Ad ipsum iam liberatoris nostri vitæ institutum pergemus, quod mortali in corpore ab ipso seruatum,omnibus quicunque pietatem in vita colere vellēt virtutis exemplar,ac pictura, veluti probè expressam effigiem quādam proposuit,vnde cunctis lineamentis illius inspectis,cum nulla in parte proposito ipsis exemplari imitatione declinarent, simile inde pro se quisque in vitam suam exemplum transferret, nam quod vitam suam liberator noster præstantissimi viuendi ritus omnibus ipsi obtemperare volentibus exemplar proposuerit, ipsum audi hoc apertissimè dicentem:*Si quis mihi ministrat,me sequatur,* quibus verbis nequaquam affectationem eam ille significat, quæ corpore fit (quandoque hoc facere possit, reperiretur nemo, cum quod ad corpus pertinet, Dominus in cælo nunc esse intelligatur) sed acerrimam quantum fieri possit vitæ ipsius institutorum imitationem. Quæ igitur fuit vita liberatoris nostri ? Peccatum quidem non fecit, sed contra lenitatis, patientiæ, facilitatis, mansuetudinis, humanitatis, comitatis, animi submissionis, prudentiæ, virtutum denique cuiuscunque modi documenta præbuit complura, quæ quidem in Euangeliis omnia apertè explicata cernuntur, &c. quæ prosequitur, vbi in singulis virtutibus quale documentum nobis proposuerit Christus Dominus luculenter ostendit.

Ephes. 5. *num.* 1. *Genes.* 3. *num.* 5. *Genes.* 3. *num.* 22. *Ioan.* 12. *num.* 26.

C D Prosequitur hoc argumentum *D. August.lib.*83.*qu.q.*25.*tom.*4.vbi ait. Sapientia Dei, hominem ad exemplum quo viueremus suscepit.Similia habet *q.*42. Venit,inquit,vt exemplum viuendi demonstraret hominibus, &c. Est optimus locus apud eundem *August.tom.*3.*lib. de fide & symbolo cap.*4. vbi ait. Quoniam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,eadem sapientia,quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari, quò pertinet illud. *Dominus creauit me in principio viarum suarum*, viarum enim eius principium, & caput Ecclesiæ, est Christus homine indutus, per quem viuendi exemplum nobis daretur. Hæc est via certa, qua peruenimus ad Deum, non enim redire possumus, nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus. Huius igitur humilitatis exemplum, idest, viæ qua redeundum fuit, ipse reparator noster in se ipso demonstrare dignatus est, qui *non rapinam arbitratus est,esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*, vt crearetur homo in principio viarum eius Verbum, per quod facta sunt omnia.

*Prouer.*8. *num.* 22.

E Videndus idem *August.serm.*4.*de tempore*, cum de hac re interpretatur illud *Disciplina pacis nostra in eo*, asseritque vnam ex duabus causis, quas ibi affert ad

Isai. 53. *num.* 5.

Kkk incar

incarnationem Verbi, fuiſſe vt nos, quos
ſanguine ſuo redemit à vitiis, atque cri-
minibus non ſolum doctrinæ auxilio, &
gratiæ, ſed etiam exemplo ſuo ad ſtu-
dium ſanctitatis accenderet, vt nos non
modo præcipientem Dominum, ſed etiam
exemplo ſuo ad virtutis faſtigia prouo-
cantem maiori alacritate ſequeremur,
&c. quæ proſequitur, aſſertque in confir-
mationem huius doctrinæ D. Petrum,
1.Petr.2. vbi ait: *Christum nobis reliquiſſe exem-*
num. 21. *plum vt ſequamur eius veſtigia*, quibus
ſcilicet vndas huius ſæculi calcauit, vt
nihil iam terrenum timeamus, vel quibus
per apertum tot vulneribus ſacratiſſimum
corpus nobis aperuit viam ad vitam, vel
ſequamur veſtigia eius non quidem in
puluere, ſed in ſanguine impreſſa, & pla-
nè plagæ ipſæ luculenta ſunt veſtigia non
pedum duntaxat, verum etiam lateris, &
manuum, nullaque compendioſior ad
veſtigandum, & reperiendum Chriſtum,
& perueniendum ad promiſſam terram
via, quam per impreſſa iſta veſtigia, qui
eius ſocius paſſionum fuerit, & reſurre-
2.Tim.2. ctionis erit, ſicut dixit Paulus 2. *Timoth.*
num.12. 2. Et qui ſuſtinuerit in Chriſti veſtigiis
inſiſtendo, conregnabit, & per mare ru-
brum proprij ſanguinis apertum inueniet
iter ad promiſſam terram viuentium.
Plura hac de re habet *Cyrillus Alex. lib.*
1. in Ioan. cap. 13. *& lib. de fide ad Regi-*
nas. Hier. epiſt. 14. *ad Celant. & in cap.*
25. *Iſai.* Et *Bernard. ſerm.* 20. *in Cant. Am-*
broſ. lib. 3. *de fide cap.* 4. *Euthym. in Pſalm.*
48. *Athanaſ. de virginitate Chryſ. homil.*
de erudit. diſcipli.

Nouerat hanc ipſam doctrinam ſan-
ctus Iob, multo antequam Chriſtus eam
in terra doceret. Vnde meritò *D. Hieron.*
tom. 4. *epiſt. ad Demet.* cum appellat vi-
rum ante Euangelium Euangelicum &
Apoſtolicum ante Apoſtolica præcepta,
Iob. 23. Etenim *cap.* 23. ait *Veſtigia eius ſecutus eſt*
num. 11. *pes meus, viam eius cuſtodiui, & non decli-*
naui ex ea, quæ verba eleganter ſanè in-
terpretatur *D. Gregor.* de Iob proponen-
te ſibi Chriſtum Dominum vt eum imita-
retur in via virtutum, atque in itinere fu-
turæ patriæ, ſic enim habet *lib.* 16. *moral.*
cap. 16. *quaſi quidam greſſus Dei ſunt, quas*
cernimus operationes eius, quibus quiſque
ad meliora quotidie ducitur. Poteſt tamen
beatus Iob, qui certa fide iam dixerat. cap.
Iob 19. 19. num. 25. *Scio quod Redemptor meus*
num. 25. *viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurre-*
cturus ſum. Sic in futura operatione incar-
nanda ſapientia intendere, ſicut nos eiuſ-
A *dem ſapientiæ iam præterita opera per fidem*
videmus, quod mediator Dei, & hominum
benignus ad tribuendum, humilis ad ſuſti-
nendum, patiens ad exemplum præbendum
fuerit, cuius nimirum vitam dum beatus
Iob superno ſpiritu repletus ſolicita inten-
tione conſpiceret, futuram manſuetudinis
illius humilitatem præuidens, quaſi ad
exemplum ſibi propoſitum recurrit, vt quid-
quid in hac vita ageret ad imitationis il-
lius veſtigia litigaret, quatenus qui occultè
diſpoſitionis eius ſublimia videre non pote-
B *rat, quaſi in terra conſpiciens ad imitatio-*
nem eius veſtigia. &c. Sic ille.

Quod ſi Iob multo ante Chriſtum in
terris natum, eius veſtigia præuidens ſibi
imitanda proponebat, quid nobis facien-
dum eſt: Quid excuſationis reddendum
poſtquam ipſe nobis dux, & exemplar
proponi dignatus eſt? Vnde *Cyprian.* de
habitu virginum ait: Qui eſſe cupimus
Chriſtiani, debemus quod Chriſtus fecit
imitari: ſcriptum eſt, & legitur, & audi-
tur, & in exemplum noſtri Eccleſiæ ore
C celebratur: *Qui dicit ſe in Chriſto mane-* 1.Ioan.2.
re, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe num. 6.
ambulare. Ambulandum vtique eſt veſti-
giis paribus, æmula ingreſſione nitendum
eſt, tunc reſpondet ad fidem nominis ſe-
ctatio veritatis: & credenti præmium da-
tur, ſi quod creditur, & geratur. Audiamus
hac de re *D. Proſperum* diſſerentem 2. *de*
vita contempl. cap. 21. Quid eſt ambulare
ſicut ille ambulauit, niſi contemnere om-
nia proſpera, quæ contempſit; niſi non ti-
mere aduerſa, quæ pertulit; libenter face-
D re, quæ fecit; docere, quæ docuit; ſperare,
quæ promiſit, & ſequi, quò ipſe præceſſit?
Hanc etiam doctrinam habet *D. Paulin.*
epiſt. vbi prædictum locum *Ioan.* accom-
modatè ſatis ad inſtitutum noſtrum le-
git, ſic enim habet: *Qui dicit ſe Chriſtum*
ſequi, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe
ambulare. Chryſoſt. verò *Epiſt. ad Theod.*
Monachum, ſic legit, *Qui in Chriſto cre-*
dit, &c. Videndus item *lib. de ſalut. do-*
cument. cap. 13. inter opera *D. Auguſt.*
tom. 4. *& Nyſſen. Epiſt. ad Olymp. Mona-*
E *chum*, vbi poſt multa ſic ait. Quid igitur
eum oportet facere, qui magno Chriſti
nomine dignus effectus eſt, niſi, vt om-
nia ſua tum cogitata, tum dicta, tum fa-
cta, diligenter exploret, & vtrum eorum
ſingula ad Chriſtum tendant, an ab illo
ſint aliena diiudicet? Videndus item *D.*
Leo ſerm. 14. *de Paſſ. cap.* 4. Vbi poſtquam
multa dixerat tandem ait. His, & aliis
pluribus exemplis, & teſtimoniis, quod in-
ſinuatur

finuatur in cordibus nostris, nisi, vt per omnia ad imaginem eius renouemur, qui permanens in forma Dei, carnis peccati forma fieri dignatus est? Saluator enim noster Dei Filius vniuersis in se credentibus, & sacramentum condidit, & exemplum. Vt vnum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando, &c. quæ prosequitur. Vniusque de septem sapientibus celebre Apophthegma est, sequere Deum, de quo videndus *Ambros. lib.1. de Abraham, cap. 2.*

Eccl. 23. num. 38. B Sed multo sapientior illis *Ecclef. cap. 23.* vbi ait; *Magna gloria est sequi Dominum*, etenim sicut ipse promisit, qui
Ioan. 8. num. 12. eum sequitur lumen vitæ habebit, *Ioan. 8.* Imò, & consequetur, proinde respicere oportet, & facere secundum exemplar, quod nobis in monte monstratum
Exod. 25. num. 40. est, *Exod. 25.* & secundum, quod nobis dictum est in monte: *Ipsum audite, Matt.*
Matt. 17. num. 5. 17. at velut alterum nobis loquentem audire Abimelec. *Quod me videritis facere, cito facite, Iudic. 9.* Vnde *Origen.*
Iudic. 9. num. 48. C *homil. 7. in Ezech.* Præpositus est nobis ad imitandum Christus Iesus, illud exemplum firmum est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit securus ingreditur.

Illúdque hoc in loco aduertendum est cum *Origen. hom. 6. in Exod. in fine*, quod is, qui sequitur Christum, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare, atque ei murus fiunt dextra, læuáque; ipse autem media via, incedit per siccum, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram, vsqueque exeat ad libertatem, & hymnum Domino concinat. Sic ille videtur alludere
Matt. 7. num. 1. D ad id, quod Christus Dominus dixit, *Mat. 7. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam?* Vt proinde non liceat ei, qui Ductorem sequitur Christum à via deflectere, ne facilè aberret, & in inium incidat, ad quod maxime conducit doctrina *D. Aug. in Psalm. 60.* vbi ita ait; Quidquid pateris, cogita quia prior Christus passus est, quod ante monuerat *Petrus*
1. Pet. 4. num. 1. E his verbis: *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*, vbi *D. Hier lib. 1. contra Iouin.* legit, *eadem conuersatione armamini*, cum enim via hæc nostra, viráque mortalis militia sit super terram, vt bonam militiam militemus, sicut dixit
1. Tim. 1. num. 18. *Paulus* Iugéque bellum, & congressum habeamus parrium oppositarum, carne scilicet concupiscente aduersus spiritum, vnde tota Ecclesia castrorum instar benè ordinatorum se habet, quæ sunt sanè nouabella, quæ Dominus elegit necessarius nobis est Dux, & illius exemplo pugnan- Iudic. 5. num. 8.
dum, illius conuersatione nos debemus armare, & munire, vt tandem ad terram viuentium deueniamus; nam sicut notauit *Hugo Card.* Non iussit nos *Apostolus Petrus* armari cogitatione Passionis Christi Domini, ad oblectandum animum, sed ad impugnandum vitia. *August. lib. 50. hom. homil. 20.* ait. Si aduersarius Amalechita iter intercludere, atque impedire conabitur, perseuerantissima extensione brachiorum crucis Christi indicio superetur.

Secundò *Mach. 11. Hierosolymis apparuit præcedens Iudæos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & conualuerunt animis non solum homines, sed etiam bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare, &c.* Dux itidem nobis in misericordia apparuit Christus Dominus, ad cuius conspectum militia cœlestis exercitus pacē per triumphum, & victoriam comparandam, prædixit, quia veniebat peritissimus belli Dux, *ad docendas manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum.* Quo viso, maiores animos concepimus, quam conceperint Machabæi equite concepto ad quoslibet hostes aggrediendos, & expugnandos. Mach. 11. num. 8. Luc. 2. num. 12. Psal. 17. num. 35.

Neque verò solummodo Dux est, vt ducat, ac deducat, sed etiam turris, vt si quando opus fuerit ad ipsum confugiamus, sic enim interpretatur *Augustin. in Psal. 60. Tu es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Turris, inquit *Augustinus* est Christus ipse: nobis factus turris à facie inimici. Caue ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim. Quomodo autem fugies ad turrim? Ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim, &c. Vide igitur si non in misericordia nobis factus est Dux, qui præ nimia misericordia & arma nobis præbet, imò, & pro armis inseruit ad debellandos inimicos, tandémque nobis turris fortitudinis factus est à facie inimici. Psal. 60. num. 4.

Si ergo Moyses carminibus celebrat, Deum populi sui olim factum Ducem in Angelo, quid nobis faciendum erit, imò quid faciendum non erit in laudem Dei nostri, cum antesignanum præceptorem, & ducem habeamus ipsum Dei Filium in carne, non iam contra Chananæos, Amalecitas, & huiusmodi gentes, sed *aduersus Principes, & potestates, & Rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitia, aduersus* Ephes. 6. num. 12.

A *carnem & sanguinem.* Magis vtique intestinum bellum, & periculosum congressum, cum non liceat arcem carnis, in qua sunt aduersarij diruere, aut admoto igne comburere, nouum, inauditúmque pugnæ genus, vbi compugnantes vnà cadunt, & vnà quodammodo vincunt, imo, & vinci, affligi, & castigari, vincere est: vbi Dux ipse, sicut obseruat *Gretserus lib. 4. de cruce, c. 31.* Christus ipse Dux armatus adest spinis pro galea, carne pro lorica, clauis pro lancea, vel gladio, crucem equi locum tenet. Ideoque, & tunc peccatrix, B euasit victrix cum ornamenta quæque abiecit, capillos pedibus subiecit Christi, lacrymis lauit, ore osculata est, rectóque cœpit itinere gradi viam promissæ terræ, quia pedibus Christi prouoluta, vestigia eius deinceps professa est secutura, quod dixit *August. lib. 50. hom. homil. 23.* cum ait: Quæ diu malè ambulauerat, vestigia recta quærebat. Clarius hac de re locutus est *Chrysolog. serm. 93.* cum ponderat Mariam *stetisse retro secus pedes Domini*, idque expendens ait: *Bene stat, quia* C *iam cadere non potest, quæ ad pedes Christi meruit peruenire, vt Christi vestigiis innixa percurreret per viam vitæ, qua per viam curreret mortis.* Sic ille.

Luc. 7. num. 38.

Illúdque tádem pro sequela huius Ducis in statu legis gratię notádum est, quod notauit *Rupert. lib. 1. in Num. c. 32.* atque etiam *D. Ambros. serm. 72.* Expendunt enim botrum illum quem tulerunt duo, illi exploratores missi ad contemplandam terram Chanaan, præfigurabat, inquit *Ambr.* aduentum Domini Saluatoris, nam botrus D in phalanga suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur: duo autem in phalanga portantes vuam, duo populi demonstrantur, Christianus vtique & Iudæus. Et sicut mos est portantium vnus præcedens, alter subsequens, ita prior Iudæorum designatur populus, Christianorum secundus, & sicut antecedens quod portat non videt, & retrorsum idem semper habens, quadam dorsi auersione contemnit, qui autem sequitur semper id oculis perspicit, semper custodit obtuti- E bus, semper corporis vicinitate potitur. Ita ergo Iudæus, & Christianus populus, Iudæus retrorsum eum ponens, quadam dorsi auersitate contemnit. Vnde Dauid. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Et quanto eum (scilicet Christum) ille populus prauo itinere post se reliquit, tanto eum ille directo cursu festinat attingere. Sic ille, quibus vltimis verbis videtur nobis inculcare, quomodo sequela Christi, præuia, & necessaria sit dispositio ad possessionem Dei in Patria: sic enim, qui sequitur Christum ipsum, si rectè sequatur, & diligenter gradiatur, vel tandem attingit donec in cælo comprehendat, & qui posteriora ipsius nunc contemplatur sequendo, nunc imitatur viuendo, tandem videbit faciem eius absque vllo ænigmate, & sicuti in se est, quod certè fiet in habitaculo sancto Dei, cælo scilicet Empyreo, vbi se videndum præbet electis Israelitis, idest, videntibus Deum.

Num. 13. num. 26.

Psal. 68. num. 24.

ANNOTAT. II.

Quomodo Deus nobis sit Dux in misericordia ad vitam æternam.

DVcem se misericors Dominus nobis præbet ad vitam, dum mortuos peccatis quærit, deducit, ac reducit, & vt deducat de cælis descendit, quia homo ad ipsum non poterat ascendere, nisi enim Deus nos in misericordia sua præueniat, quærat, & deducat, nos minimè eum inuenire poterimus, quod dixit *D. Bernard. de diligendo Deum*, vbi inter alia multa sic tandem ait. Ad Deum potest quidem veniri, non tamen præueniri, nam etsi dicimus, *Manè oratio mea præueniet te*, non dubium tamen, quod tepida sit omnis oratio, quam non præuenerit inspiratio. Et *D. Augustin. lib. specul. cap. 33. tom. 9.* ait. Deus quem nemo amittit nisi deceptus, nemo quærit nisi admonitus, nemo inuenit nisi purus, &c. Quibus similia habet *Dionys. Areopag. Epistol. 8.* quæ est ad Demophylum, vbi aduertit, eam esse clementiam, & benignitatem Dei nostri, vt non solum se quærentes, sed etiam auersos, ac resilientes amatorie sequatur, ac deprecetur ne se deserant. Videndus etiam *August. lib. 50. hom. homil. 38.* cum exponit illa verba *Zachariæ cap. 1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, vbi inter alia multa ait: Fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat, &c. Qualis autem fuerit hæc Dei conuersio, exposuit optimè *Chrysolog.* cum expendit illud iuxta versionē L X X. Interpretum. *Ipse peccata nostra portauit.* Et illud, *Conuerte Domine, & libera animam meam*, sic verò habet, Homo peccat, & Deus conuertitur? Ita fratres, quia iuxta

Psal. 87. num. 14.

Zach. 1. num. 3.

Isaiæ 33. num. 12.

Psal. 6. num. 5.

iuxta Prophetam iste peccata nostra portat. Conuertere Domine, Vnde? Vbi? de Deo in hominem, de Domino in seruum, de Iudice in patrem, vt pium conuersio te demonstret, quem potestas terribilem comminatur.

Singulare hoc beneficium misericordis Ductoris in quærendis, ac reducendis nobis perditis testatur *Paulus*, cum ait: *Comprehensus sum à Christo Iesu*, hoc me fugiente, & tartareum barathrum petentem misericors Dux insecutus comprehendit. Vbi *Chrysost.* eleganti similitudine rem explicat. Ex pereuntibus, inquit, eram, suffocabar, eram perituros, apprehendit me Deus, nam & ipse nos cum eum fugeremus magno studio persecutus est, &c. Quæ prosequitur, vbi ostendit eodem modo se erga nos habuisse Dominum, ac solet se habere amicus, cum alius in mare incidit, iámque penè mergitur, & suffocatur, statim enim cum apprehendit, subleuat, & à periculo eripit. Simile est etiam illud *Clementis Alexand. Orat. exhortat. ad gentes*, cum ita habet: *Hominem retinet Deus, & complectitur, sicut cum pullus è nido excidit, mater auis è nido aduolat: Si serpens pullos deuoraturos inhiet, mater circumuolat natos deflens, Deus autem Pater, & suum quærit figmentum, & ei, quod lapsum est medetur, & feram persequitur, & pullum rursus in nidum recipit, vt rursus aduolet incitans.* Sic ille.

Philip. 3. num. 11.

Et certè *Pastor ille cœlestis*, Dux scilicet iste in misericordia, *fatetur se reliquisse 99. oues in deserto, & profectum fuisse ad quærendam vnam, quæ perierat, donec illam inuenerit.* Vbi *Theophylact.* per 99. oues homines iustos indicari arbitratur, per vnam verò ouem ostendi, ac designari peccatorem, quæ videtur intelligentia illius loci, agit enim ibi Christus Dominus de vno peccatore, cuius pœnitentiam maius cœlo gaudium afferre asserit, quam 99. iustorum iustitiam, dimittere verò 99. est illas non quærere, idest, iustos non tam curare, sed peccatores, vt reducat ad se, & ad gloriam deducat, & certè ipsemet Christus Dominus, ait. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*, in quo maximè relucet misericordia nostri Ducis, ac Reducis, de quo dicit *Augustin. in Psalm. 118. in fine*, propter ouem perditam pastor eius 99. dimisit in montibus, & eam quærens Iudaicis laceratus est vepribus, &c. Aspice pastoris manus, pedesque nonne laniatos cernis? Intuere caput, nonne spinis vides compunctum? Contemplare manus, nonne clauis vides perforatas scilicet per loca plena dumis ac vepribus, quæsiuit ouem Pastor, & Dux in misericordia.

Luc. 15. num. 4.

Luc. 5. num. 32.

Neque verò mirum est, si ira nos quærens, ad nos totus conuersus sit homo factus, qui peccatorem conuersum tanti facit, vt humeris deportet ad habitaculum sanctum suum, ibique cætus Angelorum summo cum gaudio, & exultatione excipiat ouem à via perditam, ad viam reductam, & ad vitam perductam. Vnde meritò *Bernard. serm. 2.* ad fratres ait. Gratias ipsi gratiæ, etsi dici potest, plus quam gratuitæ miserationi, quæ beneficiis obruit, non solum immeritos, sed nimium malè meritos, & ingratos, eos scilicet quærendo, illuminando, & reducendo eos, qui ab eo auersi fugerant.

Peruersus impio desiderio Dauid se ad creaturam conuerterat, attamen vbi primum constituit ad Deum reuerti, vide qualiter ipsum inuenerit itineris Ducem, & Reducem, sicut ipse fatetur, cum ait: *Dixi confitebor aduersum me, & tu remisisti iniquitatem peccati mei*, quo in loco acutè *August.* notauit, qua diligentia, & celeritate inuenerit paratam Diuinā misericordiam ad ipsum reducendum, & deducendum, vt neque etiam preces ipsius Dauid expectasse videatur. Sic ergo habet *August.* Dixi. Quid dixisti? Non iam pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum, & ille iam dimittit. Attendite fratres magna res, dixi pronuntiabo, non dixi pronuntiaui, & tu dimisisti; dixi pronuntiabo & tu dimisisti, quia eo ipso quod dixit, pronuntiabo, ostendit quia nondum pronuntiauerat. Dixeram, pronuntiabo aduersum me, veruntamen Deus audiuit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei iam in corde erat.

Psal. 31. num. 31.

Similia habet *D. Ambros. in Psalm. 37.* cum ponderat qualiter in misericordia Dux fuerit Christus Dominus latroni in cruce pendenti, vt quasi nulla transacta via eum statim posuerit in termino, cum enim vel solam memoriam in regno Dei postulauerit, eundem illico transmisit in gloriam benignus, & misericors Dux, non decursa, sed peruolata via per medium rubrum mare sui sanguinis. Sic ergo habet. Ille adhuc rogabat, vt meminisset sui cum venisset in regnum, & Dominus cum nondum venisset, ei iam regnum cæleste tribuebat, quam velox misericordia? Tardius votum precantis, quam remune-

 rantis

tantis est præmium. Adducit iustitia humana, imò & iniustitia adulteram mulierem non vt puniret, sed vt Dominum vel in verbo caperet. *Ipse verò perrexit in montem oliuarum, & iterum diluculo venit in templum*, venit autem diluculo, vt misericordia Diuina manicans præueniret humanam iustitiam, insuperque comprobaret ducem hunc, ductorem, ac præceptorem paratum semper esse vt nos deducat, imò quam citissimè manicare, vt nos quærat, & reducat. Ioann. 8. num. 3.

Cernitur autem maximè Ductoris nostri misericordia, quando nullam excludit ætatem, nullum terminat tempus, aut præfinit, nullum præscribit numerum, neminem excipit, sed omnibus misericorditer se communicandum præbet. Notauit hoc *D. Fulgent. Epist. 7. ad Verantiam de pœnitentia*, c. 10. vbi inter alia sic ait: Si aliquam ætatem iudicaret Dominus conuersionis remedio ineptam, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam, in diuersitate quippe horarum non incongruè accipitur ætatum diuersitas, &c. quæ ibi prosequitur. Quod verò nullum terminet tempus, ostendit idem *Fulg. c. 9.* vbi sic ait. Semper delectatur conuersione nostra, nec tempus huiusmodi quandiu in hac vita est posuit, quo pæniti tari conuerso non possit. Et *Chrysost. homil. 2 in Psalm. 50.* Occidisti? Pœnitere. Vulneratus es? Adhibe tibi curam, dum viuis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiamsi dici potest exanimatus, vt iam de hoc mundo exeas, non de compede libereris, pænitere, non impeditur temporis angustia misericordia Dei. Noli dicere quomodo? Admirare, & glorifica. Vbi misericordia Dei imploratur, quæstio non expeditur. Quid est peccatum ad Domini misericordiam? Tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet, &c. Mat. 20. num. 3.

Et quod ad numerum attinet peccatorum, videndus *Arnoldus tract. de 7. verbis Domini*, vbi ait: Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas Diuina clementia, sit qui innocet, erit qui exaudiat; sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Et loquens de Christo cruci affixo, peccatoresque ad se vocante ait. Superfertur afflictis affectu nutritio, expansisque alis pullos implumes aggregat, & fouet, & protegit, & seipsum in tutelam paruulorum exponens, negligit, neque alios vt defendat, propria damna formidat, & si corrigat omnino solicitè agit, vt plus agat beneuolentia, quam veritas. Huius latitudinis mysteria Christus etiam inter supplicia commendans in eo quod expansis manibus, eleuatâque læua, & dextera inter latrones se medium exhibet, volebat intelligi commune esse illud beneficium, & non solum bonis, sed etiam impiis, quod agebatur proficere, & se potius medicamina illa ægris proposuisse quam sanis, & gratia illa pari liberalitate donasse eos, qui de libera, & eos, qui nati fuerant de ancilla. Sic ille, ex cuius doctrina illud iam elicimus Diuinam misericordiam nobis viam aperuisse per virgam illam, suam crucem scilicet in mediis etiã grauioribus criminibus, qualia profectò sunt, & homicidia, & latrocinia, vt iam veluti sicco vestigio, & vno pede confecto itinere, liceat ad vitam ingredi, mediante morte Christi, eiusque cruce.

Hinc est quod *D. Bernard. serm. 22. in Cant.* Sanguinem Christi in morte pro nobis effusum mari conferat. Sic enim interpretatur illud, *Copiosa apud eum redemptio*. Bene, inquit, copiosa, siquidem non gutta, sed vnda sanguinis quinque per partes corporis emanauit. Quid mirum igitur, si quæcumque peccata sint deleat, & abstergat, copiosa redemptio, & quantumcunque peccatis depressa sit, & onusta anima, per mare sacratissimi sanguinis ad portum futuræ gloriæ feliciter perueniat, quod dixit etiam *Augustin. in manuali cap. 22.* his verbis. Nihil tam ad mortem, quod morte Christi non sanetur. Ideóque *Bernard. loco citato* sic infert. Omnino propter mansuetudinem te, quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Iesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas, non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non apprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem Publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos, in odore horum currimus. Currebat hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, verum in odore iustitiæ cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Cucurrit & Publicanus, qui cum propiciationem peccatis suis humiliter imploraret, descendit iustificatus, teste ipsa iustitia. Cucurrit & Petrus, qui lapsus fleuit amarè. Cucurrit Dauid qui reatum

Ps. 129. num. 7.

Ioann. 2. num. 2.
Luc. 7. num. 47.
Luc. 18. num. 47.
Luc. 22. num. 62.

reatum agnoſcens, & confitens audire meruit: *Dominus tranſtulit à te peccatum*
2. *Reg.* *tuum.* 2. *Reg.* 12. Porrò in ſanctificatione
12. *n.* 13. odoris Paulus currere ſe teſtatur, cũ Chriſti ſe imitatorem eſſe glorietur dicens, ad
Phil. 3. Diſcipulos: *Eſtote imitatores mei ſicut*
num. 17. *filij chariſſimi, ſicut & ego Chriſti.* Cucur-
Matt. 19. rerũt omnes qui aiebant: *Ecce nos reliqui-*
num. 27. *mus omnia, & ſecuti ſumus te.* Deſiderio quippe ſequendi Chriſtum reliquerant omnia, &c. Quibus verbis oſtendit *Bernard.* Viam hanc miſericordiæ, quæ ducem habet benignum Dominum omnes capere poſſe, breuemque admodum eſſe, quando non ſolum per eam ad iuſtitiam ambulant homines, ſed potius currunt, ſicut ille in tam multis proſequitur, quod maximè commendat viam hanc, à qua nemo excluditur, imo & quantumuis peccatorem capit, & amplectitur.

Ideóque *Auguſt. lib. medit. c.* 2. ait: Animant me Publicani, meretrices, & latrones, qui à faucibus hoſtis momentaneè eruti, finibus excipiuntur paſtoris; tu enim Domine, licet in cunctis operibus tuis ſis mirabilis, mirabilior tamen crederis eſſe in operibus pietatis. Vnde de temetipſo per quendam ſeruum dixiſti:
Pſ. 144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius,* &
num. 9. quaſi de ſingulo loquentè, de vniuerſo po-
Pſal. 88. pulo tuo te dixiſſe confidimus, *Miſericor-*
num. 34. *diam autem meam non diſpergam ab eo,* nullum enim ſpernis, neminem abiicis. Si pœniteo, parcis; ſi reuertor, ſuſcipis; dum differo, præſtolaris. Reuocas errantem, inuitas repugnantem, ſpectas torpentem, amplexaris redeuntem. Et *ſerm* 8. *de verbis Apoſtoli,* ait idem *Auguſt.* Cum ſpe ægrotat, qui medicum ſuſcipit, deſperatè ægrotat, qui per inſaniã medicum lædit, qualis ergo inſania, qui medicum occidit quanta bonitas, & potentia medici, qui de ſanguine ſuo interfectori ſuo medicamentum fecit, neque enim ſine cauſa dicebat, *Pater ignoſce illis,* &c. Inſani ſunt, cædant, &c. cum occiderint tunc ſanabo. Similia ſunt quæ habet *ſerm.* 9. ſequenti.

Videndus item *Cyprianus lib. de patient.* vbi poſt multa ait. Quid poteſt patientius, quid benignius dici? Viuificatur Chriſti ſanguine etiam, qui fudit ſanguinem Chriſti. Videndus etiam *Hieron. in Pſal.* 108. vbi ponderat Iudam magis offendiſſe Deum ex eo quod de illius miſericordia deſperauerit, & à via qua nos ducit Chriſtus ſe abduxerit, quam ex eo

A quod ipſum ductorem, & magiſtrum impiè vendiderit. Sic verò ille habet. Pro clementia Domini hoc dico, quia magis ex hoc offendit Dominum, quando ſe ſuſpendit, quam quod Dominum prodidit, oportebat orationem eius eſſe in pœnitentiam, & conuerſa eſt in peccatum.

Denique nihil iam amplius in commendationem ducis noſtri in miſericordia videtur dici poſſe, quam quod vel in ipſo itinere iniquitatis miſericordiã ſuam efficaciſſimam exhibet, vt reducat, ac de-
B ducat in viam iuſtitiæ, & ſe potentiſſimam demonſtret contra impietatem noſtram, ita vt nulli exitus pateat, excuſatione adſit ad renuendum talem, ac tantum ductorem, quod eleganter dixit *Bernard. ſerm.* 1. *de conuerſione Pauli,* his verbis. In hac memoria & peccator ſpem veniæ concipit, & prouocatur ad pœnitentiam, & qui iam pœnitet perfectæ conuerſationis accipit formam. Quis deſperet vltra pro magnitudine cuiuſlibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc
C ſpirantem minarum, & cædis in diſcipulos Domini ſubito factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere preſſus, aſſurgere iam ad ſtudia meliora non valeo, quando in ipſo itinere, quo ſanguinem ſitiẽs Chriſtianum, dum toto pectore virus efflabat perſecutor crudeliſſimus in fideliſſimum repente mutatus eſt prædicatorem? Magnificè ſiquidem in hac vna conuerſione, & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.

Quis igitur ducem renuat in miſeri-
D cordia eum, qui in iniquitate verſatos ad ſe vocat, ac dirigit ad iter ſanctitatis? Quis non ſequatur ductorem, qui ſuæ ſalutis oblitos miſericorditer præuenit, & conuertit, qui fugientes, & perſequentes inſequitur vt eorum miſereatur? Et miſericordiam ſuam confirmatam, imò & roboratam cenſet, cum peccatorum miſeretur. Pro qua re notandus eſt ille locus *Chryſoſt. hom.* 7. *in Pſalm.* 112. & 116. *Pſ.* 116.
quorum poſtremum ipſe dicit eſſe breuem, ſed grandem habere intellectum. *num.* 2.
E Ad illa igitur verba quæ nos legimus, *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius,* ipſe legit, *Quoniam roborata eſt,* tunc verò ait. Quam roborata facta eſt, vt quotidie ſe impendat, & nunquam deficiat, quotidie gaudeat lucris, quia *gaudium* *Luc.* 15.
eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam *num.* 7.
agente, Vbi quotidiana lucra, quibus pingueſcit, diteſcit, & roboratur Diuina miſericordia appellat conuerſiones

peccato

peccatorum, quibus ipse Deus se ducem præbet in misericordia reuocando eos ab iniustitia, & dirigendo ad veram, perfectámque iustitiam. Cum igitur talis, ac tantus dux in misericordia sit Deus noster, væ nobis quoniam tamdiu dissimulauimus, & neglexímus quærere vitam, quærere eum, qui solus bonus est quærentibus se, animæ speranti in se, quod prosequitur *Bernard. ferm. 2. ad fratres.* Væ nobis si non sequamur, ac prosequamur ducem in misericordia ad habitaculum sanctum suum.

ANNOTAT. III.

Quomodo nos portet Christus in humeris ad habitaculum sanctum suum.

Illud etiam hoc in loco iustum est obseruare, quod pastor ille, qui nos perditos, & deuios tanta solicitudine, ac diligentia quærit, inuentos quidem humeris suis deportat; & cum alij pastores humeros, ac terga ouium cædere, & verberare soleant, pastor hic verbera, & flagella, quæ pro peccatis nostris meremur, suis humeris suscipit, & cum eisdem peccata nostra portet, oues etiam superponit ducit, ac reducit ad caulam, & ad habitaculum sanctum suum. Dixerat hoc Isaias. *cap. 53. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Præmiserat autem Propheta *nu. 4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit,* vbi particula, *verè*, videtur continere allusionem ad hircum, de quo *Leuit. 16.* qui in typo, & figura iniquitates deferebat, facit insuper idem Propheta. *cap. 50.* cum ait: *Corpus meum dedi percutientibus.* L X X. verò legunt: *Dorsum meum dedi percutientibus.* Et Forerius ibi legit: *Tergum meum dedi percussoribus. Hieronym.* verò habet. *Corpus meum, siue dorsum &c.* Magnum vtique beneficium esset, si nos in manibus portaret, in quibus nos descriptos habet, sicut portandos tradidit Angelis, quod cecinit Dauid, dicens: *In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem tuum.* Qua de re videndus est *Bernard.* ad eundem locum. Attamen humeros potius supposuit, quia tanto peccatorum oneri sustinendo aptiores quidem sunt, quod rectè tetigit *Ambros. lib. 7. in Luc. c. 15.* cum dixit. Humeri Christi crucis brachia sunt, illic peccata mea deposui, & in illa nobilis patibuli ceruice requieui. Latius hoc prosecutus est in *Psal. 118. oct. 20.* vbi ait. Pro rationabili grege Christus se ipsum passioni corporis non negauit, vt ouem lassam, crucis suæ humeris superponens pij oneris functione recrearet.

[Isai. 53. num. 6.] [Isai. 53. num. 4.] [Leu. 16. num. 21.] [Isai. 50. num. 6.] [Psal. 90. num. 12.]

A

Hinc est, quod crucem subiturus oues suas monet, vt iam dormiant, & requiescant, omnemque prorsus timorem abiiciant, vtpote quæ iam iã imponẽdæ essent
B humeris illius pastoris, qui eas saluas, & incolumes reduceret, sic enim interpretatur *D. Hylar. in Can. 33. in Matth.* ea verba Christi Domini ad discipulos suos: *Dormite iam, & requiescite, &c.* Vt ironiam minimè contineant, imò potius omnimodam securitatem introducãt. Metum inquit ille, demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur, quod idem voluisse videtur *D. Leo ferm. 5. de Passione.* Videndúsque est ea de re *D. Bernard. ferm. 28. in Cant.* cum exponit illud *Ioann. 11. Expedit*
C *vt vnus moriatur homo, & non tota gens pereat.* Expedit, inquit ille, vt vnus pro omnibus denigretur, & non tota gens in nigredine condemnetur peccati, splendor, & forma substantiæ Dei obnubiletur in forma serui, pro vita serui, candor vitę æternæ nigrescat in carne pro carne purganda, obscuretur in passione, turpetur in cruce, pallear in morte, ex toto non sit ei species, neque decor, &c. quibus ostendit lassas oues in via iniquitatis, requieuisse tandem humeris huius pastoris deporta-
D tas. Vnde Dauidi dicenti de Deo, *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Addere iam possumus, & dicere: Non tantum sub pennis eius sperabimus, sed super eius etiam pennas, neque tantum scapulis suis obumbrabit nobis, sed super scapulas etiam arrollet nos, vt erigat, & exaltet vsque ad habitaculum sanctum suum, regnum scilicet cœlorum.

[Matt. 26. num. 45.] [Ioan. 11. num. 5.] [Psal. 9. num. 4.]

Hanc etiam in humeris deportationem, & exaltationem nostram prænunriauerat Dauid cum dixit: *Supra dorsum*
E *meum fabricauerunt peccatores.* Vbi verbum, fabricandi, quanquam commune sit pluribus artificibus; de ærariis, ac ferrariis dictum putat *Agellius.* Sensúsque est: Sicut fabri ærarij, aut ferrarij, ferrum, aut æs malleis ad incudem feriendo deducunt, sic, & iniqui quasi dorsum meum deducerent, percusserunt. Quod si modus ille loquendi communis est artificibus, rectè quidem quadrare videtur in Christum

[Ps. 128. num. 3.]

ſtum Dominum,quem dum impij percuterent flagellando, iteratis ictibus nobis coronas fabricabant,quibus in gloria coronandi ſumus,& licet fabricauerint ſupra dorſum illius, nobis proculdubio coronas fabricabant, cum ipſe ſupra dorſum ſuum nos aſſumpſerit,& in humeris exaltauerit,rectéque hoc cognoſcentes ſeniores illi cælorum, *Mittebant coronas ſuas ante thronum agni.* *Apoc.4. num.9.*

Eſt autem hoc in loco aduertendum *Aquilam, & Theodor.ac Genebrar.* ex Hebræo legere: *Supra dorſum meum araneruut aratores,& produxerũt ſulcum ſuum.* Quod etiam habet *Galatinus lib.8.de arcanis. cap.*13.imò ipſe addit:*Supra corpus Meſſiæ arantes araturi erant*, quia illud Iudæos crudeliſſimè cædere viderat; & ſuper ipſum, ſulcum,& arationes prolongaturos nouerat. Huius autem vaticinij veritatem nobis expoſuit *B. Brigitta. lib.* 4 *cap* 70.dicens: Flagellis aculeatis, infixis aculeis, & retractis, non vellendo,ſed ſulcando totum corpus eius laceratur.Vides igitur ſulcationes aratorum ſuper dorſum illius paſtoris, qui nos in dorſo portauit, imò & noſtra ſcelera reportauit: nec mireris ſi aratores videas nuncupari à Propheta Rege Chriſti percuſſores, ſic enim aperta eſt ſacratiſſima Chriſti caro, & lacerata, vt potiùs aratris aperta, & in ſulcos deducta terra videretur, quam percuſſa, & flagellata caro,id tamen fieri oportebat,vt inde reſurgeret meſſis multa, quæ in vitam æternam ſurrectura prodiret.

Licet verò *Ioannes Maldonat. in c.* 27. *Matth. n.* 26. dicat conſtare minimè poſſe,quibus flagellis Chriſtus Dominus fuerit flagellatus,& inanis curioſitatis eſſe aſſerat iſta perquirere, præſens hic locus anſam præbet huic non inani inquiſitioni ſed vtiliſſimæ quidem, & quæ in commendationem maximam cedat illius Ducis,& Paſtoris qui nos humeris ſuis portauit, & reduxit. *Euthymius* igitur *Zigabenus* ait: Flagella ex funiculis, loriſque contexta fuiſſe, alij faſciculum ſpinarum opinantur: alij etiam catenas adhibent: alij primo funes craſſiores: alij mox additos ſcorpiones, alij fuſtes ſpineas, alij taureas & *S.Vincentius ſerm. de Paraſceue* ideſt, ſpinis, & vepribus Chriſtum flagellatum, mox flagellis aculeatis, tandem etiam catenis, in quarum extremitatibus vnci ferrei adhærebant:adeò vepribus durè, flagellis duriùs, catenis duriſſimè flagellatum,confirmat hoc ex *Euſeb. Emiſ-*

A *ſen. & Chryſoſt.in illud Iſai.*53.*Diſciplina pacis noſtra ſuper eum*, quam doctrinam ſecuti ſunt *Magiſter. hiſtor. ſcholaſt. Pipinus, & Lanſpergius.* *Iſai.*35.

In medio igitur iſtarum ſententiarum non diſplicet ea, quam affert *Frater Andreas Malon. ſacrarum literarum interpres Bononienſis in commentariis ad cap.* 6. *lib. de ſacris ſtigmat.* vbi exiſtimat Chriſtum Dominum flagellatum fuiſſe flagellis taxillatis. Sunt autem taxillata flagella eiuſmodi, aut colligatis oſſiculis, aut
B aſſiculis ferreis, & taxillis, quæ non ſolum concutiendi, ſed etiam pungendi, & feriendi vim habeant, neque etiam dubium eſt, vt ipſe oſtendit ex Auctoribus non inferioris notæ,quod huiuſmodi flagella in vſu fuerint olim apud Romanos, quorum more Chriſtus Dominus flagellatus eſt.Hanc ergo opinionem ipſe probat ex *B. Brigitta* loco ſupra citato, vbi flagella appellat aculeata,deinde ex *Lanſpergio lib.*3.*elucidationis in Chriſti paſſionem*, vbi ait. Ligato Domino acceſſerunt
C quatuor viri robuſti Chriſtum flagellaturi, & flagellis, virgis, ac ſcorpionibus, in quibus erant vnci ferrei Chriſtum flagellarunt. Idem repetit *homil.* 32. *de Chriſti paſſione*,& in corde B. Claræ de cruce teſtatur *Iſidorus Muſenius in eius vita*, inter alia Paſſionis Chriſti inſtrumenta,quæ eius cordi Chriſtus impreſſerat, etiam nunc videri flagellum ex quinque flexis neruiculis nodis pluribus reunctum. Accedit illud, quod ex perſona Chriſti dicitur *Lanceis ſuis circumdederunt lum-* *Iob.* 16.
D *bos meos*, nam ad inſtar lanceolarum fuerunt ea flagella taxillata. Denique Romæ in Eccleſia ſanctæ Mariæ in via lata inter cæteras reliquias oſtenditur eiuſmodi flagellum, quo Chriſtus flagellatus dicitur. Ex quibus probabiliter habetur Chriſtum Dominum prædictis taxillatis flagellis fuiſſe cæſum, quæ accommodatiſſima erant inſtrumenta ad aperiendos ſulcos, ſcindendamque eam ſacratiſſimam carnem, & ſanctiſſimum corpus, ſupra cuius dorſum impoſita
E ſunt peccata noſtra omnia, vt ea purganda,& ſoluenda portaret. *num.* 15.

Hoc autem, vt clarius innoteſcat, aduertendum eſt in ſacro ſermone verbum hoc,*portare*, ſolutionem, & purgationem ſignificare, vt patet, *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, teſtiſque fuerit, niſi indicauerit portabit iniquitatem ſuam*, ideſt, ſuſtinebit pœnam iniquitatis ſuæ, vel publicè, vel occultè, vt ibi expo- *Leuit.* 5. *num.* 1.

fuit *Lyranus*. Similiter etiam loquens sacer tex. de hostia pacifica ait: *Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus, portabitque iniquitatem suam quia sanctum Domini polluit, & peribit anima illa de populo suo.* In quo etiam sensu exposuerunt LXX. locum illum citatum, *Dolores nostros ipse portauit*, legentes *peccata nostra ipse portat*, Et D. Petrus dixit. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, vbi Syrus magis exponens habet, & *baiulauit omnia peccata nostra, ea que sustulit in corpore suo ad crucem. Hier.* verò clarius ad rem nostram *lib.* 2. contra Iouinianum, adhibet verbum, *Portandi*, assertque typum Iesu Sacerdotis gerentis sordidas vestes, de quo *Zacharias* in *cap.* 3. quod plures alij faciunt. Et *Cyrill. Alexand. lib.* 4. *in Ioan. cap.* 12. legit. *Delicta nostra ipse corpore suo in lignum tulit.* Et *Athanas. Orat.* 4. *contra Arrianos. Efferens peccata nostra in crucem vnà cum corpore suo.*

Leuit. 19. *num.* 7. *Isai.* 53. *num.* 4. 1. *Petr.* 2. *num.* 24. *Zach.* 3. *num.* 3.

Ex quibus omnibus facilè colliges, verbum, portandi, cum adiungitur peccatis, aut simili alicui rei, significare solutionem, aut satisfactionem pro pœnis peccatis debitis, qua de re videndus est *August. in Enchirid. cap.* 41. *& qu.* 12. *in librum Numer.* Et *lib.* 2. *contra Maxi. cap.* 2. In hoc igitur sensu possumus dicere huic nostro Dnci; *Portasti nos ad habitaculum sanctum tuum*, quando iniquitates nostras portauit, & pœnas quas merebamur soluit, vt liberum nobis pateret iter ad sanctum habitaculum cœlorum per mediam ipsius passionem, quod antea omnino clausum erat.

Neque ob hoc tantummodo portauit peccata nostra, sed quia lassati eramus in via iniquitatis, per quam ab eo fugientes decurreramus, etenim qui ignota, difficilique incedit via, quam citissimè defatigatur, innumera currit pericula, & præcipitiis se ipsum collidit, præsertim in tenebris, & in solitudine, vbi nec videre potest, nec quenquam de via interrogare, non mirum proinde, si lassati defatigemur, laceratósque pedes ex huius sæculi spinis, & itineri peragendo ineptos habeamus, impij siquidem *seruierunt Diis alienis die, ac nocte qui non dabunt eis requiem, Ieremias* 16. *Menses quidem vacuos habent, & noctes laboriosas sibi enumerauit, Iob* 7. *Molam circumagunt velut Sampson ludibrio habiti, Iudic.* 16. *Plus decem vicibus mutatur eis merces, illasque decepti fraudantur*, *Genes.* 31. Vnde Auctor

Ierem. 16. *num.* 2. *Iob* 7. *num.* 3. *Iudic.* 16. *num.* 21. *Gen.* 31. *num.* 7.

operis imperfecti in *Matth. homil.* 18. probè ostendit, maiores labores, ac sollicitudines pati peccatores in via iniquitatis, quam seruos Dei in via iustitiæ, in cuius rei confirmationem præter alia affert locum illum. *Contritio, & infelicitas in viis eorum*, & certè iniquitates, *sicut onus graue, grauantur super iniquos, Psalm.* 37. Et sunt velut *talentum plumbi*, de quo *Zachar.* 5. Proinde ipsa iniquitate, & iniustitia impij fatigantur, & torquentur, sicut eleganter prosequitur *Gregor.* 4. *moralium, cap.* 30. Et *D. Chrysost. in Psal.* 139. *& homil.* 7. *in Acta Apost.* vbi plura hæc de re habet.

Psal. 13. *num.* 13. *Psal.* 37. *num.* 5. *Zach.* 5. *num.* 7.

Cùm ergo *impij ambulent difficiles vias*, sicut dixit, *Sapiens cap.* 3. seu, vt legit *Cyprian. ad Demetr. de exhortat. Martyr. cap.* 13. *& Gaudentinus* 3. *ad Quirinum cap.* 16. *Solitudines difficiles*, remanerent peccatorum suorum aculeis implicati, & veluti multiplicatis nodis concatenati nisi verus, ac bonus Pastor misericordia ductus eos quæreret, & humeris suis reportaret, quod prosequitur *D. Hieron. epist.* 146. *ad Damasc.* vbi ait. *Ouem quærit, & inuenit, & inuentam suis humeris reportat, multum enim errando laborauerat, &c.* Similia habet *D. Ambros. in Psal.* 118. *octon.* 20. *&* 22. vbi ait. Inuentam ouem Pastor humeris imponit suis. Agnoscis vtique mysterium, quomodo ouis lassa reficiatur, quia non potest aliter humana conditio lassè recreari, nisi sacramento Dominicæ passionis, & sanguinis Iesu Christi: *Cuius principiũ super humeros eius. Isaiæ* 9. In illa enim cruce infirmitates nostras portauit, vt ibi omnium peccata vacuaret, &c. quæ prosequitur.

Sap. 5. *num.* 7. *Isai.* 9. *num.* 6.

Periit ouis ea, quæ fatebatur: *Erraui sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum.* Quæsiuit, ac requisiuit eam per Nathan, & vbi perditionem suam agnoscens dixit: *Peccaui Domino*, 2. *Reg.* 12. statim illi ait Propheta; *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Si verò quæras, quonam transtulit Deus peccata Dauid? In promptu est responsio; transtulisse, scilicet in humeros Pastoris quærentis ouem, quæ perierat, & imponentis eam super humeros suos, cuius reductionem memoriam apud posteros ita celebrem esse voluit (quia & illi maximæ gloriæ, & honoris fuit) vt eam pro encomio, & stemmate pastoralis dignitatis perpetuo visendam reliquerit, qua de re videndus *Cardinalis Baronius tom.* 2. *Annalium, vbi Isidor. Pelusiot.* docet, Pallium

Psal. 118. *num. vlt.* 2. *Re.* 12. *num.* 13.

ſium Pontificale honorificum indumentum ouem indicare, ſiue ouis pellem, quam Paſtor perditam quæſiuit, & ſuis humeris reportauit, vt iam nihil honorificentius conſpiciatur in Pontifice, imò & inſigne, ac ſymbolum Pontificij honoris ſit imago & memoria illius ouis, quam inuentam Dux, & Paſtor humeris ſuis attulit ad habitaculum ſanctum ſuum. Sic ergo habet *Iſidor. Peluſiot. epiſt. 136. ad Herminium.* Id amiculum, quod Sacerdos humeris geſtat, atque ex lana, non ex lino contextum eſt, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat.

Neque mirum ſi honoretur Pontifex, & ornetur hoc decore allatæ, & ſuperpoſitæ ouis ſuper humeros Chriſti Domini, quando olim iam in figura eodem ſtemmate decorabatur in ſynagoga Summus Sacerdos, etenim in illa veſte, quæ ſuperhumerale dicebatur, eo quod humeros, armos, & ſcapulas ab anteriori, & poſteriori parte corporis veſtiret vſque ad cingulum id figurabatur. Et *Hier. epiſt. 127. ad Fabiolam* ait: Huius nominis portationis cauſam eſſe, vt Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum nomina populi, pro quo rogaturus eſt Dominum, portet in humeris. Vbi ſanctus Do-
Exo. 28. num. 9. ctor meminit illius text. vbi dicitur. *Sumes duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël, ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum: opere ſculptoris, & calatura gemmary ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël incluſos auro, atque circundatos, & pones in vtroque latere ſuperhumeralis, portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum ob recordationem.* Si verò memineris nos iam ſuperius *verſu 3. huius Cantici* apertè oſtendiſſe in ſacro text. nomina pro rebus, & perſonis plerumque accipi, facilè inde deduces, nihil aliud eſſe huiuſmodi portationem nominum filiorum Iſraël, quàm indicium, & ſignificationem, quod Summus Pontifex gentem illam ſuis humeris coram Domino deportabat, vt inde colligeremus *Pontificem futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum qui ſemel introiuit in ſancta, eum ſuper humeros reportaturum*, quod iam tam multos ante annos decorem, & gloriam Pontificibus gentis illius impertiebatur,
Iſai. 9. num. 6. *Nam Principatus* Chriſti Domini *factus eſt ſuper humerum eius*, ideſt, gens in qua

A principatur, & imperat, ponitur enim ibi abſtractum, pro concreto, quemadmodum *Pſal. 103.* & *herbam ſeruituti hominis*, ideſt iumentis ſeruientibus homini, nam bruta *Pſa. 103. num. 14.* Deus initio ad vſum hominis procreauit: *Principatus* igitur, ideſt, gens, cui velut Princeps dominatur, *ſuper humeros eius* *Pſa. 109. num. 3.* defertur, in hoc enim ſenſu accipiendus eſt eo in loco *principatus*, ſeu *principium*, vt alij legunt. Patetque ex *Pſalm. 109.* ibi. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Vbi *Chryſ. & Epiphan.* contra Paulum Samo-
B ſat. & poſteriores *Chryſoſt. Theod. Anaſtaſius*, & alij multi Græci, ac Latini *principatum* intelligunt, & certè in Hebræo eſt, *Nedibuth*, quod nomen principatum indicat, ſignificat autem principatus populum, ac gentem, cui Princeps dominatur. Vnde *Vatablus* legit: *Habes promptiſſimum populum*, eſt ergo ſenſus prædicti loci *Iſaiæ*: quod principatus, ac populus noſtri Paſtoris ſuper humeros eius deportatur ab eo à via perditionis ad habitaculum ſanctum ſuum.

C Neque verò tanto onere prægrauatur, ac deprimitur miſericors Paſtor, & Dux, nam ſicut dixit Paulus *Charitas omnia ſuffert*, *1. Cor. 13. num. 4.* *omnia ſuſtinet*, vbi poſterius verbum, *ſuſtinet*, non idem prorſus ſignificat, ac verbum *ſuffert*, patientiam ſcilicet, ſed potius fortitudinem, idemque valet, ac ſi diceret Apoſtolus, *omnia portat*. Vnde & ille Summus Pontifex, qui nomina filiorum Iſraël duobus lapidibus inciſa humeris deportabat, etiam in pectore duodecim in lapidibus inſculpta deferebat
D veluti in corde, vbi ſedes amoris eſt, vt inde omnibus innoteſceret, ideò tanto onere minimè Pontificem prægrauari, quia populum illum, quem humeris reportabat, in pectore quidem, ac corde amando geſtabat, quæ fuit ratio cur inuenta, ac reportata oue, bonus Paſtor conuocauerit amicos, & vicinos, non iam vt oui congratularentur, cui iure optimo debebatur gratulatio, quandoquidem vtilitas, & felicitas tota potius videbatur ad ouem pertinere, quam ad Paſtorem, qui ſine
E omnibus beatiſſimus eſt, ſine alterius cuiuſquam conſortio ſibi omnino ſufficientiſſimus, idque ſignificat nomē Hebræum, *Sebadai*, ſicut notauit *D. Epiphan. hæreſ. 40.* & pleríque alij, & Elyphas dixit. *Quid* *Iob. 22. num. 3.* *prodeſt Deo ſi iuſtus fueris, aut quid ei confert ſi immaculata fuerit vita tua? &c.* Vbi *D. Gregor.* ait: In omni, quod benè agimus, noſmetipſos, non autem Deum iuuamus, &c. Qua de re videndus

*Augustin.lib.*10. *de ciuitate Dei,cap.*5. & *Epist.*5. *ad Marcellinum.*

Cum ergo nihil emolumenti ex inuenta oue illi accresceret, postular sibi, non oui repertæ gratulari, quia maxima erga eam charitate afficiebatur, iam verò consuetudo est amantibus, sicut dixit *Chrysostom. homil.*16. *ad populum*, & illis magis affici, quæ pro amaris patiantur, quam in his, quæ ab ipsis beneficia capiant, quod summopere probar nostri Doctoris misericordiam, & benignitatem, quando humeris suis, nostras iniquitates deportans, nihil dolores curat, vt tristetur, sed inuentæ ouis recordatur, vt gratulationem postulet, & dilectionem testetur.

Cum ergo nos Deus portauerit, probra, & supplicia pro nobis sustinendo, *Hebr.*13. *num.* 13. æquum profectò est, vt *& nos exeamus improperium eius portantes.* Sicut monet *Paul. Hebr.*13. idest, nullas omnino delitias quærentes, sed patientes contumelias, & aduersa quælibet, ea enim omnia nomina improperij, seu crucis Christi Domini Scriptura comprehendit, quæ cum à nobis potius exigenda, & soluenda essent, iure eadem debemus portare. *1.Petr.*2. *num.* 42. *Vt peccatis mortui, & mundo crucifixi iustitiæ tantum viuamus*, sicut dixit *Petrus* 1.*Epistol. cap.*2. vt scilicet non habeamus operationes peccati, neque operemur ex concupiscentia, sensu, & voluntate propria. Sic enim exposuit *D. Chrysostom. in Epist.ad Rom.cap* 2. mortuum esse peccato: iure enim Christo Domino debemus viuere peccatis omnino mortui, qui pro eisdem peccatis omnibus mortuus est, & crucifixus.

Vel etiam & quia nos ipse portauit in corpore suo, & in humeris suis debemus eum etiam portare in corpore nostro, iuxta *1. Cor.*6. *num.* 20. monitum *Pauli*, *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, quasi dicat, non in anima tantum, sed in corpore etiam portate, quæ verba sic explicat *D. Thom.ibi.lect.*3. *in fine* · quia membra vestra *Psal.* 72. *num.* 22. templum sunt Spiritus sancti. *Glorificate Deum in corpore vestro*, quia dicitur: *Et in templo eius omnes dicent gloriam*, quia verò non estis vestri, sed serui Dei, iuxta illud ab eodem *Paulo* proximè dictum, non estis vestri, *empti enim estis pretio magno*, debet corpus vestrum portare Deum, sicut equus portat Dominum *Psal.* 72. *num.*22. suum. Vnde dicitur; *Vt iumentum factus sum apud te, &c.*

Quia insuper & Christus Dominus A nostra peccata à sanctitate ipsius longè aliena soluenda, & luenda portauit, debemus & nos aliena etiam peccata, & fratrum nostrorum deffectus, errores, infirmitatesque sustinere, ferendo quidem, dissimulando, & corrigendo, ne tandem, ipsi si imbecilliores fuerint deficiant, & corruant, & nos, qui subleuare debebamus corruendi potius ansam præbere videamur. Dixit hoc *Paulus*, *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* *Rom.* 15. *num.*1. Vbi *Apostolus*, sicut aduertit *Cardi-* B *nalis Toletus* metaphoram sumit baiulorum, qui onus patienter ferunt, & sustinent, prosequitur hanc doctrinam *D.August.tom.*9.*tract.*17.*in Ioan.* cum expendit Christum Dominum sanato paralytico dixisse: *Surge, tolle grabatum tuum & ambula.* *Ioan.*5. *num.*8. *Quid enim in grabato*, ait August. *obsecro te? Quid nisi, quia ille languidus grabato portabatur? Sanatus autem grabatum portat? Quid dictum est ab Apostolo inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* *Galat.* 6. *num.*2. *Lex ergo Christi chari-* C *tas est, nec charitas impletur nisi inuicem onera portemus, Sufferentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* *Ephes.*4. *num.*2. *Cum esses languidus portabat te proximus tuus, sanus factus es, porta proximum tuum, inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Porta ergo eum cum quo manere ambulas, vt ad eum peruenias cum quo manere desideras, sed cum tuleris noli remanere, ambula diligendo proximum, & curam habendo de proximo tuo.* Sic ille.

D Cui addendus *Gregor.lib.*3.*moral.c.*14. Cum ponderat Iobum amicos appellasse eos, qui formam, & verba potius inimicorum videbantur habere, quia scilicet Sancti viri amicissimum habent animum erga quemlibet hominem, vt eum portent, ferant, ac sustineant. *Nec mirum*, inquit ille, *quod qui aduersantium formam exprimunt nominentur amici, cum ipsi quoque traditori dicitur, Amice ad quid venisti?* Matth.26. *Mat.* 26. *num.* 50. *Et diues qui inferni igne exuritur Abraham filius vocatur.* Luc. *Luc.*16. *num.* 25 E 16. *Quia etsi per nos mali corrigi negligunt, dignum tamen est, vt à nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur.* Sic ille. Quibus similia habet 8.*moral. capit.*1. ad illa verba *Iob.*6. *Iob* 6. *num.* 27 *Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum vestrum.* Sic ergo habet, quia ab amore recedere charitas etiam læsa nescit, & subuerti velle sequitur, & tamen amicum se esse testatur.

Neque

Neque verò hoc in loco omittenda doctrina *D. Ambros.* qua ostendit, & amicos, & inimicos à nobis patienter esse sustinendos, etiam si contra nos delinquant. Sic enim habet *serm.* 10. *Si te non læsit frater obsequium meretur, vt diligas, quod si forsitan læsit magis obsequium meretur, vt vincas, hæc enim nostra Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus, qui enim fuerit patientior ad iniuriam potentior constituetur in regno.* Sic ille. Facit etiam pro hac re *Chrysostom. homil.* 62. *in c.* 18. *Matth.* vbi ponderat Christum Dominum Petro interroganti quoties deberet dimittere offensam fratribus, dixisse: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies*, qua quidem oratione, inquit ille, nullum omnino numerum posuit, sed indefinitè continuè, ac semper significauit, nam sicut milites infinite designat, sic quando hic numerus dicitur plerumque multa indefinite, atque indistinctè denotantur, veluti cum dicitur, quia *sterilis peperit septem.* Non ergo certo numero indulgentiam conclusit, sed continuò, atque semper indulgendum esse denotauit, quod & sequenti parabola confirmat, nam ne videatur difficilia & onerosa imperare cum septuagies septies dixerit, confestim parabolam adiunxit (scilicet de homine Rege dimittente decem millia talenta seruo suo) vt & dictum communiter præceptum, & iactantem in hoc deprimeret, & facilitatem rei ostenderet. Quocirca misericordiam quoque suam in medium adduxit, vt hac collatione facilius discas etiamsi septuagies septies indulseris, etiamsi cuncta simpliciter proximo peccata demiseris, tantum quantum aquæ stilla ingenti mari comparata: tantum imò vero multo etiam magis, misericordia tua ab infinita Dei bonitate distabit.

Mat. 18. *num.* 22.

1. *Reg.* 2. *num.* 5.

Mat. 18. *num.* 27.

Conducit autem maximè ad portandas alienas infirmitates, si alterius defectibus, nostrorum meminerimus, sicut dixit *D. Leo serm.* 10. *de Quadragesima.* Pulchrum, inquit, valdè est, & diuinæ beneuolentiæ comparandum sui quemque in altero meminisse, & amare propriam etiam in hoste naturam, siquidem plurimos nouimus in optimos mores trãsiisse de pessimis. Et *serm.* 11. apud Summum Patrem qui non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum. Vbi notandus, & euitandus pariter venit ille seruus nequam, cui domi-

A nus dimiserat decem millia talenta, statim atque ille deprecatus dixit: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Et cum dilationem solummodo temporis, ac prorogationem tantum postularet, Dominus multo magis, quam petiit, videlicet totius debiti solutionem, vltrò concessit, *Inde verò exiens*, oblitus tanti debiti sibi dimissi, *inuenit vnum de conseruis suis, qui sibi debebat centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes, ille verò dicebat. Pa-*
B *tientiam habe in me, & omnia reddam tibi, ille autem noluit, sed abijt, & misit eum in carcerem donec redderet debitum.* Obseruat autem ibi *Chrysostom. homil.* 62. conseruum debitorem eisdem omnino verbis patientiam postulasse a creditore suo, quibus ille à Domino suo tanti debiti plenam solutionem acceperat, nec tamen fuisse exauditum. Ne verba, inquit *Chrysost.* ipsa veritus est quibus salutem acquisiuit, his enim ipse dictis mille talentorum debitum euitauit. Ita nec por-
C tum quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euasit, nec modus ipse supplicationis ad misericordis Domini memoriam eum reduxit. Dominus autem: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Super quæ verba acutè sanè obseruat *Chrysostom.* acerbius inuectum Dominum obiurgasse seruum, & acrioribus verbis exprobrasse postquam misericordiæ in conseruum suum oblitus est, quam cum
D ipsi centum millia talentorum debebat. *Quando decem millia talenta*, inquit, *debebantur, non conuitiatus debitori, sed misertus fuit, quando verò aduersus conseruum crudelitatem exercuit, tunc nequam, atque improbum seruum appellauit, audiamus omnes qui crudelitate occupati neminem miseramur, audiamus, inquam, qui non in alios, sed aduersus nos ipsos sæuitiam exercemus. Quare cum peccati alieni recorderis, cogita tibi ipsi, non alij detrimentum inferre: tua enim, non proximi*
E *peccata in falcem colligis, & tu quidem quidquid aduersus delinquentem operatus fueris in præsenti vita, hæc vt homo facis: Deus verò non ita, sed maioribus, ac æternis supplicijs te puniet, quid igitur deterius memoria, peccatorum, ac vltione, quæ tot, tantáque diuina dona euertere posse videatur? Quid autem hæc parabola sibi voluit? Sic, ait, faciet vobis Pater meus si non dimiseritis vnusquisque fratri suo. Non dixit*

Mat. 18. *num.* 26.

Pater vester, sed Pater meus, non enim di- A
gni sunt isti, quorum Deus Pater vocetur,
cum ita nequam sint, vt homines odio pro-
sequantur, qui sua cogitant ad dandam
conseruo veniam, non ore solum, sed corde
facilior est. Nunquam tantum tibi doloris
afferre alius poterit, quantum ipse tibi si
recordatus ira vindictam quaeras, & aduer-
sus teipsum sententiam Iudicis attrahas.
Diligenter igitur studeamus ne quemquam
odio habeamus, si volumus vt nos quoque
à Deo diligamur. Vt quamuis decem mil-
lium talentorum rationes essent referendae, B
misericordia motus cuncta nobis remittat.
Tecum crebro verte, quia Christus ad cru-
cem iturus ipse quidem gaudebat, de cruci-
figentibus autem lacrymabatur. Imitare Io-
seph, qui ad seruitutem vsque, fratrum in-
Gen.42. *iuria traditus, beneficio suo sponte ipsos sub-*
Exod.32. *leuauit: imitare Moysem, qui post mille*
Rom.9. *iniurias pro populo deprecabatur: imitare B.*
Paulum qui quamuis mille à Iudaeis affli-
Exod.32. *ctionibus quotidie premeretur, anathema ta-*
num. 11. *men esse pro salute ipsorum volebat: imita-*
Rom.3. *re Stephanum, qui dum peteretur lapidi-* C
num. 3. *bus, vt hoc peccatum lapidantibus remitte-*
Actor.7. *retur orabat.* Sic *Chrysostomus* ostendit
num. 60. quomodo fratres nostros, eorúmque de-
fectus, & infirmitates debeamus porta-
re, vt nostrae faciliùs à Deo remittantur.
Videndúsque erit pro hac re *Plutarchus,*
lib. de audiendo, vbi inter alia ait. *Platonis*
hoc. Nec poeniteat te cum peccant alij, ti-
bi ipsi succlamare. Num vbi verò ego ta-
lis? Siquidem vt elucentia in oculis pro-
ximorum nostra cernimus. Item dum ha-
bentur orationes, debemus in alienis ef- D
fingere nostras: vt ne & ferociter nimium
alios fastidiamus, vt nobis ipsi in dicen-
do attendamus acrius, &c.

Sicut autem Diuinus ille pastor perdi-
tam ouem quaesiuit, vt portaret, ac re-
duceret, sic etiam voluit, vt qui imbecil-
litates aliorum portare voluerit, imbe-
cillum fratrem quaereret, eiúsque defe-
ctus quoad fieri posset leuaret. Notauit
hoc *D. Hieronym. in cap. 5. Matth.* cum
ponderat Christum Dominum in Euan-
gelio iussisse, vt etiam in altari positi, & E
iam iam immolaturi, si fortè recordare-
mur fratrem nostrum, quidquam scanda-
li aduersus nos habere, ipsum precaturi
conueniremus, *Matth. 5.* Cum potius hu-
mana ratio postulare videretur, vt qui
aliquid dimittendum haberet fratrē quae-
reret ad dimittendam illi offensam, ne
alioqui si is, qui eum laeserat offensum
adiret, eius iram, & furorem magis ac-

A cenderet, & denuò veluti irritans prouo-
caret. Vide, inquit *Hieronym.* quid dicat,
non dixit, *Si habes aliquid contra fratrem*
tuum, sed si aliquid frater tuus habet con-
tra te, rem quasi iniustam videtur nobis
imponere: si enim dixisset, si habes ali-
quid contra fratrem tuum, in nostra
erat potestate, quod habeamus, nunc ve-
rò quid dicit? *Si recordatus fueris ibi, quod*
frater tuus habet aliquid aduersum te, &c.
Respondeo ei, non est hoc in mea pote-
state. Si frater meus aliquid habet con-
B tra me, ego nihil contra eum habeo, &
quare non vis suscipere munus meum?
Respondet tibi Dominus, male serue in-
telligo animum tuum, nihil habes contra
fratrem tuum: amas illum? Quare ergo
saluari eum non vis? Si amas illum, vade
roga eum, ne ille contra te habeat, vt sal-
uari possit. Vade roga eum, mitte te ad
pedes eius, &c. Vbi diuinus Pastor iubet,
vt ipsum imitemur in quaerendis ouibus
ipsius deuiantibus à recto itinere, & de-
flectentibus à via charitatis, vt instar il-
C lius, qui perditam ouem suis humeris re-
portauit, imbecillorum infirmitates su-
stineamus.

Pro qua etiam re facit *Chrysost. homil.*
61. in Matth. cum explicat illa verba vbi
Christus Dominus ait. *Si peccauerit in te* Mat. 18.
frater tuus, vade & corripe eum inter te, num. 15.
& ipsum solum: si te audierit, lucratus eris
fratrem tuum. Perspice, inquit ille, quomo-
do ipsos etiam comprimit, atque coërcet,
& inter duos solummodo redargutionem
fieri iubet, ne scilicet testimonio, multitu-
D *dinis grauiori accusatione visa, dedigna-*
tus ille, duriorem se ad corrigendum prae-
beat. Ideò dico inter te, & ipsum solum.
Et siquidem te audierit, lucratus es fra-
trem tuum. Non dixit satisfactum tibi est,
cum hoc modo animaduersum esse in ipsum
videatur: sed lucratus es fratrem tuum,
vt designaret communiter vtrique inimi-
citias esse detrimento: nec dixit, effecisti,
vt frater tuus seipsum lucraretur, sed tu
fratrem lucratus es. Ita significauit vtrum-
que iacturam fecisse, alterum fratris, alte-
E *rum propriae salutis. Id ipsum etiam cum in*
monte sedebat, admonebat, cum ipsum, quid Matt. 5.
commisit ad eum cui fuit iniuriatus mit- num. 24.
tens; Si enim munus tuum ad altare attule-
ris, ait, ac ibi recordatus fueris, quia fra-
ter tuus aduersum te aliquid habeat, vade
primo, & reconciliare fratri tuo. Tum ipsum,
qui passus iniuriam est remittere proximo
peccata iubens. Dimitte námque, ait, debita
nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus
nostris.

nostris. Nunc vero alium quendam modum
induxit, nec eum, qui fecit, sed eum qui
passus iniuriam est, primo reducit. Nam
quoniam non facilis, qui fuit iniuriatus, ad
satisfaciendum est, rubore, ac dedecore quo-
dam impeditus, eum qui passus est, ad illum
non temere, sed emendationis causa mittit,
non enim dicit, accusa, increpa, pœnas peti-
to: sed argue, inquit, nam cum ille partim
ira, partim rubore, quasi vino sopitus non
videat; opus est, vt tu, qui rectè vales ad
ægrotum proficiscaris, & priuato quodam
iudicio constituto, remedium facilius infe-
ras, nihil enim aliud est arguere, quam in
memoriam eius peccata reducere, ac ad
eum, qui passus sit exponere. Sic *Chrysost.*
qui explicans deinde cur addiderit Chri-
stus Dominus: *Si te non audierit assume*
tecum vnum, aut duos, vt in ore duorum,
aut trium testium stet omne verbum, ait.
Quid autem sibi vult in ore duorum, aut
trium testium stabit omne verbum? Ha-
bes iam testes, inquit, opus abs te tuum
ita esse confectum, vt nihil quod ad te
pertineat reliquum esse videatur.

Facit ad præsens argumentum id, quod
Act. 2. notauit idem *Chrysost. hom. 5. in c. 2. Act.*
num. 15. *Apostol.* cum Petrus benignè excusauit, &
leniuit illorum calumniam aduersus Apo-
stolos, qui dicebant eos esse plenos mu-
sto, dixit enim Petrus: *Non sicut vos æsti-*
matis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia.
Ait ergo *Chrysost.* Vides quam placida sit
excusatio, idcirco non dixit: non enim
sicut vos subsannatis, neque sicut vos ri-
detis, sed sicut suspicamini, volens osten-
dere illos non dedita opera fecisse, & ma-
gis illos ignorantiæ velamento honestat,
quam malitiæ crimine notat, *& homil. 6.*
ad illa verba eiusdem capitis, vbi de Chri-
Gen. 45. sto Domino dixit idem Petrus: *Hunc de-*
num. 5. *finito consilio, & præscientia Dei tradi-*
tum, &c. Sic ait, quasi illa Ioseph verba
diceret, quæ scilicet ille quoque ad fratres
dicebat: *Ne timeatis quod prodidistis me,*
non vos, sed Deus huc me misit, per manus
iniquorum, Iudam insinuat manifestans,
quod non simpliciter interemeritis. Sed
per iniquos viros.

Hæc eadem fuit ratio cur Moyses Do-
mino dixerit, propterea non esse audien-
dum, nec recipiendum sermonem suum
ab Israëlitis, qui incircumcisis labiis erat,
neque rectè, & expeditè loqui poterat, vt
sic potius culpā inculpabiliter in se, quam
in rebellem populum videretur conijcere.
Exod. 6. *Ecce filij Israel non audiunt me, & quomodo*
num. 12. *audiet Pharao? Præsertim cum incircum-*
A *cisus sim labijs.* Vbi *Oleaster* sic ait. Licet
eos incusauerit, quod eum non audiant,
culpam tamen huius rei in caput suum
reiicit, dicens, se ex defectu suo non au-
diri, quod videlicet incircumcisis labiis
sit. Benè quidem suis humeris portare po-
terat Israel Moyses, qui illius gentis du-
ritiem, & pertinaciam sibi potius impo-
nebat, ne illorum nequitiam exponere vi-
deretur, nouerat equidē Deum illi dixis-
se: *Porta eos sinu tuo, sicut portare solet* *Num. 11.*
nutrix infantulum, quam Moysis indolem *num. 12.*
B probauit etiam quando descendens de
monte cum Iosue tumultum populi voci-
ferantis audiens, dixit ad Moysem: *Vlula-* *Exod. 32.*
tus pugnæ auditur in castris, Cum tamen *num. 17.*
Moyses, reuelante Deo, rectè nouisset
quidnam esset, quod in castris contigerat,
& nihil adhuc illi dixisset. Vbi *Lyperanus*
ibi ait: Iosue verba indicant silentium
Moysi, qui illi non statim reuelauerat,
quod Domino indicante sciebat de popu-
li casu horrendo, non sunt enim aduersa
infelicia subito prædicanda, dum malum
C emendari nequit, & factum est irreuoca-
bile. Moyses autem præmonitus intelli-
gebat, quid sonus populi vociferantis pro-
tenderet, &c. Propterea ergo tacuit de
vociferante populo, quia irreuocabilis
erat idololatria illius, & eius defectū sibi
non potuit imputare, quo illorum ne-
quitiam suis humeris portare videretur,
portare tamen paratus erat, qui posteà
Domino dixit: *Aut dimitte eis hanc no-* *Exod. 32.*
xam, aut si non facis dele me de libro tuo, *num. 32.*
quem scripsisti.

D Hæc eadem fuit ratio cur Moyses scri-
bens totius mundi creationem, nihil
omnino retulerit expressè de Angelorum
conditione & natura, etenim si illorum
meminisset, consequens videbatur, vt pa-
riter, & eorum defectum, ac peccatum
proderet, cuius vtique manifestatio in
Angelorum dedecus tantum cedebat, cum
nullum prorsus remedium haberent, ne-
que emendari, aut corrigi possint, & ideo
potius silentio maluit præterire, docens,
vt si quando nullatenus possimus fratrum
E nostrorum imbecillitatibus subuenire, aut
lapsibus opem ferre, eos in medium mi-
nimè proferamus, sed silentio potius in-
uolutos relinquamus.

Denique nobis omnibus incumbit fra-
trum infirmitates portare, non solum to-
lerando, dimittendo, & excusando, sicut
hucúsque vidimus, sed etiam instruendo,
& ruinis subueniendo. Vnde dixit Paul. *Galat. 6.*
Fratres si præoccupatus fuerit homo in ali- *num. 1.*

quo

quo delicto, qui vos spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, alter alterius onera portate, &c. Supra quæ verba D. *Chrysostom.* hom. 1. de nomine Abraham acutè sanè aduertit Paulum præmisisse, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vt recordatione humanæ fragilitatis, nomine, homo indicata, mentos nos esse censeremus ad excusandos aliorum defectus, prout poterimus. Sic & magnus *Iob*, inquit ille, Veniam a Deo impetrare volens dicebat, *Quid est homo* (Iob. 7. num. 17.) *quod reputas eum, & visitatione... peccatorum fecisti.* Sic & nos faciamus, quando cum peccatore aliquo expostulamus, continuo dicamus, homo es, ac naturæ recordatione ad misericordiam stomachantes prouocemus, & ea de causa Paulus ad naturam, & eius infirmitatem confugit, cum dixit: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos, qui spirituales estis, &c.* Is, qui peccat homo, qui bene operantur spirituales dicuntur, si spiritualis es, ostende mihi virtutem tuam non à tua, sed à mea salute, sed in subsidio, quod lapso fers, hoc enim spiritualis est, non despicere sua membra periclitantia, instruite talem, facite, ait, ne capi possit, ne errando desarigetur, ne præliando aduersus Diabolum succumbat. Et post multa ad rem nostram sic concludit. Curam igitur geramus fratrum nostrorum, hæc summa vitæ nostræ est, hoc signo internoscimur an Christiani simus, cum non solum quæ nostra sunt spectamus, sed & membra nostra peruersa corrigimus, & instruimus. Hoc maximum indicium fidei: *In hoc cognoscent omnes,* (Ioan. 13. num. 35.) inquit Christus *quod discipuli mei estis, si dilexeritis inuicem*, charitatem autem sinceram declarat non communio mensæ, non breue colloquium, non verborum adulatio, sed studium, & sedulitas in considerando quid proximo conducat, vt erigatur qui cecidit, & porrigatur lapso manus, vt ante bona propria, inquirantur quæ proximi sunt. Hæc est germana charitas, nam *charitas non quærit quæ sua sunt*, sed (1. Cor. 13. num. 5.) prius videt, ea quæ proximi sunt, quam quæ sua. Et ergo nunc non propter me ipsum tam prolixis sermonibus vtor, sed propter vos. Igitur & vos audite non propter vosmetipsos, sed propter alios à vobis erudiendos, &c. Quæ in eandem sententiam prosequitur, quibus ostendit quomodo debeamus aliorũ infirmitates portare docendo, illuminando, & subleuando proximos nostros, quæ eadem repetit idem *Chrysostomus homil. de Moyse.*

A Est optimus pro hac re locus ille cum Ioseph fratribus qui ipsum vendiderant, (Gen. 45. num. 5.) rem Deo retulit, & diuinæ prouidentiæ, non in culpam, & nequitiam eorum vertit. Vbi *Philo* pro Ioseph loquens ait: Hunc casum non vobis imputo, sed Deo, qui me suorum beneficiorũ difficillimis temporibus humano generi exhibendorum ministrum, executorémque esse voluit. Id verum esse, his quæ videtis, credite, totius Ægypti procuratio mihi commissa est, Rex honorem mihi habet, &c. Quod non B iactanter dico, sed vt intelligatis neminem mortalem potuisse seruo tãtam conferre felicitatem. Deus extremam calamitatem, miseriámque in summam felicitatem vertit, qui solus est omnipotẽs. Id cum mihi sit persuasissimum, non est cur timeatis, deponite omnem sollicitudinem, lætitiam recipite. Sic ille, qui optimè ostendit duplicem magnanimum Ioseph, dum scilicet bona, quæ habet à solo Deo sibi concessa credit, non magni scilicet ab eo facienda, si ab alio recepisC set, & mala quæ passus est, propositis præsentibus bonis, despicit, & à Deo præmissa fatetur, ac in suam felicitatem Deo bene disponente, conuersa, vnde fratrum inuidiam, & venditionem nimium diminutam velle videtur.

Facit & nostro instituto id, quod notanit *D. Chrysost. hom. 5. de Anna* matre Samuelis, vbi Annæ animum erga inimicissimam Phenenam prædicat ad illa verba Cantici ipsius: *Dilatatum est cor meum* (1. Reg. 2. num. 1.) *super inimicos meos*, sic verò habet: Aduer-D tite accuratam orationem, non dixit, exacuitum est os meum super inimicos meos; non enim ad contumelias, & dicteria præparatum erat, non ad accusationem, & opprobria, sed ad consilium, & ad admonitionem, ad correctionem, & instructionem, propterea non dixit, exacuta est lingua mea super inimicos meos, sed dilatatum est os, ac ne nunc quidem mulierem æmulam nominauit, sed simpliciter indefinita nuncupatione (scilicet *super inimicos meos*) quasi quadam persona ranE ræ tristitiæ auctorem abscondit, &c.

Sed heu quò tandem infelicitatis deuentum est, vt iam non videant homines alienos defectus, nisi velut prodant, vel irrideant, vel tandem vt solatium in propriis inueniant. Notauit igitur *D. August.* quanta sit nequitia eorum, qui cum ast ei deberent Christiana charitate erga infirmitates fratrum, libentet potius eas produnt, & de eis obloquuntur, quod asserit dixisse

dixisse Dauidem cum inuehitur in iniquum virum, aitque: Psal. 49. num. 20. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris.* Vbi duplex reprehensionis nota proponitur, prima quod non obiter loqueretur, sed consulto, & sedens, secunda quod frater sit, ille non extraneus, & ignotus aduersus quem loquebatur, tertiam insuper addit *D. August.* libenter scilicet fecisse, quandoquidem sedens loquebatur, *qui stans,* inquit *Aug. aut transiens facit, non cum voluptate facit, qui autem ad hoc sedet, quantum otium quærit, vt hoc faciat? Ipsam detractionem malam diligenter faciebas, sedendo faciebas, volebas ibi occupari, amplexabaris malum tuum, osculabaris dolum tuum. Frater aduersus fratrem detrahit, v.g. vtputa quasi firmus, & alicuius momenti Doctor, & doctus detrahit fratri suo, forte benè docenti, & benè ambulanti: & cum detrahitur bonis ab his, qui videntur alicuius momenti esse, & docti esse, in scandalum cadunt infirmi, qui adhuc nesciunt iudicare.* Sic *August.* Vbi notandus venit ille alius frater Ioseph, qui quando tandem se fratribus cognoscendum præbere voluit, quia hoc fieri non poterat absque eo quod commissum ab ipsis crimen manifestum redderetur, ore ipsum propalando, prius extraneos omnes, quibus ignota erat venditio, & coniuratio fratrum Gen. 45. num. 1. egredi iussit. *Præcepit*, ait Scriptura, *vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.* Super quæ verba *Rupert. lib. 9. in Gen. c.* 11. ait. Benè præceperat vt egrederentur cuncti foras, vt nullus interesset alienus cognitioni mutuæ, non enim alienis iam communicanda erat domestici notitia sceleris, neque sub eorum præsentia pius frater dicere voluit rem tantæ confusionis, conferre non poterant fratres, remotis etiam cunctis arbitris.

Rem luculentius prosecutus *Oleast.* ait: Aduertant hic Prælati qualiter arguere debeant subditos, vt scilicet prius eiiciant eos, qui scandalizari, aut malam opinionem de eis, quos corrigere volunt, habere possunt. Debebat enim Ioseph ostendere se fratribus, quod non poterat facere, nisi ad memoriam reuocaret illis peccatum, quod in ipsum commiserant, & ne eorum peccatum apud exteros diuulgaretur, omnem extraneum à se eiecit. Sic cum Dominus voluit arguere Iob, solum cum conuenit, quem cum arguisset seorsum, in publico apud amicos commenda- Iob. 42. num. 7. uit. *Non estis,* inquit, *locuti coram me re-* A *ctum, sicut seruus meus Iob.* Mirabilis prudentia Domini, conuicerat ipse Iob, vt fateretur se stultè locutum, & apud amicos commendat eius locutionem rectitudinis, sic etiam cum arguere voluisset Aáron, & Mariam murmuris in Moysen eos ad fœderis tabernaculú seorsum ire præcepit cum fratre. Videndus in hanc sententiam *Chrysostom. hom. 29. in Matth.* vbi aduertit increpasse Christum Dominum discipulos modicæ fidei, *Matth.* 8. cum esset solus cum discipulis, ne si turba re- Matt. 8. m. 26. B prehensionem Magistri audiret, eos diffidentia damnaret, & incusaret, solet enim Deus suorum defectus occultare, ne in lucem prodeant, & ab hominibus subborentur.

Videndus hac de re *Philo lib. de Ioseph,* vbi rem totam, quam superius adnotauimus complexus, & prosecutus est, aitque in hunc modum. Ad reconciliationem versus, ac fœdera succumbens charitati domesticæ, ne fratribus propter veterem iniuriam obueniret aliquod dedecus, no- C luit agnitioni primæ interesse quemquam Ægyptium; sed semoto vniuerso famulitio, repente profusit tanquam è fonte lacrymas, dextra vt propius accederent innuit, ne vel fortuito verba eius exaudire posset quisquam alius, tum sic eos allocutus est. Rem longo tempore tectam, & obliuioni mandatam, vt putatis, nunc reuelaturus, solus solos appello. Fratrem, quem in Ægyptum vendidistis, me ipsum præsentem nunc cernitis, & paucis interpositis, ait tum fratres certatim collauda- D bant hominem, alio aliam virtutem deprædicante: nec minus mirabantur insignem eius modestiam, ac patientiam, qui nec seruiens malè locutus est de fratribus, vt perfidis venditoribus, vsque in carcerem trusus præ dolore vllum secretum effutiit, neque tam longo tempore inter vinctos degens, vt miseri solent, suum detexit infortunium tanquam ignarus omnium suorum casuum: ad has laudes accedebat, quod alienus apponi maleficio tragico, quamuis potuerit nox in E prima profectione agnitos opprimere, aut certè fame pereuntibus frumentum non præbere, adeò pœnam ab eis abstinuit, vt tanquam benè meritis daret munera reddito pretio, in tantum enim præsidia, patratumque scelus latuit. vt optimates Ægypti Præfecto gratularentur fratrum præsentiam, quasi tum primum venissent. Sic ille.

Alij deinde videntes fratrum defectus,

& infirmitates, eas potius irrident, quam doleant,& proinde melius esset eas occultare huiusmodi hominibus, quam manifestare. Notauit optimè *Chrysost. hom. 5. de verbis Isaia. Vidi Dominum*, cur Deus olim præcepit, vt leprosi extra ciuitates, & oppida degerent, duplicemque afferr rationem dicens: Mos erat vetus leprosum è ciuitate expellere, vt & hi, qui in ciuitatem viuebant, melius haberent, & ipse leprosus non obiiceretur promptis ad conferendam contumeliam, scommatum ac derisionis occasio, sed vt extra ciuitatem commorans solitudinem veli loco haberet, obtentam aduersus iniuriam calamitatis. Vtinam lepra peccati occulta esset, ne infirmis fratribus per exprobrationem obiiceretur, cum potius commiserationem videretur postulare.

Leuit. 13. num. 46.

Reperit Deus in Angelis suis prauitatem. Sed ne irrisioni esset, hominibus eam subticuit, maximè cum iam curare minimè constituisset, etenim si in luteis, & fragilibus hominibus infirmitates, vbi primum vident, rident, prædicant, & annuntiant, si in Angelis scriptam viderent fragilitatem, & imperfectiones iugiter prædicarent, maximè cum nullum habituræ essent remedium: qua in re deceit solum in ordine ad correctionem, & remedium aliena vitia debere assumere ore, & sermone nostro. Pro qua re videndus est *Auctor lib. de mirabilibus sacra Scriptura, c. 3. apud August.* vbi quærit cur in sacra Scriptura peccatum Angelorum silentio inuoluatur, cum tamen hominis peccatum describatur latissimè. Restat, inquit ille, vt ruina Angelica, qua causa à Domino tacita est, exponamus, dum illum creaturarum Dei, in Angelum cecidisse non ambigimus. Angelicum verò vulnus verus medicus qualiter factum sit indicare noluit, dum illud postea curare non destinauit. Et qualiter sit eiectus per sententiam vindictæ reticuit, quem per pœnitentiam, nullo modo reuocauit, peccatum verò hominis, quomodo factum fuerit profertur: ipsum namque quandoque promereri veniam non desperatur, & qualiter eiectus sit homo indicare Deus maluit, quam ad statum pristinum in nouissimo iterum reuocauit: & quomodo animaduersionis sententiam accepit, non occultauit, à quo aliquando per clementiæ suæ veniam satisfactionem accipere non recusauit. Hoc ipsum prosequitur *D. August.* vt videre est *in quæstiunculis decerptis ex lib. de Trinitat. tom. 3. ad finem*, vbi sic habetur. Quare Angelicum peccatum silentio in *Genes.* absconditum est, & hominis patefactum? Responsio. Quia Angelicum vulnus Deus non prædestinauit curare, hominis verò sanare prædestinauit, &c. Hinc ergo ad nostram eruditionem colligimus alienas imbecillitates nullatenus esse prodendas, sed potius portandas, & silentio veluti velo obducendas, neque sermone aperiendas, nisi in ordine ad illatum medelam, & remedium, alioquin melius essent nobis occultæ, ne irrisioni & oblocutioni paterent.

Iis autem, qui ea, quæ norunt fratribus in opprobrium obiiciunt, rectè posse obiici, neminem sine vitiis nasci, proindéque debere, & aliorum defectus infirmitatésque portare, non tantum vt Ducem, qui non suis humeris portauit, imitemur, sed, vt ipsi etiam à fratribus deportentur, dum toties corruunt, quæ est humana infirmitas, deficiuntque quotidie, & quod tolerari ab aliis oporteat, semper habent, qua in re imitari licet ceruos, qui suorum onerum conscij, alter alterius, ductante ipsa natura, onera portare nouerunt. Etenim *Plinius lib. 8. capit. 32.* sic de eis scribit. Cerui maria tranant gregatim nantes, porrecto onere, & capita imponentes præcedentium tergoribus, vicibúsque ad terga redeũtes. Refert idipsum, & Pauli consilio accommodat, qui dixit. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, D. August. lib. 83. quæst. qu. 71. tom. 4.* totidémque deinde verbis, tanquam quid egregium, & iteratione dignum reperit *serm. 23. de verbis Domini, tom. 10.* Denique *super Psal. 129. tom. 8.* hac de re sic scribit. *Dicuntur cerui, quando transeunt freta in proximas insulas, capita super se inuicem ponere, & vnus qui ante est, solus portat caput, & non ponit super alterum, sed cum ipse defecerit, tollit se ab anteriori parte, reditque posterius, vt, ipse in altero requiescat, & sic portant omnes onera sua, & perueniunt ad quod desiderant, & non patiuntur naufragium, quia quasi nauis est illis charitas. Itaque charitas portat onera, sed non timeat ne prematur talibus oneribus: ne peccatis suis vnusquisque prematur, attendat. Nam quando portas infirmitates fratris tui, non te onerant peccata ipsius planè si consentias iam tua te premunt, non alterius, quisquis enim consenserit peccatori, non alienis, sed suis grauatur. Vidisti furem, cucurristi cum eo, quid est hoc? Pedibus ambulasti ad furtum, imo mente coniunxisti*

Galat. 6. num. 2.

xisti te furto, si autem displicuerit tibi, & orauteris pro eo, & deprecatus veniam dederis, vt possis libera fronte dicere in precibus tuis qua tibi Iurisperitus cœlestis dictauit. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Didicisti portare onera fratrū tui, vt & alius portet, si qua tua sunt, & fiet in nobis, quod ait Apostolus: Inuicem onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Sic *Augustinus.*

Quod si quiliber nostrum debet impendere officium chatitatis proximo suo, & infirmorum quorúmque imbecillitates, siue corporales eæ sint, siue spirituales portare, id maximè pertinet ad perfectiores viros, qui maiori sanctitate, scientia, & dignitate sunt præditi, sicut
Rom. 15. num. 1. dixit *Paulus: Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere, etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Vbi verba illa (vt hoc obiter dicamus) *non sibi placuit*, non significant Christum non spontaneè, neque ex desiderio nostram salutem operatum esse, nósque portasse humeris suis, qui ex summa dilectione, & animi promptitudine passus est pro nobis, sed id tantum indicant, Christum non pepercisse suæ corporali vitæ, aut suis commodis inseruiisse, sed nostras imbecillitates ita portasse, & sustinuisse, vt improperia improperantium Deo ceciderint super eum, idest, omnium hominum peccata, quibus Deus iniuria afficiebatur, ipse susceperit punienda, purganda, & soluenda in carne sua, vt sic pro nobis satisfaceret, nobísque relinqueret exemplum aliena portandi pro posse, & magis portandi pro loco, sanctitate, & dignitate.

In quam sententiam videndus est ille
Iob. 9. num. 13. locus, vbi dicitur: *Cuius iræ*, nempè Dei, *nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem.* Vbi *Philippus, & Beda*, per eos, qui portant orbem intelligunt homines sanctos, & proximi dilectores, hi quippe grauissimum improborum hominum pondus, ad imitationem Christi, cuius vestigiis insistere, & cuius viam sequi, ac imitari tenentur, quasi humeris suis impositum sustinēt, iuxta illud Moy-
Num. 11. num. 10. ses dictum ad Dominum: *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Et hi quidem portant aliorum infirmitates tolerando, & corrigendo, & Diuinum etiam supplicium improborum ceruicibus immiuens remouendo, & veluti in

A se sustinendo, eaque de causa sæpe ante Deum supplices incuruantur.

ANNOTAT. IV.

Templa sunt habitacula sancta Dei, & ideò summoperè veneranda.

QVoniam igitur ex nostro text. constat, templa esse habitacula sancta
B Dei, inde etiam nobis constare debet quanta cum sanctitate in eis sit agendum, & quanta cum veneratione recolenda sint, etenim licet Deus vbique præsens sit, & nullo coarctetur loco, aut concludatur spatio, imò omnia impleat; peculiarem tamen præsentiam habet, & singularem assistentiam ostendit in templis, sicut videre est apud *Augustin. Epist.* 137. quæ est ad populum Hypponensem, & *lib. de cura pro mortuis, capit.* 106. & 108. Et *Chrysost. lib. contr. Gentiles, tom.* 5. Proin-
C déque Dauid dixit, *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.* Psal. 92. num. vlt.
Alij verò legunt, *Domui tuæ pulchrior sanctitas*, quasi nihil magis deceat Dei Domum, quam sanctitas. Et in *Psalm.* 7. Psal. 7. num. 8.
ait *Introibo in domum tuam, Adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.* Et Daniel etiam absens versus templū orans, illud venerabatur, maiori quidem veneratione adoraturus, si adesset, etenim *in captiuitate constitutus apertis fenestris cœnaculi sui, contra Hierusalem tribus tem-* Dan. 6. num. 10.
D *poribus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo.* Et Salomon *Eccles. in cap.* 4. ait. *Custodi pedem tuum ingrediēs domum Dei.* Vbi *Olympiod.* monet abstinendos esse pedes à theatris, prophanísque cunctis locis, qua de re videndus *Ambros. sermon.* 13. *in Psal.* 118. & *lib.* 3. *de Virginibus*, cum allatis duobus exemplis, præsens argumentum prosequitur, vnum quidem cuiusdam hominis, quem ob indecentem gestum ipse noluerit in clerum admittere, Eccles. 4. num. 17.
E cum maxima etiam in gestu, & incessu modestia requiratur in viris qui debent conuersari in Ecclesia: alterum est cuiusdam clerici, quem vetuerat, ne se vnquam præiret, eo, quod veluti quodam insolentis incessus verbere oculos feriret ipsius: & vtrúmque narrat ab Ecclesia recessisse, vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia anima demonstraretur. Alij verò interpretes omnes

eo in loco spiritualem animæ pedem interpretantur, quod videtur indicare Chaldæus, dum sic reddidit. *Tu fili hominis custodi pedes tuos in tempore quo ieris in domum sanctuarij ad orandum, ne venias eo plenus peccatis ante Dominum.* Et *Salonius* explicans eundem locum ait. Nunquid ab offensione lapidum monet custodire pedem quando ingrediamur domum Dei, idest, Ecclesiam? Et respondens ait. Quamuis semper honestè, & cum timore, ac silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis, hic doceri custodiendum, sed pedem animæ, idest, gressum mentis, vt in conspectu Dei mundas preces effundamus sine malis cogitationibus, poteltque huic loco facile accommodari multiplex significatio pedum in sacra Scriptura, de quibus videndus est *Pagninus in Isagog. Scripture, lib. 13. c. 19.* Et *Sylua allegoriarum, verbo pedes.*

Constat itaque custodiendos esse animi pedes, & discalceandos affectus, terræ enim, & domus Dei sanctum habitaculum eius est, qua de re videndus est,

Ezec. 43. num. 7. *Ezech. c. 43.* Vbi Diuinum oraculum contra eos, qui templum Dei prophanauerant, sic ait. *Filij hominis locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habitabo in medio filiorum Israël in æternum, & non polluent vltra domus Israël nomen sanctum meum, ipsi, & Reges eorum in fornicationibus suis. Qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos, & murus erat inter me, & eos, & polluerunt nomen sanctum meum.* Super quæ verba ita ait *D. Hieron.* Audiant hæc iuxta literam mulierculæ oneratæ peccatis mentem vinctam Deo, non vicinitatem Ecclesiarum, & habitationem proximam, Dei in se prouocare clementiam, quin potius indignationem Domini commoueri, quando in consecratis Deo locis indignus habitator est. *Fabricati sunt*, inquit, *limen suum, iuxta limen meum*, vt nihil esset inter sacrum, & prophanum, & postes suos, iuxta postes meos, vt vnus laicorum & Sacerdotum esset introitus. Quia verò Propheta deinde subiungit: tu autem filij hominis ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, addit *Hieronym.* Multum prodest ei, qui ante peccauerit videre domum Dei, & omnis fabricæ eius nosse rationem, vt, & peccare de-

Psal. 23. num. 8. sistat: & habens illius desiderium dicat ad Dominum: *Domine dilexi decorem domus*

A *tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Vbi vides domum ipsam Dei à peccato debere homines retrahere, & ad iustitiam conuertere.

Pro qua re facit, quod Christus Dominus, qui probra, ignominias, & supplicia æquanimiter sustinuit, & patientissimè pertulit, & minimè sæuire voluit, sicut dixit *Tertull. lib. de pudicit. c. 21.* Vbi docet D. Petrum damnasse Ananiam, & eius vxorem ad mortem, Christum verò neminem, quia non decebat, inquit, eum B sæuire, qui pati venerat: quibus similia dixit *Chrysost. homil. 2. de Iuda proditore*, cum ita habet. Mira patientia. Petrus condemnat Ananiam mentientem, Saluator patienter sustinet proditorem vendentem. Etenim sicut dixit *D. Bernard. serm. ad illa verba, signum magnum, &c.* Collactaneæ sunt humilitas, & mansuetudo, proinde in Christo Domino, cuius propria virtus à *Paulo* dicitur humilitas, sicut cum alibi exponit idem *Bernard.* Non potuit non summa mansuetudo, & C patientia reperiri, maxime cum nulla illi aliunde in summo gradu defuerit virtus. Is igitur qui mansuetissimus erat, quique pati venerat, & ad id paratus erat templi contemptum minimè passus est, imò semel, & iterum id ægrè ferens flagellis assumptis in vendentes, & ementes, inuehitur eos cædens. Qua in re, & nos docuit, quomodo in domo Dei debeamus conuersari, & se Dei Filium testatus est, qui domus patris sui iniurias minimè sustinens easdem acerbissimè vendicare ausus D est, quod prosequitur *D. Chrysost. hom. 22. in Ioan.* vbi ait. Quæsitum dignum est, qua gratia adeò Christus hic indignatus est, & maximè cum alias iniuriis, contumeliisque affectus, *Samaritanus, & dæmonium habens* appellatus, nihil tale fecerit, nunc verò non contentus flagello, verbis etiam in eos inuehitur, neque tantum illos eiecit, sed euertit mentes, dispersit argentum, vt illi secum reputarent, quod qui se pro domus honore periculis exponeret, eius domum minimè contemne- E ret, &c. Quæ prosequitur.

Actor. 5. num. 5.

Ioan. 2. num. 15.

Videndus hac de re *Nilus in diuersis capitibus*, cum ait: Ecclesiam, vt cęlum adi, & nihil in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat, &c. Videndus item *Cæsarius homil. 30.* Vbi ostendit nihil magis diabolū curare, quam, vt corpore tantum in Ecclesia videamur stare, & corde, ac cogitatione longè à conspectu Diuinæ Maiestatis abscedere, vnde monet vt hac

in

in re quantum possumus contra diaboli insidias repugnemus.

Postquam Dominus ostendit Ezechieli abominationes quas faciebant impij homines in templo, vt ibi late refertur *cap.*8.& statim *cap.9. Ostenduntur sex viri, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius, vir quoque vnus in medio eorum vestitus lineis, & attramentarium scriptoris ad renes eius & iussus est signare signo Thau, super frontes gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Theod.*ait, virum illum qui introducitur, vestitus lineis habuisse habitum Sacerdotis, & certè LXX. habent *vestitum podere.* Et *D.Hieron.Erat in medio sex virorum, vnus in habitu Pontificis vestitus lineis indumentis.* Illud ergo notandum est hoc in loco quomodo Sacerdos signet *Thau*, gementes, vt profanè occidantur. Videtur enim hoc longè abesse ab officio Sacerdotis, qui non ministeriræ, & iustitiæ Dei esse debet, sed potius Mediator Dei, & hominum, & Deum placabilem reddere in offensis ab hominibus illi illatis, quique proinde portare debet iniquitatem populi iugiter pro eo sacrificio offerendo: sed ideò hoc factum esse existimo, vt ij qui polluunt templum Dei, & Deo dicata loca profanant, probe nouetint tantam Dei offensam contraxisse, vt etiam ij, qui Deum solent placabilem reddere, velut aduersatij contra polluentem templum, eique iniuriam facientem conuertantur, Diuinæ iustitiæ supplicium exequentes, & Deum minimè pro impiis interpellantes, quod certè indicium est grauissimi criminis commissi in contaminatione domus Dei.

Enim verò si Dauid nihil magis dolebat, nihilq; tam præ oculis habebat quam quod coram Deo, qui vbique adest præsens, deliquerit, sicut notauit *D. Anselm. lib.1.cur Deus homo,cap.*21. ad illa verba: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci,* quanto magis dolendum,& plorãdum est, quod in domo sancta Dei, & in eius præsentia,quæ manifestè solet esse in templis, vbi nos eum alloquimur, & ipse deprecantes audit, delinquamus? Vnde *D. August. in regula,* ait: in oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum, vnde & nomen accepit, quibus in verbis illud à nobis exigit *August.* Vt solas orationes ore profetamus in templo, solum Deum mente alloquamur,&c. Omnia nostra Dei orationi conueniant, & hominem Deum

*Psal.*50. *num.*5.

A alloquentem redolebant. Videndus idem *August.Epist.*109.& *D.Basil. in quæst. fusius disputatis,q.*40.vbi ait: Ad Ecclesiam non oportere accedere propter negotia secularia, sed causa orationis.

Extrema autem dementia, & miseria erit,vt è domo orationis, à qua alij pleni gratia, & diuinis beneficiis cumulati in domos suas abscedunt, quis grauioribus culpis reus reuertatur, & vbi medelam animæ morbis & coporis infirmitatibus cæteri quærunt, & inueniunt, noua, & B acerba vulnera contrahat, qui ibi debita pro loco modestiam, & congruentem sanctitatem non seruauerit. Pro qua re facit id,quod dixit *Ambros.lib.*1. *de Cain, & bel.c.*9.his verbis: *An nescis quam graue sit in oratione contrahere peccatum, vbi speras remedium? Certe Deus per Prophetam docuit hoc graue esse maledictum, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum,* sic *Ambrosius.* *Ps.*108. *num.*7.

Sicut autem is, qui coram Iudice, Regéve delinquit grauius puniri solet, & C acerbius in illum animaduertunt iustitiæ ministri, sic & acriores sustinebit cruciatus, grauioráque luet supplicia, qui in conspectu Dei, & in domo eius, & vbi eius præsentia nobis veluti oculata proponitur, inuerecundè peccauerit, quod videtur dixisse Dauid quando ait: *Quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium.* Vbi pronomen,*eius,* priori loco positum de Deo intelligit *Genebr. & Iansenius*: ex Patribus vero *Hesychius, Thomas, Treuetus,* & alij, D vt sit sensus:Inuenta est iniquitas eius, vt odio habeatur, & puniatur à Deo, quoniam in conspectu Dei deliquit,& in templo, ac domo eius, quod perfricatam frontem indicat. *Psal.* 35. *num.* 3.

Hæc certè est illa querela Dei de populo suo apud *Hieremiam*, *c.*11. cum dixit:*Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?* Vbi grauitatem culpæ ex eo maximè probat, quod asserat se nullatenus placandũ fore,etiamsi E multas hostias ei immolent, & multitudinem sacrificiorum offerant ij, qui in domo Dei deliquerunt, hisce namque rebus olim diuina demulcebatur ira, & diuinæ satisfiebat iustitiæ. *Hier.* 11. *num.* 15.

Bethel Hebraicum nomen valet Latinè, domus Dei, id nominis imposuit Iacob loco illi in quo vidit scalam pertingentem vsque ad cælum, & Dominum innixum scalæ à parte superiori. Audiamus *Gen.*28. *num.* 19.

ergo quid Scriptura narret eodem loco dixisse Iacob: *Quam terribilis est*, inquit, *locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Dum Iacob describitur pauens monemur pauoris, ac timoris, quem debemus concipere, quoque affecti debemus accedere ad conspectum Dei in tabernaculo ipsius. Vnde *Caietan.* ibi interrogat, quid est quod Iacob timuit? Et respondet, timuit Diuinum iudicium, quemadmodum cum venimus primum in conspectum maximè cuiuspiam, & sapientissimi Principis, vehementer timemus ne quid sibi displicens in nobis videat, sic Iacob timuit considerando seipsum cum respectu ad præsentiam Dei, & frequentiam Angelorum, metuens ne sua sibi peccata, & defectus imputarentur. Sic ille. Qui totus hac in re transcribendus erat in cordibus, & animis nostris, vt ad præsentiam Dei in tabernaculo sancto suo terribilitatem loci contemplantes, & Dei præsentiam pertimescentes, toti in eius cultum procumbentes deuolueremur.

Cæterum citatum locum ad templa Dei in lege gratiæ deducens *Bern. serm. 6. de anniuersario die dedicationis Ecclesiæ*, inter alia sic ait: *Quanto terribilior est locus hic noster, quanto euidentiùs, certiusq; quod Dominus est in loco hoc, vbi nimirum non modo duo, vel tres, sed tam multi in ipsius nomine congregati perseuerant, quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur, Verè Dominus est in loco isto, licet enim sit in omni loco, omnia realiter continens, omniáque disponens, sed longè tamen aliter, atque aliter, &c.* Et paulò inferius verè profectò Dominus in hoc loco est, si tamen seruiamus ei. Quid ergo nos? Cum quanta reuerentia in loco isto versari debemus? Nimirum pœnitentes, & expectantes esse nos conuenit. Hæc sunt quæ exiguntur à nobis, præteritorum pœnitudo peccatorum, & futurorum expectatio præmiorum.

Neque verò hoc in loco pro nostra institutione, & doctrina omittendum censui supplicium illud, quod Deus intulit Ozæ quando *Manum extendit ad arcam Dei & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues.* Vbi certissimè tenendum imprimis est, Ozam non simpliciter, aut ex pura necessitate, sed ausu quodam temerario arcam tetigisse, vt colligitur ex verbis quæ statim addit sacer text. *Iratúsque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate.* Tota verò

1. Reg. 6. num. 9.

A difficultas est in explicanda huiusmodi temeritate. Quidam enim dicunt Ozam periisse eo quod tetigerit arcam cum esset immundus, nimirum quia præcedenti nocte vxorem cognouerat, attamen hoc probari nullatenus potest, quod si probaretur nostrum profectò confirmaret institutum præsens: dixi probari nullatenus posse, namque si verum id esset, potius à Deo percuteretur quando cum fratribus imposuit arcam plaustro, quam cum illi occurrit, ne caderet. Alij eò de-

B ducunt supplicium, quia scilicet imposuit arcam in plaustrum, quam vectibus gestare humeris propriis debebat, vt colligitur ex *lib. Num. c. 4. & c. 7.* Hoc tamen non videtur admittendum, tum quia nescimus num ipse, aliúsve in causa fuerit, vt arca non Leuitarum humeris, sed in plaustro portaretur, tum etiam quia sacra Scriptura aliam causam apertè tradit interitus Ozæ, nempe quia temeritate eam tetigerat. *Iosephus verò, qui lib. 6. antiquitatum, c. 1.* dixerat Abinadabum Ozæ pa-

Num. 4. n. 6. & c. 7. n. 9.

C trem fuisse Leuitam, postea *lib. 7. c. 4.* ait quod Oza cum non esset Sacerdos ausus manum, sustinendi causa, admoliri, in vestigio expirauit, cuius opinionem reprobat *Abulens. in prædictum cap. 6. lib. 2. Reg. q. 10. & in lib. 1. Paralip. c. 13. q. 26.* Qui, inquit ille, si Leuitis licitum erat arcam portare, vt patet ex *cap. proximè citatis.* Num ergo & eam aliquo modo tangere? Et ex consequenti non quia simpliciter tetigit, sed quia irreuerenter, ac temerè tetigit, occisus. At verò *Ribera lib. 3. de*

D *fabrica templi, cap. 3. num. 4.* contendit ex *lib. Numer. cap. 4.* apertè colligi, quod Leuitæ poterant portare arcam, sed non eam tangere.

Num. 4. num. 15.

Si verò Ribera intelligit prohibitum fuisse Leuitis tangere arcam nudam, hoc est, antequam à Sacerdotibus operta, inuolutáque esset velamentis; hoc ad Iosephi opinionem confirmandam nihil facit, vt mox dicemus. Si autem putat veritum etiam fuisse Leuitis cum velaminibus contecta, & inuoluta esset arca, quoquo

E modo tangere: id negamus constare posse ex aliquo sacræ paginæ loco, quinimò oppositum multo rationabilius videtur, nimirum, vt qui eam apertam portare poterant, possent etiam cum opus esset aliquo modo tangere, nam si sub eadem pœna mortis cautum erat non solum ne arcam tangeret; sed etiam ne vlla curiositate eam viderent, vt patet ex *lib. Num. c. 4.* & prohibitio eam videndi ibi declaratur

Num. 4. num. 20.

ratut apertè, priusquam scilicet inuoluta esset, non verò postea: profectò idem prorsus videtur intelligendum de prohibitione tangendi arcam.

Itaque cum non sit verisimile Ozam tetigisse arcam nudam, sed velamentis obuolutam, non enim deferri poterat nuda arca, sed prius à Sacerdotibus operiebatur vt patet ex *c.citato Num.* propterea nobis hac in re potius videtur probanda sententia Abulens. quam Riberæ, & dicendum quod Oza a Domino peremptus fuit, non quidem quia cum non esset Sacerdos arcam tetigerit, sed quia eam tenuerat, hoc est, irreuerenter, ac sine necessitate tetigerit, & sustentare præsumpserit. Si enim aduertisset tunc non illic communem arcam adesse, sed arcam Deo sanctificatã deferri & comitari, debitam certe erga ipsam exhibuisset, vt debebat, reuerentiam, & non tam facile, quod paululum inclinatam videret, dubitasset fore casuram, neque tam cito, facilè & temerè ei manum admouisset.

Insuper si Oza ideo percussus fuisset, quoniam cum non esset Sacerdos arcam tetigerit, vt putant Iosephus, & Ribera, non tantopere sibi timere debuisset Dauid, si arcam in domum suam reduceret. Poterat namque esse securus quod eam ipse non tangeret, præsertim quando ibidem sub tabernaculo, in quo ipsi introire fas non erat, reposita fuisset. Atqui quoniam non ita securus esse poterat, ne aliquam irreuerentiam circa ipsam aliquando committeret. Ideóque grauiter à Domino plecteretur, propterea timuit Deum tunc temporis dicens. *Quomodo possum ad me introducere arcam Dei.* Tanquam subintelligi volens, quæ tantam meretur, exigítque reuerentiam, vt meritò vereri debeam, ne si quid minus à me præstitum fuerit, pro benedictione inducat super me & super domum meam maledictionem. *Et ob hanc causam*, inquit Scriptura *non adduxit eam ad se, sed diuertit in domum Obededon.* *2. Reg. 6. num. 9. & 10.*

Si ergo Deus olim tam acriter in Ozam super temeritate in arcam animaduertens sæuiit, quid quæso faciet iis, qui temerè, & irreuerenter templa, domósque suas pertractant, manus extendunt vt eripiant, non vt sustentent, linguas exerunt, vt percutiant, & sicut gladiis acutis omnia penetrent, oculos emittunt procaci intuitu quælibet percurrentes, & perscrutantes. Qua de re audiendus *D. Chrysost. homil. 74. in Matth.* cum ait ita. *Qui facis, ô homo?*

A *Mulierum speciem curiosius perscrutaris, nec horrescis tanta templum Dei afficiens contumelia. Prostibulumne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? nam in foro erubescis, & times, nequis te videat mulierem insectari: in Ecclesia vero Dei, cum ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat: eo ipso tempore maximè fornicatione, ac adulterio vteris, quo tibi magna voce intonatur, vt his fugias, nec horrescis, nec stupes?* Sic ille.

Illúdque maximè cauendum, ne si Dei B domum minimè reueriti eandem pollutam duxerimus, & velut in profana domo fuerimus conuersati, eandem non iam vt suam, sed potius vt nostram Deus deserat, nos itidem deserens, miserósque, & infelices relinquens, sicut comminatus fuerat Iudæis, cum dixit, *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* *Matt. 23. num. 38.* Ingressus est Christus Dominus ante passionem suam templum, & iterum statim egressus redibat, & accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationem templi; quod videtur ab Euan C gelista his verbis dictum, vt ex illis intelligeremus, cur tam cito egressus fuerit Christus Dominus de templo, quia scilicet ibi nihil inuenit, quod templi esse videretur, neque aliquid domus suæ proprium decénsque agnouit, nisi structuram lapidum, & ædificij molem, solet enim Deus quam citissimè illam deserere domum, in qua nihil sui agnoscit, quod optimè notauit *Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 47.* *Matt. 24. num. 1.* cum ait: Superius ingressus est Dominus templum, quærens D sanctitatem templi: sed cum in templo nihil inueniret proprium templi, egressus de templo ibat: quia ædificium quidem stabat, quod erexerant homines, sanctitas verò exciderat, quam constituerat Deus: nam templum hominum est ædificatio lapidum pulchrè composita: templum autem Dei est congregatio electorum Religiosè conuersantium. Ibat non solùm corpore, sed volũtate recedens in spiritualibus. Per hoc quod dicitur, ibat, hoc significat; quasi offensus ibat, alioquin E sufficeret dicere, cum egressus fuisset de templo: quemadmodum homo si vadit alicubi, existimans inuenire responsum: si non inuenerit, confusus egreditur, quasi qui perdidit aliquid, quia quod sperabat non inuenit. Ideo & Apostolis quasi dolore repletus respondit: *Amen dico vobis, non stabit hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Homo in conuersatione parietũ delectatur, Deus autẽ in conuersatione

Sanctorum,

Psal. 23. *num.* 8. Sanctorum, dicente Propheta *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, quem decorem? Non quem diuersitas splendentium marmorum facit, sed quem præstat varietas viuentium gratiarum. Ille decor carnem delectat, iste viuificat animam. Sic ille ostendit, qualiter à nobis curandus sit, ne egrediens Dominus in templis vbi conuenimus offensus abeat, si nihil templorum in eis inueniat, neque domum agnoscat, & reputet suam, in qua nihil protsus suum totum profanum; nihil sanctum, totum B terrenum; nihil diuinæ laudis, totum vituperationis humanæ audiatur: Et cum domum Dei deceat sanctitudo, quidquid ibi conspicitur, & personat, indecens, pollutum, iniustum, & iniquum sit.

Similia sunt quæ notauit verus *Chrysost. hom. 62 in Marcum*, cum pondetat id, *Mar.* 11. quod refert *Marc. c.* 11. introiisse scilicet *num.* 11. Christum Dominum in templum, & circumspectis omnibus, iterum exiisse, quasi minimè reperisse id, quod in templo, ac domo sua præ omnibus requirebat, modestiam scilicet in verbis, compositionem in corpore, Religiosum cultum, morigeros Sacerdotes, & obsequentes ministros. Ingreditur, inquit ille, Dominus Hierosolymam in templum, ingressus quid facit circunspectis omnibus? Quærebat in templo Iudæorum, vbi caput posset reclinare, & non inueniebat, & cir- A cunspectis omnibus, quid dixit? Circunspectis, omnibus, respiciebat Sacerdotes, volebat esse cum illis: sed non poterat, quia semper Sacerdotibus seruiebat. Circunspectis ergo omnibus, quasi cum lucerna quæreret, illud est quod dicitur in Sophonia Propheta. c. 1. *Et scrutabor Hierusalem cum lucerna*, sic ergo & Dominus *Soph.* 1. *num.* 12. cum lucerna circumspexit omnia, quærens in templo, & nihil, quod eligeretur inuenit. Sic ille.

Caueamus proinde & nos tali desertione conspecta, ne quærens cum lucerna templa nostra, imo & sua Dominus vbi totum purum, & electum ad se conuenit, nihil quod eligat, & approbet inueniat, proindeque è nobis egressus ad vesperam nos in tenebris ignorantiæ, & peccatorum sopitos relinquat, sic enim interpretatur idem *Chry. ost.* id quod Euangelista prædicto loco subdit: *Cum iam vespera esset hora exysse*; etenim quandiu ipse, qui est lux mundi apud nos manserit, quantumcúnque in lucernis scrutatus Hierusalem C nos moneat, quid faciendum sit: & quid tutum Babylone quando Hierusalem manet scrutinium? Sicut notauit *Bernard. ser.* 54. *in Cantic.* Tamen quandiu lux apud nos est, & ea perfundi possumus, illuminari, & accendi, vt in eius cognitione proficiamus, in eius amore progrediamur, quo ipse dignetur nobiscum esse, vsque ad consummationem sæculi.

TEXTVS.

Num. 14. *Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthijn.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Rophetico quidem afflatus spiritu Moyses incipit iam prædicere ea, quæ secutura erant libertatem populi Israëlitici per medium maris rubri, atque in eodem depressionem totius populi Ægyptiorum. Cum audierint, inquit, gentes res quas supra omnē naturæ facultatem in defensionem, libertatem, & gratiam Israëlitici populi perpetrasti, & deinceps maiori cumulo patrabis? inuidia, ira, & furore nimio permotæ excandescent, & metu simi- D lis detrimenti in suis regnis expectandi consternentur, nam, vt benè dixit *Ouid. lib.* 12. *Metamorph.* Illic credulitas (hoc est in domo famæ) illic temerarius error, vanáque lætitia est, consternatique timores, seditióque recens, &c. In describendis autem his circumiacentium populorū odio, & timore, prærerquam quod de re adhuc futura more prophetico loquitur, vt de iam præterita, mirificè etiam seruat ordinem à Rhetoribus obseruatum, etenim prius quæstionem tractat in thesi seu genere infinito, descendit deinde ad hypothesim,

thesim, seu genus finitum, prius enim generatim ait: *Ascenderunt populi, & irati sunt*, populi nempè finitimi, & circumvicini, tum deinde exprimit singulatim aliquos, v. g. Philisthæos, Idumæos, & Moabitas, licèt Lyranus, Valentia, & alij talem ordinem non agnoscant, & per populos, qui ascenderunt intelligant speciatim Amalecitas, qui omnium primi viam progredienti populo Israëlitico obstruere conati sunt, & illi arma mouerunt, vt habetur, *Exod.* 17.

Ascenderunt populi, in Hebræo est, *audierunt*. L X X. & Chaldaica paraphrasis eodem modo legunt, & *Vatablus*. *Audientes hoc populi contremuerunt, dolor apprehendit habitatores Palestinæ.* Vnde in *lib. Iosuë, cap.* 2. & 5. dicit *Raab caupona. Audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, & irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* Vsitatissimus autem, & quotidianus iste apud omnes gentes cognoscendi, ac ratiocinandi modus ex audita hostium felicitate, vicinarúmque gentium clade, sibi ipsis timere, ac tantò quidem magis quantò illa maiora, & mirabiliora fuerint, exemplorúmque plenæ sunt historiæ omnes, que de bello tractant.

Iosuë 2. num. 10.

Idem quoque Gabaonitæ dixerunt: *De terra longinqua valdè venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui: audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, &c.* Populi igitur illi ad quos filij Israël tendebant audita memorabilium rerum fama territi sunt, & commoti, sicut dixit Deus: *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cælo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.*

Iosuë 9. num. 9.

Deut. 2. num. 25.

Si quis verò quærat, cur cum in Hebræo sit, & in Græco, ac Chaldaico, *audierunt*, noster tamen interpres posuerit, *ascenderunt*? Dicendum vtique est, rectè transtulisse effectum indicantem causam, etenim populi, qui vicinam regionem illam incolebant, non interfuere miraculo transitus maris, sed fama, & auditione perceperunt, eaque auditione permoti, & excitati ascenderunt aduersus Hebræum populum, & idcò Interlinealis habet, insurgentes. Propterea ergo positum est à nostro interprete verbum, *ascenderunt*, vt indicaret effectum, quem in audientium populorum animis illa tam noui

A miraculi, & insolitæ victoriæ auditio peperit; sunt qui hanc iram paulùe velint intelligi pro indignatione scilicet qua quis excandescit, & commouetur aduersus sua ipsius mala, & vitæ incommoda: cumque Palæstini viderent futura mala, quæ iam pene aduenerant super ipsos, propriæque terræ amissionem, quasi præ dolore sibi ipsis irascebantur: quo sensu secundum L X X. Pagninum, & Hebræum apud *Caiet.* dicitur homo *plenus iracundia*, pro eo quod nos habemus, *repletur* B *multis miseriis*, *Iob.* 14. & *Psal.* 30. dicitur: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*, & certè hæc ita debet intelligi secundum dolores, qui sequuntur. Cumque dolores orti fuerint ex aliena felicitate, & liberatione illius populi diuinitus facta, cum dicuntur irati, idem est ac commoti interius aduersus se ipsos præ dolore ac mærore, neque enim adhuc nobis sacer tex. exponit aliud, nisi internos motus, quibus affecti sunt Palæstini, postquam perceperunt qualiter C Deus Israëlitas suos liberauerit, extinctis penitus Ægyptiis; nec verbum quidem ponitur de ira Palæstinorum aduersus Israël in toto Cantico, nec de bello illato populo Dei, & hæc nobis videtur germana expositio istius loci, quam tetigit *Pineda cap.* 14. *Iob. num.* 1.

Iob. 14. num. 1.

Psal. 30. num. 10.

Dolores obtinuerunt. Irrepsit hoc ex L X X. teste *Agellio*, nam correctiores codices *D. Hier.* habent: *Dolor obtinuit habitatores Philisthiim.* vt est in Hebræo, *Caiet.* vertit. *Tremor apprehendit habitatores* D *Pelaseth.* Paraphrasis Chaldæa. *Tremor apprehendit omnes, qui habitant in Palæstina.* Hanc igitur commotionem illorum populorum *Lyranus*, & *Carthusianus* existimant ortam fuisse ex inuidia pariter, & timore, audita enim felicitate illius populi, & quod Deus pugnaret pro eo contra Ægyptios, viamque aperuerit per medium sicci maris rubri, inuidia tabescebant, simulque timebant amissionem terræ, quam incolebant, vtpotè quæ à Deo promissa erat iam diu filiis E Israël.

Habitatores Philisthiim. Mos vsitatissimus est apud sacros, & prophanos auctores, vt regiones, & vrbes nuncupent nominibus eorum hominum, qui primi ea loca habitarunt, vel qui ibi regnarunt, vel qui vltimum diem ibi obiere, quorum multa suppetunt exempla, sed quod ad præsens attinet institutum Cham Noë filius, vt constat ex *Genes.* 10. *Filium habuit Mes-*

Gen. 10. num. 6.

raim, hic genuit Phethrusim, & Chasluim, A *de quibus egressi sunt Philisthym.* A Philisthiim, autem dicta est eodem nomine Philisthiim, vt in nostro contextu cernimus: prius igitur appellati sunt Philistiim, deinde Philisthæi, postea corrupto vocabulo Palæstini dicti sunt.

Hi igitur non habitarunt primò hanc terram, de qua hoc in loco est sermo, vt perperam aliqui etiam ex recentioribus existimarunt, sed prius habitarũt Cappadociam Insulam, nõ quidem eam Cappa-
1. Petr. 1. num. 1. dociam, cuius meminit *Petrus* initio suæ B epistolæ, sed aliam Palæstinæ viciniorem, illam nimirum Insulam, de qua loquitur
Hier. 47. num. 4 *Hierem. cap. 47.* vbi vocat Palæstinos reliquias insulæ Cappadociæ, & *Amos cap. 9.*
Amos 9. num. 5. etiam dixit: *Numquid non Israël ascendere feci de terra Ægypti, & Palestinos, de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* Vbi etiam non intelligitur per Cyrenem illa ex cuius nomine Prouincia Cyrenaica dicta est, quæ est in Africa iuxta Lybiam, vt
Act. 2. num. 10. patet *Act. 2.* vbi dicitur, *& partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenem*, sed intelligitur il- C la, quæ erat in Media subiecta Assyrio-
4. Re. 16. num. 9. rum, de qua. *Ascendit autem Rex Assyriorum in Damascum, & vastabit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenem.* Cæterum quænam fuerit ea Insula Cappadocia, quam primò tenuerunt Palæstini, incompertum adhuc est, nisi fortè dicatur illa, in qua posterioribus deinde temporibus noua Tyrus extructa est.

Hi igitur Cappadoces, qui de Chasluim geniti sunt expulerunt Heuæos, qui habitabant in Hasetim vsque Gazam, vt clarè D
Deut. 2. num. 23. habetur *Deut. 2. & D. Hier. lib. de locis Hebraicis* agens de Gaza vrbe Palestinorum ait. Gaza olim ciuitas Heuæorum, in qua habitauere Cappadoces, pristinis cultoribus interfectis. Verum, & compertum deinde est posterioribus temporibus Palæstinæ vocabulo significari consueuisse totam terram Chanaam, seu Chananæam olim dictam, quæ nunc terra sancta appellatur. Attamen antiquitus quandam tantummodo ipsius partem complectebatur, non eam tantum, quam abla- E tam diximus ab Heuæis, sed totum illum maritimum Chananææ tractum, qui extenditur à fluuio Ægypti vsque ad terminos Acharon contra Aquilonem, vt
Iosue 13. num. 3. dicitur *Iosue 13.* Et habet ab occasu mare Mediterraneum, ab Oriente verò, & Aquilone reliquos Chananæorum populos. Fluuium autem illum Ægypti habet à Meridie, qui aliquando dicitur fluuius turbidus, aliquando Rinocolura, de quo *D. August. 16. de Ciuitate, cap. 24. in fine,* exponens verba illa *à fluuio Ægypti: &c.* *Gen. 15. num. 18.* ait. Non ergo à fluuio magno Ægypti, hoc est, Nilo, sed à paruo quod diuidit inter Ægyptum, & Palæstinam. De hoc etiã fluuio putant aliqui mentionem fieri, *Gen. 26.* nomine torrẽtis Geraræ, eo quod *Gen. 26. num. 17.* esset vicinus vrbi, seu regioni Getaræ, vbi Abraham, deinde etiam Isaac foderunt puteos, quos Philisthiim inuidia stimulati obstruxerunt, & pro eis iurgati sunt cum pastoribus Isaac, & demum composita pace, ibidem impositum est loco illi nomen Bersabee, in quo postea loco vrbs eiusdem nominis ædificata fuit, quæ erat vltima terræ Chanaam versus Ægyptum, siquidem, *3. Reg. capit. 4.* termini longi- *3. Reg. 4. num. 15.* tudinis terræ Israël ab Aquilone, ad Meridiem dicuntur fuisse à Dan vsque Bersabee.

Erat autem prædicta Palæstinorum regio in quinque prouincias distincta, scilicet Gaza, Ascalon, Geth, Acharon, & Azotus. Vnde in restitutione arcæ post septem menses ex quo remanserat in regione Philisthinorũ propter plagas maximas, quas illi populi perpessi erant de consilio suorum Sacerdotum, exsoluerunt Domino quinque anos aureos, & quinque mures aureos, vt latè describitur *1. Reg. c. 6.* *1. Reg. 6.* dicebatur itaque terra Philisthiim ab habitatoribus, & hoc loco comprehendit totam terram promissam filiis Israël, quorum habitatores inuidia sunt incensi, & timore consternati.

ANNOTAT. VNICA.

Quales dolores causare soleat aliena felicitas.

QVoniam in expositione literæ diximus dolores istos, qui circumdederunt habitatores Philisthiim ortos fuisse ex eo, quod perceperint, qualiter ab eo liberati fuerint filij Israël, vnde *Rupertus* ait. Dolor, idest, inuidia, solet siquidem notitia alienæ felicitatis in maleuolis animis inuidiam, excitare, quo corrodantur. Vnde rectè dicit *Philo lib. de Ioseph,* inuidiam magnarum fortunarum aduersatricem esse perpetuam, *& in lib. de agricultura,* dixit: In virtute si non datur tenere fastigium, vel in medio satis vtilitatis capitur, & sunt qui hanc possessionem, potiorem existiment, inuidiæ excelsum petenti minus obnoxiam. Similia habet *D. August.*

D. August. lib. 3. de Ciuit. cap. 10. Proinde hoc nos in præsentiarum argumentum prosequemur, sic enim explicabimus, & dolores inuidiæ à nobis euitandos,& enucleabimus melius, quidnam velint verba nostri textus.

Videndus proinde est *Theodoret. & D. August. in Psalm.* 104. Ad illa verba: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius,* quem locum affert *Bellarminus, tom. 3. controuers. lib. 2. capit.* 13. éstque *doct. D. Thom. super Epist. ad Rom. cap.* 9. & fuerat olim *D. Basil. in Orat. quod Deus non sit Auct. malorum,* secundum quam doct. statuitur potuisse Deum positiuè etiam conuertere corda Ægyptiorum in odium Hebræorum, non tamen Phisicè, sed occasionaliter, hoc est, dum beneficia magna conferret in Hebræos, vt scilicet eorum gens multiplicaretur, bona crescerent, & pecora augerentur: ad quorum conspectum Ægyptiorum corda concitabantur in odium,& inuidiam eorum; nihil enim tam mouet inuidorum corda, quam eorum quibus inuident bona, neque aliud tam mouet, & accendit inuidiam quam aliorum bona,& sic intelligendus est prædictus locus, *Psal. Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius,* occasio enim odij fuit beneficium Hebræorum, quo quidem inuidi torquebantur Ægyptij, & inflammabantur in Israelitas; similia habet idem *Aug. in Psal.* 29. cum congruenter in hanc sententiã dixit; tormenta animi non sentit, qui nõ proficit, incipiat proficere tum videbit in qua pressura sit, quia, *Cum creuisset herba, & fructũ fecisset, tunc apparuerunt, & zizania.* Etenim quãdiu quisquam non proficit, neque ad cumulatissima bona accedit, iaculis inuidorum non petitur, quæ in eos tantum collimãtur, qui in supremo bonorum cumulo inferioribus conspicui proponuntur, attamen sicut dixit *Aug. serm.* 83. *de tempore,* quid infelici viro præstat inuidia, quem in secreto conscientiæ quibusdam vngulis liuor ipse discerpit, quam, inquam, mercedem ex odio suo recipit nisi confusæ mentis horrorem, qui vultu semper, animóque mœrente, voto quo vult aliis nocere, se ipsum cruciat? Hoc malum lædit partim eos in quos intenditur, grauius tamen, & perniciosius eos, à quibus procedit, affligit: sicut ærugo ferrum, ita inuidia animam, in qua est consumit. Et sicut aiunt viperas dilaceiato materno vtero in quo conceptæ sunt nasci, ira, & inuidiæ natura animam à qua concepta est consumit, & perdit, qualis hæc animæ tinea zelare in homine domum Dei, & in malum proprium bona aliena conuertere, aliorum gloriam facere pœnã suam, veluti quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationibus,& sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent: non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus, suspiratur semper & ingemiscitur, pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus. Et *Auctor serm. ad fratres in eremo tom.* 10. *D. Aug. serm.* 18. ait. O inuide quam paucos habes amicos, meritò omni amico priuari debes, eo quod de nullo amicorum bono gaudere probaris, an ignoras quod omnis malitia habet aliquam felicitatis vmbram, sed in ipsa inuidia tormentum sine refrigerio, laborem sine respiratione, pœnam sine intermissione, famem sine saturitate, semper habere videris. Eia ergo fratres, si quos inuidios inter vos habitare videris, & cupitis eos torqueri, nunquam melius inuidos torquere poteritis, quam virtutibus,& gloria seruiendo; tunc enim latrant vt canes, deuorant vt leones, facie pallescunt, capite minantur, oculis scintillant, manus cancellatas astringunt, dentibus stringunt,& sic anima,& corpore moriuntur. Vos autem benefacite, non tamen vt eos ad furorem accendatis, sed vt Deo placeatis.

Videndus hac de re *Chrysost. homil.* 22. *in cap.* 2. *Ioan.* vbi rectè aduertit, Iudæos ægre semper tulisse ea beneficia, quæ Christus Dominus conferebat, vitam scilicet, defunctis, ægrotis sanitatem, cæcis, visum, surdisque auditum: patienter verò sustinuisse cum eos semel, & iterum, assumptis flagellis, veluti in seruos animaduertit, quasi minus doleret de pœnis, quas sustinebant, quantumuis ignominiosæ admodum essent, etenim grauius olim erat flagellis cedi, quam fustibus, illud enim ad seruos solummodo attinebat, hoc verò liberos homines postulabat, sicut testatur *Marcel. lib. in seruorum ff. de pœnis,* vbi dicitur. Ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his seruus flagellis cædi,& Domino reddi iubetur; quò etiam spectat illud *Cicer. pro Rabirio,* cùm ait. Porcia lex virgas omnium ciuium Romanorum corpore amouit; hic misericors flagella tulit. Mirum proinde quod Iudæi, dum veluti mancipia flagellis assumptis à Christo Domino puniuntur, sustinent, & tacent: at verò cum vident innumera bona suis contribulibus ab

Marginalia: Psa. 104. num. 25. — Matt. 13. — Ioan. 2. num. 15. — A, B, C, D, E

eodem conferri, pro gratiis vociferantes calumniantur, & furore, ac ita excandescunt, quod totú ab inuidia ortum fuisse, probat citatus *Chrysost.* cum ait: *Quæsitu dignum est, cur Iudæi, qui in collatis beneficiis Christum accusabant, & persequebantur. Cum credibile esset tam acri castigatione (flagellatione scilicet in templo) grauius excandescere, æquo animo tulerunt? Nulla enim in eum contumelia vsi sunt, sed quod signum, inquiunt, ostendis nobis, quia hæc facis? Animaduertis inuidiam incredibilem, & quonam pacto in aliis collata beneficia magis eos irritabant.* Sic ille, qui hac etiam de re videndus est *homil 46. in Genes. & homil. 41. in cap. Matth. 12.* vbi sic ait: *Tale certè malum inuidia est, qua nulla vnquam malignitas peior inuenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquæ fructum, vt putant, aliquem capiunt, & breui tempore peccatum committunt. Inuidi autem, & multo ante seipsos, quam quibus inuident, perturbant, & cruciant, & ita in agendo semper, inuidendoq; sunt, vt nunquam peccandi afferant finem: sed quemadmodum sues lutosa immunditia, & dæmones nostris damnis lætantur, sic inuidi calamitate proximorum exultant, cùmque aliquid triste, ac doloris efficiens proximo acciderit, tunc aliquantulum acquiescit, atque respirat inuidus. Alienas enim iacturas, suos quæstus existimat, & aliorum felicitatem, miseriam suam arbitratur, nec magis considerat, quid ipse suaue consequatur, quam quid proximo calamitosum inferatur. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? Nonne omni cruciatu torquendi sunt? Non aliter profectò quam rabie concitati, canésque perniciosi, dæmonésque atrocis furiæ, alij quidem homines si animantes rationis expertes crudeliter cædi, ac dilaniari viderint, aliquantulum commiserantur: tu verò cum salutis beneficium conferri homini cernas, expalles, & tremis, & in ferocitatem cædendi benefactoris conspiras. Et quid hac insania furiosius vnquam reperietur? His profectò de causis fornicatores, ac Publicani ad cælos conscendere potuerunt, obscæno autem vitio laborantes à regno cælorum exciderunt. Filij autem regni eijciuntur foras,* Matth. 8. *omni prauitate illi ex animis expulsa, ea quæ nunquam sperarunt, facilè nacti sunt, Pharisæi autem, vel ea, quæ retinebant bona penitus amiserunt, neque id iniuria, nam inuidia pestiferum malum hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum con-*

A *uertit, inuidia proximi hominis cædes apparuit, inuidia paterna charitas contenta est, inuidia sanguine hominis terra primò maculata*, Genes. 4. *Inuidia denique factum* Genes. 4.
est, vt hiatu suo terra Dathan, Chore, Abyron, vniuersúmque illum populum viros absorbuerit, Num. 16. & 26. *Sed facillimum* Num. 16.
est inuidos accusare, difficillimum autem & 26.
talem ægrotationem omnino euitare: quomodo igitur ne veneno suo nos inficiat faciemus? Si dabimus operam, vt quemadmodum fornicatori nefas est, Ecclesiam in-
B *gredi, sic inuido quoque, imò verò multo magis inuidus, quam fornicator à cætu fidelium exterminandus est*, & post multa addit. *Ad hæc illud etiam tecum semper verte, quia non maiorem illi, cui inuides, quam tibi ipsi facis iniuriam, cum teipsum versus mucronem impellas, nam quantò maiori inuidia laboras, tantò maiora illi affers bona cui inuides. Deus enim cum viderit innocentem iniuria circumuentum, extollit multò magis clariúmque illum facit, inuidentem autem deprimit.* Sic il-
C le. Quæ omnia minimè omittenda duxi cum aduersus hoc diabolicum vitium maximè faciant, neque etiam prætermittendum quod addit idem *Chrysostom.* dicens: Magna etiam in Ecclesia, & in clero, multóque maior quam in laicis est inuidia.

Videndus hac de re idem *Chrysost. homil. 63. in Matth.* vbi latè ostendit quanta sibimetipsi fecerit mala Saül dum Dauidi inuidet. Ducem, inquit, militiæ suæ, à quo bella gerebantur, summíque labores
D ferebãtur, victoriæ verò præmia, & triumphi, quieto ipsi atque imbelli referebantur, interimere quærebat. Huiusmodi certè inuidia malum est, propriis semper commodis insidiatur, ac cum tabefaciens qui eam habet mille calamitatibus inuoluit: nam & miser ille antequam ab eo Dauid discessisset flebilem illam vocem non emiserat, qua deplorans dicebat: *Nimium tribulor, alienigenæ insurgunt ad-* 1. Reg.
uersum me, & Dominus desistit à me, nec 28. n. 15.
in prælio fuerat antea victus quam ab eo
E Dauid discessisset.

Neque etiam omittendum id, quod notauit idem *Chrysostom. conc. 4. de Lazaro*, quod malignitatem inuidiæ apertè ostendit, tanta namque esse comprobatur, vt aduersus propria decora pugnet, propriúmque honorem contemnat, dummodo is ab alio sibi proueniat, quem honoratum videre inuidus maximè dolet. Eiúsmodi, inquit ille, est inuidia, pugnat ad-

uersus

uersus domestica decora, mauúltque liuidus innumera perperi mala, quam videre proximum in pretio habitum, etiam si gloriæ pars ad ipsum sit promanatura, quo sane quid esse possit miserius? Quod *Gen.37. num.18.* & illis vsu venit (scilicet fratribus Ioseph de quibus locutus fuerat) cum enim vidissent illum procul venientem, ipsísque cibum affereutem, inter se dicebant: *Venite interficiamus eum, ac videamus quid prosint illius somnia.* Vt fratrem non reuerearis neque naturam agnoscas, certè mensã ipsam conueniebat reuereri, ipsúmque ministerij officium, quandoquidem altitutus te veniebat, &c. quæ prosequitur. Ex cuius doctrina constat, inuidos Iosephi fratres nullatenus retardasse, imò magis accendisse fratris gloriam in somniis vtcumque adumbratam, quæ sanè in ipsorum vtilitatem, & honorem cedere debebat, vt de facto contigit; etenim ipse Ægypti Prorex constitutus, & annonam concessit ad eorum alimoniam necessariam, insuper & eos ad Ægyptum reduxit summo cum honore, præcipuámque, & electam terram Gessen impertiuit: sed ea est inuidiæ insana rabies, vt nihil omnino proprij honoris, commodi, & profectus recordetur, dummodo alium sibi præpositum, seque meliorem conspiciat, cum venenosos oculos ad aliorum gloriam conspiciendam habeat, sicut notauit *Bernardus.* Addit verò idem *Chrysost.* liuor regnum peperit, inuidia conciliauit diadema, ad thronum perduxit, atque illi ipsi, qui struebant, insidias, auxiliantes promouerũt ad illius imperij magnitudinem, & is quidem, cui structæ fuerant insidiæ, regnum adeptus est, ij verò, qui struxerant, seruierunt. Sic ille ostendit, qualiter Deus animaduertit in inuidos, quibus in sui supplicium proponit in aliis conspicienda ea bona, quæ illi maximè verebantur, imò & impedire nitebantur, quo magis ad illorum præsentiam excrucientur.

Vnde idem *Chrysost. homil. 36. in Ioan.* ait. Quemadmodum insani aduersus seipsos nonnunquam senteuriam ferunt, ira & inuidi solam inuidiosi miseriam disquirentes, eius salute, & felicitate, anguntur: hi feris sæuiores, illæ enim fame impulsæ nos appetunt, hi beneficos nonnunquam inimicorum locum habent: Feris, inquam sæuiores, dæmonibus pares, & fortasse iniquiores: ipsi namque aduersus nos nullo amicitiæ fœdere hostiliter persequuntur, suo generi minimè in-A sidiantur, quorum exemplo in Iudæos Christus inuectus est, cum in Beelzebub *Matt.12. num.27.* eum eiicere dæmonia dixissent: homines *Luc.15. num.18.* autem neque naturæ suæ participes reueriti, eos infesto animo impetunt, atque seipsos priusquam, quibus inuident supplicio afficiunt. Quamobrem miser proximi tui commodis perturbaris? Dolendum est cum malis afficimur, non cum proximi felicitatem intuemur. Idcirco omnis venia inuido desperanda est: nam scortâtor, voluptatis stimulos in excu-B sationem affert, fur paupertatem, homicida furorem, friuolas quidem, neque admittendas, qualescumque tamen excusationes: tu verò quam affers quæso? Nullam profectò, nisi animi prauitatem, atque malitiam: nam si inimicos amare iubemur, quamnam pœnam ex amici odio daturos nos arbitramur? Et si amicos diligendo nihil gentile superamus: si nihil de nobis male meritos persequimur: quam merebimur veniam? Hic affectus, & fornicatione, & adulterio grauior: alterum C enim in ipso auctore consumitur, inuidiæ autem vis vniuersos populos perdidit, vniuersum orbem terrarum coinquinauit, &c. Licet misericors sis, licet vigiliis assiduus: si fratri inuides, omnium malitiam excesseris, quod vel inde constat, Scortator quidam apud *Corinthios,* breui vitam emendauit, Cain fratri inuidendo nunquam odium posuit; sed quantò frequentius à Deo admonitus est, tantò magis dolebat, magis cruciabatur, & properabat ad cædem, &c. quæ D prosequitur in detestationem execrandi huius vitij.

Est optimus locus apud *Gregor. Neocæsar. in Eccles. cap. 4. tom. 3. Bibliot.* vbi appellat inuidiam æstrum impuri spiritus: est autem æstrum insecti genus horrisono strepitu, quod Latini asilum vocant, de quo sic *Virgil. 3. Georgic.*

Asper acerba sonans, quod tota exterrita syluis,
Defugiunt armenta.

Et inde sumpsit modum loquendi *Plin.* E *lib. 11. cap. 16.* cum ait. Et Poëtæ diuino furore correpti, æstro perciti dicuntur. Sic ille. Æstrum igitur appellat *Gregor.* pessimi animi inuidiam, quæ in furorem vertit animum, cui insidet, eum mordens, & corrodens, nullibíque consistere sinens. Porrò rem prosecutus sic de inuidia addit *Gregor.* Is, qui hanc susceperit, ac velut pectore complexus fuerit, nihil aliud habet quam quod animam suam exest, &

quod dissecat, simúlque cum corpore absumit, mœrorem acerbissimum, nec solatio vllo mitigabilem, aliorum prosperitatem existimans.

Simili etiam loquendi methodo vsus est *Antiochus Monachus homil.* 55. cum de inuido Saule ait. Saül æstro stimulatus inuidiæ admirabilem Dauid persequebatur. Planè inuidia vehemens, atque atrox malum, ac modis omnibus crudele est, qui enim cuipam inuidet, animi angore discruciatur, contabescit miserè, eliquatur totus. Inuidia enim quasi vermis in ligno, & in vestimento tinea; ita cor denique, & faciem eius conficit, ac maceràt hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit. Contra is, cui inuidetur in hominum prospectu miris modis promouetur, ac proficit à Domino protectus. Exemplum est Ioseph, quo enim faces fraternæ inuidiæ in illum exarserant acrius; hoc ille sublimius à Deo prouehebatur, quoúsque tandem ad regni gubernacula promotus est, sic & Saül Dauid persequebatur, & quidem domus Dauid, cui sic inuidebatur quotidiana accessione crescebat, & confortabatur, ipse per hæc ad lyram mellicum cantilabat carmen, *Maledicent illi, & tu benedices.* Sic ille. 3.*Reg.*3. *num.*1.

In his autem doloribus, qui ab inuidia oriuntur cernitur diuina iustitia, quæ voluit inuidum sui ipsius tortorem esse, ne tanti mali supplicium ad terminum vsque vitæ differretur, sicut fieri consueuit in grauissimis criminibus, quæ aliquando pœnas promeritas iam in hoc mundo luere incipiunt, quasi hic detur principium solutionis in altera vita peragendæ. Vnde sanctus Nilus in parænecticis ait: Inuidus seipsum mulctat. Et *Saluianus* 3.*de prouidentia*, ait. Digna planè mali istius retributio est, quæ solum persequitur auctorem, sed multo clariùs & elegantius id dixit *Nazianzen. in Orat. de cathedra Constantinopolitana à se non affectata*, vbi inuidiam vocat malum æquissimum simul, & iniquissimum dicens: Inuidia tabes inuidi, possessoris virus, ac rubigo eorum, qui ea exagitantur sola ex omnibus animæ perturbationibus æquissima simul, & iniquissima, hoc quia bonis omnibus infesta est, illud quia dominos suos conficit.

Cùm verò atrocissimum malum sit, difficilem profectò habet curationem, & diuinitus quærendum remedium est, qua de re audiendus *Ioan. Cassianus, collat.* 18.*c.* 12. cum ait. Sciendum sanè est inuidiæ morbum difficilius ad medelam, quam cætera vitia peruenire, nam eum, quem semel veneni sui peste corrupit, penè dixerim carere remedio, ipsa namque est lues de qua figuraliter dicitur: *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Cæterorum enim vitiorum virulenta pernicies ad perpetuam animæ mortem non peruenit, si salutarium verborum medicinam aliquis peritissimus diuinorum carminum incantator admouerit. *Ierem.*8. *num.* 17.

Hinc verò constabit quomodo vitium hoc curatu difficile admodum sit; etenim ipsis remediis, quibus reliqua vitia extinguuntur & extirpantur, hoc exurgit, accenditur, viresque in dies acquirit maiores, nam v. g. qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur, qui de illata indignatur iniuria, humili satisfactione placatur, cæterisque deinceps facilè est applicare remedia. Quid illi facies qui hoc ipso magis quod te humiliorem, ac benigniorem sentit offenditur, quem non ad iracundiam cupiditas, quæ præmio delinitur, non iniuriæ læsio, vt amor vltionis accenditur, quæ officiorum vincitur blandimentis, sed successus tantum alienæ prosperitatis irritat, quis autem qui se, vt satisfaciat, inuidenti à bonis corruere, aut à prosperis alienari, aut calamitate aliqua optet, inuolui? Quapropter Diuinum, cui nihil impossibile est, iugiter imploremus auxilium; non aduersus hominem, sed planè aduersus Deum blasphemus extollitur, qui nihil in fratre aliud, nisi bonum meritum carpens, non hominis culpam, sed Dei tantùm indicia reprehendit. Sic ille.

Quæ cum ita sint, meritò *D. Augustin. lib. de disciplina Christiana, tom.* 9. ait. *Auertat Deus hanc inuidiæ pestem ab animis omnium hominum, nedum Christianorum, vitium diaboli: non enim, vt diabolus damnetur ei dicitur adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed homini stanti tu lapsus inuidisti, inuidentia diaboli conuitium est.* Sic *August.* Quia verò hoc vitium primum repertum est in diabolo, sicut in illo, nullum fortitum est remedium, sic etiam, & in nobis difficilem admodum habet curationem. Videndus *Chrysost. homil.*46. *in Genes. tom.*1. *& homil.*41. *in Matth. tom.*2. vbi inter alia ait. Inuidia pestiferum malum hominem in diaboli conditionem ac in dæmonem immanissimum conuertit. Videndus item *Antiochus Monachus citatus*

citat. hom. 55. vbi inuidiam appellat germen diaboli, summopereque cauendam admonet.

*Hæc est ratio cur *Clemens Alexan.* 4. *stromat.* doceat inuidiam longè à congregatione Sanctorum relegandam esse, sic enim ait: Stat inuidia extra chorum Diuinum, & æmulatio, & tristitia, qua ratione mistæ prohibent vesci, corde docentes non oportere animum mordere, & exedere socordia, & dolore, vbi *Scholiastes Clement. Alexand.* ait. Cor edere est vnum ex symbolis Pithagoræ, vnde est illud *Homeri Iliad.* 2.

Solus at ille quidem vacuis errauit in agris,
Quod addens curis, hominum vestigia vitans.

Desumptúmq; videtur illud dictum Clementis à Platone, qui, sicut ait *Philo lib. quod omnis probus sit liber*, dixit: Inuidia extra Diuinum chorum sita est. Et certè chorus ille virginum, sororum, & amicarum sponsæ, cum eam introductā in sponsi cellaria viderunt, ipsi quasi gratulantes dicunt ex sententia *Theodoreti. Et Origen. Exultabimus, & latabimur in te.* Non obtrectant, inquit ibi *Theodoretus*, non æmulantur, non inuident adolescentulæ dum foris manent, nec in thalamum admittuntur, sed propter honorem sponsæ lætantur, & exultant, præclaréque secum agi putant, quod iucundissima ipsius voce perfruantur. *Itaque diligemus*, inquiunt, *vbera tua super vinum. Bernard.* verò *serm.* 33. *in Cant.* Explicans prædicta verba ait: Vides quomodo eius lucra, & gaudia sua deputant, propriæ repulsæ iniuriam illius introductione consolantes.

Cant. 1. *num.* 4.

Quod si rem ad cœlestem chorum beatorum deducamus, vide quid dicat *D. Anselm. lib.* 1. *cur Deus homo, cap.* 18. cum probat homines futuros beatos, etiamsi Angeli non peccassent, quoniam alias gaudendum esset hominibus, quod peccauerint Angeli, indéque generaliter concludit nullam animam esse in cœlo, quæ sibi persuadeat sine peccato alterius minimè fuisse beatam, aut necessariam fuisse Angelorum deturbationem è sedibus suis: vsque adeo enim dedecet gloriosas animas inuidentia, aut gaudium de alienis malis, cum illis proprissimum sit potius gaudere de alienis bonis, imo, & de facto quod magis mirari debeas, multoties animæ beatæ maius gaudium habent de beatitudine alterius beati, quam ille alius de propria sua beatitudine lætetur, & gaudeat. Etenim cum sicut patet ex Theologis *ad* 1.2. *D. Tom. quæst.* 5. perfectiones accidentariæ, quæ ex natura rei beatitudinem consequuntur, dentur iuxta mensuram beatitudinis illius beati, cui conceduntur, perfectio autem accidentaria sit gaudium de quacúmque re, quo beatus illa visa perfunditur, fit consequens, vt qui beatior est alio magis quidem gaudeat de propria sua beatitudine, quam ille alius minus beatus de sua etiam beatitudine possit gaudere, quandoquidem beatior gaudet ex qualitate intentiori, imo, & quod notandum est, ex eodem fundamento magis gaudebit qui beatior est de quacúmque re, qua ipse lætificatur, quam minus beatus; vnde, infertur, quod cum magis beatus gaudeat, & de sua beatitudine, & insuper de beatitudine cæterorum, profectò magis gaudebit de beatitudine inferioris alterius beati, quā ipse beatus inferior de sua gaudeat beatitudine, & ratio est in promptu, quam assignauimus, quia beatior gaudet ex qualitate intensiori, gaudiúmque ipsius commensuratur beatitudini. Vnde liquido constabit, beatum posse maiori affici lætitia, cum videt alium beatum in statu beatitudinis, quam hic beatus de propria beatitudine lætetur, quo nihil maius potest dici, vt ostendatur quam procul à cœlesti choro exulet inuidia, vbi de aliena felicitate maior datur lætitia in eo, qui videt alium felicem, quam detur in eo qui ipsamet felicitate potitur.

Proinde meritò longè à Sanctorum Patrum cætu nobis proponitur inuidus ille diues, qui *vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius*, De quo audiendus *Chrysost. hom.* 1. *de diuite & Lazaro tom.* 2. ad finem cum ait: *Videbat Abraham à longè, & respiciebat, tantummodo torquebatur, & Lazarum in sinu eius, Lazarus sursum erat, ille deorsum. Eleuauit oculos vt illum suspiceret non vt despiceret, in tormentis erat. oculos solos liberos habebat, vt alterius lætitiam posset aspicere. Propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueatur, quia non habebat quod alius habuit, portatur ab Angelis ne saltem ambulans laboraret, &c.* Et vides eum in sinu Abrahæ magis ea visione torquebatur, quam pœnis, ac flammis quibus vrgebatur, & *homil.* 3. loquens de eodem diuite ait: Huic quidem grauiorem reddidit cruciatum, quod in gehenna iaceret,

Luc. 16. *num.* 23.

ceret, quod Lazari videret delitias, quo non solum natura suppliciorum, verum etiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet cruciatum. Et quemadmodum Adam è paradiso eiectum è regione paradisi habitare iussit Deus, vt assiduus conspectus renouans molestiam, exactiorem illi præberet sensum expulsionis è bonis: ita sanè, & hunc è regione Lazari constituit, quod videret quibus bonis se ipsum priuasset. Misi tibi, inquit, in vestibulo Lazarum, vt tibi ad virtutem Doctor esset, doctrinæque materia: contempsisti lucrum, noluisti ad quod oportuit vti salutis occasione, vtere posthac illo ad maioris cruciatus, suppliciique materiam, Sic *Chrysost.* ostendit, quomodo exulet à cœlesti choro inuidus animus, quomodóque ex opposito beatorum ad conspectum alienæ felicitatis inuidus contabescat, & torqueatur.

Cum igitur inuidia diabolica tantum pectora ingrediatur, animásque Diabolo similes corrodat, & torqueat, meritò dolores inuidi in caput eius conuertuntur, & in verticem ipsius iniquitas eius descendit, vt torqueat, & excruciet quasi non potuerit acerbior, ac ignobilior carnifex in torturam, & supplicium inuidorum reperiri quam homo inuidia percitus, sic proinde habitatores Philistiim dolores obtinuerunt inuidiæ, donec tandem terni cruciatus eos obriguerint, sicut inuidis iustissimè ob multam iustitiam inuidiæ contingere solet.

TEXTVS.

Num. 15. *Tunc conturbati sunt Principes Edon, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

EXPOSITIO LITERALIS.

Explicat iam sacer tex. qui fuerint populi irati, & quales dolores passi fuerint, quibus etiam affectibus commoti Principes Idumæorum, & quomodo eos partim ira, partim formido conturbauerit, totis contremuerint artubus Moabitarū robustissimi milites, omnes præterea, qui terram Chanaam incolebant, viribus destituti fuerint dissoluti.

Tunc conturbati sunt Principes Edon. Hebraicè: *Tunc fuerunt attoniti Principes Edon.* L X X. *Tunc festinauerunt Principes Edon.* Alij, *trepidauerunt, ac tumultuati*
Gen. 25. *sunt.* Isaac Patriarchæ filius natu maior
num. 29. Esau vocatus est Edon, idest rufus, non à crinibus, sed ab edulio rufo, nempe lente à Iacob fratre decocta, pro qua adipiscenda, & comedenda primogenituræ iura vendidit. Hinc regio, quam incoluit dicta est Edon, vt hoc loco videmus, Latinè Idumæa, incolæ Edumæi, siue Idumæi; quemadmodum autē ipse Esau, siue Edon hostili quoad vixit odio insectatus est
Gen. 27. Iacob, iuxta illud. *Oderat ergo semper Esau Iacob, &c.* Ita Idumæi ab Edon propagati, quasi paternum odium, cum ipso sanguine hauserant, & iure plusquam hæreditario acquisierant, pessimè semper oderunt Hebræos Iacob satu editos vsque adeo, vt cum Babylonij sub Nabuchodonosor vrbem Hierusalem deuastarūt, Idumæi è vicinis sedibus accurrentes miserorum calamitati insultauerint, & victorem hostem, qui vrbis ædificia æquabat, & campos vbi Hierusalem fuerat faciebat, ad ipsa etiam ædificiorum fundamēta eruenda per summam seuitiam incitarint, vt testantur illa prophetica verba. *Memor esto Domine filiorum Edon in die Hierusalem, qui dicunt exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*, idest Memento Domine Idumæorum secundum ea, quæ fecerunt aduersum nos in die destructionis Hierusalem, quando Babylonios contra nos incitabant, & ad vrbem funditus euertendam, atque ab ipsis fundamentis conuellendam impellebant. Ps. 136. num. 7.

Hi igitur audito trāsitu filiorum Israël per mare rubrum mortifero infecti odio conturbati sunt, & in eo adeo indurati permanserunt, vt cum Moyses vellet,

postea recto itinere quamocius properate cum populo suo ad terram Chanaan,& de Cades mitteret nuntios ad Regem Edon postulans vt liberum eis præberet transitum per terram suam,promittens nullum ipsi damnum allaturum,sed si quid ab ipso acciperet, pecunia sine vllo pretij litigio, cumulatè satisfacturum: ipse non modo deprecantibus acquiescere noluit, verùm etiam cum exercitu obuiam venit Israëli, vt impediret transitum. Quamobrem po-
Num.20. pulus, vtpote cui præceperat Deus per
num. 14. Moysen ne pugnaret eum Idumæis, coa-
vsque ad ctus est declinare ab eis, vt constat ex lib.
21. *Num.cap.20.& Iudic.11.*
Iud. 11. Nec est quod nobis aliquis opponat il-
num. 17. lud vbi Dominus dixit Moysi: *Transibitis*
Deut. 2. *per terminos fratrum vestrorum filiorum*
num. 4. *Esau qui habitant in Seir,& timebunt vos: videte ergo diligenter ne moueamini contra eos, &c.* Et post pauca præcipit vt eibos,aquamque pecunia ab eis emant,quin etiam ibidem *num.* 8. subditur, quod filij
Deut. 2. Israël cum transissent filios Esau, *Vene-*
num.8. *runt de Elát, & de Asiongaber ad iter, quod ducit ad desertum Moab*, vnde videtur Rex Idumæus eis transitum concessisse; imò & videtur apertus locus *Deut.*
Deut.29. 29. vbi cum misisset Moyses nuncios ad Seon Regem Hesebon, petens transitum per terram suam, post pauca subiungitur. *Sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir.* Vnde *Abulens.* existimat Regem Edon aliquando negasse transitum, aliquando concessisse, vt patet ex eo ad *Deut.cap.2.q.7.sub finem*.

Hæc tamen non obstant quidem prædictæ resolutioni,quod scilicet Idumæi non permiserint filios Israël transire per mediã Idumæam, vel saltem per eam partẽ, quæ cum Moabitis terminabat,vt possent compendiosiori via intrare in terram Chanaan per partem eius Australẽ,quæ erat Israëlis intentio. Licet concesserint,vt terram ipsorum, quæ cum deserto determinabat circuire & per extremitates eius pertransire possent, cuius rei euidens signum est, quod postea permiserit eos de Cades ire, & motam facere in monte Hor,qui pariter ad Idumæorũ fines pertinebat, vt pa-
Num.20. tet *Num.20.* & clarius *Deut.2.* Et hoc est
num. 22. quod Dominus prædixerat. *Transibitis per*
Deut. 2. *terminos* (idest fines) *fratrum vestrorum*
num. 12. *filiorum Esau,& timebunt vos.* Ideò nam-
& 22. que noluerunt Idumæi quod Israëlitæ
Deut. 2. transirent per mediam terram ipsorum,
num. 4. quia timebant ab eis, qui hoc in loco dicuntur præ timore *contur bati*, seu *attoniti*, vt Hebraicè habetur. Idem etiam habetur *Iudic.11.* vbi de Israële dicitur: *Et* Indic. 11.
circuiuit ex latere (nimirum Australi, & num. 18.
Orientali) *terram Edon, & terram Moab, venitque contra Orientalem plagam terra Moab.* Et sic patet quomodo præ innato, & inueterato odio, quo conturbati sunt Idumæi, ab eis repulsam passus fuerit Israel,& quomodo eodem odio ducti conturbati fuerint audito transitu maris rubri,& aduentu properantis Israelis.

Robustos Moab obtinuit tremor. Moab filius fuit Loth,susceptus è patre ebrio,& inscio,& ex filia natu maiori,& vt iniustã nomine gestaret monstruosi conceptus ignominiam,quæ sempiterna potius obliuione sepeliri debuerat, appellatus est ab ipsa matre Moab idest, de patre, a præpositione Min,idest, de, & nomine,ab,idest, patre,qua de re videndum est *c.*11. *Gen.*

Ponitur autem hoc loco Moab pro Regione quam insedit, ac tenuit, tum ipse, tum posteri, qui ab eo dicti sunt Moabitæ,secundum illud *Ipse est pater Moabita-* Gen.19.
rum,pro *robustos Moab*,Hebraicè habetur: num. 37.
Fortis Moabitidis regionis.

Obriguerūt omnes habitatores Chanaan, Pro obriguerunt Hebraicè habetur,*defluxerunt, dissoluti sunt*, & LXX. habent, *fuerunt liquefacti*,qua metaphora sumpta à rebus,quæ liquefiunt significatur exanimatio Chananæorũ,licet enim ferreo, ac duro animo fuerint Chananæi,tamen hoc nuncio ita percussi sunt,vt eorum duritia liquesceret, atque contabesceret, nam sicut legimus.*Cum Rex Balac videret om-* Num.22.
nia quæ fecerat Israël Amorrhæo, & quod num. 2.
pertimuissent eum Moabita, & impetum eius ferre non possent,dixit ad maiores natu Madian: ita delebit hic populus omnes habitantes in terminis nostris, sicut bos solet carpere terram vsque ad solum.

D.Hier. hoc in loco transtulit, *obriguerunt*, volens exprimere eundem sensum, quem Hebræus codex habet, à contrario tamen effectu, eo quod Latini sermonis vsus rigorẽ soleat adiungere timori, Hebraicus verò dissolutionem, & veluti liquefactionem, vt patet *Iosuë* 2. *Hæc au-* Iosuë 2.
dientes pertimuimus, & elãguit cor nostrum. num. 11.
Vbi in Hebræo est verbum *liquefaciendi*, ceræ scilicet aut niuis instar. Ille tamen prior effectus magis quadrat timori,sicut & stupor, re aliqua prorsus inopinata audita, est siquidem stupor species timoris, enumerata à Damasceno *lib.* 2.*fidei*, *c.*15. Et fit quando sanguis ad cor veluti ad arcem accurrens, externas deserit partes

 easque

easque frigidas relinquit, vnde timor, tremor frigidus dicitur. 2. *Æneid.*

Vulgique vox vt venit ad aures,
Obstupuere animi, gelidúsque per ima cucurrit,
Ossa tremor.

Et ipse etiã timor, frigidus dicitur, etenim *Lucanus. 1. belli Pharsalic.*

Diriguere metu, gelidus pauor occupat artus, &c. Et *lib. 4.*
Tum frigidus artus alligat, atque animus a subducto robore torpor.

Et *Ouid. lib. 1. Fast.*

Extimuit, sensitque metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.

Et *Pontan. libel. de fortitudine bellica, & heroica,* sic timidum describit. Itaque trepidat, horrescit, pallet, fugit animus, metu membra quatiuntur. Cum ergo timor talis describatur, & potius per effectus frigoris, quam caloris, magis profectò exprimitur timor, si dicatur quis obrigescere, frigidumque relinqui, & torpétem, quam liquefactum, & dissolutum. Hæc C ergo fuit ratio cur nostra vulgata potius habeat hoc in loco, *obriguerunt*, quam liquefacti sunt. Et ideò *Carthusianus* sic explicat hæc verba: Chananæi vltra Iordanem commorantes in tantum expauerunt ex aduentu filiorum Israël, quòd timor cordis causauit tremorem in corpore, & membra eorum obrigescere fecit.

Vox *Chanaan* regionem hoc in loco significat, sic appellatam à Chanaan maledicto filio Cham, & nepote Noë primò eius regionis habitatore, at Chanaan D plures filios habuit, quorum præcipui numero vndecim *Gen. 10. & 1. Paralip. c. 1.* & alibi sæpè in Scriptura numerantur, qui singuli, singulatum gentium, ac linguarum Principes fuerunt, nempè Sidon: Hethæus, Iebusæus, Aracæus, Sinæus, Aradius, Samariten, Amathæus, Amorrhæus, Gergesæus, Heuæus *Per hos ergo,* inquit Scriptura, *disseminati sunt populi Chananæorum.* Portò ex Sidone primogenito ipsius Chanaan originem duxerunt Sidonij, & Sidon, vrbs maritima celebris E non solùm apud Ethnicos scriptores, sed etiam in sacris libris, vt *Iosuë 11. & 19.* Et alibi sæpè, ex hisce populis exiit mulier illa, cuius filiam à Dæmone vexatam liberauit Christus, quando *secessit in partes Tyri, & Sidonis,* vt patet *Matth. 15.* Et idcirco, *Mat.* eam vocat *Chananæam*, quia erat de stirpe Chanaan per lineam Sidonis, maior tamen pars filiorum Chanaan

Gen. 10. num. 15. & 1. Paral. c. 1. num. 13.

Iosuë 11. & c. 19. & 28.

Mat. 15. num. 22.

A disseminata est in terra Chanaan. Qua de re sic habetur. *Facti termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim vsque Lesan*, *Genes.* 10. Quibus paucis verbis breuiter, & subobscurè describuntur quatuor termini laterales totius terræ Chanaan, de qua in præsenti est sermo. Nam latus Occidentale a Sidone, quæ posita erat velut in angulo cõtactu lineæ Aquilonaris, & occiduæ protendebatur secus B littora Mediterranei maris vsque ad locum, vbi torrens Geraræ intrabat in mari: ibi enim erat alter angulus inter Occidentem, ac Meridiem positus. Meridianum verò latus à prædicto torrentis loco excurrebat vsque ad Gazam, & inde ad Bersabee, quæ citato *Genes.* recitetur, ac demum terminabatur in Sodoma, iacebat enim in tertio angulo copulante prædictum latus Meridianum cum Orientali, qui deinde à Sodoma per Gomorrham, Adamam, & Seboim transiens C perueniebat vsque Lesa, quæ Lais, & postea Dan dicta est, ibi erat quartus angulus coniungens Oriẽtale latus cum Aquilonari, quod inde redibat ad Sidonem. Et in hoc eodem Aquilonari latere erat introitus Emath, de quo fit mentio. 3. *Reg. c.* 8. illis verbis: *Ab introitu Emath, vsque ad riuum Ægypti*; quæ erat longitudo totius terræ Chanaan ab Aquilone ad Meridiem ducta, & hanc eandem longitudinem ipsa Scriptura eodem *lib. 3. Reg. cap.* 4. aliis terminis metiebatur, nempè *à* D *Dan vsque Bersabee.*

Gen. 10. num. 19.

3. Reg. 8. num. 65.

3. Reg. 4. num. 25.

Hanc verò Chananææ longitudinem si quis scire cupit quanta fuerit, adeat *D. Hieron.* qui in *epistol. ad Dardanum*, quæ est in ordine 129. ait. Quod vix centum sexaginta millia passuum spatio tendebatur. *Plin.* verò *lib. 5. capit.* 13. à confinio Arabiæ vsque Phænicem ponit centum octoginta nouem millia passuum, latitudo autem erat varia. Nam alicubi, puta à Sidone ad Lesam, *Masius in cap. 19. Iosuë* ponit triginta quinque circiter mil- E liaria. Alibi verò nempè à Ioppe vsque ad Bethleem. *Hieron. loco citato* numerat quadraginta sex milliaria. Ecce, prout potuimus terræ Chanaan descriptio.

Maior tamen superest difficultas de habitatoribus illius terræ, de quibus est sermo in præsenti. Etenim si à prædictis filiis Chanaan, disseminati sũt populi Chanaan, vndecim profectò erant habitatores illius terræ, attamen constat Tyrios, & Sidonios,

nios, nunquam fuisse subactos ab Israëlitis, & vsque ad tempora Christi Seruatoris proprias retinuisse vrbes. De Araseis quoque, & Arabiis, & Amathæis nō apparet in sacris literis quod vnquam de sedibus suis ab Israëlitico populo expulsi fuerint, contra verò constat Philisthæos, qui de Chanaan non descenderant, sed de Mesraim, vt iam aduertimus, ab Israële exterminatos, atque de illis superiori versiculo tanquam de promissæ terræ incolis fit mentio, namque possidebant terram ab Heuæis ablatam. Præterea *Genes.* 15. vbi Deus promittit dare terram Chanaan posteris Abrahæ, licet in editione LXX. interpretum vndecim populi eisdem tradendi enumerentur, in vulgata tamen decem tantummodo inueniuntur, nimirum Cinæi, Cenezæi, Cedmonæi, Hethæi, Phetesæi, Raphaim, Amorrhæi, Chananæi, Gergesæi, & Iebusæi. Omissis Heuæis, qui apud LXX. adduntur. Et in vtraque editione neque omnes, neque soli connumerantur ij, quos supra de Chanaan descendisse diximus. Etenim omittuntur Sidonij, Aracæi, Aradij, Samaritæ, & Amathæi, & insuper in vulgata etiam Heuæi: adduntur verò alij, qui ab his diuersi admodum videntur, nempè Chananæi, Phætesæi, Cenezæi, Cedmonæi, & Raphaim. Denique *Deut.* 7. & *Iosuë* 3. & *vlt.* septem tantummodo gentes numerantur ab Israëlitis delendæ, quod etiam confirmat S. Lucas *Act.* 13. cum ait: *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte diuisit eis terram eorum.* Licet *Exod.* 3. & 33. & 34. & *Iosuë* 9. & 11. omissis Gergesæis reliquæ tantummodo sex gentes numerentur. Et similiter. 2. *Esdræ. cap.* 9. recensentur Gergesæi, & omittuntur Heuæi.

Gen. 15. *num.* 20. *Deut.* 7. *num.* 1. & *Iosuë* 3. & *vlt.* *Iona* 3. *n.* 10. & *c.* *vlt. n.* 21. *Act.* 13. *num.* 19. *Exod.* 3. *n.* 7. & *c.* 33. *n.* 2. & *c.* 24. *num.* 11. *Iosuë* 9. *n.* 1 & *c.* 11. *n.* 3. 2. *Esd.* 9. *num.* 8.

Ecce igitur quanta sit hæc difficultas de habitatoribus terræ Chanaan, ob multam textuum varietatem, & quid dicendum sit, tam certo constare nequit, satisque in re tā dubia videbitur afferre, quod probabilius appaeet. Est autem nostro iudicio: quod re vera, eo tempore, quo Deus introduxit filios Israel in promissam terram, gentes, quæ habitabant terram illam ad septem illas fuisse redactas, quas ex *Deut.* & *lib. Iosuë* recensuimus. Vel si plures fuerunt, certè illas septem fuisse magis insignes, & inter cæteras magis notas, & celebres. Nisi etiam dicantur septem, quatenus iste septenarius numerus interdum pro quadam vniuersitate vsurpari solet, & complectitur omnes

A populos, quotquot tunc temporis terram Chanaan incolebant, quos quidem quoniam aliquando vndecim, aliquando decem, quinque, septem, aut sex, pro temporum varietate extitisse eredendum est. Præterea potuit sacra Scriptura habito respectu, ad varia tempora ipsorum numerum variare. Semper tamen aduertendum est, quod cum Chanaan iuxta nominis Ethymologiam valeat Latine, mercator, seu negotiator aliquando in saero sermone sumitur non in vi nomi-

B nis proprij Regionis Chananitidis, sed appellatiue pro quolibet mercatore, vt *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* idest mercatori, aliquando eriam sumitur pro terra negotiationis, vt *Aquila grandis venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, summitatem frondium eius auulsit, & transportauit eam in terram Chanaan, in vrbe negotiatorum posuit illam.* idest potētissimus Rex Nabuchodonosor, venit ad vrbem, & templum Ierosolymitanum ex Libani montis ar-

Prou. 31. *num.* 24. *Ezec.* 17. *num.* 3.

C boribus magna ex parte constructum, & abstulit inde medullam, idest ipsum Regem Iecon iam, & transportauit eum in terram Chanaan. idest in Babylonem sumpto nomine Chanaan appellatiue, vt ipsa etiam Scriptura suo more se ipsam explicans ait, cum subiieit: in vrbe negotiatorum posuit illam, nam Babylonem magna mercatorum frequentia vndique confluebat ad agenda negotia tanquam in celeberrimum quoddam emporium. Hine etiam est quod cum mercatoribus

D vafricies, & calliditas tribui soleat, eadem Chananæorum apud Oseam his verbis perstringitur. *cap.* 12. *Chananeus in manu habet trutinam fallacem: amat iniuriam facere.* quod ideò dictum esse volumus, ne quis inueniens vocem Chanaan, & Chananæus decipiatur. Hoe tamen loco accipitur pro eo mundi tractu, quem descripsimus, & cuius habitatores Chananæi dicuntur.

Osee 12. *num.* 7.

ANNOTAT. I.

E

Peccata nostra diuina impediunt beneficia, & Dei promissionibus obstant.

Libuit hoc in loco ad nostram institutionem annotare id, quod aduertit *Caietanus*, hanc scilicet prophetiam de qua Moyses his versibus agit, nempè de

de formidine iniicienda hostibus populi A
Israëlitici licet magna ex parte fuerit
completa, non tamen omnino venisse, secundum quod prædicitur, & quoad aliquas prædictiones rigorosè sumptas, qualis planè est illa, *Fiant immobiles quasi lapis*, vel vt ipse legit, *silebunt quasi lapis*. Neque enim siluerunt, aut immobiles perstiterunt, imo aliqui moliti sunt contra Israëlitas, eisque multum negotij facesserunt, & transeuntibus per viam & promissam terram possidentibus, quod
Caietan. adscribit peccatis populi Israë- B
litici, quibus in solitudine Deum irritarunt, & offenderunt. *Caietano* suffragatur *Abul.* hic q.4. in particula illa, *quasi lapis*, quam ita enarrat, nullo modo moueantur hostes nostri in nos, confirmat autem *Abul.* hoc *ex bello*, quod paulò post ab Amalecitis motum est contra Hebræos,
*Exod.*17. vt patet ex *c.*17. *Exod.* Mens itaque *Caie-*
num. 10. *tan.* & *Abulens.* videtur esse Deum adimplesse ea, quæ hoc in loco Moyses illo dictante, & promittente prædicit, cumula-
tius tamen ea præstiturum, nisi peccatis C
offensus auxilium, ac fauorem ingrato populo subtraxisset.

Pro maiori autem huius rei claritate aduertendum est temporarias promissiones vitæ, victoriæ de hostibus, bonorum abundantiæ, & terræ Chanaan sub conditione fuisse à Deo proposita Iudæis, si legem scilicet seruarent, & in eius obsequio, & dilectione permanerent, quod
Iosuë 13. prosequitur *Masius ad caput* 13. *Iosue.* vbi
*num.*6. Deus promittit se deleturum omnes ini-
micos filiorum Israel, vt ipsi ad promissam D
terram ingredi possent, quam promissionem asserit conditionaliter esse intelligendam, sic verò habet. Illud, *Ego sum qui delebo*, debet sub hac conditione sensum putari, si populus meus sibi ipse non obstiterit, quod sanè Moyses etebro explicauit, homines enim sæpe cælestia beneficia vltro ipsi repudiant, atque abs se abdicant, neque tamen ob id Dei promissa frustra esse videri debent. Manserunt autem vsque ad ipsa Dauidis tēpora multi in Chananæa veteres coloni: neque id E
solum ne feræ bestiæ damnum darent electo populo, nondum satis aucto, sed propter istius scelera, vt nuper dicebamus, quæ subinde à domesticis hostibus, debebant puniri. Sic ille. Qui etiam hoc idem prosequitur in *cap.* 15. *Iosuë num.* 63. *ad finem*, vbi in confirmationem huius doctrinæ affert locum petitum ex *libr. Iudic. c.*2. vbi Deus rationem reddit, cur hostes suos eliminare nequiuerint Israëlitæ, atque: *Quia irritum fecit gens ista pa-* *Iud.*2.
ctum meum, quod pepigeram cum Patribus *num.* 20.
eorum, & vocem meam audire contempsit, & ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est.

Quinimo & spirituales promissiones de peccatorum remissione, reconciliatione cum Deo, gratiæ infusione, æterna, ac cælesti vita, & corporum glorificatione, quæ Filius Dei in carne pollicitus est sub conditione spopondit, nisi scilicet ex parte nostra obicem poneremus peccando, & ea, quæ nobis à Deo iniuncta erant, seruaremus. Sola autem dandi, & mittendi Messiam promissio absoluta fuit, quam noluit Deus ab vlla conditione pendere,
ideireóque post Adæ peccatum admissum, *Genes.* 3.
vt cogitaremus nullo hominum merito *num.*5.
tantum bonum nobis collatū, prima Messiæ promissio facta est, dum in serpen-
tem pronuntiaret sententiā impio Achas *Isaiæ* 7.
testante signum oblatum à Domino; *num.* 14.
promissio virginis concepturæ, & parituræ Emmanuelem adhibetur, tale enim, ac tantum bonum erat Messias Seruator, vt sub meritum vllum hominum minime caderet, cum potius ipse esset certum, & verum fundamentum meriti quod homines habituri essent. Adde insuper ad Abrahamum, & Dauidem sub iureiurando promissionem Messiæ factam fuisse, quo innueret Deus eiusmodi donum firmum esse futurum, & nulla ratione reuocabile, quemadmodum solebant esse cætera dona, ac bona, quæ Deus pollicebatur, quorúmque promissiones adimplebantur, si conditiones adforent, neque peccatis hominum illarum exhibitiones retardarentur, quod probat *D. Chrysost.* in primo patente cui Deus dixit.
Et terror vester, ac tremor sit super cun- *Genes.* 9.
cta animalia terræ, & super omnes volu- *num.*2.
cres cæli cum vniuersis, quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Ait ergo *Chrysost.* hoc è contrario fieri videmus, quia videlicet indignum se homo tali præbuit principatu. Et pro explicatione Diuinarum promissionum addit illud, quod maximè notandum est. Ne punitionum, inquit, terrore in desperationem nonnulli compulsi, duriores ad virtutem fiant, aut bonorum pollicitationibus in desidiam delabantur, vtraque ista per Hieremiam corrigit di-
cens: Etsi minatus fuero non diffidas, po- *Iona* 3.
tes enim pœnitentiam agere, & sententiam meam sicut Niniuitæ conuerrere,

etsi

etsi aliquod bonum promittam, propter promissionem non decidas, non enim proderit tibi pollicitatio mea, si vitio te indignum feceris. Imò verò maioris causa supplicij erit: qui locus in nostra vulgata sic habetur: *Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem & destruam, & disperdam illud, si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. & subito loquar de gente, & de regno vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiant vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum vt facerem eis* qui locus apertè ostendit peccata nostra impedire Diuinas promissiones, & beneficia Dei retardare, quæ alioqui secundum quod promiserat sine dubio nobis conferret.

Hier. 18. num. 7.

Nec pigebit hoc loco adducere *D. Hieron. Epist. ad Dardanum, quæ est numero 129. à medio, tomo 3.* ante dimidium, vbi sic scribit. *Si obieceris terram promissionis dici, quæ in Numerorum volumine continetur (scilicet c. 34. & seq.) à Meridie maris salinaris per Sina, & Cades Barnè vsque ad torrentem, qui iuxta Rhinocoruram mari magno influit: & ab Occidente ipsum mare Palestinæ Phœnicis Syriæ Cœlis, Ciliciaque protenditur: ab Aquilone Taurum montem, & Zephyrum vsque Emath, quæ appellatur Epiphania Syriæ: ad Orientem verò per Antiochiam, & lacum Genesareth, quæ nunc Tybirias appellatur, & Iordanem, qui mari influit Salinarum, quod nunc mortuum dicitur, trans Iordanem autem duarum semis tribuum possessio est, Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, & ego confitebor hæc tibi promissa, non tradita, si obseruasses mandata Dei, & in præceptis illius ambulasses. Si non pro omnipotenti Deo coluisses Beelphegor, & Baal, Beelzebub, & Chamos: quos quia prætulisti Deo, omnia quæ tibi promissa fuerant, perdidisti: Et mihi in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ mihi instrumentum vetus omnino non nominat, sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me, qui promissum accipere non memini.* Sic *Hieron.*

Cuius doctrina in nostri argumēti confirmationem potest deduci ex eo quod Deus *Caino* dixit. *Nonne si bene egeris recipies. Sin autem malè statim in foribus peccatum tuum aderit?* Vbi *Lyranus* le-

Genes. 4. num. 7.

A git: *Peccatum tuum erit in foribus recubans.* Et *D. Hieron. Ante fores peccatum tuum sedebit.* Vbi videtur sumpta metaphora ab animalibus custodientibus fores Dominorum suorum, ne quis ignotus domum ingrediatur, prohibent enim & vocibus, vnguibus, dentibusque ingressum cuiuscumque: eodem igitur modo peccatum ad fores animæ nostræ sedens, & accubans prohibet, & impedit ne quid boni ad nos ingrediatur. Quo etiam sensu videtur dixisse Dauid, *Peccatum meum*
B *contra me est semper.* Vbi particula, *contra*, vigilantiam videtur denotare, vt scilicet peccatum sit è regione positum in excubiis, nam particula, *contra*, hoc multoties in Scriptura significat, sicut cum dicuntur mulieres, *sedere contra sepulchrum*, Matth. 27. *Et altare positum esse contra velum.* Exod. 30. *Et Tygrim vadere contra Assyrios*, *Genes. 2.* Est igitur peccatum contra peccatorem, non solum testimonium ferendo aduersus illum, sed maximè obseruando, & prohibendo ne
C quid boni ad ipsum ingrediatur, & ne quid mali inde egrediatur, & in hoc ferè sensu exposuit *D. Hieronym.* peccatum esse contra nos, quia scilicet nos à Deo separat, qui est fons à quo bona cuncta procedunt.

Psal. 50. num. 50.

Mat. 27. num. 61.

Exod. 30. num. 6.

Genes. 2. num. 17.

Iniquitates vestræ, ait Isaias c. 59. *diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret*, quod explicans *Ambros.* ait: Sapiens aduersum se iudicat delictum suum esse, & tanquā hostiles aues,
D quæ scilicet omnia bona deprædantur, & miserum excruciant, ac torquent peccatorem, vt nihil boni experiatur, & totum quod videt malum esse censeat.

Isaia 59. num. 5.

Nisi fortè etiam illud, *peccatum meum contra me est semper*, sit verbum forense, vt mox tetigimus, significans peccatum ex aduerso stare tanquam accusatorem, testémq; qui agat contra nos apud Deum sicut Iezabel, *Iussit vt sedere facerent accusatores aduersus Naboth.* 3. Reg. 21. Et simili loquendi forma. *Arguam te, & sta-*
E *tuam contra faciem tuam.* Et *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis.* Contra nos igitur adest peccatum bellum nobis illaturum, cum nullum habeamus crudeliorem aduersarium, & acerbiorem hostem, sic enim intelligit *D. Hieronym.* illud. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Vbi etiam Glossa per inimicos intelligit peccata, quod deduxit *Lorinus* ad præcitatum locum

3. Reg. 21. n. 9.

Psal. 49. num. 21.

Isaia 59. num. 12.

Psal. 6. num. 7.

Psal.49. num.21. locum ex *Psal.49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam*, ac si diceretur, ait ille, *Instruam, ordinabo, & disponam tanquam aciem contra te ipsamet peccata tua.* Et in hoc sensu videtur optimè dixisse, *Exod.32. num.17.* *Iosuë Exod.32.* quando filij Israel idolum adorabant, & Deum grauissimè offendebant, *Vlulatus pugnæ auditur in castris.* Cum enim grauissimè peccauerint Hebræi vitulum adorantes rectè prælium resonabat, & vlulatus pugnæ audiebatur, pugnæ inquam, quam ipsis inferebat idololatria, sicut inferre solet quodcumque B peccatum. Vbi etiam notandum venit id, *Sup.n.18.* quod *Moyses* dixit eodem in loco: *Vocem cantantium ego audio.* Vbi ea vox habetur, quæ verti optimè posset: *Vox afflictionis, humiliationis, & miseriæ auditur*: Etenim quando epulabantur, compotabant, lasciuiebant, saltabant, cantus, & choræas ducebant, vox profectò miseriæ audiebatur, quid enim miserabilius, quam Deum offendere, & vitulum adorare, sibique ea in re bellum inferre. Dúmque id agunt, iucundissiméque lætantur, C mœrore potius confici deberent, & mœstitia contabescere.

Sicut autem, quando hostes ciuitatem, quam oppugnarunt, expugnantes ingrediuntur, ipsam spoliare, diripere, & quæcumque inueniunt bona secum deferre consueuere. Sic itidem & peccatum facit, statim enim atque miseram ingreditur animam possidendam, omnia detrahit bona, gratiam scilicet, & quæ ipsam comitantur virtutes, & omnia insuper mala infert, quæ peccatum consequuntur. D Qua de re videndus *Theodoret. in Psal.3.* vbi sic ait loquens de Dauide. Post geminum peccatum in multas, variásque calamitates incidit beatus Dauid, nam non solum finitimæ gentes in pugnam, bellúmque exarsere, sed sua ipsius etiam domus cœpit seditione laborare, & peccatum peccato successit, Amonis libidini homicidium Absalonis, & fratricidio insultus contra patrem, & subditorum defectio; cum enim Diuina gratia Dauidi prospiceret, nihil horum illum vexabat, E cum verò ob patratum crimen destituisset, malitia campum occupauit, & tragœdiis digna effecit, malorúmque congeriem protulit. Sic ille.

Neque verò sola spiritualia bona peccatori desunt, sed ipsa etiam temporalia bona tanquam indigno Domino abesse volunt, & recedere à peccatore, quasi nolit, apud iniquum Dominum amplius commorari, quod non vtcumque nobis ostendit locus ille apud *Osæam c.2.* vbi impia gens decem tribuum, quæ à Deo defecerat, sic loquitur. *Vadam post amatores, qui dant mihi lanam meam, & linum meum.* Quibus insanis, ac stultis verbis Deus sic respondet: *Et hæc nesciuit, quia ego dedi frumentum, & vinum, & oleum, & argentum, & aurum, quæ fecerunt Baal, idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiã eius.* Vbi aduertendum maximè est, verbum illud, *liberabo*, nam verbum Hebræum pro quo vulgatus transtulit liberabo propriè significat cum ea tollimus, quæ contra fas ab alio tenebantur, vt *Genes.31.* Iacob cui merces magnorum laborum à Laban nulla reddebatur ait: *Tulit Deus substantiam Patris vestri & dedit mihi.* Similiter & vxores eiusdem Iacobi dixerunt: *Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum, sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filijs nostris.* Et *Exod.3.* dicitur. *Spoliabitis Ægyptũ*, quibus in locis pro *tulit*, & *spoliabitis*, est in Hebræo hoc ipsum verbum quod hic habetur, ex quo cernitur posteriori loco Hebræos non aliena, sed sua suscepisse, quæ iniustè retinebant Ægyptij, & ad Hebræos pro labore manuum suarum iure pertinebant. Vnde *Sapientiæ 10.* dicitur: *Reddit Deus iustis, mercedem laborum suorum.* Qua de re videndus *Epiphanius* in *Ancherato* vt alios omittamus. Et hæc sanè fuit ratio, cur eleganter, propriè, & doctrinaliter reddiderit hoc in loco *Hieron.* Liberabo lanam meam, quod enim inique ab iniquis, & iniustè ab iniustis, at peccatoribus bonum possidetur, videtur lædi, affligi, & veluti carcere conclusum teneri, & ideò cum aufertur, & à manibus iniquorum extrahitur, meritò dicitur liberari.

Oseæ 2. num.5. — *Supr.n.8.* — *Gen.31. num.9.* — *Exod.3. num.vlt.* — *Sap.10. num.17.*

Hæc etiam fuit ratio cur *Paulus* loquens de creaturis, quæ impiis hominibus quasi inuitæ in hoc mundo seruiunt, dixerit: *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem filiorum Dei*, vt scilicet iam amplius creatura non ministret per violentiam hominibus impiis, sed libenter deseruiat Sanctis, & iustis, quamuis enim in cælis habitaturi sint beati, tamen pars mundi inferior etiam ad ipsos pertinet, propter quos creata est. Hæc igitur liberabitur à seruitute, *Rom.8. num.21.*

uitate, qua impiis coacta seruire cogebatur, vt læta, & excusso iam iugo libere, ac libenter obsequio Sanctorum veluti parata sit.

Ex quibus iam constat quid voluerit Deus quando per Oseam dixit: *Liberabo lanam, & linum.* etenim hæc, sicut & cætera temporalia, quæ vniuersorum Domino veluti morigerantur, coactam patiuntur seruitutem, dum apud impios homines detinentur, à qua quidem liberantur cum ab iisdem iuste auferuntur, à quibus cum ipsa gratia, si possent, recederent, & quia nequeunt, pergrauantur. Videndus in hanc sententiam *Chrysost. hom. 39. in Genes.* cum ponderat illa verba Lamech patris Noe qui in ortu filij sui Noë hoc illi nomen imponens addidit: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus*, seu vt legit *Chrysost. Hic faciet nos quiescere.* Requiem, inquit ille, diluuium vocans, diluuium enim magno vndarum impetu feruiens, sceleratorúmque nequitiæ finem imponens, & terram quasi delassatam malitia hominum, multaque labe pollutam, purificauit, inhabitantium vitiis dudum impuratam ipsos homines per supplicium per quietem adduxit. Sic ille, apud quem delassatam vides terram quæ peccatoribus fructus, ac frumenta ministrauerat, quæ enim coacta eisdem seruierat, delassari, & defatigari necessum erat. Ex quibus iam aperte constat, cur Deus cumulatissimè non concesserit Israelitis ea, quę hoc in loco prædicuntur, peccatis namque suis obicem posuerant, diuinæ liberalitati; & beneficentiæ, etenim si iniquitates collata nobis bona, & possessa iure auferunt, quid mirum si ne tandem conferantur, impediant?

Genes. 5. num. 29.

Neque etiam mirari possumus si inimici Israelitarum nō fuerint facti *immobiles quasi lapides donec illi pertransirent*, imo contra eos insurrexerint quod totum oppositum videtur præsenti prophetiæ, & prædictioni: nam peccatum ex se imbecillum, & imbelle est, ac proinde à nullo timendum, tantúmque abest, vt peccatores cæteris hominibus, ac creaturis possint esse timori: quinimo creaturæ aduersus ipsosmet peccatores insurgunt, eosque nihili facientes despiciunt. Videre hoc est in primo Parente ad quem Deus adduxit vniuersa animantia, vt orbis ille Monarcha eis veluti seruis nomina imponeret, quibus quando vellet, vocaret, constitutóque omnium animantium Dominio Adamo, ei ad nutum parebant ante peccatum, at vero post peccatum contra ipsum, dominum minimè iam agnoscendo rebellarunt, cuius rei rationem reddit *Chrysost. in Psalm. 3.* dicens, quod homo peccando alium sibi vultum finxerit, quem belluæ non agnouerint. Quemadmodum, inquit, canis, qui in domo est, ei seruit, qui eum alit, sed cum repente viderit vultu fuligine atrato, vel personato, aggreditur tanquam alienum, & cogitat eum dilacerare, ita Adam quandiu purum seruauit vultum factum ad imaginem Dei, bestiæ ei tanquam seruæ parebant, quando autem vultum fœdauit inobedientia, non agnoscentes Dominum, tanquam alienum odio habebant. Sic ille ostendit, quomodo miser peccator, neque etiam irrationabilibus creaturis sit terrori, quandoquidem contra ipsum insurgunt, eique bellum inferunt, qui imaginem Dei per peccatum in se reddit deformem, cum supernaturalem formam gratiæ amittit.

Genes. 2. num. 19.

Hoc ipsum etiam cernere est in Daniele, cui è contrario, quia iustus erat, & sanctus, famelici leones pepercerunt, & veluti supremo Domino reuerentiam exhibentes attingere minimè ausi sunt, reddit autem ipsemet Propheta Regem alloquens huius rei rationem, cum dixit, *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me.* E contrario vero à leone dilaniatus est Propheta, qui præceptum Dei sibi impositum violauerat. Ipsa namque animantia, quæ virtuti, ac iustitiæ obsequuntur, impietati, & nequitiæ bellum inferunt, obsequium tollunt, dominium refragantur: Vtrúmque vero euentum sic prosequitur citatus *Chrysost. Iustus Daniel, & Leones agnouerunt Dominum. Peccauit Propheta & eum Leo in morte affecit, & non agnouit: Si Prophetam vidisset, vt Danielem eum honorasset inuenit Pseudo-prophetam, & tanquam alienum inuasit: Dominus mentitus est, & seruus negauit Dominum.* Sic ille.

Dan. 6. num. 22.

3. Reg. 13. n. 24.

Mirabitur quis arguendi libertatem, & obiurgandi licentiam Azariæ Sacerdotis, qui Oziæ Regi thus adolere volenti super altare thymiamatis, dixit: *Non est tui officij Ozias vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium,*

2. Paral. 26. n. 18.

A *ministerium, egredere de sanctuario, ne contempseris.* Vbi illud notandum venit non solùm ausum fuisse libere arguere, sed Oziam & non Regem, veluti in contemptum, & regiæ dignitatis oblitum appellasse, deinde illi in fronte exortam fuisse lepram, ne deinceps agnosceretur Rex ex facie, sed vilis, & leprosus despiceretur ab omnibus, & alio veluti vultu transmutatus vniuersis esset contemptui, quod expendens *Chrysost. homil. 4. de verbis Isaiæ, vidit Dominum,* sic ait. Vide libertatem, B vide mentem seruire nesciam, vide linguam cælos attingentem, vide libertatem incoercibilem, vide hominis corpus, & Angeli mentem. Vidisti Regem, nec vidisti diadema? ne dixeris mihi esse Regem vbi est legum transgressio, non licet tibi Rex adolere incensum, transcendis septa tua, quæris tibi non concessa, nec quicquam potuit Sacerdos, nam Sacerdotis tantum est arguere, liberámque præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare C lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere, sed tantum arguere, ac liberam præstare admonitionem: *Continuo floruit lepra in fronte illius,* vbicúmque est impudentia, illic est vltio, effloruit lepra non in alio loco, quam in fronte, vt facies præ se ferret vindictam, vt tanquam in columna literæ essent impressæ. Sic ille; si verò rationem inquiras cur tam libera voce ipsum Regem arguere ausus sit Sacerdos, eam videtur reddere sacer text. cum præmisit dict. cap. loquens de Ozia. Supra num. 16. D *Cum roboratus esset eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit dominum Deum suum, ingressúsque templum Domini adolere voluit incensum super altare Thymiamatis.* Is igitur, qui Dominum suum despexerat peccando, legémque eius soluendo à Sacerdote iure despicitur eundem obiurgando, & increpando, neque enim homines venerantur, imo neque cæteræ creaturæ reuerentur peccatorem, aut obseruant impium qui Deum impudenter offendit delinquendo.

E Videndus etiam est in hanc sententiam *Chrysost. homil 5. ad populum,* vbi de Iona minimè obediente præcepto Domini, sed fugiente potius in Tharsis, à facie Domini, nauémque conscendente, vt citius fugam arriperet, ait insurrexisse in illum maris fluctus, & tempestatem, veluti in eum qui à diuina gratia exciderat, & cui bellum creaturæ etiam inferre auderent, vt communi omnium Domino, quem læ-

A serat profugus Ionas, obsequerétur. Postquam nauigium, inquit, ille ingressus est, statim excitauit mare, vt discas, quod vbi peccatum, ibi procella, vbi inobedientia, ibi fluctuatio, & quatiebatur quidem Niniuitarum ciuitas propter peccata, quatiebatur autem nauigium propter Prophetæ inobedientiam. Illi igitur Ionam quidem in mare deiecerunt, & stetit nauigium, &c. Clarius hoc habet idē, *Chrysost. homil. de Iona Propheta ad finem to. 1.* vbi ait. Turbantur maria, fluctus eleuan- B tur, & sicut fidele mancipium, cum seruum fuga lapsum, nonnullis etiam communi Domino pretiosis ablatis, omni animositate contra eius retentores insistit, nec ante derelinquit, nisi cum præsentauerit Domino, sic, & mare conseruum agnitum, vt sibi traderetur, exposcit. Tantum *Chrysost.* quibus verbis probè ostendit quomodo creaturæ velint vindictam, ac pœnas sumere de impio peccatore, in ipsúmque puniendum insurgant, qui in communem omnium Dominum, C peccando insurgit, & debitam illi subiectionem delinquendo abnegat: Ipse autem offensus Dominus derelinquens hominem in manu consilij sui, post delictum creaturis suis iustitiæ Diuinæ ministris torquendum committit, & persequendum permittit, quod videtur dixisse *Tertull. lib. de patientia, cap. 5.* Vbi de Adamo præceptum Domini transgrediente, ait. Exinde homo terræ datus & ab oculis Dei eiectus facilè vsurpari ab impatientia cœpit, &c. Desertus proinde homo à Deo, & tra- D ditus inimicis creaturis ab iisdem iustè punitur. Vnde *Lipomanus* ad illa verba à Deo dicta ad Moysen. *Vade, peccauit populus tuus,* ait. Exod. 32. num. 7. Cum sanctè viuimus, domini sumus, cum verò peccamus, nostri sumus, & à Domino alienamur, & abiicimur, incipit ex peccato esse vel potius dici populus Moysi, hoc est hominum, maximum periculum homini, dum sibi ipsi relinquitur; quibus in verbis prædictus auctor innuit in quanto periculo sit constitutus miser peccator, quem creaturæ om- E nes velut hostem aggrediuntur, & circumueniunt, proindéque nullibi peccatori fidendum, quem vndique aduersarij circumstant tanquam communem hostem. Aduertit autem *Oleast.* Dominum dixisse Moysi, *Peccauit populus tuus,* quia iam per peccatum non erat populus Dei ad beneficia illius recipienda, vel possidenda; hoc malum, inquit, peccatum afferre solet, vt peccator non sit Dei ad

beneficia,

beneficia, si tamen eius ad supplicium.

Quid mirum igitur si Deus ea beneficia, quæ populo Israëlitico promisit non contulerit cumulatissimè, quando, & ipse populus tot beneficiis cumulatus, & tot miraculis in libertatem assertus Deo ingratus per suam impudentiam extitit, ipsumque toties per summam iniuriam irritauit, & offendit. Quid mirum insuper, quod Amalech in Hebræos insurrexerit, quos peccatores agnouerat, quando contra miserum peccatorem, etiam ea, quæ sensu, & intellectu carent, veluti armata insurgunt, ipse verò miser peccator delinquendo contra omnipotentem Dominum, qui fortitudo, & robur suorum dicitur, imbecillus, & timidus omnino redditur, quæ fuit causa cur Cain post pattatum scelus vrbem ædificare curauerit, eamque maxima solicitudine vallauerit, quando nullus adhuc extabat, qui eum aggrederetur, timebat enim nequam ille homo, ne vniuersa animantia, in ipsum irruerent, neve sanguis, qui de terra clamabat contra ipsum, terram etiam commoueret in illum. Vnde iam patet cur ille perpetuo agitaretur pauore, & tremore, nam sicut dixit *Chrys. in Psal.* 7. Vitium etiamsi secum habeat vniuersum orbem terrarum, est omnium maximè imbecillum, virtus autem etsi sola sit, est omnium potentissima. Hæc proinde fuit ratio cur inimici Israëlitici populi non iam, vt lapides omnino immobiles præstiterint, sed potius armati obuiam processerint, & stragem aliquando ediderint in agminibus Israëliticis, quia scilicet videbant eum peccatis obnoxium populum & proinde imbecillum, quem potius aggredi, profligare, & expugnare possent, nisi misericors Deus promissa potius respiceret sua, quam iniqui populi peccata commissa.

ANNOTAT. II.

Principum defectus notiores fiunt, ij autem maximè versantur in timore, & terrore amittendæ dignitatis.

Illud hoc in loco sese maximè offert annotandum, quod tremor, ac timor principum Edon, & robustorum Moab in sacro textu veluti digito notatur, quasi velit Moyses hoc nobis inculcatum principum scilicet ad maiorum defectus nullatenus posse occultari, & reticeri, quod prima miseria est primariæ dignitatis, & obseruatum est à *Cypriano* etiam in Ecclesiasticis dignitaribus, *Epist.* 2. *ad Cornelium*, clarius autem à *Chrysost. lib.* 3. *de Sacerdotio*, vbi ait: *Non possunt Episcoporum vitia dissimulari, sed vel parua, atque exigua confestim manifesta fiunt, quando & Athleta tantisper dum domi se continet, cum nemine manus conferens imbecillitatem, infirmitatemque suam occultare aliis potest, vbi verò nudato corpore in arenam decertaturus descenderit, tum facilè apparet, quid ille possit. Eadem ratione, qui priuatam hanc, & quietam vitam viuunt homines: Idem rursus cum in medio prodierint solitudinem illam sicut veste exuere, ac per externos aduentitiosque motus suos animos omnibus nudos exhibere coguntur.* Sic *Chrys.* quem videtur exponere *Seneca lib.* 1. *de clementia, cap.* 8. vbi ait: Hæc magnitudinis seruitus est; nõ posse fieri minorem, sed cum Diis tibi (alloquitur enim Neronem Imperatorem) communis ista necessitas est, nam illos quoque cælum alligatos tenet, nec magis illis descendere datum est, quam tibi, fastigio tuo affixus es, nostros motus paucis sentiunt, quibus in verbis ostendit quomodo principum virorum defectus noti statim fiant, ex eo, quod superiori præsideãt loco, omnibúsque conspiciendi proponantur, quod videtur etiam inculcasse Christus Dominus cum discipulis suis dixit: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*, (*Matt.* 5.) conspiciuntur enim vel minima abscondita, cum in supremo loco exhibentur. Et ideò *Isidorus lib. de summo bono, capit.* 18. in hoc sensu dixit, sæpè, quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur; ignoscitur siquidem, quia non tam facile apparet in minoribus, imputatur autem maioribus, quia statim omnibus innotescit, vnde etiam *Iuuenalis satyra octaua.*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Aliam huius rei rationem ex superiori loco deductam proponit *Plutarch.* cum ait: Quemadmodum maiori solent esse dedecori notæ in facie, quàm in reliquo corpore, sic etiam minima quæque Principum errata notantur. Hæc igitur fuit ratio, cur timor, ac tremor statim notentur in Principibus ac robustis, quia, & notæ in facie Reipublicæ, quæ Princeps, &

Rex est, facilè subnotantur, & ciuitas in A monte posita latere nequit, & athleta in foro excitus quos vestibus occultaret defectus, omnibus conspiciendos proponit.

Sed quid in eis timor, ac metus statim proponitur? Quia supremam quamlibet dignitatem timor statim comitatur, quod rectè prosequitur *D. Cyprianus, Epist. 2. ad Cornelium Papam.* vbi ait. Nec interest, vnde Episcopo, aut terror, aut periculum veniat, qui terroribus, & periculis viuit obnoxius, & tamen fit de ipsis terroribus, & periculis gloriosior. Hinc est quod Christus Dominus, sicut rectè obseruauit *Chrysologus* antequam regnum discipulis polliceretur, & supremam Ecclesiæ suæ dignitatem, illos præuenit di-

Luc. 12. num. 32. cendo: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Est enim quid necessarium regnaturis timor, & tremor. Prosequitur hoc argumentum *Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 2.* vbi ponderat, timorem, & turbationem Herodis audito noui Regis

Matt. 2. num. 3. Iudæorum ortu, *Audiens Herodes*, ait *Matth. Rex turbatus est.* Semper grandis potestas, ait ille, maiori timori subiecta est, sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiamsi leuis aura flauerit, mouetur; sic ad sublimes homines in culmine dignitatum existentes, etiam leuis nuntij fama conturbat, humiles autem sicut in conualle plerunque in tranquillitate consistunt. Similia habet *homil.* 30. vbi ait: Paupertas semper secura est, summa autem potestas sine timore periculi nunquam est.

Hinc est quod Deus in iis, quos sibi assumpsit ad gubernationem populi sui maximè expellendam curauit timoris notam; etenim quando Deus iussit Samuelem ad vngendum Saulem, Samuel dixit

1. Reg. 9. num. 17. ad Saül. *Dic puero vt antecedat nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper vt indicem tibi verbum Domini.* Si verò quæras cur non illi indicauerit verbum Domini de regno cui præficiendus erat coram puero, cæterisvè qui fortè aderant, E præsertim quia paulò post, ductis fortibus hoc futurum erat notum omnibus? Respondet ibi *Abulens. q.* 17. Quia cum inueniretur in sorte, quod erat Rex, forte expallesceret, & non demonstraret animum regalem. Ne verò huiusmodi defectus palloris, aut timoris conspiceretur in eo, quem sibi Deus elegerat, ideò præuenit eum per annuntiationem Prophetæ, qui illi secreto, & seorsim prædixit verbum Domini, vt postea ductis sortibus, minimè audito sibi commisso regno, turbaretur.

Hinc etiam est quod Dauid, quem sibi Dominus elegerat, expers omnis prorsus timoris nobis proponitur, cum & vrsum, & leonem interficit, & carneam turrim impauidus aggreditur; is autem proximus regno etiamsi pauidus videatur fugisse à facie Saulis, quando profectus est in Maspha ad Regem Moab, cuius in tutelam, B ac fidem, parentes suos permisit. *Maneat*, inquit, *oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciã quid faciat mihi Deus.* Et statim additur Dauid Prophetæ Gad monitu fugam iterum contendisse. *Noli*, inquit, *hic manere, proficiscere, & vade.* Vbi non vulgaris insurgit dubitario, nam si Dauid non satis tutam sibi Regis fidem putabat, cur apud eum suos permittit parentes immorari, quin mortis periculo subducat, si autem Regis probat fidem, cur apud eum simul cum suis non rema- C ner, imò sibi fuga putat esse consulendum? Alias huius rei causas, alij afferunt, in rem verò nostram aptè *Hugo Victorin. & Dionys. Carthus.* dicunt: Iubetur abire, vt persecutionem sustineat, & vt in terra sua idest, Iuda, laboribus exerceatur, eosque perferendo assuescat minimè commoueri, aut perturbari. Poterat tuto Dauid immorari apud Regem Moab, qui adeò munificum eius se præbuit in parentes, teste Iosepho *lib. 6. antiquit.* licèt aliter apud Lyranum, sed ineptè, Rabi Salo- D mon opinetur, attamen à Deo præoptatus in regem debuit præexerceri, plurima aduersa sustinendo, ne postea qualibet aura commoueretur. Vnde & postea Miphiboseth, dixit eidem Dauid: *Tu autem Domine mi Rex, sicut Angelus Dei es*, quibus in verbis constantiam, & rectitudinem in moderandis affectibus prædicauit in Dauide, sicut eum locum interpretatur *Abulens. q. 24. in capit.* 17. eiusdem libri. 2. Reg. 16. n. 26.

Hinc etiam est quod Dauid filio suo Salomoni, quem diuinitus nouerat à Deo constitutum sibi successorem totius populi Dei, ipse moriturus ante omnia commendauit fortitudinem, & constantiam, ne qualibet aura timoris moueretur. *Ego*, 3. Reg. 2. inquit, *ingredior viam vniuersæ terræ; confortare, & esto vir*, quæ verba sic ad num. 2. nostrum argumentum explicat *Abul. ibi q.* 3. Accipe constantiam, & fortitudinem, & non sis sicut pueri, qui propter metum passionum

passionum habent maximam mobilitatem in opere,& proposito:sed esto vir,idest maturus sicut vir,vt propositum tuum de bono constans sit,& non traharis in diuersa per passiones. Sic igitur solet Deus A occurrere iis,quos eligit, ne tam cito paueant,sicut solent Principes huius sæculi, instar quorum nobis proponuntur timore percussi, & tremore concussi Principes Edon, & robusti Moab.

TEXTVS.

Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine: donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti. Num.16.

EXPOSITIO LITERALIS.



Iuxta ea, quæ Propheta Moyses dixerat, modo describit qualisnam futurus esset timor ille, quem prædixerat, nam verbum, *irruat*, significat, irruet, & verbum, *fiant*, idem est, ac fiunt. Vnde *Oleaster* legit: *Irruet super eos, &c.* Per magnitudinem igitur diuinæ potentiæ præsagit fore,vt tanta formido, intrinsecus, tantusque pauor extrinsecus, eas nationes occupet, vt instar lapidum obriguisse,& stetisse immobiles videantur,nec C magis sese ad arma capessenda, ac transeunti populo resistendum mouere queãt, quam lapides natura frigidi, stupidi, ac stabiles. Nullatenus verò alicui mirum videri debet, si tam cito Moyses à præterito tempore collocutus est superiori versu cum dixit:*Portasti eum in fortitudine tua,&c. Tunc conturbati sunt principes Edon*,modo iam de futuro optet,& loquatur deinceps, & in sequenti versu de futuro dicat, *introduces eos, &c.* Frequens namque temporum mutatio esse solet in D Canticis, in Prophetis, & in Psalmis, etenim Prophetæ nunc à præterito ad futurum sermonem conuertunt, nunc verò à futuro ad præteritum relabuntur, exem-

Haba. 3. num. 3. plum fit in Cantico *Habac*.3.vbi de futuro loquens ait: *Deus ab Austro veniet,& sanctus de monte Pharan*,& statim de præterito addit, *Operuit cælos gloria eius*,iterúmque ad futurum reuersus ait:*Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius,* B *ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Mox verò per præteritum loquitur; *Stetit,& mensus est terram, aspexit, & dissoluit gentes,& contriti sunt montes sæculi,incuruati sunt colles mundi, &c.* Rursus in futurum regreditur,*Suscitans suscitabis arcũ tuum.* Hoc ipsum videre est in *Isai. cap.* 9. statim in principio,vbi per præteriti temporis verba vaticinatus,ait;*Primo tempore alleuiata est terra Zabulon,& nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucẽ magnã.* Huiusmodi verò præteritis subiungens futura ait. *Lætabuntur corãm te,&c.* Et mox ad præteritũ relapsus ait, *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Paruulus natus est nobis,& Filius datus est nobis,& factus est principatus eius super humerum eius,&c.*Iterúmque reuersus ad futurum dicit. *Vocabitur nomẽ eius admirabilis,&c.Multiplicabitur eius imperium, & pacis nõ erit finis:super solium Dauid & super regnum eius sedebit.* Et c. 60. idem Propheta à præterito inchoat vaticinium dicens, *Surge illuminare Hierusalem,quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Statímque redit ad futurum. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes, &c.* Rursus agit verbis præteriti temporis, *Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Et explicans quo

Isai. 9. num. 1.

Isai. 60. num. 1.

quomodo venerint subdit per futurum. *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent, tunc videbis, & affluet, &c.* Idemque loquendi modus frequentissimus est in Psalmis.

Quod si quis tantis obscuritatibus inuolutus in eam incideret cogitationem, vt arbitraretur, aut Prophetam non satis sibi constare, vt constat ex varietate loquendi; aut de vna, & eadem re factum varem sermonem non habere. Illud vt certissimum statuendum erit, non casu, aut temere talem loquendi mutationem accidisse; sed diuina Spiritus sancti prouidentia, qui locutus est per Prophetas, & quo inspirante, & dictante locuti sunt sancti Dei homines.

Deinde illud recolendum, nihil esse futuris contingentibus incertius, quæ nullam habent causam ad esse, vel non esse: præteritum verò hoc habere, vt certissimum sit, vsque adeò, vt hoc solo Deus priuari dicatur *Sapient.* 8. infectum, vt faciat quod factum est, atque peractum. Igitur Spiritus sanctus, qui omni tempori præest, & qui suauiter omnia disponit, & temporum differentiis, & vicissitudinibus gaudere nos nouit, sapienter non præsentis, præteriti, & futuri temporis sermonibus erudire, & ad se nos trahere voluit. Cum enim hæc mistio præteriti cum futuro incertam, & dubiam reddat orationem; consilium eius fuit, vt hac ratione infidelibus populis, imò à Iudæis verba sua celaret, ne margaritas ante porcos proiicere videretur, & ne impij Reges, aut populi audientes quæ sibi non placebant, in Prophetas insurgerent, & necem illis machinarentur, & inferrent, vel sacros Prophetarum libros exurerent, vt interdum fecerunt, sicut patet *Ierem.* 36. ad quos restituendos, & restitutos seruandos nouo opus esset miraculo. Insuper, vt Prophetia ipsa inuoluta, & perplexa lectores cogeret vaticiniorum omnium auctorem Deum adire, & ad illum humiles preces fundere, vel ad Ecclesiam confugere, & ad illustres viros, & se doctiores pro eorum adipiscendo intellectu; qui sanè ingens est fructus. Et sanè si Prophetæ perpetuò vterétur verbis præteriti temporis, non rem Propheticam, hoc est, futuram, sed rerum gestarum historiam contexere viderentur; rursus, si verbis futuri temporis semper agerent, earum Prophetiarum euentura, & prædictionum effectum nunquam cogitarent homines suo tempore euenturum, sed semper esse sibi expectandum, & aduenturos tantùm Prophetas spectare. Vt ergo certitudinem, infallibilitatem, & propinquitatem rerũ quas prædicit inculcet Moyses præteritis vritur in nostro Cantico, & vt Prophetiam esse ostendat, futurum tempus ibi assumit ad loquendum.

Ierem. 36. num. 23.

Irruat super eos formido, & pauor, in magnitudine brachij tui. In priori parte, nihil notandum venit ab Hebraico, aut Græco: in posteriori habetur Hebraicè hæc energia propter magnitudinem, & eleuationem, qua brachium ad percutiendum fortiter eleuas; etenim quo magis brachium destrictum, quis eleuat habenrem gladium: eo magis timet qui subiectam habet vulneri suscipiendo ceruicem, vnde *Lyricus lib.* 3. *Carm. Ode* 1.

Destrictus ensis cui super impia
Ceruice pendet: non Siculæ dapes
Dulcem laborabunt saporem
Non auium, citharæq; cantus
Somnum reducent, &c.

Chaldaica paraphrasis habet; *Irruat super eos terror, & timor in multitudine fortitudinis tuæ.* Aduertimus autem verba modi imperatiui prædictionem, & Prophetiam potius continere, quam imprecationem, quo pacto intelligenda sunt pleraque loca in Psalmis, ne videantur contraria esse præcepto de diligendis inimicis, sicut rectè notauit *D. August. lib.* 1. *de sermone Domini in monte, cap.* 35. *& seqq.* Itémque *c.* 42. *eiusdem libri*, vbi versat hanc quæstionem, Vtrum liceat, & quatenus liceat malum alicui precari, & vtrum hoc sit contrarium legi dilectionis, qua iubemur inimicos diligere, ibíque non vult concedere *D. August.* propriè, & formaliter fas esse malum alicui precari, nisi fortè abusiuè, & impropriè, & veluti materialiter. Sic enim inter alia ait. Prophetæ autem maximè solent futura imprecantis figura prædicere, sicut etiam figura temporis præteriti, ea quæ ventura erant sæpè cecinerunt, & in *Psal.* 68. *idẽ August.* cum explicat illa verba: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum:* Conueniẽter, inquit, non optantis est, sed prophetantis, non vt fiat, sed quia fiet; hoc sæpè commendauimus, & meminisse debetis, ne quod præsaga mens in spiritu Dei dicit, maleuolè imprecati videatur: fiet ergo, neque potest aliter fieri, nisi vt ista eueniant, &c. Videndus idem *August. in Psalm.* 108. ad illa verba: *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet ad dextris eius.* *Psal.* 68. *Ps.* 108.

Vbi ait. In verbis quasi mala optantis, intelli

intelligamus prædicta prophetantis, & A Deum iusta retribuentium sublevata, in eius æternam legem mente centamus, & in *Psalm.* 27. statim in principio, exponens ea quæ in illo *Psalm.* Dauid videtur imprecari inimicis suis ait: Quæ videtur optare inimicis, non maleuolentiæ votum est, sed enuntiatio pœnæ illorum,
Mat. 11. sicut in Euangelio, ciuitatibus in quibus eum miracula fecisset (scilicet Christus) neque credidissent ei, non maleuolentia optat qua dicit, sed quid ei immineat prædicit. His prorsus consentanea habet B
Thren. 1. *D. Hieron. in cap. 1. Thren. in fine.* ibi, *Vindemia eos, sicut vindemiasti me, &c.* Sic enim habet. *Quando viri Sancti deprecatorio modo contra hostes suos rogant, non voto malitiæ sed spiritu prophetiæ hoc, quod eis præsciunt futurum prædicant, &c.*

Vnde intelliges, quam immerito Anabaptistæ nostrorum temporum hæretici, vt videre est apud *Xistum Senens. lib. 8. Biblioth. sancta hæresi 5. in principio, & in obiectione 5.* Psalterium Dauidicum, neque à Dauide, neque ab aliquo Sancto viro diuinitus conditum esse dixerint, sed à barbaro quodam, & inhumanæ cædis, vltionis, ac sanguinis auido; quippe qui vbique aduersus hostes suos diras imprecationes, & execrationes admittunt *Psal.* 34.
Psal. 34. *num.* 3. *num. 3. Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me, fiant via illorum tenebræ, & lubricum, veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Et *Psalm.* 82. *n.* 10. *Fac illis sicut Madian, & Sisara, &c.* Quibus indignationibus, atque maledictionibus omnes pene Psalmi sunt pleni: cui calumniæ nullus omnino locus patet, cum prædictiones sint, & prophetica vaticinia malum, quod pat hominum meritis venturum est multò ante diuinantia.
Psal. 82. *num.* 10.

Vult autem Deus futura mala prædici, vt cum postea sic euenerint, sciant homines non se casu id, aut fortuna, sed certa Dei punientis deliberatione, & consilio perpeti. Neque verò nobis placere potest ea solutio, quam quis adhibere posset
Matt. 5. *num.* 21. desumptam ex *Maldonato c. 5. Matt. n. 21.* vbi admittit in lege veteri licitum fuisse odium inimicorum, in cuius confirmationem adducit *D. Hieron. Epist. ad Gerontiam de Monogamia, Euthymium, Theophylact.* & alios, quos ibi refert; quæ opinio fuit etiam Seraphini Cumerini. Etenim si vera esset doctrina hæc, ex ea quis posset dicere olim dictas imprecationes fuisse licitas, quando, & odium inimicorum licitum erat. Cæterùm existimo nullatenus fuisse in lege veteri licitū tale odium, nam præceptum de dilectione inimicorum naturale est, & proinde semper illo tenebantur homines inimicos diligere, neque enim in lege noua addita sunt præcepta naturalia, sed solum supernaturalia fidei, & Sacramentorum, vt Theologi docent cum *D. Thom. 1. 2. q. 108. art. 2.* Et præceptum naturale est illud: *Quod tibi non vis fieri alteri ne facito. Tobiæ 4. & Matth. 7.* Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Si B ergo omnis homo rationabiliter vult post iniuriam à se illatam non sibi rependi malum, imò appetit sibi in necessitate ab omnibus subueniri, cur poterit odisse, & persequi, malàque imprecari ei, à quo læsus est? *Tob.* 4. *num.* 17. *Matt.* 7. *num.* 12.

Vnde *Plato* lumine naturali ductus *lib. 28. dialog.* docuit nulli faciendum esse malum, etiamsi ab illo iniuria sit affectus. Et *D. Chrysost. homil. 13. in Matth. cap. 5.* ait. Si iustum fuisset inimicos odisse, C Deus te inimicum ex gentibus nunquam in suam suscepisset dilectionem.

Et vt clarius innotescat hæreticorum error, aduertendum est, non esse omnino illicitum aliquando mala imprecari, nam vt patet ex *D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 6. ad 3.* Imprecationes, quæ in sacra Scriptura inueniuntur tripliciter possunt intelligi, vno modo, per modum prænuntiationis, non per modum optationis, vt sit sensus, conuertantur peccatores in infernum, id est, conuertantur.

D Alio modo per modum optatiui, vt tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad iustitiam punientis, secundum illud: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam,* quia nec ipse *Deus puniens lætatur in perditione impiorum,* vt dicitur *Sap. 1.* sed in sua iustitia: *Quia iustus Dominus, & iustitias dilexit.* *Psal.* 57. *num.* 11. *Sap.* 1. *num.* 13.

Tertiò, vt desiderium referatur ad remotionem culpæ, non ad ipsam pœnam, vt scilicet peccata destruantur, & homines remaneant, & postea, *q. 83. art. 8. ad 1.* E docet imprecationes, quibus frequenter vtitur Scriptura aduersus iniquos, quadrifariam intelligi posse, vel enim hoc facit futura prædicendo, sicut ait *August. dicto lib. de serm. Dom. in monte,* & in hoc nullum prorsus peccatum est. Vel etiam vt significet temporalia quædam mala, & supplicia Deum malis infligere vt corrigantur, & resipiscant. Vel vt postuletur malos pœnis, & suppliciis vexari quò possint

sint prauos suos mores corrigere. Vel postremò vt doceatur conformandam esse voluntatem nostram ad voluntatem, iustitiam, & prouidentiam diuinam super damnatione impiorum, eorum præsertim, qui in peccatis suis vsque ad mortem perseuerant. A

Sic igitur imprecationes non opponuntur præcepto diligendi proximum, & ad aliquem istorum modorum reuocandæ sunt, nam Iosue vir perfectus, Deóque probatus dixit cuidam, qui contra præceptum Dei aliquid tulerat de anathemate, B atque iram Dei contra Israël prouocauerat: *Qui turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Et *Paulus de perturbatoribus Ecclesia* dicit: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant.* Vterque verò, & Iosue, & Paulus non imprecabatur malum sub ratione mali; sed sub ratione boni. Qua de re videndus est idem *D.Thom.2.2.q.76. art.1.* In corpore, quem ibi sequitur *Caietan. & Soto de iustitia, & iure lib.5.q.2.artic.1.* & alij.

Iosuë 7. num. 25. *Galat. 5. num. 12.*

Potest autem malum, quod alteri optatur dupliciter induere rationem boni, C quando scilicet optatur, & imprecatur in vtilitatem, & profectum eius, cui imprecatur, vel eorum, quibus nocumento erat, vel esse poterat. Vel secundo quãdo optatur in ordine ad gloriam Dei.

Primo modo optat aliquis peccatorem pati aliquam ægritudinem. l. impedimentum vt ipse melior fiat, aut saltem ab aliorum nocumento cesset, sicut ait *D.Thom. loco citato, artic.1. in fine corporis, & Augustinus in sermonibus de Sanctis* D *serm.11.* vbi expendens vindictam, quam Sancti in patria postulant, ait. *Petunt vindictam de inimicis duobus modis, & hoc semper causa charitatis, vt scilicet qui ad vitam æternam prædestinati sunt conuertantur à malo ad bonum; qui verò præsciente Deo, damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant, vt per hoc minorem pœnam in inferno habeant, vbi vnusquisque secundum qualitatem operũ sustinebit magnitudinem pœnarum.* Hæc August. & Gregor. Nyssen. lib. de Orat. *Quemadmodum,* E *inquir, qui orat ne fiat ægrotantes, non hominum interitum, sed morbi abolitionem fieri cupit: ita etiam dum quisque Sanctorum orat, vt id quod naturæ aduersum & inimicum est ad interitum redigat, suspicionem quidem imperitioribus præbet, quasi aduersus homines faniat, sed verè, illud tantum orat, vt peccatum, & iniquitas euertatur.* Sic ille.

Apoc.6.

Imperiti proinde hæretici occasionem nacti sunt calumniandi sacras Scripturas ex imprecationibus, quæ rectè, & iustè fiunt, quia solas voces attendunt, & rem accuratius non expendunt, quod illis errandi occasio est, & petra scandali. Hæc igitur locutio nostri textus: *Irruat super eos formido & pauor.* Quanquam posset imprecatio dici, & à calumnia vindicari, iuxta ea, quæ diximus: continet tamen prophetiam, & prædestinationem, vt aduertimus.

Formido, & pauor. Iure quis interrogare poterit, fuerit-ne timor iste naturalis, an verò supernaturalis; duplicem enim agnoscit terrorem *Abul.in c.2.Iosuë q.48.* vbi supernaturalem asserit timorem illum, qui habitatores Iericho perterruit. Duas verò conditiones assignat timoris supernaturalis, idest, à Deo immissi (nec enim non timorem intelligit ordinis supernaturalis) vna est vt à Deo ille mittatur, altera vt admodum durus sit, animósque penitus eneruet: non est autem ambigendum quod aliquis terror supernaturalis detur; quemadmodum enim corporum ægritudines, membrorúmque debilitationes hominibus quandoque immittit Dominus: ita & animorum perturbationes, metus nimirum, & angores, nam dicitur: *Dabo pauorem in cordibus eorum in Regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequẽte.* Et Exod.23. *Terrorem meum mittam, & occidam omnem populum, cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam.* Sic etiam apud Gentiles fuit qui vocabatur panicus terror, de quo *lib.1. Polizanus, & lib.4. de re militari dialog.11.*

Leuitic. 26. n.36. *Exod.23. num.27.*

Si verò inquiras quomodo eiusmodi terrorem Deus immittat? Dicimus id dupliciter fieri posse: nimirum si malum, quodpiam impendens obiiciat hominum mentibus, quod magnum sit, quódque à magnis viribus inferatur, & è contrario summam, ad malo huic obsistendum, imbecillitatem iis, qui timere debent, ostendat: hinc enim existit sanguinis ad cor fuga, in vultu pallor, in corporis membris tremor, in animo consilij ad resistendum inopia, & abiectio.

Secundò, si absque eiusmodi mali, vel imbecillitatis cognitione, ac prospectu sanguinem isto modo ab exterioribus corporis ad interiores partes propelleret, illósque pallores, ac tremores excitaret. Cæterùm posterior hic modus vix veri

timeris

timoris rationem habeter, sed quandam A tantummodo eius partem, vel potius effe-ctum, cum mentis repræsentatio desit, & absque eâ vix a Deo fit, imò malum impendens, viréſque ad illud arcendum, & vitandum dupliciter Deus proponit mentibus. Primò efficiendo pro aliquibus res verè magnas, miraculoſas, & vix antea auditas, ex quibus meritò illa in aliis opinio exiſtat, vt dum miracula in aliorum commodum, ſalutem, & libertatem edit, vel ſimile quidpiam agit, & de hoc intelligitur noſter textus, potéſtque ex- B plicari ex illo *Ioſuë* quando exploratoribus dixit Rahab. *Noui quod Dominus tradiderit vobis terram iſtam, etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ, audiuimus quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Iordanem, quos interfeciſtis, & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum ve- C ſtrum.* Secundò poteſt Deus efficere metum efficiendo vt homines mente apprehendant aliquid, quod non eſt, vel certè non tantum eſt; vt ſi ex aliquo militum clamore, ac garritu, qui à montium forte iugis, & vallibus repercutitur, māior multo quam ſit hoſtium exercitus, cogitetur.

Ioſuë 2. num. 9.

Neque verò hinc ſequitur vt Deus ſit falſæ iſtius opinionis Anthor, tum quia ea tunc obiicit ſenſibus, quæ verè ſenſus feriunt, & quæ non neceſſariò ſignificant D id, quod homines pauidi inde colligunt, & ſuſpicantur, imo hoc ſua imperitia, temeritate, imbellicitate, propriáque ſponte colligunt, & autumant. Etenim reſonans illa in vallibus, ac montibus eccho, verus vtique ſonus eſt, qui ſi diligenter, ac peritè paululum expenderetur, & recta mentis acie examinaretur, non haberetur index, & argumentum tantæ illius multitudinis; quantæ expaueſcens, & attonitus omnino animus ſibi fingit, & proponit; tum etiam quia concedi po- E teſt ſemper adeſſe malum, quod expaueſcitur, nimirum item infirmitates, quæ mālo illi propulſando longè impares ſint, non quidem ſi nudè, ac ſolitariè illud ipſum, quod timorem incutit, attentè conſideretur, ſed ſi eo modo conſideretur, quo tunc eſt, etenim licèt quoad ſe perexiguum quid ſit, & quaſi nihil, tamen quatenus cum illo implicatur, &

coniungitur Deus, vt, qui ea re tanquam inſtrumento ad infringendos, ac conterendos hoſtium animos vti vult, ſic reuera maximum quidpiam eſt, nimiúmque confractas, & exiles hominum vites, vt obſiſtere vllo poſſint, reddit, & ferè ad hunc ſenſum reducit *Maſius Ioſuë* 10. terrorem illum quinque Regum Amorrhæorum oppugnantium Gabaon, de quibus ſacer textus ibi ait: *Conturbabit eos Dominus à facie Iſraël*, cum immediatè antea dictum ſit, *Irruit Ioſuë ſuper eos repentè.* Ait ergo *Maſius*: Tantæ huius formidinis cauſam non tam ſubitum, inopinatúmque Iſraëlitarum interuentū, quam occultum terrorem, qui diuinitus illis incidit, fuiſſe ipſa atteſtantur ſacra verba, ſed nihil vetat opinor, Dei conſilio, vt principali, perfectæque cauſæ pauorem illum attribuere. Et ſimul Ioſue ſtratagemati, vt cauſæ adiuuanti; neque enim cauſæ naturales Diuinam prouidentiam excludunt, ſed ad huius ductum ſeſe applicant: cuius ignoratione priſcorum hominum ſuperſtitio Pana Deus iſtius generis affectionum Autorem finxit; vt multorum aliorum euentuum Fortunam. Cùm præter proximas cauſas diuinior quædam efficientia quærenda eſſet: nec tamen illi abſurdè, ſi ſe ipſi intellexiſſent, Deus enim eſt, qui quod rebus omnibus, vt effector, moderatórque adſit, Pan à vetuſtiſſimis illis Philoſophis eſt appellatus. Sic ille.

Ioſuë 10. num. 10.

Semper tamen aduertendum eſt non eſſe de ratione timoris, ac terroris à Deo immiſſi, vt admodum durus ſit, animóſq; penitus eneruet: nam ſicut poteſt ingentes quoſdam iniicere terrores, ſic poteſt etiam minores prout expedire viderit, ac voluerit; ſicut etiam non ſolum graues tantummodo, & inſanabiles morbos efficit in corporibus, ſed liuores etiam, & morbos, qui ſanari facilè poſſint.

Præterea conſtat metus quoſdam naturales eſſe ita duros, vt animos penitus eneruent, frangant, & conterant, qua de re videndus *D. Thom.* 1.2. *quæſt.* 41. *art.* 4. vbi præter alia ait. Admirationem quæ eſt de magno aliquo malo eſſe ſpeciem timoris, & ſtuporem etiam, qui eſt de malo aliquo inſolito. Videndus idem *Ariſtoteles* 2. *Rhetoric.c.*15. & *Tullius.*4.*Tuſculan.* vbi deſperationem, examinationem, pauorémque deſcribit, qui motus vt ibidem *Ennius* ait, eſt mentem decutiēs, omnémque ex animo expectorans ſapientiam, poſſúntque in confirmationem huius rei afferri

afferri oratores, qui cum accederent ad A
dicendum totis aliquando artubus con-
tremuerunt, penitusque obmutuerunt, vt
lib. de Oratore scriptum est à Tullio. Vnde
igitur colligendum est quisnam terror, ac
timor à Deo sit incussus, si scilicet à Deo
res insolitæ, & inauditæ gerantur, qui-
bus hostium animi meritò percellantur,
mentéque hæreant. *i. f. cum tale negotium
à Deo geri*, & interim ex re quapiam, quæ
in se aut nulla, aut peregrina est, trepi-
dant, pauidique horrent aduersarij, hi
namque terrores sunt, quorum sacra pa- B
gina meminit, nam vbi sermo est de Iacob
Gen. 35. & de familia eius, dicitur. *Terror Dei in-*
num. 5. *uasit omnes per circuitum ciuitates, & non*
Exod. 23. *sunt ausi persequi* Et Exod. 23. *Terrorem*
num. 27. *meum mittam in præcursum tuum, & occi-
dam omnem populum ad quem ingredieris,
cunctorumq; inimicorum tuorum coram te
terga vertam, mittens crabrones prius qui
fugabunt Heuæum, & Chananæum, ante-
Deut. 2. quam introeas.* Et, *Hodie incipiam mittere*
num. 23. *terrorem, atque formidinem tuam in popu-
los, qui habitant sub omni cælo, vt audito* C
*nomine tuo paueant & in morem partu-
rientium contremiscant, & dolore tenean-*
Deut. 11. *tur.* Similia habentur Deut. 11. & cap. 28.
num. 25. *Dabit tibi Dominus ibi cor pauidum, &*
& c. 28. *deficientes oculos, & animam consumptam*
num. 65. *mærore; timebis noctem & diem, mane dices
quis mihi det vesperum? Et vespere quis
mihi det mane? propter cordis tui formidi-
nem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis*
Iob. 6. *videbis oculis.* Et Iob. 6. *Terrores Domini*
num. 4. *militant contra me.* Et Psalm. 87. *Terrores*
Psal. 87. *tui conturbauerunt me. Auditam faciet Do-* D
num. 17. *minus gloriam vocis suæ, & terrorem bra-*
Isai. 30. *chij sui ostendet in comminatione furo-*
num. 30. *ris, & flamma ignis deuorantis: allidet in tur-
bine, & in lapide grandinis, à voce enim*
Iere. 43. *Domini pauebit Assur.* Et Ierem. 49. *Ecce*
num. 5. *ego inducam super te terrorem, ait Dominus*
& 33. *Deus exercituum, ab omnibus, qui sunt in
circuitu tuo, & dispergimini singuli à con-
spectu vestro, nec erit qui congreget fugien-
tes.* Et num. 33. *Pauere faciam Ælam co-
ram inimicis tuis, & in conspectu quærен-
tium animam eorum, & mittam post eos* E
Psal. 65. *gladium, donec consumam eos.* Et Psal. 52.
num. 6. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

Timor itaque de quo Moyses in præ-
senti vtique à Deo fuit, nam primo pro
Israële maxima portenta, & inaudita edi-
dit miracula Deus, vt ipsa Rahab fatetur,
indeque ortus est timor ille. Deinde im-
missus proculdubio est à Deo terror habi-
tatoribus Chanaan, cum enim neque nu-

mero, neque robore pares illis fuerint
Israëlitæ, vt patet ex *Deuter. 7.* vbi dicitur. Deut. 7.
Cum introduxerit te Dominus Deus tuus num. 1.
*in terram, quam possessurus ingredieris, &
deleuerit gentes multas coram te Hethæum,
& Gergezæum, & Amorrhæum, Chana-
næum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebu-
zæum septem gentes multo maioris numeri
quam tu es, & robustiores te, &c.* Cum ita-
que tales fuerint memoratæ gentes, vn-
de & Israëlitæ ipsas admodum formida-
bant, vt constat ex *cap. 14. Num.* tamen Num. 14
illorum populorum cor, & animus elan-
guit, nec in eis remansit spiritus. Aduer-
tit autem *Abulens. hic quæst. 4.* formidi-
nem referri ad timorem animæ, pauorem
vero ad externum timorem, pauor enim
reddit hominem stupidum vt immobilis
sit, & consistat.

In magnitudine brachij tui, idest, in for-
titudine tua, quasi dicat, sicur tu Domine
per fortitudinem tuam magnam fecisti
pro nobis mirabilia multa: ita nunc im-
mittere terrorem super omnes gentes
has: & sic fecit iterum pro Iacob in ter-
ra Chanaan, immittendo terrorem in om-
nes gentes in circuitu, ne eum persequе-
rentur, cum dicitur. *Cumque profecti essent* Gen. 25.
*terror Domini inuasit omnes per circuitum,
& non ausi sunt persequi recedentes.*

Fiant immobiles quasi lapis, scilicet vt
nullo modo moueantur, in bellum contra
nos: licet autem sic rogauisset Moyses:
tamen postea non sic totaliter comple-
tum est, vt patet de bello Amalechira-
rum, quod paulò post surrexit contra
eos: vt patet infra *cap. 17.* Et iterum Exod. 17.
Amalechitæ cum Chananæis: vt patet
Num. c. 21. Fiebant autem hæc pro tenta- Num. 14.
tione Hebræorum, vt appareret vtrum & c. 21.
diligerent Deum, & nota fierent quæ in
eorum cordibus versabantur: vt patet
Deut. c. 8. Maximè quia hæc fiebant pro Deut. 8.
peccatis Hebræorum, vt traderentur in
manus hostium: quod colligitur *ex 3. 4. &* Exod. 3.
6. c. Iudic. vbi mox vt Hebræi declinabant num. 4.
ad idololatriam, mittebat super eos ali- Iud. 6.
quos hostes, qui eos premerent seruitute.

Donec pertranseat populus tuus iste.
Quasi dicat nunc nobis periculum est
cum transimus inter has gentes, ne insur-
gant aduersum nos: postquam autem fue-
rimus in terra possessionis nostræ non ti-
mebimus eos, donec pertranseat populus
tuus iste. Ista replicatio verborum est cum
identitate pertinens ad solum ornatum,
vt aduertit idem *Abulens.* & fieri consue-
uit in Canticis.

Appellat

Appellat autem hoc in loco Moyses Israëliticam gentem, populum Dei, propter singularem prouidentiam, & peculiarem, quam Deus habuit in gubernatione illius populi, cui propriam legem concessit, & cum cæteros homines ad famulatum sibi impendendum Deus condidérit, vt colligitur ex *Psal.* 23. *n.* 1. Hanc tamen gentem sibi ex omnibus vendicauit veluti propriam hæreditatem; vnde dicitur. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, gens sancta.* Vbi *Theodor. q.* 35. Quemadmodum Leuitas, cum & ipsi Israëlitæ essent, præ aliis tribubus honorauit, & in diuinum separauit ministerium non quod alios contemneret, sed vt per hos illorum curam haberet, ad hunc modum semen Abrahæ, & Isaac, & Iacob elegit. *Lyranus* verò aduertit Deum appellasse hunc populum peculium suum. Peculium, inquit, vt hic accipitur, est paruus census extra hæreditatem, de quo potest filius familias facere quod vult, sine licentia, & ideò est quid sibi specialissimum, & per hoc intelligitur, quod Israel inter omnes populos sit magis appropriatus, & spiritualis ipsi Deo, & hoc magis patet in Hebræo, vbi habetur sic *Eritis mihi amicabilitas de cunctis populis* idest, qui excellent dilectum, quod significatur per nomen abstractum, sic dicitur de aliquo excellenter liberali quod non solum est liberalis, sed ipsa liberalitas. Sic ille. Hoc etiam dixit Moyses in Cantic. *Deut. c.* 32. *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*, vbi *Seuerus in catena Græca* ait. Deus vniuersas gẽtes creauit, solos Israëlitas elegit, quos sui cognitione, signis, & miraculis glorificauit. Vnde *Euthym.* ad illa verba Zachariæ *Luc.* 1. *Benedictus Dominus Deus Israël* ait: Quomodo dicitur Deus solius Israël, cum non tantum Israëlitarum Deus sit, sed & omnium hominum, vtpote omnium Creator: Quoniam cæterorum quidem omnium hominum Deus erat, ipsis etiam nolentibus: solorum autem Israëlitarũ vltroneorum, & per cognitionem. Sic ille. *Funiculus verò hæreditatis eius appellatur*, quia sicut aduertit *Chrysost.* in eadem catena Græca, olim fune diuisiones terræ faciebant aut numero, quasi Israëliticus populus peculiari ratione obtigisset in hæreditatem, & possessionem præ cæteris Deo, funiculus hæreditatis eius à Moyse dicitur.

*Psal. 23. num. 1.
Exod. 19. num. 5.
Deut. 32. num. 9.
Luc. 1. num. 68.

A Vnde & *D. Dionys.* adnotauit, quod sacra eloquia ipsum Hebræorum populum Dei hæreditatem vocant. Appellatur autem populus ille multis de causis Dei possessio. Etenim terra, quam illis donauit sua erat, nam vt vidimus brachio Dei extento eductus ille populus fuit ex Ægypto, & ductus per desertum, viresque ad superandos hostes diuinitus eis datæ sunt, quod Scriptura explicat populum illum non promeruisse, sed gratia Dei obtinuisse. Vnde illis ex Dei iussu ait Moyses. *Ne* B *dixeris in corde tuo fortitudo mea, & robur manus mea hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit*, &c. Et *cap.* 9. *Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possideam cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes.*

Deut. 8. num. 17.
Deut. 9. num. 4.

Deinde etiam dicitur propria Deo possessio populus ille, quia ipse legem eis dedit per seipsum, illamque digito suo scri- C psit, vt constat *Exod.* 31. ex quo vox illa gratulabunda. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Et, *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.* Neque verò tradidit illis tantummodo legem, verum etiam in dubiis ad eam spectantibus, ipse respondebat tum per Moysen, tum per Sacerdotes, tum per Prophetas.

Ps. 147. num. 20.
Baruc. 3. n. vlt.

Pro qua re facit id, quod Paulus in com- D mendationem Iudæorum præ gentibus ait *Credita sunt illis eloquia Dei*: vbi non est sermo solum de lege veteri, & de præceptis, sed significantur Diuina oracula in sacris Scripturis contenta, vt benè ibi exponit *Chrysost. Et Theod.* quæ apud Israëlitas velut in quadam custodia, & deposito manserunt, facti namque sunt depositarij, & custodes eloquiorum Dei, in quibus non sola præcepta, sed promissio venturi Saluatoris, & mysteriorum futurorum figuræ, & prophetiæ continebantur, E qui incomparabilis thesaurus illis concreditus est, & seruandus commissus, donec veniret Christus, qui promissiones, & quæ scripta erant adimplens communem hunc thesaurum gentibus etiam effecit, & in hoc sensu dictum est, *Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israël*, quod sanè singulare fuit priuilegium illius gentis, & in hoc sensu etiam eleganter dixit idem Paulus. *Quorum*

Rom. 2. num. 2.
Ps. 147. num. 19.

Rom. 9. num. 4. Isai. 1. n. 2. & 4.

adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa. Et *Isai. 1. Filios enutriui, & exaltaui,* & *num 4. Væ filiis sceleratis;* sortitus namque est hic populus magnam dignitatem, vt dicerentur Israëlitæ, & essent filiorum Dei appellatione decorati, sicut patet *Exod. 4. Filius meus primogenitus Israel.* Et *n. 23. Dimitte filium meum vt seruiat mihi.* Et *Deut. 14. Filij estote Domini vestri.* Et *Matth. 15. Non est bonum sumere panem filiorum:* Vbi sermo est de filiatione figuratiua facta ratione legis à Deo datæ, & Diuini cultus, qui apud eam gentem tunc temporis reperiebatur.

Exod. 4. n. 22. & 23. Deut. 14. num. 1. Mat. 15. num. 26.

Pro cuius rei maiori intelligentia aduertendum est olim penes Iudaicum populum duas fuisse filiationes Dei, vna erat vmbratilis, & figuratiua, nempè rationes legis, & cultus Dei, etenim prædictus populus, quia inter vniuersas nationes verũ Deum colebat, & leges ab ipso eidem populo latas seruabat, obtinuit à Deo appellationem filiationis Dei; erat autem hæc filiatio, sicut & ipsa lex vmbra, & figura futuri Euangelij, veræ filiationis per gratiam per quam filij veri, & hæredes regni cælestis efficiendi erant, de qua figurata filiatione intelligendus est Paulus in præsenti, & loca, quæ cum eo adduximus licet semper necessario fatendum sit aliam filiationem veram repertam fuisse in eo populo, imperfectam tamen, & non peculiarem illius populi, quæ erat ex fide venturi Christi, & gratia, quæ ex venturi Christi fide tunc dabatur, & iustis inerat; non in lege tantummodo, sed etiam ante legem existentibus, quæ ad Euangelium pertinebat, cuius virtute, etiam antequam adueniret, hæc filiatio dabatur; imperfectam tamen antea diximus filiationem, quia iusti adhuc erant in statu seruitutis, donec per aduentum Christi, & Euangelium eius in statum libertatis promouerētur, de qua filiatione dictum est. *Quandiu filius paruulus est nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, &c.* Vbi notandus venit ille locus apud *Chrys. hom. 104. in epist. ad Rom.* vbi de Deo respectu Iudæorum ita ait: Et supplicia peccantibus è vestigio infligebantur, & merces rectè facientibus congrua statim subsequebatur; non aliter quam quemadmodum solet famulis dari dimensum diurnum, & plurimus vndique timor ob oculos inualescebat, licet illi, quod vocati sint filij, vocati tamen sunt, non aliter quam veluti serui, nos autem vt liberi facti adoptionem

Galat. 4. num. 1.

A accepimus, & cælum expectamus, illi quæ faciebant vt mercenarij, nos ad beneplacitum Patris. &c. Quæ prosequitur in hanc sententiam pro commendatione veræ filiationis Euangelicæ, à qua longè distabat & impropria filiatio, & figuratiua.

Tertiò gens illa peculiariter à Deo erat aucta, & in numerum penè immensum, diffusa, iuxta illud dictum Abrahamo: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ* B *est in littore maris.* Quibus similia dicta sunt Isaco *Gen. 26.* & deinde Iacobo *Gen. 28.* quod etiam constat ex *lib. Exod. 32. & Deut. 1. & cap. 10. & cap. 28.* & passim alibi, quod mirabile incrementum, vt clarius innotesceret natus quidem est ille populus de sterilibus, & impotentibus fœminis, nempè de Sara, Rebecca, Rachele, virtute quidem non naturali, sed diuinitus collata, vnde quanto magis Ægyptij eos opprimebant, & angariabant, tanto magis populus ille crescebat, & mul- C tiplicabatur, ita vt à captiuitate liberatus, & in libertatem assertus ad Regnum euectus sit.

Gen. 22. num. 17. Gen. 26. n. 24. & 28. n. 4. Exo. 32. num. 13. Deut. 1. n. 10. & cap. 10. n. 22. & c. 28. n. 63.

Fuit etiam Deus non solùm Dux illius populi, sicut iam superius latè ostendimus, sed etiam Rex, tandemque Regis munus apud eos obiit, donec tempore Samuelis repudiatus est, & rogatu populi institutus est Saül, & creatus est Rex: Et ideò Dominus dixit. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Hinc est quod Iudices non omnimodam potestatem ha- D bebant in illum populum, licet enim iudiciorum, consiliorum, & bellorum Principatum renuerint, & habuerint potestatem absoluendi, & damnandi absque minorum iudicum consilio, necis tamen sententiam ferre non poterant nisi legis præscripto, quo Reges postea soluti fuerunt, neque vllum eis commodum, aut præmium, aut stipendium, aut splendorem licebat vsurpare, vt apparuit potissimum in Samuele. Insuper non erat hæreditarius principatus Iudicum, populique E suffragio deferebatur, modoque vnius familiæ, & modo vnius tribus homini, Deo plerunque, vt hunc, aut illum diligeret in mentem populi inspirante, quod singularem erga prædictum populum Diuini numinis assistentiam, & prouidentiam designabat. Primariaque Iudicis institutio erat ad bella; ius autem sanciebatur à synedrio, & à Pontifice præter priuatos iudices cum Leuitis.

1. Reg. 8. num. 7.

1. Reg. 12. num. 3.

Denique

Denique id quod nos intendimus, A Deum scilicet tunc temporis fuisse illius populi Regem probat oblatum principatum Gedeoni ad quartam vsque generationem, & ab eodem recusatum cum dixit: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur Dominus.* (*Iud. 8. num. 23.*) Tantúmque prædecessorum more, iudicis functus est officio, neque iidem Iudices essent necessarij ad populum tutandum, & inimicos propulsandos si in obsequio Diuino permansissent, quod sibi volunt verba illa tam benignæ prolixæque pollicitationis, quæ habentur. B *Cum tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente ter in conspectu Domini.* (*Exod. 34. num. 24.*) Qua de re videndus *Abulens. tota præfatione in libr. Iudic.* præcipuè *qu. 10.* Et *Arias Montanus in eundem libr.* Et *Sigonius libr. 7. de Repub. Hebræorum, cap. 2.*

Fuit item illius populi veluti Episcopus, dans templum, cuius ipse fuit Autor inspirando Salomoni illius fabricandi C modum, & rationem, atque concedendo Dauidi tot ex hostibus victorias, vnde auri, & argenti vis infinita propemodum ad templi ornamentum, atque expensas collata est. Docuit etiam cultum, & cæremonias, atque sacrificia, quo tot inter populos idololatras notus esset in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius. Dedit insuper illi populo Angelos, qui regerent, & custodirent; Prophetas, & sapientes, qui docerent, & instruerent, & cum opus esset de violata lege coargue- D rent. Videndusque hac de re est *Pererius lib. 4. in Daniel.* ibi, *Benedicat Israël Dominum*, vbi sigillatim, & per ordinem prærogatiuas assignat, quibus Deus populum illum insigniuit, & à cæteris sibi segregauit. Prima, quod posthabitis, & quasi despectis omnibus aliis mundi nationibus, plebs illa à Deo fuerit electa, vt peculiaris esset Dei populus, & qui est Deus omniū, peculiari ratione illius Gentis Deus, & Dominus diceretur, vnde dicitur. E *Te elegit Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram, non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus.* (*Deut. 7. num. 6.*) Secunda prærogatiua, solus omnium gentium populus Iudaicus quondam habuit verā Dei notitiam, verumque Dei cultum, ac Religionem cæteris omnibus in densissima errorū, maximè autem idololatriæ caligine iacentibus, quamobrem in *cap. 24. Ecclesiastici* (*Eccl. 24.*) inducitur Diuina sapientia narrās se quamuis omnia condiderit, omniaque regat, & gubernet, in solo tamen Hebræo populo habitare, & requiescere. Tertia, in hac sola gente ab exordio mundi vsque ad Christi aduentum integra Dei fides, & Religio conseruata est. Quarta, penes Iudæos fuere diu sacri libri, quibus altissimarum rerum mysteria, & secretissima Dei consilia cōsignata seruabantur; quàm vberes autem, & salutares fructus ex Diuinis literis haurire liceat, ostendit *Paulus* tum *in epistol. ad Roman.* *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus:* (*Rom. 15. num. 4.*) Tum *ad Tim. 3.* *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* (*2. Tim. 3. num. 16.*) Quinta, sæpè numero Deus huic populo præsentiam suam edendis oraculis, reddendis responsis, dandis promissis, vlciscendis eius hostibus, propulsandis periculis, crebrisque faciendis miraculis declarauit. Sexta, non raro ad eum populum summis liberandus angustiis, ad erudiendum, docendumque cælestium rerum mysteria, ad sua ei consilia, & arcana indicanda: Denique ad eum etiam apud exteras, & barbaras, nationes magnificandum, atque nobilitandum non Prophetas modò, aliosque eximios viros, sed ipsos quoque Angelos misit, seque eius gentis acerrimum esse Defensorem, vigilantissimúmque Rectorem, ac tutissimum Præceptorem, beneuolentissimumque Patrem clarissimis sæpè argumentis declarauit. Septima huic soli omnium gentium legem dedit à se conditam, & scriptam, qua de re dixit Moyses.

Hæc vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant, En populus sapiēs, & intelligens, gens magna. Nec enim alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris, quæ est enim alia gens sic inclita, vt habeat cæremonias, iustáque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros. (*Deut. 4. num. 6.*) Octaua prærogatiua quod ex hac vna gente diuersis temporibus multi prodiere omni gratia virtutum, & laudum excellentes idest, vel eximia pietate, & sanctitate præstantes,

vt Abraham, Isaac, & Iacob: vel intima A Dei familiaritate, & consuetudine, atque ingentium patratione prodigiorum perquam insignes vt Moyses, Iosuë, Elias, & Elisæus. Vel castitatis etiam libertati, & vitæ ipsi Prælatæ incredibili amore, cultúque omnibus sæculis prædicandi, vt Ioseph, & Susanna, vel robore corporis, viriúmque magnitudine ac bellica gloria celeberrimi, vt Gedeon, Samson, Dauid, Machabæi. Vel excellentia quadam sapientiæ, diuitiarum affluentia, & magnificentiæ splendore valdè memorabiles, vt Salomon. Vel rebus maximè B aduersis, non solum æquo, & patienti animo, sed læto etiam, & gaudenti perferendis summa omnium laude, & admiratione dignissimi, vt Tobias, vel diuinorum mysteriorum intelligentia, rerúmq; multis post sæculis futurarum prænotione, ac prædictione admirandi, vt Daniel, & Isaias, cæterique Prophetæ; vel denique martyrio illustres, vt septem pueri, & fratres Machabæi. Nec defuere huic genti etiam fœminæ non minus prædictis vi- C ris omni æuo memorabiles, vt Debora, Esther, & Iudith. Nona, solis Iudæis promissus est Messias ex ipsis naturam humanam sumpturus, cum ipsis familiariter conuersaturus, frequentissimis miraculis, & innumerabilibus aliis beneficiis ornaturus, & illustraturus. Decima, ex Iudæa, & ex Iudæis lex, & doctrina Euangelica profecta est ad vniuersas gentes, & per omnes mundi oras, & tractus diuulgata, & disseminata, quod prædixerat *Isai. c.* 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de* D *Ierusalem.* Et Zach. 8. *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes: ibimus vobiscum, audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.*

Isaiæ 2. *num.* 3. *Zach.* 8. *num.* 25.

His igitur prærogatiuis Deus populum Hebræum non solum præposuit, sed illum etiam veluti proprium, & peculiarem à cæteris discreuit, & sibi appropriauit. Quibus omnibus pensatis plerique ex sacris interpretibus, nempe *Cyrill. libr.* 1. *in Ioann. cap.* 12. *tom.* 1. *in initio Chrysost.* E *homil.* 9. *in Ioann. tom.* 3. *August. tract.* 2. *in Ioann. tom.* 9. *Leontius Episc. Euthym. & Rupert.* intelligunt verba illa *Ioan.* 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* De populo Israëlitico, qui præter alias nationes, imò ex omnibus erat Dei possessio, ex quo voluit Verbum diuinum fieri hominem, & carnem assumere, ac fieri ministet, circuncisionis prædicto populo, Verbum Dei, atque miracula ministrando, vnde & dixit. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Et ex ipsis Iudæis fecit Principes, & Apostolos per omnem terram, vt eorum ministerio, & opera sibi gentes, vt oliuæ Oleastro insererentur. *Mat.* 15. *num.* 22.

Dicta itaque est Israëlitica gens populus Dei his de causis, nomenclaturáque durauit quoúsque Christi, & Apostolorum prædicationi obstinati, & obdurati restiterunt, nam Babylone dicti sunt populus Dei, sicut notauit *Ribera Oseæ* 2. *Osea* 2. Et cum Christus venit dixit *Zacharias: Visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*, licet enim redemptio, & visitatio Christi fuerit vtriusque populi, Iudæorum scilicet & gentium, nam per Christum vterque populus redemptus est, & in vnam Ecclesiam, & populum Dei congregatus soluta lege illa antiqua, quæ erat quasi maceries diuidens; vt habetur *Ephes.* 2. Tamen quia Christus inter Iudæos natus est, & cum eis conuersatus, & apud eos mortuus, & ipsis promissio facta est de Messia Seruatore, & salus illis prius annuntiata est, propterea redemptio dicitur facta plebi suæ, nempe quam promisit plebi suæ, & ad quam implendam præsentiam illi populo exhibuit quo sensu dicebant ipsi Iudæi; *Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitauit plebem suam*, Et Simeon; *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* *Luc.* 1. *num.* 68. *Ephes.* 2. *num.* 14. *Luc.* 7. *num.* 16. *Luc.* 2. *num.* 32.

Cæterùm populus hic illustrem hanc nomenclaturam iure optimo amisit, & cum esset populus Dei dilectus, & ab eo veluti filius reputatus, venditus omnino est tanquam fetuus inutilis, & reprobus, quod ex mente Ambrosij videtur dixisse Dauid cum ait: *Vendidisti populum tuum sine pretio*, sic enim habet *Ambrosius*: Si ementis, & vendentis affectum consideres, vnusquisque sibi viliorem vendit, ideò placitum emit. Ita ergo Deus viliorem vendidit, potiorem emit. Vendidit populum Iudæorum, non inclementia Dei, sed sua culpa, quibus rectè dicitur. *Ecce peccatis vestris venditi estis, &c.* Hoc itaque genere venditus est populus Iudæorum, emptus est populus Christianus: ille peccatis venditus, hic emptus sanguine, &c. *Psal.* 43. *num.* 13. *Isaiæ* 50. *num.* 1.

Neque solum venditi, sed etiam plectendi, & extinguendi serui traditi sunt, quod prosequitur *Isidor. Pelusiot. lib. Epist.* 305. vbi inter alia ait: Posteaquam consceleratí,

scelerati, atque nefarij Iudæi propter au-
dacissimum illud, insuaue facinus aduer-
sus Dominum perpetratum Angelico sub-
sidio destituti sunt, tum verò Romano-
rum gladio traditi, tanto numero capti
sunt, vt qui conspexerunt adduci vix pos-
sent vt crederent quenquam eorum in-
teriisse, ac rursum tantus cæsorum nu-
merus inuentus est, vt omnes ambige-
rent; an quisquam captus fuisset. Cum
enim aduersus conseruos dumtaxat eo-
rum furor acueretur, parcius plecteban-
tur, at cum aduersus Dominū furor ipso-
rum exarsisset, tum verò vt eiusmodi sce-
lere admisso, quod omnem veniam supe-
raret, internecioni addicti sunt. Alij enim
flamma, & ferro, alij fame oppressi sunt:
qui autem cladi superfuerunt, ob id tan-
tùmodo superesse permissi sunt, vt & belli
calamitates tragicum in modum deplora-
rent, & velut captiui quidam verberones
orbem vniuersum peragrantes crucifixi
cultum, ac venerationem omnibus in lo-
cis florentem prospicerent. Sic ille.

Videndus hac de re *Saluian. libr.* 4. *de
prouid.* vbi inter alia sic habet. Duodecim
Hebræorum tribus cum electæ à Deo
quondam essent, duo nomina sacrosan-
cta acceperunt, populus enim Dei, & Is-
rael appellatæ sunt, sic quippe legimus:
Psal. 49. *Audi populus meus, & loquar Israël, &*
num. 7. *testificabor tibi.* Ergo Iudæi aliquando
vtrumque nunc neutrum? Nam nec po-
pulus Dei dici potest, qui cultum Dei
iam olim reliquit: nec videns Deum, qui
Dei Filium denegauit, sicut scriptum est:
Isaia 1. *Israël verò me non cognouit, & populus*
num. 3. *meus non intellexit.* Propter quod alibi
etiam Deus noster de Iudæorum plebe lo-
quitur ad Prophetam dicens: *Voca nomen
eius non dilecta, Osea* 1. Et iterum ad Iu-
Osea 1. dæos ipsos: *Vos non estis populus meus, &*
num. 9. *ego non sum Deus vester.* Cur autem hoc
de eis dixerit, ipse alibi euidenter osten-
Ierem. 2. dit, sic quippe ait: *Dereliquerunt venam*
num. 13. *aquarum viuentium Dominum.* Et iterum:
Ierem. 8. *Verbum Domini proiecerunt, & sapientia*
num. 9. *nulla est in illis.* Quod quidem timeo ne
non magis tunc de eis dici potuerit, quam
de nobis nunc dici possit: quia nec verbis
Dominicis obtemperamus, & qui verbis
Domini non obsequimur, sapientiam
profectò in nobis penitus non habemus,
&c. Sic ille.

Verè reiecit Deus à se populum im-
pium quem tam molestè ferebat ipse Fi-
lius Dei in carne, vt de illorum consor-
tio, & conuictu conquereretur, & quasi

A exoptaret passionē, & mortem, per quam
ab eis discessurus erat, ad hunc enim sen-
sum refert Victor Antiochenus verba il-
la, quæ summam molestiam, & fastidium
indicant cum Christus Dominus dixit:
O generatio incredula, quandiu apud vos *Marc.* 9.
ero? Quandiu vos patiar? Sic verò ha- *num.* 19.
bet: Insinuat molestius sibi esse diutius
cum eis versari, quam in crucem agi. Sic
ille. Vbi notandum venit olim Deum
fuisse cum populo illo sicut precatus fue-
rat Moyses dicens. *In quo enim scire pote-* *Exod.* 33.
B *rimus ego, & populus tuus inuenisse nos* *num.* 51.
*gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris
nobiscum, vt glorificemur ab omnibus popu-
lis qui habitant super terram:* Dixit autem
Dominus ad Moysen. *Et verbum istud,
quod locutus es faciam, inuenisti enim gra-
tiam coram me, & teipsum noui ex nomi-
ne.* Si igitur olim ex eo licuit inferre po-
pulum illum acceptum Deo, & peculia-
rem illius fuisse, quia Deus cum illo gra-
diebatur, & veluti commorabatur, sicut
iam ostendimus, profectò inde etiam licet
C colligere omnino displicuisse Deo post-
quam ab illo recessit. Qua de re videndus
Hieron. Isai. 52. *vbi ex Iosepho refert.* Aper-
tis repente ianuis templi, & spontè rese-
ratis, quas multi homines claudere vix
poterant, vocem de aditis templi exiisse
dicentium: Transeamus ex his sedibus,
in quo consideranda sermonum proprie-
tas, quod non dixerunt, recedamus, sed
transeamus ad populum gentium, vnde &
Velum templi scissum est à summo vsque *Mat.* 27.
deorsum. Vt omnes Iudæorum ceremoniæ *num.* 51.
D panderentur, & eo tempore impleretur,
quod in hoc eodem Propheta dicitur: *Ex
Sion egredietur lex & verbum Domini de
Ierusalem.* Sic *Hieronymus*, qui etiam vi-
dendus est super *cap.* 63. *Isai. num.* 19. vbi
miseram Iudæorum conditionem ipsimet
deplorantes dicunt: *Facti sumus quasi in* *Isaia* 63.
principio cum non dominareris nostri, neque *num.* 19.
inuocaretur nomen tuum super nos. Ait er-
go *Hieronymus.* Facti sumus sicut in prin-
cipio antequam vocaremur in Abraham,
& dum essemus in Ægypto, non haben-
E tes Deum, nec Reges, nec Principes, nec
Prophetas, nec legem mandatorum Dei,
quæ omnia post passionem Domini com-
pleta sunt, hodiéque complentur, dicen-
tibus enim illis: *Sanguis eius super nos, &* *Mat.* 27.
super filios nostros. Manet maledictio sem- *num.* 25.
piterna, & non dominatur eorum Deus,
neque inuocatur nomen illius super eos,
dum nequaquam Dei populus nuncupan-
tur. Sic ille.

Et sanè qui Dei Filium Regem suum negarunt clamando: *Noli scribere Rex Iudæorum*, cum iam antea in *eodem capite, num.* 15. dixissent: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Æquo iure in pœnam tantæ impudentiæ nomenclatura populi Dei priuati sunt; quod bene prosequitur *August. in Psalm.* 15. vbi prædictam sepulsam expendens ait. Modo non habent regnum, quia nolunt cognoscere verum Regem, ipsi voce sua abdicauerunt se ab isto nomine. *Nos non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ergo Iudæi si non haberis Regem nisi Cæsarem, defecit iam Princeps de Iuda, venit ergo ille, cui promissum est. Videndus idem *August. serm.* 59. *de verbis Domini*, vbi ait: Missus est vnicus patris familias, & ipsum occiderunt hæredem, & ideò perdiderunt hæreditatem, in contrarium eius venit malum consilium, vt possiderent occiderunt, & quia occiderunt perdiderunt, &c.

Ioan. 19. *num.* 21. & 15.

Mat. 21. *num.* 38.

Videndus hac de re *Gregor.* 29. *Moral. cap.* 14. vbi de Iudæis explicat illud. *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Quo dicto, inquit ille, superba, ac nequissima Iudæorum est persecutio prophetata. Ipsi quippe onagri pro mentis elatione, ipsi dracones pro virulenta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt in rupibus: quia non in Deo, sed in summis potestatibus huius mundi confisi sunt, dicentes: *Regem non habemus nisi Cæsarem. Traxerunt ventos quasi dracones*, quia spiritu elationis inflati superbia malitiosa tumuerunt. *Defecerunt oculi eorum*, quia scilicet spes eorum ab eo, quod intendebant corruit, qui temporalia diligens, præstolari æterna neglexit, & terrena ideò, quia Deo præposuit amisit. Dixerunt enim. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, Et venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Timuerunt ne locum non occiso Domino perderent, & tamen occiso perdiderunt, &c.

Ierem. 14 *n.* 6.

Ioan. 11. *num.* 48.

Est optimus pro hac re locus apud *Ambros. in exhortatione ad Virgines*, vbi expendit illud *Cantic.* 1. iuxta versionem LXX. vbi sponsa ait. *Annuntia mihi quem dilexit anima mea.* Putat enim *Ambros.* propterea synagogam olim Dei sponsam ipsum amisisse, quia, & amorem amisit, & à dilectione cessauit; posset insuper addere, quia odio prosecuta est, & è corde expulit quem retinere debebat, ne tandem præceps ipsa in perpetuam ruinam ageretur. Ait ergo *Ambrosius*, Synagoga quærebat quem amiserat, vos quæritis quem non amittatis, sed cur synagoga dicis, quem dilexi, & non dicis quem diligo? Ideò non tenes, quia dilexisse te dicis, cur non potius adhuc diligis, vt possis tenere. Sic ille. Qui etiam videndus est *lib. de viduis*, vbi celebrem prosequitur allegoriam de vellere Gedeonis mox cæli rore madido, remanente area sicca, deinde sicco, tota area rore perfusa. Ait ergo *Ambros. Sanctus Gedeon mystici certaminis præliator futura capiens insigne victoriæ spiritale sacramentum vigore mentis agnouit, pluuiam illam verbi rorem esse Diuini, quæ primò pluit in vellus, aduertit vir præsagus futuræ Ecclesiæ insigne, nam primo intra Iudæam Diuini cœpit ros sermonis humescere, (Notus enim in Iudæa Deus,) cum arido fidei totius vniuersa torreretur, sed vbi Ioseph greges Deum negare cœperunt, & ausu nefario immanium delictorum contrahere Diuinitatis offensam. tunc per omnes terras fuso imbris rore cælestis populus Iudæorum æstu perfidiæ suæ cœpit arescere, cū Ecclesiam sanctam ex omnibus terrarum partibus cōgregatam Prophetica nubes, & salutaris imber Apostolicus irrigareut, &c.* Et *lib.* 1. *de Spiritu sancto.* Ros in vellere, air, fides erat in Iudæa: quia sicut ros Dei verba descendunt; Ergo quando totus in fructuoso æstu gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille cœlestis visitationis in vellere. Postea verò quam oues, quæ perierunt domus Israël, (vnde puto figuram Iudaici velleris adumbratam) oues, inquam, illæ fontem aquæ viuæ negarunt, vox fidei humentis exaruit in pectoribus Iudæorum, meatusque suos fons ille Diuinus in corda gentium deriuauit. Inde est, quod nunc fidei rore totus orbis humescit. At verò Iudæi Prophetas suos, & consiliarios perdiderunt; nec mirum si perfidiæ subeant siccitatem, quos Dominus Deus propheticis imbris vbertate priuauit dicens, *Mandabo nubibus meis ne pluant super vineam istam.* Est enim propheticæ nubis pluuia salutaris, sicut, & Dauid dixit, *Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*, hanc nobis Scripturæ diuinæ totius mundi pluuiam pollicebantur, quæ rigaret orbem sub Domini Saluatoris aduentu spiritus rore Diuini. Venit ergo iam Dominus, venit, & pluuia, venit Dominus stillicidia secum cælestia deferens; & ideò iam ros bibimus, qui ante sitiebamus, & Diuinum illum spiritum haustu interiore

Cant. 1. *num.* 7.

Iud. 7. *num.* 37.

Isaiæ 5. *num.* 6.

Psal. 71. *num.* 6.

interiore potamus. Hoc ergo prævidit sanctus Gedeon.

Rem etiam prosequitur *August. lib. de vnitate Ecclesiæ, c.* 1. cum ait. Non video, quod hic aliud figuratum, & prænuntiatum sit, nisi, vt aream intelligamus orbem terrarum, locum velleris, populum Israël. Nouimus enim illam quondam gentem Diuini Sacramenti gratia tanquam cœlesti rore perfusam, cuius muneris per omnes in circuitu gentes, quia eo carebant, tanquam siccitas erat; Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, idest, in velamine & quasi in nube secreti, quia nondum fuerat reuelatum: nunc autem videmus orbem terrarum iam reuelato rore saginari per Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod tunc in illo tegmine figurabatur: illam vero gentem, amisso Sacerdotio, quod habebat, quia in Scripturis non intellexit Christum, tanquam in sicco vellere remansisse. Et in *Psalm.* 45. ait idem *August.* Gens Iudæa modo remansit tanquam vellus siccum in area, nam, & hoc nostris contigisse in quodam miraculo. Similia habet in *Psal.* 71. *& serm.* 2. *de verbis Apostol. ad finem.* Idem habet *Origen. homil.* 18. *in Iosuë, Theodoret. quæst.* 14. *in lib. Iudic.* Et breuiter *Hierony. Epist. ad Paulin.*

Apoc. 1. num. 7. Videndus item *Rupert. lib.* 1. *in Apoc.* ad illa verba, *Plangent se super eum*, vbi ait. O Iudæi Christus Dei filius vobis non complacuit, quia talis erat, quia taliter venit, quia sic, & sic operatus est, quia sic, & sic locutus est, nullo modo vobis complacuit, animo vestro non conuenit, alium vultis, alium expectatis. At ille (scilicet Deus Pater) qui istum misit Filium, alterum non habet, primus illi, & nouissimus est iste, alium non mittet. Quid ergo facient desolati? Nimirum, vt

Zac. 12. num. 10. ait nunc ille. *Aspicietis ad eum, quem crucifixistis, plangetis super eum quasi super vnigenitum, & dolebitis super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* Quia vobis mortuus est hic primogenitus, quia vobis occidistis vnigenitum: posthac Saluatorem neque hunc habituri, neque alium, quia hic solus est primogenitus, hic vnigenitus est.

Amos 8. num. 2. Videnda etiam sunt, quæ habet idem *Rupert.* ad illud. *Non adijciam vltra vt pertrāseam.* Exponit enim, quod post mortem Christi nihil Iudæis profit immolatio agni Paschalis, aut cæteri ritus legis;

Exod. 12. num. 13. olim enim hic idem Dominus dixit, *Erit vobis sanguis in signum in ædibus in quibus*

A *eritis, & videbo sanguinem, ac transibo vos, neque erit vobis plaga disperdens quando percussero terram Ægypti.* Nunc autem dicit super eundem populum, *Non adijciam vt pertranseam eum.* Etenim ex eo, quod effusus est sanguis agni ab illis, sanguis Christi, non recipitur apud Deum sanguis agni illorum bruti pecoris, sed quæ signatæ sunt sanguinis Christi signaculo crucis Filij Dei, illæ sunt domus Israël: Ille autem populus, qui prius dicebatur Israël inter Ægyptios reputatur, quia non

B habet hoc signum, & propterea *non adijciam*, inquit, *vt pertranseam eum*, subaudiendum est, sed percutiam, sicut olim Ægyptum, quibus verbis acutè ostendit *Rupert.* Populum illum, qui olim aspersa sanguine agni seruabatur à supplicio, veluti Dei peculiaris populus modo post effusum veri agni sanguinem, adeo contaminatum remansisse, vt à Deo reprobatus supplicio velut extraneus, & alienus acerrimè plectatur.

C Videndus item *Chrysost. homil.* 17. *ex varijs in Matth. locis tom.* 2. quæ est de Cananæa, vbi expendit verba illa Christi Domini. *Non est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus*, ait ergo. Hæc ad opprobrium dicebantur Iudæorum, qui filij vocati, canes effecti sunt dicente Paulo. *Videte canes, videte malos operarios, &c.* Meritò namque ij, qui in filium iniquè insurrexerunt dicentes. *Hic est hæres, venite occidamus eum,* & de facto occiderūt; extra numerum, & sortem, ac nomen filiorum eiecti sunt, & iis qui panem filio-

D rum à se proiecerunt, imò panem vitæ recusarunt, petra velut canibus effectus est, & lapis offensionis, sicut benè prosequitur *Chrysolog. serm.* 55. vbi explicat ea verba Christi Domini. *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Eaque in reprobos filios intorquet, Iudæos, scilicet qui cum panem de cœlo præstitum hiante ore veluti famelici filij de manu parentis cœlestis deberent accipere, potius mordere, & lædere voluerunt veluti canes rabidi.

E Ait ergo *Chrysolog.* Negat patrem, qui de patris suspectus est largitate: totum, quod est pietatis excludit, qui salutare non credit quidquid dederit pater, aut quomodo pater poterit filis dare mala pro bonis, qui mala semper pro filiis paratus est sustinere? Qui pro filiis mortem non refugit, pericula non declinat; sed Christus venerat filiis, idest, Iudæis, quos genuisse tali clamore querebatur,

Matt. 15. num. 26.

Philip. 3. num. 2.

Matth. 21. num. 38.

Luc. 11. num. 11.

Filios

Isai. 1. num. 2. Ioan. 6. num. 51.

Filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Venerat ergo filiis, venerat panis de cœlo, qui dixerat: *Ego sum panis, qui de cœlo descendi*, sed Iudæis conuersus est in lapidem offensionis, & petram scandali: quare petram? Quia mordere petram, non panem à Patre quærere gestiebant. *Circundederunt me*, inquit, *canes multi.* Denique posteaquam illi ex hominibus in canes probantur esse conuersi, cœlestis illis in petram conuersus est panis, non dantis vitio, sed accipientis nequitia: qui illos non reficeret, sed, necaret; neque in fundamento positus promoueret ad culmen, sed eos qui sui Patris filium tradebant ad necem in profundum daret, & volueret in ruinam. Adiecit etiam aliam similitudinem, *Nunquid pro pisce serpentem dabit illi?* Erat, & piscis Christus Iordanis leuatus ex alueo, sed Iudæis in serpentem piscis iste commutatur, dicente Domino; *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*, *Ioan.* 3. Iudæus in serpente videbat Christum, quia impius oculus Deum videre non potest, non potest videre pietatem; dixit, & tertiam similitudinem. *Nunquid si petierit ouum, porriget illi scorpionem?* Christus venerat cōgregare sicut gallina pullos suos, ouum protulit. Verbi per quod Ecclesiæ germina sancta nutrirentur; sed quia Iudæus per inuidiam effundere magis, quam sumere ouum id volebat, reperit ibidem scorpionem. Vt iuxta Apostolum. *Mandatum, quod erat illi in vitam, hoc illi esset ad mortem.* In commendationem pietatis tria Dominus protulit, & demonstrauit exempla, vt tribus testimoniis, sicut tribus restibus, & pios ad finem sui amoris animaret, & confutaret impios, non Patris, sed suo vitio charitatis gratiam non cepisse. Sic ille ostendit quomodo à filiatione Dei denegauerint Iudæi, vt ex filiis canes potius efficerentur, & veluti impij serui à pio Domino plecterentur.

Ioann. 3. num. 14.

Rom. 7, num. 4.

Quanquam semper videtur antecellere supplicium deficiendi à filiatione Dei cætera supplicia, secundum mentem *D. Chrysost. homil. 9. in cap. 1. Ioan.* ad illa verba: *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Inquirit enim cur Euangelista Ioannes, sicut meminit præmij illis collati, qui Filium Dei in carne animis suis susceperunt, non itidem retulit pœnam quam illis inflixit, qui non receperunt. Quid, inquit, non dicis nobis Ioannes eorum etiam supplicium

Ioann. 1. num. 12.

A qui eum non receperunt? Sed tantum quod sui erant, & in propria veniens, à suis minime receptus est? Quod autem ex hoc eis supplicium maneat, silentio præteriisti? Ita enim maiorem in modum eos perterrere, & duritiem illam ingratitudinis mollire poteras, quanam igitur gratia id subticuisti? Propositæ igitur interrogationi, alia apposita satisfacit *Chrysostomus* dicendo: & quodnam maius supplicium esse posset, quam si in eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint, sed sponB te sua tanta se nobilitate, tanto honore indignos efficiant? Sic *Chrysost.* probat summam Iudeorum pœnam, qui se à summa dignitate filiorum Dei sponte sua deturbarunt.

De qua dignitate filiorum Dei videndus *Rupert. lib. 2. in Apoc.* ad illa verba: *Dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum quod nemo scit.* Sic verò habet in eiusmodi calculo nomen nouum scriptum habere, est filium Dei nominari, & esse: hoc vtique nomen C nouum, idest, ex nouo homine. Christo per sanguinem eius redemptis datum est: nam nomen vetus, ex veteri homine nobis hæreditarium erat, scilicet vt diceremur, & essemus natura filij iræ. Nemo ergo scit dignitatem, siue ingenuitatem nominis huius, qua nominamur, vel sumus filij Dei quantumcumque sciat, siue bucis crepantibus perstrepat, vt ille Aristoteles, siue omnes Aristotelici relationem Patris ad filium, sicut filij ad patrem, nisi quem spiritus adoptionis regenerando fiD lium, Dei patris effecerit, & ipsa regeneratione scientem huius rei doctúmque suo tactu perfecerit. Qua de re plura dicemus, Deo dante, ad Canticum *Deut. 32. num. 6.*

Apoc. 2. num. 17.

Hæc igitur, ni fallor, est ratio cur in ipsorum cōfusionem nomenclaturam Iudæorum retineant in orbem vniuersum dispersi, vt omnibus innotescat facilius eos esse, qui tot Dei beneficiis minime molliti sunt, quique Dei filiationem præ omnibus bonis æstimandam nihili facienE tes, omnium nationum facti sunt serui. Enim verò res sanè summopere miranda cuique apparebit Gothos, Vandalos, Hunnos, Sueuos, Herulos, Longobardos, Sclauos, & plurimas alias gentes in alienas sedes migrasse: sed hæ omnes vnà cum cælo mutarunt ingenium, & in alienos mores; & nomina concesserunt, non multis decursis annis, ita vt nisi migrationes proditas haberemus literis, adeo nihil pristini

pristini ingenij præferunt, vt earum Regionum in quibus agunt, non tanquam inquilinos, sed indigenas prorsus arbitraremur. At Iudæi tanquam Rhodanus in Lemano nihil patiuntur ex cæterarum gentium consuetudine sibi affricari, sed in medio nostri, veteri Iudæorum nomine appellantur, & antiquo instituto viuunt, vt ita nobis facilius in memoriam veniat illorum insania & ignobilitas, qui in filiorum Dei nobilitate minimè consistentes ad seruorum miseram conditionem, sed promeritam, diuinitus sunt deturbati, & qui populus Dei erat, inter cæteros miserrimè degat, spretus ab omnibus, & ignominiosè ab iisdem, & nomine, & cultu separatus, qui à Deo olim per summam beneuolentiam, & dignitatem fuerat separatus, nec iam reliquis gentibus audeat adhærere, quæ olim plebs Dei erat, & omnibus præcellebat.

Cum verò illius populi vita, & lex prophetica fuerit, & futura designauerit, quod optimè aduertit *D. Augustin. libr. 22. contra Faust. capit. 24. tom. 6.* in hæc verba. Dico illorum hominum non tantum linguam, sed etiam vitam fuisse propheticam totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quendam, quia magni cuiusdam, fuisse Prophetam, vnde iuxta sententiam *Augus*t. rectè colligit *D. Chrysostom. homil.* 14 *in epistol. ad Roman.* Deum iam olim, dum adhuc Iudæi filij essent, eosdem velut seruos habuisse, vt significaretur tandem à filiorum dignitate deturbandos fore, qui eadem minimè digni erant, sic verò rem prosequitur *Chrysostom.* Adducito in medium vniuersam populi Iudaici institutionem, ac viuendi formam, & tunc istud quoque clarum erit, etenim & supplicia peccantibus è vestigio infligebantur, & merces rectè facientibus congrua statim subsequebatur, non aliter quàm quemadmodum solet famulis dari dimensum diurnum, & plurimis vndique timor ob oculos inualescebat, licet illi quidem vocati sint filij, vocati tamen sunt non aliter quam velut serui, nos autem vt liberi facti adoptionem accepimus, & cælum expectamus; Illi quæ faciebant vt mercenarij, & ingrati, nos ad beneplacitum Patris: non conuertimur quemadmodum lapidati, vel combusti, vel per Sacerdotes mutilati, sed satis est peccantem mensa paterna eiectum, &c. quæ in hanc sententiam prosequitur, qui-

A bus ostendit Deum iam olim Iudaicum
populum in futurum mancipium præparasse ob demerita, vt nos tandem ad locum filiorum proueheremur: quod probat *Hieronym. in epistol. ad Damasum* ex verbis filij perditi, qui in se reuersus proposuit dicere Patri: *Fac me sicut vnum* Luc. 15.
de mercenariis tuis, vbi per mercenarios num. 19.
seruos, intelligit Iudæos, qui Deo ob mercedem tantum parebant, & obsequebantur iam tunc, in signum futuræ seruitutis, & defectionis à dignitate filio-
B rum Dei. Fac me, inquit *Hieronym.* sicut vnum ex Iudæis, qui te ob præsentium rerum promissa venerantur.

Facit & pro præsenti argumento *D. Gregorius Magnus*, qui prædictam Iudæorum repulsam à Deo elicit in Iosepho fugiente, & relinquente pallium in manibus adulteræ Dominæ, hoc enim, vt ipse vult, iam tūc significabat Deum impiam, & adulteram synagogam deserturum, & relicturum in manibus corticem, & tegmen literæ. Sic enim habet *Gregor. 2.* Iob. 1.
C *moral. capit.* 23. cum ponderat verba *Iob.* num. 21.
cap. 1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ. Redemptoris mater iuxta carnem synagoga extitit, ex qua ad nos per corpus visibilis processit: sed hunc intra se tegmine literæ ad apertum tenuit, dum ad spiritalem eius intelligentiam mentis oculos aperire neglexit, sed nudus de vtero matris exiit quia à synagoga carne prodiens conspicuus ad gentes venit, quod bene Iosep, ho relicto pallio fugiente signatum est Genes. 39. *Dum enim mulier adultera* Gen. 39.
D *malè illo vti voluisset, relicto pallio fugit* num. 12.
foras; quia dum synagoga Dominum purum hominem credens, quasi adulterino complexu constringere voluit: Ipse tegmen literæ eius oculis reliquit, & ad cognoscendam diuinitatis suæ potentiam conspicuum se gentibus præbuit, vnde & Paulus *dixit; Vsque hodie dum legitur Moyses, velamen* 2. Cor. 3.
est positum super cor eorum. Quia videlicet num. 15.
adultera mulier apud semetipsam pallium retinuit & quem malè tenebat, nudum amisit: quia ergo à synagoga veniens, fidei
E *gentium conspicuus apparuit, ex vtero matris nudus exiit.* Sic *Gregor.*

Hoc etiam significatum est, secundum expositionem *Ruperti libr. 9. in Genes. cap. 24.* in ea transmutatione manuum, qua oculis caligans præ nimia senectute, sed futura præuidens animo. *Iacob posuit* Gen. 49.
dexteram super caput Ephraim minoris fra- num. 14.
tris, sinistram autem super caput Manasses qui maior natu erat. Sic inquit Ru-

pertus & manuum positione crucem Christi præfigurare sciuir, per quam priori iunior, idest, Iudaico perferendus erat populus Gentilis. Sic ille. Quod etiam argumentum prosequitur *D. Augustin. in*
Psalm.4. *Psalm.* 4. ibi *Benedictus Dominus Deus*
num. 14. *Israël.* Quæ verba ipse dicta asserit de populo Christiano in Israele minore nempè filio figurato: sic enim habet ille: *Deus Israël est Deus noster, Deus Iacob,*
Gen. 25. *Deus minoris filij, Deus minoris populi;*
num. 23. *Maior filius reprobatus, minor dilectus. Maior seruiat minori, modo impletum est, modo fratres nobis seruiunt Iudæi, tanquam capsarij nostri sunt, studentibus nobis codices portant, quando agimus cum paganis, & ostendimus hoc euenire modo in Ecclesia Christi, quod ante prædictum est de nomine Christi; ne putent finxisse proferimus codices Iudæorum. Iudæi inimici nostri sunt, & de chartis inimici conuincitur aduersarius, ibi legant ista prædicta, quæ modo videmus impleta,* Sic *August.*

Illi suffragatur *Theodoret.* dum idem asserit figuratum in eo quod Moyses de monte descendens, iratus valdè, proiecerit de manu tabulas in quibus Dei digito scripta erat lex, easque confregerit,
Exod. 32. ad radices montis. Cum tabula, inquit
num. 19. ille, istiusmodi dotalium instrumentorum formam haberent, sponsa verò in ipso limine thalami nuptialis ad committendum adulterium declinauerit. Iure profectò dotales literas effregit, &c. Par enim erat vt coniugium non staret cum ea, quæ in ipso desponsationis tempore palam inuenta est adultera, & de facto minimè duraturum connubium portendebatur, cuius sponsalia adulterio contaminabantur.

Exod. 3. Hoc enim figurarum dixit *Chrysolog.*
num. 2. *sermon.* 164. in eo quod Deus redempturus populum Hebræorum de manu Pharaonis, vt illi legem manu propria scriptam traderet in rubo apparuit, qui cum arderet haud tamen comburebatur: Daturus, inquit ille, legem ignem præmisit in rubo, sed Diuinum rubus portauit, non concepit incendium. Iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum præfigurans: & nunc in arua gentium cum destineret Apostolos, sic eos igneo imbre perfudit, & ignis consedit super eos, vt possent humecta siccare, sicca infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere extincta, comburere noxia. Vbi *Chrysolog.* alludit ad ignem, qui de cælo aduenlens, die Pentecost. supra singulos Apostolorum sedit.

A

Nec omittendus *Tertullianus* dum pro præsenti instituto aduertit instare populo, & postulante idolum, Aatonem petiisse inautes vt idolū fabricaret: *Tollite,* dixit, *inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Ponderat enim eleganter, cur potius de inauribus, quam de alio auro idolum voluerit Aaron fabricare, quod non sine numine factum esse videtur. Ait ergo *Tertullian. libr. aduersus Gnosticos cap.* 3. Amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium, Dei voces. Sic ille ostendit quomodo prædicta detractio inaurium significauerit detrahenda tandem, & auferenda eloquia Dei ab illo populo, vt nec aures audiendi haberet, nec etiam si audiret aurem obedientiæ applicaret.

B

Aliā huius rei præfigurationem affert *Euseb. Emissen. homil.* 3. *de Pasch.* vbi *Exod.* 16.
expendit quomodo duplicem portionem *num.* 22.
mannæ sexta die collegerint Israëlitæ, ita vt septima, idest, sabbatho non collegerint. Confert autem eleganter panem illum figuratiuum cum pane vero, & figurato. Panis, inquit ille, qui tunc latuit præfiguratus in Manna fit tibi manifestatus in gratia, hunc panem, dicente Propheta: *Sexta die duplum colliges.* Dum à primo idest, Dominico die in legē tribuitur, & in solo sabbatho denegatur, iam tunc Christus ab Ecclesia, cui Dominicum diem Resurrectio consecrauit recipiendus ostenditur, & synagoga, ad quam cultus sabbathi pertinebat, negandum esse prædicitur, dum dies iste septimus cælestis panis fraude mulctatur. Sic ille.

C

D

Notauit item in hanc sententiam *Chrysostomus,* malum quod patiuntur, sibi imprecasse Iudæos quando. *Collegerunt se* *Act.* 23.
quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, *num.* 12.
neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Vbi *Chrysostom. homil.* 49. legit: *Iudæi facta collectione anathematizarunt se, neque esuros, neque bibituros, donec occiderent Paulum.* Quid est, inquit ille, anathematizarunt se, neque esuros, &c. Hoc est, dixerunt se esse extra fidem in Deum, nisi quod decreuerant contra Paulum implerent. Igitur semper sunt anathematizati illi, non enim occiderent Paulum, & quadraginta simul conuenerunt: Talis est gens,

E

gens, vt quando in bonum conuenien-A dum, neque duo concurrunt: quando autem in malum populus totus, & accipiunt socios, ac Principes. Sic *Chrysostomus* probat ipsorum ore prolatam fuisse sententiam supplicij, quod sustinent, vt sint extra Deum, neque ad illius populum spectent.

Qua in re minimè omittendus *Rupertus, qui libr. 1. in Num.* ponderat mortem primi Pontificis Iudæorum, de qua c. 20. *Num. 20. n. 25.* dicitur: *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem* B *Hor, cumque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi*: Duo igitur in his verbis ponderat *Rupertus*, vt institutum conficiat. In primis Hor significare lumen, vnde sic infert, Aaron igitur in monte Hor moritur. Futurum enim erat, vt manifestatione veritatis vmbraticum Iudæorum Sacerdotium destrueretur, alterum deinde aduertit, scilicet ante mortem iussu Dei vestibus deuudari, tunc ait: Spoliatur vestibus suis, vt moriatur, tem- C plum namque illorum, & omne sanctuarium destructum est, ne Iudæi de vitali virtute Sacerdotij sui saltem falso glorientur. Sic *Rupertus*, ostendit quomodo in morte summi Sacerdotis, Iudæorum Sacerdotium præfiguratum, adueniente tandem luce Euangelij abolendum omnino, & extinguendum foret.

Nu. 20. num. 25.

Qua de re videndus etiam erit *Theodoret. q. 34. in Deut.* vbi ponderat illa verba *Aduena, qui tecū versatur in terra ascendet super te, eritque tibi sublimior, tu autem descendes, & eris inferior*, eaque re- D fert ad Gentilem populum præferendum Iudæis propter istorum malitiam. Obscure innuens per hæc, inquit *Theod.* vocationem gentium ad cultum Diuinum: & ipsorum Iudæorum incredulitatem prædicens ipsis, & eam, quæ postea contigit ab Assyriis, Babyloniis, Macedonibus, & tandem à Romanis obsidionem, & calamitates illius.

Videndus idem *Theod. ferm. 19. de prouident.* vbi præfiguratam dicit Iudæorum repulsionem, & transitum ad Gentilem E populum in eo quod Deus arcam testamenti à Iudæis transferri voluerit ad Philisthæos, quasi iam tunc eos dereliquerit, & istos sibi associauerit. Ideò, inquit ille, Deus allophylis arcam quidem tradit, populi iniquitatem arguens (nec enim oportebat legem propugnatorem suum facere eos, qui legem palam transgressi fuerant)

1. Reg. 4. num. 11.

traditæ autem maiestatem tuetur allophylos docens quod non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem, &c.

Facit & *Chrysost. homil. 2. de Cruce & Latrone*, vbi ex disruptione veli templi probat Deum ab eodem templo recessisse, ac deseruisse Hebræorum populum apud quem domum habebat, & Regiam. *Disruptum est*, inquit ille, *velum templi, & Iudæorum secreta patuerunt, & sicut gloria domus est vbi velum pendet, habitante intrinsecus Domino domus; sic ignominia templi est, vnde recessit Spiritus sanctus: postquam enim impias in Filium Dei manus intulerunt, iniuria Deo facta est, qui habitabat in templo: & ideò recedente Domino deserta remansit domus, sicut ipse dicit. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, egresso Rege gloriæ, disrupta sunt symbola Regni, aperta sunt monumenta, & surrexerunt mortui, & intrauerunt in sanctam ciuitatem vt inexcusabilem relinquerent causam.* Sic ille. Qui plura habet *tom. 6. nunc primo edito sermon. 3. de ascensione statim in princip. vbi videnda est annot. Gerardi Vossij, & ea quæ affert ex S. Ephræm.* Videndus item *D. August. sermon. 49. de verbis Domini, & in Psalm. 70. concione 2.*

Luc. 13. num. 35.

Nec parum, ni fallor præsens argumentum iuuabit locus ille. Vbi Moysi postulanti à Deo vt ipsi ostenderet gloriam suam, respondit Diuinum oraculum. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Visus siquidem est Deus iam tunc terga vertisse, & deseruisse synagogam, cui posteriora tantummodo videnda relinquebat, cum tamen ad nos conuersus veniret, quem proinde ex facie per Incarnationis mysterium cognouimus, & quibus velum aperuit sicut in disruptione veli templi ponderat *D. Leo Papa sermon. 10. de Passione capit. 6.* vbi inter alia ait: repudiatos vos debuistis agnoscere, &c.

Exod. 33. num. vlt.

Qui etiam videndus est *ser. 3. c. 5.* ad illa verba; *Mane facto consilium inierūt, &c.* Sic verò ait. Hoc manè Iudæi non ortus vobis lucis contigit, sed occasus, nec vestris oculis solitus dies prodiit, sed impiis mentibus nox terræ cæcitatis incubuit, hoc manè vobis templum, & altare diruit, legem & Prophetas ademit, regnum & Sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa conuertit, & cætera quæ in hanc rem videnda prosequitur. Vbi videndus est *D. Ambrosius ser. 2.* cum pōderat Solis ob nubilationem in morte

A Christi ad designandam miseram cæcitatem Iudæorum deinceps futuram, indicium, inquit, quoddam doloris in Sole est tanto sceleri officium luminis denegasse, & vltione quadam Iudæorum oculis tenebras infudisse, vt quorum mentem cæcitas inuaserat, eorum oculos cæcitas occuparet, nec luceret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen salutis extinctum. Damnatio igitur quædam ingeritur Pharisæis, vt tenebras in die iudicij peccatoribus repromissis iam apud superos patiantur, &c.

B Ruinam insuper Iudæorum significatam esse asserit *Hieronymus* in illis verbis *Isaiæ 6. num 3. Plena est omnis terra gloria eius, & commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.* Sic verò habet, *lib. 3. in Isaiam: quam pulcher ordo verborum postquam terra repleta est gloria Domini Sabaoth, Iudæorum templum impletum est ignorantiæ tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius est oculis, vel certè per fumum templi monstratur, incendium, prius enim Euangelium Saluatoris in toto orbe prædicatum, & post quadraginta duos annos Dominicæ Passionis capta Hierusalem, templúmque succensum: commota sunt superliminaria cardinum quando in Passione contremuit.* Sic Hieronymus. Qui ibi asserit hanc esse literalem expositionem huius loci.

Isaiæ 6. num. 3.

C Eandem etiam synagogæ ruinam prædictam testatur olim *D. Gregorius* à Hieremia Propheta, *Threnorum 2. num. 5.* Sic enim habet *lib. 11. moral. cap. 9. Israëlitarum casum longè ante Hieremias intuens ait: Factus est Dominus velut inimicus, præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius. Mœnia autem in vrbibus pro ornamento sunt, munitiones verò in defensionem, & alia sunt*

Thren. 2. num. 5.

D *dona quæ nos muniunt, alia quæ ornant: prophetica quippe doctrina, genera linguarum, curationum virtus quasi quædam mœnia mentis sunt, quæ etsi quisque non habeat, stare munitus per fidem, & iustitiam potest, quamuis ornatus virtutum altitudine minime esse videatur; spes verò fides, & charitas, non nostra mœnia, sed munitiones sunt, quæ si habere negligimus hostilibus insidijs patemus. De Iudæa ergo, quia prophetiam, atque doctrinam vel miraculorum signa abstulit, mœnia præcipitauit: quia verò spem, fidem, atque charitatem, propter eius duritiem auferri permisit, munitiones eius dissipare studuit.* Sic Gregor.

Illúdque tandem hoc in loco notandum venit, quod non solum Hebræa plebs erat populus Dei, sed peculiari ratione Deus dicebatur esse illius populi, vnde Moyses ait: *En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia, quæ in ea sunt, & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus.* Et Paulus *Deus plebis Israël elegit patres nostros*, vbi *Chrysost. homil. 29.* ait. Vide quomodo Deum illis, vt proprium tribuit, qui omnium communis est Deus; quasi velit *Chrysost.* hoc summopere commendasse charitatem Dei erga populum illum, cui non satis fuit, si populus Dei diceretur, nisi insuper & Deus illius populi peculiaris diceretur, cum tamen reuera esset, & diceretur omnium Deus. Ingratus igitur, & immemor tantæ dilectionis in odium Dei, in carne accensus conflagrauit tandem, & in cineres redactus, ac fauillam à vento Diuinæ indignationis dispersus est super faciem vniuersæ terræ, deiectus à suprema dignitate in extremam deductus est infamiam, & ignominiam; propriè siquidem Deus ad pios, & sanctos pertinet, sicut docet *Augustin. expositione in Magnificat, & Philo lib. de Abraham.*

Deut. 10. num. 14.
Actor. 3. num. 1.

TEXTVS.

TEXTVS.

Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſsimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ. Num.17.

EXPOSITIO LITERALIS.



ORTE hoc in loco Moyses prophetiæ ſpiritus inſtinctu prædicit populum Dei inducendum in terram promiſſam, & ideò quia agnoſcebat quod futurum erat, ſecum introducendis minime enumerat, non enim ipſe in eam introiuit: vel etiam priùs ſunt orantis verba noſtri textus, vt introducat Deus eos, & plantet in monte hæreditatis ſuæ. Vtcumque tamen ſe res habeat, redolent hæc verba eximiam Dei erga illos charitatem, qui Iſraëlitas non modo in libertatem ab Ægyptiaca ſeruitute aſſeruerat, verum etiam adoptatam, & promiſſam terram adduxit & introduxit, & ad ſimilitudinem plantarum fecit eos radices firmare, vt quamuis inde non eſſent eriundi, eſſent tamen naturales velut plantæ, & in eodem quaſi domicilio ipſe, & eius populus verſaretur. Vt illi propemodum in conſpectum Dei poſiti illum diligere, & colere diſcerent, & ille hoc facto demonſtraret eximiam ſe illis curam, & prouidentiam impendere, & eo quam cæteris gentibus maiorem quo domeſticos magis, quam hoſpites, & aduenas diligimus, & gubernamus.

Verbum, *plantabis*, habet celebrem metaphoram vineæ à Deo de Ægypto tranſlatæ, & in Paleſtina plantandæ, quam metaphoram multis amplificat regius
Psal. 79. num.9. Vates, vbi ait: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti: inieciſti gentes, & plantaſti eam; dux itineris fuiſti in conſpectu eius, plantaſti radices eius, & impleuit terram: operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei, extendit palmites ſuos vſque ad*
Isaia 5. num. 1. *mare, & vſque ad flumen propagines eius.* Item *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filie olei, & ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædifica-*

A *uit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea.* Deinde addit. *Quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? Vinea Domini exercituum domus Iſraël eſt:* Mat. 21.
& vir Iuda germen eius delectabile. Et huc num. 33.
reſpicit tota parabola à Chriſto Domino propoſita de vinea. Quâ de re diuino fauente numine ad Cant. *Deut.*32. plura iamiam dicimus. Reſpicit etiam verbum,
B *plantandi*, perpetuitatem & durationem huius gentis apud Palæſtinam, ſicut rectè notauit *Vatabl.* niſi aliter à Deo promereretur.

In monte hæreditatis tuæ. Hebraïſmus eſt ſatis notus pro in monte hæreditario tuo, ideſt, in monte, quem tibi ex omnibus terræ tractibus quaſi peculiarem hæreditatem dilexiſti; ſeu vt *Caiet.* appella-
C tur, *mons hæreditatis Dei*, quia eſt terra electa à Deo pro habitatione populi Iſraël aſciti in hæreditatem Dei, vtpote adoptati in primogenitum, vt ipſemet Deus ſupra dicit *capit.*4. *Exod.* Nomine autem Exod.4.
montis, non ipſa tantummodo Hieruſa- num. 21.
lem venit intelligenda, ſed tota ipſa terra promiſſionis idem *Caietanus* obſeruat dicens, terram promiſſionis à montibus
D denominat, eo quòd illuſtrior pars montana eſt; & eum ea terra montuoſa eſſet, præſertim tamen ea pars, quæ propriè Iudæa dicitur, vnde de beata Virgine: *Dum abyt in montana.* Et iterum *n.*65. Luc.1.
Super omnia montana Iudeæ diuulgabantur num.9.
omnia verba hæc. In montanis enim & 65.
multæ ciuitates, ſeu oppida ſita erant, ſicut etiam in monte ædificata erat ea ci-
E uitas in qua Elizabeth habitabat, quam petiit B Virgo Mater, non quod appellaretur montana, ſicut putauit Euthymius, ſed quia in monte ſita erat.

De ciuitatibus autem in montibus ædificatis, videndus eſt *Maſius in cap.* 10. *Ioſuè n.*5. *& cap.* 11. *num.*21. *&* 22. Præcipui

autem totius terræ promissæ mõtes erant
Thabor, & Hermon, Carmelus, & mons
Oliuarum, & Sion, qui biceps erat, vt in-
ferioris notæ montes omittamus. Hac de
causa serui Regis Syriæ, à Rege Israël de-
3. Reg. uicti dixerunt Regi. *Dy montium sunt dy*
20. n. 23. *eorum, ideò superauerunt nos.* Quasi dice-
rent Deus Israëlitarum est Deus mon-
tium, quia montes Sion ad habitandũ ele-
git. Ista verò appellatio montis quadrat
terræ promissionis præcipuè ratione vr-
bis Hierusalem, quæ montes habebat,
Ps. 124. quibus iungebatur iuxta illud, *Montes in*
num. 2. *circuitu eius.* Et illud, *Fundamenta eius*
Psal. 86. *in montibus sanctis.* Vt esset munitissima,
num. 1. & significaret Dei erga illam charitatem,
& custodiam, & typum gereret Ecclesiæ
Matt. 5. Christi militantis, de qua *Matth. 5. Non*
num. 14. *potest ciuitas abscondi supra montem posita.*
Et, vt etiam recti adumbraret illam quæ
in cælis est triumphantem Ecclesiam, de
Galat. 4. qua Apostol. *Illa autem quæ sursum est*
num. 26. *Hierusalem libera est, &c.*

Habebat itaque Hierosolyma præter
montem Sion, & Moria contra Orientem
montem Oliuarũ ex quo Dominus ascen-
dit, & symbolum pedum suorum impres-
sum reliquit. Ad Austrum habet mon-
tem offensionis dictum, vbi Salomon Pha-
3. Reg. num Chamos construxit idolo Moab. Ab
11. n. 7. Occidente est ager fullonis, qui termina-
tur in montem Geon, qui ciuitati immi-
net, & sensim decrescit ad portam Iudi-
ciariam: In latere Aquilonari est mons
præaltus inter Austrum & Ortum, humi-
lior monte Oliuarum, interueniente val-
le discretus; in quo tempore Machabæo-
rum constructum est castellum.

Præterea aduertendum est ciuitatem
ipsam Hierusalem tribus abruptis monti-
bus constasse. Primus mons Sion, qui vn-
dique erat præruptus, & inaccessus, & por-
tam habet ex vno latere quę vocatur, *prior*
Zach. 14. *porta*, Zach. 14. & Ezech. 40. *Porta populi*,
num. 10. ascendebatur autem in montem Sion per
Ezec. 40. gradus 780. pedum, vt quidam volunt, hoc
est 390. passuum, nec aliundè ad illum pa-
tebat ingressus: erat præterea alius mons
depressior aliquanto adiacens Sioni, obli-
quus in arcus formam per Aquilonem ex-
Reg. 24. currens, cui nomen olim Moria fuit, quo
num. 10. iussus est Abraham immolare filiũ suum,
& 24. vbi illustrem suam fidem, & obedientiam
ostendit. In quo monte Iebusæi area fuit,
quam numerata pecunia Dauid ab illo ad
templum ædificandum redemit, quę mon-
tis pars ferè Moria erat, Austrúmque spe-
ctabat. Quæ muro olim septa mons do-

A mus appellabatur, & quod reliquum erat
ad ortum magna olim frequentia fuit ha-
bitatum, moraque olim fuit à Salomone
olim vallatum vndique à populo in dies
crescente, & Religionis voto in eã vrbem
conueniente magnum aliud spatium ter-
rij montis occupatum est, quod subur-
bium dicebatur ab Occasu incipiens ab il-
lo, vbi ab Aquilone ciuitas Dauid detine-
bat. Nomen tertio monti Acra superior,
ab illo altero, vbi Moria esse diximus
Acra inferior appellabatur, decliui vtrim-
B que descensu, & valle angusta in semicir-
culi formam obliqua diremptus.

His igitur tribus mõtibus ciuitas Hie-
rosolyma constabat, vnde venientes Hie-
rosolymam dicebantur ascendere: *Ecce* Mat. 20.
ascendimus Hierosolymam, Matth. *Quis* num. 8.
ascendet in montem Domini, *Psal.* 24. Re-
deuntes verò descendere dicebatur, iuxta
illud, *Homo quidem descendebat ab Hieru-* Luc. 10.
salem in Hiericho. num. 30.

Quadrat etiam ista appellata montis
in vrbem ratione templi, quod in monte
C ædificatum est, prætterquam enim, quod
loca sacra semper sublimia, montes, &
colles Religiosa habita fuerint, tamen lo-
cus excelsissimus vrbis honorificentissi-
mus habitus est, ac non in diis maximis,
quorum in tutela maxima ciuitas videre-
tur esse, videlicet Iouis, Iunonis, & Mi-
neruæ templis dedicatus: Vnde mœnium,
vt *Vitruuius* dixit *lib. 1. cap. 7.* maxima
pars conspiceretur, quare, & in suo illo
templo Iunonem precabatur, quasi obse-
crans per templi celsitudinem qui dice-
D bat; nempe *Rucilius.*

Exaudi genitrix hominum, genitrixq́;
deorum,
Nõ procul à cælo per tua tẽpla sumus.

Deus igitur qui custos, & vigil erat ciui-
tatis Hierosolymitanæ, in celsissimo lo-
co domum suam constituit. Quò respe-
xit *Ezechiel. cap. 40.* cum de diuisione,
& descriptione templi ait. *Dimisit me su-* Ezec. 40.
per montem excelsum nimis, super quem num. 2.
erat ædificium ciuitatis vergentis ad Au-
strum. Similiter & *Ioannes* cum ait, *Subla-* Apoc. 12.
E *tum se in montem magnum, & altum, vbi* num. 10.
vidit ciuitatem sanctã Hierusalem. Quod
de templo, & propter templum dictum
esse agnoscit *Ambros.* ibi. Atque eò etiam
respexisse Nabuchodonosorem testatur
Isaias illustri quadam allusione, *Qui di-* Isaiæ 14.
cebas in corde tuo, in cælum conscendam, id- num. 12.
est; in templum, quod Dei sedes, & re- & 13.
gia est. Ideóque cælum dicitur, & quia
in celsissimo loco conscendendum. *Super*
astra

astra Dei exaltabo solium meum, quia Israelitæ cum stellis cœli comparabantur iam inde ab illa Dei promissione facta
Gen. 22. Abrahamo, *Exaltabo solium meum*, *&*
num. 17. *sedebo in monte testamenti*, propriè ex Hebræo: *In monte conuentus, celebritatis, aut concionis*, Pagninus, *In monte Ecclesiæ*, quod nomen erat præcelsi illius montis propter templum, quo populus conueniebat: peculiariter etiam LXX. indicarunt situm templi legentes: *Sedebo in monte excelso super montes excelsos, qui ad Aquilonem*. Quod quidem videtur esse B
Isai. 2. idem cum illo, *Erit mons domus Domini*
num. 2. *præparatus in vertice montium*. Et Deus
Idem. 57. apud eundem, *Adducam eos in montem*
num. 7. *sanctum meum, lætificabo eos in domo orationis meæ*.

Et quia in excelso monte situm erat Dei templum è longe conspiciebatur teste *Iosepho lib. 6. de bello, cap. 6.* dicentem. Hospitibus quidem adeuntibus procul monti niueo similis videbatur; nam vbi deauratum non erat templum, candidissimum erat. In summo autem aureis veribus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur.

Hoc igitur constituto, quod, scilicet, templum constructum fuerit in excelso monte, non vulgaris dubitatio est, in quonam monte ædificatum sit templum; an in monte Sion, an verò in monte Moria, nam mons Moria, & mons Sion diuersi montes sunt, & hos inuicem, & ab alio monte, qui vocatur Acra latis vallibus diuidit Iosephus loco citato; de monte autem Moria constat ex sacra Scriptu- D
2. Par. 3. ra, *Et cœpit Salomon ædificare domum Do-*
num. 1. *mini in Hierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius in loco, quem parauerat Dauid in area*. Licet autem multis in locis sacræ Scripturæ templum tribuatur potius monti Sion, non solum cum de solo tabernaculo, & area Dei habitante in monte Sion ante ædificatum templum sermo esse videtur,
Psalm. 9. vt patet ex *Psal. 9. Psallite Domino, qui*
num. 12. *habitat in Sion. Psal. 73. Mons Sion in quo*
Psal. 73. *habitasti in eo*. Sed etiam post ædificatum E
num. 1. templum, vt constat ex *Psal. 77. Elegit*
Psal. 77. *tribum Iuda montem Sion quem dilexit, &*
num. 68. *ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula*; quod de templo ibi explicant *Theodoret. Basil Caiet. Genebrard. & Lyra.* Similiter
Psal. 42. in *Psal. 42. Ipsa me adduxerunt in templum*
num. 4. *sanctum tuum, & in tabernacula tua.* De templo, & de monte Sion explicauit

A *Theodoretus* dictum à Dauide Propheticè,
& *Isai. 8. Dominus exercituum, qui habitat* Isai. 8.
in monte Sion, propter templum dictum num. 18.
esse intelligunt Interpretes. Similis est locus *Isai. 31. Dominus cuius ignis est, in* Isai. 31.
Sion, de altari sacrificiorum, & igni per- num. 9.
petuo agnoscunt plerique. Idem tenet *Procopius super illud, In valle visionis*, vbi
LXX. legunt, *in valle Sion*. Denique est Isai. 22.
apertus locus, 1. *Mach. 4. Ascenderunt in* num. 5.
montem Sion, & viderunt sanctificationem 1. Mach.
desertam, & altare profanatum. 4. nu. 38.

Dicendum igitur est cum asseritur templum ædificatum in monte Sion, aut in Sion synedochicè accipi Sion pro Hierusalem, quod satis tritum, & vulgare est in sacra Scriptura. Videatur *August. in Psal. 98. num. 2. Chrysost. Psal. 49. nu. 2. Basil. & Theodoret. Psal. 72. num. 18.*

Alia tamen est expositio *Villalpandi*, quæ placet *Pineda lib. 5. de rebus Salomonis, sectione 9.* vt Sion prædictis in locis proprié, & strictè accipiatur, vt ab aliis collibus, & regionibus vrbis distinguitur,
C sed ita tamen, vt accipiatur pro ipso Montis latere vsque ad voraginem, & vallem interiacentem inter hunc montem, & montem Moria, & quia Salomon ad laxandam aream templi, partem huius vallis, aut voraginis altissimis aggeribus æquauit cum ipso monte Moria. Ideo verè & propriè templum ædificatum est in monte Sion, idest, pars templi; quoniam pars alia propriè etiam, & verè, in montem Moria cecidit, quæ etiam conciliatio inseruit illi alteri quæstioni de sorte templi, ad quam scilicet tributum pertineat, ij enim, qui constitutum dicunt in Sion, tenentur dicere, constitui templum in tribu Iuda, qui verò in monte Moria, constituunt illud in tribu Beniamin, qua de re videndus Pineda loco citato. E supposito, quod potissima pars templi ædificata sit in monte Moria adhuc dubitatio est, in qua parte montis: etenim mons hic est, scribit *Iosephus lib. 5. Antiquitat. c. 14.* Tumulus periculosus, arduus, à vertice descensus, versus Orientale vrbis latus respinus, cui versus Austrum subiecta est vallis profunda.

Lyranus igitur *Deut. 33.* in benedictione Beniamin ex Hebræorum sententia affirmat templum ædificatum fuisse non in summitate montis Moria, sed in decliui per spatium viginti quatuor cubitorum à summitate montis. Idem habet *Abulens.* ibidem asserens templum fuisse in medio descensu montis in planitie quadam, quæ

se habet respectu verticis, sicut humeri in A
corpore humano respectu capitis, quod
etiam admisit *Pererius Genes.* 49. in bene-
dictione Beniamin, & *Salmer. tom.* 1. *Pro-*
Deut. 33. *log.* 42. & ita rectè constat locus ille, *Ben-*
num. 12. *iamin amantissimus Domini habitaui con-*
fidenter: in eo, quasi in thalamo tota die
morabitur, & inter humeros illius requie-
scit. Dicitur autem mons hæreditatis,
quia ille locus specialiter ad Deum perti-
nebat: nam in cæteris locis terræ promis-
sæ poterant fieri omnia, quæ ad huma-
num seruitium attinebant: in illo autem B
loco, vel monte, nihil fiebat nisi ipse Dei
cultus: imo aliqui homines nō audiebant
illum intrare nisi adorandum, & offeren-
Ioann. 2. dum, ideoque Christus cum *reperit ibi*
num. 15. *vendentes, & ementes, euertit mensas num-*
mulariorum, & cathedras vendentium co-
lumbas, vt patet, *Ioan.* 2. & cum *Tertull. lib.*
de pudicitia cap. 21. dixerit non decuisse
Christum sæuire, quia pati venerat, quod
etiam prosequitur *Bernard. serm.* in illud,
Signum magnum, &c. tamen minimè pas-
sus est in templo emptionem, & venditio- C
nem exerceri veluti rem indignam, &
Agnus accepit fortitudinem, ac veluti
leo, insurrexit in illos, qui hæreditate Dei
abutebantur. Qua de re videndus *Ber-*
nard. serm. 23. *in Cantica*, & licet *Euthym.*
ibi existimet Christum Dominum facto
flagello homines non verberasse, sed de-
terruisse, tamen constat fuisse eiectos, vt
asserit Pius primus in quadam Epistola, &
Iulius in alia contra Orientales. Viden-
dus item *August. tract.* 10. *in Ioan.* vbi pro-
sequitur, cur Christus Dominus taliter D
sæuierit in vendentes, & ementes, cum
non tam graue videatur fuisse peccatum:
quibus similia habet *lib.* 1. *quæst. Euangel.*
quæst. 48.

Firmissimo habitaculo tuo. Celebris est
hæc templi appellatio, à qua Salomon
Ioann. 2. suas preces auspicatur. *Ædificans, ædifica-*
sti domum in habitaculum tuum, firmissi-
mum solium tuum in sempiternum, & hac
Psal. 77. ratione dicitur, *fundatum in secula*, &
num. 13. ideo fortassis præmisit Moyses, *in mente*
hæreditatis tuæ, vt hanc firmitudinem de- E
Zac. 2. notaret appellando hæreditatem, nun-
num. 12. quam ad alium transferendam, qualis est
2. Par. 3. ille locus. *Possidebit Dominus partē suam,*
num. 15. *in terra sanctificata, & eliget adhuc Hie-*
Ezech. *rusalem.* Indicatáque est, hæc firmitudo
num. 49. in duabus columnis à Salomone consti-
3. Reg. 7. tutis de quibus 2. *Paralip.* 3. & *Ezech. nu.*
& 21. 49. & 3. *Reg.* 7. & 21. *num.* 2. vbi dicitur.
num. 2. *Et statuit duas columnas in porticu templi,*

cumque statuisset columnam dexteram, vo-
cauit eam nomine Iachin, & erexit colum-
nam secundam, & vocauit eam nomine
Booz, quæ nomina firmitatem significant,
& fortitudinem, eadémque videbantur
precari a Deo, vt ex vtroque nomine vi-
deatur effici hic sensus: Vtinam Deus diu-
tissimè hanc domum conseruet, atque
confirmet; vnde, & opportunè Salomon
ex ære prædictas columnas fecit, vt quasi
propheticè significaret robur plusquam
æneum, & muro plusquam aheneo con-
firmatam iri à Deo domum illam.

Hæc etiam fortitudo, & firmitas signi-
ficat ex illis verbis, *Ædificauit sicut vni-* Psal. 77.
cornium sanctificium suum in terra. Vbi li- num. 69.
cet ex Hebræo aliqui legant, *Ædificauit*
sicut palatia excelsa sanctuarium suum, ta-
men *Hieron.* legit, *In similitudinem mo-*
nocerotis, & Chaldæus, *sicut cornu naricor-*
nis. Cornu verò monocerotis firmissi-
mum, & fortissimum est. Clarius hoc di-
xit Dauid. *Ponite corda vestra in virtute* Psal. 47.
eius, idest, sigillatim attendite, & contem- num. 17.
plamini fortitudinem domus Dei, vt po-
steris enarrare valeatis. Et ipse Deus ait,
Se elegisse locum templi, vt esset nomē suum 2. Paral.
ibi in sempiternum, & permanerent sui 7. nu. 16.
oculi, suumque cor ibi cunctis diebus, quam
promissionem nunquam frustrandam, sed
in Dauidis posteritate iugiter adimplen-
dam sæpius precatur Salomon. 3. *Reg.* 7. 3. Reg. 7.

Hæc dicta sunt de firmitate, siue forti- num. 20.
tudine templi illius, ac domus Dei. Cæte- 26. 56. &
rùm *Abul. hic quæst.* 4. & *Pererius disput.* 61.
6. existimat dici, *Firmissimum Dei habita-*
culum, templum à Salomone ædificatum,
quia ibi longissimo tempore permansit
Dei cultus. Etenim post ingressum He-
bræorum in terram promissionis arca Dei
fuit in Silo, vt constat ex *Iosuë* 18. & *Iu-* Iosuë 18.
dic. 20. Dicebatur autem Deus præcipuè num. 1.
habitare ibi, vbi arca eius erat. Fuit, in- Iud. 20.
quam in Silo vsque ad mortem Heli per num. 18.
annos ampliùs trecentos, & tunc à Phili-
sthæis capta fuit, & permasit apud eos se-
ptem mensibus, 1. *Reg.* 4. & 4. *Reg.* 6. à qui- 1. Reg. 4.
bus reducta, & in domo Aminadab col- num. 11.
locata, vt patet ex 1. *Reg.* 7. permansit ibi & cap. 6.
vsque ad octauum annum regni Dauidis num. 1.
per annos circiter quinquaginta, 2. *Reg.* 6. 1. Reg. 7.
Et mansit deinde in domo Obededon tri- num. 1.
bus mensibus, 2. *Reg.* 6. Et inde translata 2. Reg. 6.
est in ciuitatem Dauid, mansítque ibi per num. 4.
annos quadraginta duos 3. *Reg.* 8. Quoad 3. Reg. 8.
deferretur in templum à Salomone fabri- num. 1.
catum, anno scilicet eius vndecimo. Ab
anno autem vndecimo regni Salomonis
mansit

A mansit arca in templo vsque ad captiuitatem Babylonicam Sedeciæ per annos quadringentos, & viginti. Tunc Hieremias, tabernaculum Domini, & arcam, & altare incensi, ne venirent in potestatem Chaldæorum tulit in eum locum vbi sepultum fuerat corpus Moysis, ibique abscondit, nec locus ille vlli mortalium co-
2. Mac. 2. gnitus adhuc fuit, qua de re in *libr. Ma-*
num. 4 *chab. cap. 2. Tabernaculum, & arcam iussit Propheta Diuino responso ad se facto comitari secũ, vsquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem:* B
& veniens ibi Hieremias inuenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit, venerunt quidam simul qui sequebantur, vt notarent sibi locum: & non potuerunt inuenire, vt autem cognouit Hierem. culpans illos dixit: quod ignotus erit locus donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, &c. Sed quamuis postea Iudæi non habuerint arcam Domini, attamen post reditum de Babylone, & instauratum iussu Dei templum, vt patet per C
totum prophet. Aggæum & Zachariam, vsque ad *c. 4.* Deus inuocatus fuit semper in templo illo, quoad vsque post mortem Christi quasi per annos quadraginta à Romanis deletum est, post annos circiter quingentos quinquaginta. Ergo quoniam in illo loco Deus habitauit per annos amplius mille, ab vndecimo scilicet anno Salomonis, vsque ad mortem Christi Domini, idcirco verè dictus est locus ille firmissimum Dei habitaculum. Hoc verissimum cum sit, superior tamen expo- D
sitio, quæ de firmitate, & fortitudine ædificij est, magis placet, vtpote quæ ad rem magis spectare videatur, & certè LXX. & Chaldaica de ædificio potius loquuntur, quam de cultu Dei, cui tamen magis attiferit posterior explicatio illi poterit adhærere.

Quod operatus es Domine. Non est hoc intelligendum quasi Deus operatus fuerit templum, sed quia illius iussu, & descriptione constructum fuit, etenim totius illius fabricæ architectura Diuina E
fuit, suáque manu graphidis sciẽtiam non solum docuisse Deus, sed etiam exercuisse videtur, atque templi descriptionem vestigij, & faciei, siue frontis, & laterum, à frontibus abscèdentium repræsentatio-
1. Paral. nem apposuisse: sicut colligitur, dicente
28. n. 19. Dauide, *Omnia venerunt scripta manu*
Isai. 49. *Domini ad me, vt intelligerem vniuersa*
num. 16. *opera exemplaris.* Vnde illud *Isaias* habet

A *c. 49. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper*, videtur de illa templi descriptione Dei manibus facta accipiendum, respondet enim Deus grauissimæ populi querimoniæ, & abiectioni animi propter templum dirutum, dispersos lapides sanctuarij, incensa ligna, direptam supellectilem; iubetque Deus animæquiores esse, nam qui primas templi mensuras, & vniuersas descriptiones non solum inuenit, sed manibus suis perfecit, poterat denuo eadem ratione, &
B dimensione templum, atria, muros, & omnia diruta instaurare. Quare tanquam rem Diuinam omni attentione considerandam, obseruandámque in templis restaurationem præcepit Deus, *Ezech.* 43. Ezec. 43.
Figuram domus, & fabricæ eius, exitus, & num. 11.
introitus, & omnes descriptiones eius, & vniuersa præcepta eius, cunctúmque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum, vt custodiant omnes descriptiones eius, &c. Cum ergo templi ædificandi ratio, & forma à
C Deo tradita fuerit manibus ipsius descripta iure dicitur Deus operatus templum ipsum.

Nisi fortè dicatur hoc in loco, *Quod firmauerunt manus tuæ*, vt significetur templũ illud fuisse opus Diuinum, & per hoc pulchritudo, & species templi commendetur sicut cum in *Psalm.* 8. vt cæli pulchritudinem vno verbo prædicaret, dicere sat habuit Dauid: *Videbo cælos tuos,* Psal. 8.
opera digitorum tuorum: Etenim cum in- num. 4.
choasset admirabundus laudes Dei Da-
D uid ac suæ conscius infantiæ post mentionem de illis in cælo conspicua maiestate, Diuino abrèptus spiritu meditationem coniecisset in mirabilem paruulorum Christum celebrantium concentum, redit ad contemplationem mirifici operis cœlestis, quod, vt summopetè commender, dicit esse opus diuino artificio elaboratum: vbi *Agellius* in nostram sententiam ait, Nam si oculos attollam video cælos tuos à te conditos, & maximo artificio elaboratos, quibus nihil pulchrius vide-
E ri, aut excogitari potest. Id puto (inquit ille) significare, quod ait: *Opera digitorum tuorum*, Et *Paulus* de cœlesti Hierusa-
lem: *Expectabat fundamenta habentem ci-* Hebr. 11.
uitatem, cuius artifex, & conditor Deus, num. 11.
vbi *Chrysostom. & Theophyl.* Papæ quantum est vrbis istius Encomion, architectum habere Deum, & Poëta *Ecloga* 3. de pastoritiis poculis, quàm pulcherrimis dicit,

——— Pocula ponam
Fagina, cælatū diuini opus Alcimedontis.

Ad hunc igitur sensum verba nostri textus, *Quod firmauerunt manus tuæ*, decorem, & pulchritudinem illius domus
Psal. 47. num. 3. denotant. Vnde Dauid, *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion Hebr. Pulcher termino, pulcher locus*; & Caietani Rabbinus transtulit, *Pulchra sponsa.* Felix, & translator apud Campensem, *Formosa, & speciosa Nympha.* Pro qua Paraphrastes genere masculino, *Pulcher vt sponsus*, qua quidem similitudine summa decla- B ratur pulchritudo, & maximus decor
Apoc. 21. num. 7. templi, sicut cum Ioannes voluit explicare gloriam sanctorum futuram post extremum iudicium; similitudinem assumpsit sponsæ paratæ Viro suo, vt denotaretur pulchritudo meritorum, virtutumque omnium splendor, qui in sanctis reperitur, quibus tanquam preciosissimis, pulcherrimisque ornamentis instructi tanquam sponsa à Deo viro suo in cœlestem illum gloriæ thalamum introducendi erunt, quasi nulla aptior esset similitudo C ad id explicandum, quam ea, quæ ab sponsa desumebatur.

Hinc etiam Hieremias eam dicit ap-
Thren. 2. num. 15. pellatam; *Ciuitatem perfecti decoris: gaudium vniuersæ terræ.* Decor autem in ædificiis, vt definitur à *Vitruuio lib. 1. c. 2.* est emendatus operis aspectus, probatus rebus compositis cum auctoritate; quæ omnia in eo templo reperiebantur, vtpote pulcherrimo, & manibus Dei fabricato, plura namque, & amplissima atria aperta erant, partem item sub tecto, & quidem D triplici trabeatione: habuit item, quod idem auctor asserit habuisse templa Veneris, Floræ, Proserpinæ, quibus propter teneritatem Corinthio genere graciliora, & florida, foliisque, & volutis ornata opera fiebant, habuit namque templum etiam hæc tenera, & mollia, tum ex opere Corinthio, tum ex palmis, & fructibus insculpta ornamenta, quæ sunt illa, *Coronæ scilicet aureæ, quibus ornauerunt fa-*
1. Mac. 4. num. 57. *ciem templi*, vt habetur primo *Machab.* 4. Nempè coronæ primum insculptæ lapi- E dibus, deinde cōtectæ, & figuratæ laminis aureis, vt ad eas videatur facta pulchra
Psal. 93. num. 13. allusio *Psal. Iustus vt palma florebit, &c. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt*, Etenim iusti repræsentabantur opportunissimè per palmas, & maximè per illas affixas parietibus templi, de quibus 3. *Reg.* 6.

Denique exteriorem templi conspe-
A ctum pulcherrimum in hæc verba describit *Iosephus lib. 6. de Bello, cap. 6.* Exterior *3. Reg. n. 18. & 35.* autem facies nihil, quod animus, aut oculi mirarentur non habebat: Crustis enim aureis grauissimis vndique tecta, vltra primos ortus igneo splendore lucebat, vt cum intuerentur, contuentium oculi quasi solis radiis auerterentur: hospitibus quidem adeuntibus procul monte niueo similis videbatur, &c. Iam verò ingredientibus Templum dici non potest quantus decor, pulchritudo, & voluptas
B proposita fuerit propter quam scriptum est, *Psal.* 143. Ad amplificationem lauda- *Ps. 143. num. 12* tissimi cultus, & splendoris maximi, *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo Templi.* Quibus in verbis post naturalem pulchritudinem significatam per illud *compositæ*, addita est etiam aduentitia ex ornatu, quod pictura quadam ornamentorum varietate floreant, *ad templi similitudinem.* Licet verò Hebræi eo in loco angulos vertant dicendo, *Filiæ eorum sicut anguli*; tamen L X X. rectè
C intellexerunt *Chezaioth*, non angulos, sed *à Ziu*, idest, *pulchritudine*, quo nomine sæpè Chaldæus interpres in hanc decoris significationē vti solet, atque ipsi iidem. L X X. sic verterunt: *Pulchritudo agri* *Psal. 49. num. 1.* *mecum est*, neque enim tanta est pulchritudo angulorum licet incisorum, ac dolatorum, vt adolescentularum pulcherrimarum decorem referre possent, quod optimè facere posset totius templi ornatus, & pulchritudo, cuius conspectu maxima solebat voluptate perfundere ingre-
D dientes, sicut testatur. *Vnam petij à Domi-* *Psal. 26. n. 1. & 4.* *no, hanc requiram, vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius*, quod de templo, vel propheticè à Dauide, vel re ipsa, si ab *Ezechia* (vt vult *Orig.*) scriptum est. Vbi verò nos habemus *voluptatem*, L X X. aliquando transferunt *decorem Domini*, & certè voluptas ex proprietate vocis est iucunditas, dulcedo, amœnitas, pulchritudo, & quidquid animo, aut oculis volupe est, & iocundum: & in eodem sensu dixit. *Domine dilexi decorem domus*
E *tuæ*, vbi, teste *Agellio*, decorem domus *Psal. 25. num. 8.* Dei vocat splendorem illum, & maiestatem augustam templi, cuius aspectu iucundissimus erat, atque pulcherrimus, vt ex illa specie quodammodo inhabitantis Dei maiestas animo concipi, ac penè oculis conspici posset. Pulcherrimum igitur cum fuerit templum illud tam interius, quam exterius, perfectissimum iure optimo potuit diuinum opus dici,

dici, & in hoc sensu Dei manibus efformatum.

Sanctuarium tuum Domine: Templum à Salomone tribus constabat partibus,
3.Re.21. nempè Vestibulo, Templo, Domo: Vesti-
num. 1. bulum appellatur etiam Porticus vt patet
3.Reg.6. 3. *Reg.* 6. & 2. *Paralip. Huius longitudo*
num.3. *erat centum cubitorum, iuxta mensuram*
2. Par.3. *altitudinis templi, & habebat decem cubi-*
num. 4. *tos latitudinis ante faciem templi*, vt patet
Ezec.14. *Ezech. c.* 41. *n.* 4. Secunda pars, quæ erat
num. 4. templum appellatur etiam palatium 3.
4.Reg.11. *Reg.*21.*n.*1.& 4.*Reg.*11.*n.*19. & *Isaia* 18.
num. 19. *n.*39.& *Danielis* 7.*n.*1.& 4.& appellatur
Isai. 18. etiam Domus *Psal.*44.*n.* 9. & ædes regiæ
num. 39. *Prouerb.*30.*n.*28. Appellatur etiam Delu-
Dan. 9. brum *Isai.*13.*n.*22.*Ioel* 3.*n.*5.*Osee* 8.*num.*
n.1.& 4. 14.Denique appellatur etiam sancta, & vt
Psal. 44. constat ex *Ezech.*41.*n.*2. erat *Longa qua-*
num. 9. *draginta cubitos, & lata viginti.* Intima
Prou.30. verò pars dicebatur Oraculum, à Paulo,
num.28. tantum dicitur Sancta, *Hebr.*13.*n.*11. sicut
Isai. 13. & à Moyse *Leuit.*10.*n.*18. Sed triplici no-
num. 22. mine insignitur 3.*Reg.* 6.*n.*16. *Fecit inte-*
Ioel 3. *riorem domum oraculi Sāctum Sanctorum,* C
num. 5. propriè tamen vocabatur, & erat Sancta
Ose.8. Sanctorum locus Sanctissimus, & San-
num. 14. ctuarium, & muro quodam separabatur à
Ezec.41. templo, mensura habebat 3.*Reg.6.* habe-
num. 2. bat viginti cubitos longitudinis, & vigin-
Hebr.13. ti cubitos latitudinis. Idemque habetur
num. 11. 2. *Paralip.* 3. *num.* 8. Propriè igitur cum
Leu. 10. diceretur Sancta Sāctorum, sanctuarium,
num. 18. aliquando pro tabernaculo, vel toto tem-
3. Reg.6. plo sumitur, & in eo sensu existimo hoc
num. 16. in loco sumi Sanctuarium pro templo to-
3. Reg.6. to; neque mirum si Sanctuarium appel- D
num. 2. letur templum, & sumatur pro illo,
2. Par.3. quando etiam accipitur pro loco sancto,
num. 8. & Deo dicato etiamsi non sit templum,
Iof.24. sicut constat ex obscuro illo loco vbi di-
num. 26. citur. *Tulit lapidem pragrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.* Vbi *Lyranus* ostendit hunc locum nullatenus posse intelligi de sanctuario Dei, seu de tabernaculo Moysis, quia tunc temporis tabernaculum erat positum in Silo, Iosue autem fecit ea, quæ ibi referuntur in Sichem, qui E locus benè multò distat à Silo, & ideò, inquit ille, sanctuarium hic potest accipi pro synagoga, in qua conueniebant habitatores illius loci causa orationis, & audiendi verbum Dei, quia in singulis ciuitatibus, & vrbibus Iudæi habebant talia loca, licet haberent vnum templum, vel tabernaculum antequam templum esset factum, vbi fiebant sacrificia, sic *Ly-*

A *ranus* Rem magis enucleauit Masius ibi dicens. Ego auguror sacrarium Domini (sic enim ille legit) eum dici locum, quem Abraham posita apud istā arborem ara, & facta re Diuina, primum in omni Chananæa consecrauerat; cum illic lætissimum illum à Deo nuntium accepisset prorsus simile atque à Iacobo locus ille est Bethel, idest, domus Dei, siue phanum Dei nuncupatus, in quo ipse primum Diuina visa vidisset, & oracula audiuisset, il-
lis Abrahæ oraculis similia *Genes.* 28. Sic Gen. 28.
B ille. Cum igitur tam ampla sit significatio num. 12.
Sāctuarij, etiamsi propriissime accipiatur pro interiori, & sacratiori parte templi, tamen hoc in loco de more sacræ Scripturæ accipitur pro toto templo, cuius instructuta iterum Deo tribuitur dictis à nobis iam de causis.

ANNOTAT. VNICA.

Proponitur illustris, & diuturna plantatio Ecclesiæ noui Testamenti, & abrogatio veteris.

CVm ergo plantata fuerit firmiter à Deo vinea illa synagogæ, *Plantabis eos in mente hereditatis tua*, ad quam plantandum purgauit Deus terram illam, *& lapides eiecit ex ea*, iuxta illud.
Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti Psal. 79.
gentes, & plantasti eam, dux itineris fui- num. 9.
sti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram, operuit montes umbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare, &c. Vbi verba illa, *Dux itineris fuisti*, si de itinere per desertum intelligantur, sicut illa nostri Cantici debent intelligi; *Dux fuisti in misericordia tua*, non satis aptè exponuntur, hic enim potius intelligendum est lapides tulisse Deum, ne via radicibus plantandæ arboris obstruatur, imò in profundum agi possint, & ideò clarius aliquanto transferretur (ait *Agellius* dicendo, *Viam fecisti in conspectu eius*.) Lapides igitur sublati sunt, eiectæ illæ gentes, vt ager emundaretur, ne malarum, & noxiarum plantarum, vitiosorumque hominum exempla, & mores contagio læderent: quod optimè intellexisse videtur *Euseb.* ex aliquo forsan aliorum interpretum Codice, vt assolet, admonitus, cum habet: *Dux fuisti, omnibus his, qua ladere poterant ablatis, excisaque omni aliena materia, ne impedimento*

——— *Pocula ponam*
Fagina, cælatũ diuini opus Alcimedontis.

Ad hunc igitur sensum verba nostri
textus, *Quod firmauerunt manus tuæ*, de-
corem, & pulchritudinem illius domus
Psal. 47. num. 3. denotant. Vnde Dauid, *Fundatur exulta-*
tione vniuersæ terræ mons Sion Hebr. Pul-
cher termino, pulcher locus, & Caietani
Rabbinus transtulit, *Pulchra sponsa*. Felix,
& translator apud Campensem, *Formosa,*
& speciosa Nympha. Pro qua Paraphrastes
genere masculino, *Pulcher vt sponsus*,
qua quidem similitudine summa decla-
ratur pulchritudo, & maximus decor
Apoc. 21. num. 7. templi, sicut cum Ioannes voluit explica-
re gloriam sanctorum futuram post extre-
mum iudicium; similitudinem assumpsit
sponsæ paratæ Viro suo, vt denotaretur
pulchritudo meritorum, virtutúmque
omnium splendor, qui in sanctis reperi-
tur, quibus tanquam preciosissimis, pul-
cherrimisque ornamentis instructi tan-
quam sponsa à Deo viro suo in cœlestem
illum gloriæ thalamum introducendi
erunt, quasi nulla aptior esset similitudo
ad id explicandum, quam ea, quæ ab
sponsa desumebatur.

Hinc etiam Hieremias eam dicit ap-
Thren. 2. num. 15. pellatam; *Ciuitatem perfecti decoris: gau-*
dium vniuersæ terræ. Decor autem in ædi-
ficiis, vt definitur à *Vitruuio lib.* 1. c. 2. est
emendatus operis aspectus, probatus re-
bus compositis cum auctoritate; quæ om-
nia in eo templo reperiebantur, vtpote
pulcherrimo, & manibus Dei fabricato,
plura namque, & amplissima atria aperta
erant, partem item sub tecto, & quidem
triplici trabeatione: habuit item, quod
idem auctor asserit habuisse templa Ve-
neris, Floræ, Proserpinæ, quibus propter
teneritatem Corinthio genere gracilio-
ra, & florida, foliisque, & volutis ornata
opera fiebant, habuit namque templum
etiam hæc tenera, & mollia, tum ex ope-
re Corinthio, tum ex palmis, & fructibus
insculpta ornamenta, quæ sunt illa, *Co-*
ronæ scilicet aureæ, quibus ornauerunt fa-
1. Mac. 4. num. 57. *ciem templi*, vt habetur primo *Machab.* 4.
Nempè coronæ primum insculptæ lapi-
dibus, deinde cõtectæ, & figuratæ laminis
aureis, vt ad eas videatur facta pulchra
Psal. 93. num. 13. allusio *Psal. Iustus vt palma florebit, &c.*
Plantati in domo Domini, in atriis domus
Dei nostri florebunt, Etenim iusti repræ-
sentabantur opportunissimè per palmas,
& maximè per illas affixas parietibus
templi, de quibus 3. *Reg.* 6.

Denique exteriorem templi conspe-
A ctum pulcherrimum in hæc verba descri-
bit *Iosephus lib. 6. de Bello, cap. 6.* Exterior 3. Reg. 5. n. 18. & 35.
autem facies nihil, quod animus, aut
oculi mirarentur non habebat: Crustis
enim aureis grauissimis vndique tecta, vl-
tra primos ortus igneo splendore luce-
bat, vt cum intuerentur, contuentium
oculi quasi solis radiis auerterentur: ho-
spitibus quidem adeuntibus procul mon-
te niueo similis videbatur, &c. Iam verò
ingredientibus Templum dici non potest
quantus decor, pulchritudo, & voluptas
B proposita fuerit propter quam scriptum
est, *Psal.* 143. Ad amplificationem lauda- Ps. 143. num. 12.
tissimi cultus, & splendoris maximi, *Filiæ*
eorum compositæ, circumornatæ, vt simili-
tudo Templi. Quibus in verbis post natu-
ralem pulchritudinem significatam per
illud *composita*, addita est etiam aduenti-
tia ex ornatu, quod pictura quadam or-
namentorum varietate floreant, *ad tem-*
pli similitudinem. Licet verò Hebræi
eo in loco angulos vertant dicendo, *Filiæ*
eorum sicut anguli, tamen L X X. rectè
C intellexerunt *Chezaioth*, non angulos, sed
à Ziu, idest, *pulchritudine*, quo nomine
sæpè Chaldæus interpres in hanc decoris
significationẽ vti solet, atque ipsi iidem.
L X X. sic verterunt: *Pulchritudo agri* Psal. 49. num. 1.
mecum est, neque enim tanta est pulchri-
tudo angulorum licet incisorum, ac do-
latorum, vt adolescentularum pulcher-
rimarum decorem referre possent, quod
optimè facere posset totius templi orna-
tus, & pulchritudo, cuius conspectu ma-
xima solebat voluptate perfundere ingre-
D dientes, sicut testatur. *Vnam petij à Domi-* Psal. 26. n. 1. & 4.
no, hanc requiram, vt videam voluptatem
Domini, & visitem templum eius, quod de
templo, vel propheticè à Dauide, vel re
ipsa, si ab *Ezechia* (vt vult *Orig.*) scriptum
est. Vbi verò nos habemus *voluptatem*.
L X X. aliquando transferunt *decorem*
Domini, & certè voluptas ex proprietate
vocis est iucunditas, dulcedo, amœnitas,
pulchritudo, & quidquid animo, aut ocu-
lis volupe est, & iocundum: & in eodem
sensu dixit. *Domine dilexi decorem domus*
E *tuæ*, vbi, teste *Agellio*, decorem domus Psal. 25. num. 8.
Dei vocat splendorem illum, & maie-
statem augustam templi, cuius aspectu
iucundissimus erat, atque pulcherrimus,
vt ex illa specie quodammodo inhabi-
tantis Dei maiestas animo concipi, ac pe-
nè oculis conspici posset. Pulcherrimum
igitur eum fuerit templum illud tam
interius, quam exterius, perfectissi-
mum iure optimo potuit diuinum opus
dici,

diei, & in hoc sensu Dei manibus effor-
matum.
Sanctuarium tuum Domine: Templum
à Salomone tribus constabat partibus,
3.Re.2 1. nempè Vestibulo, Templo, Domo: Vesti-
num. 1. bulum appellatur etiam Porticus vt patet
3.Reg.6. 3. *Reg. 6. & 2. Paralip. Huius longitudo*
num. 3. *erat centum cubitorum, iuxta mensuram*
2. Par. 3. *altitudinis templi, & habebat decem cubi-*
num. 4. *tos latitudinis ante faciem templi*, vt patet
Ezec. 14. *Ezech. c. 41. n. 4.* Secunda pars, quæ erat
num. 4. templum appellatur etiam palatium 3.
4.Reg. 11. *Reg. 21. n. 1. & 4. Reg. 11. n. 19. & Isaia* 18.
num. 19. *n. 39. & Danielis 7. n. 1. & 4.* & appellatur
Isai. 18. etiam Domus *Psal. 44. n. 9.* & ædes regiæ
num. 39. *Prouerb. 30. n. 28.* Appellatur etiam Delu-
Dan. 9. brum *Isai. 13. n. 22. Ioel 3. n. 5. Osea 8. num.*
n. 1. & 4. 14. Denique appellatur etiam sancta, & vt
Psal. 44. constat ex *Ezech. 41. n. 2.* erat *Longa qua-*
num. 9. *draginta cubitos, & lata viginti.* Intima
Prou. 30. verò pars dicebatur Oraculum, à Paulo,
num. 28. tantum dicitur Sancta, *Hebr. 13. n. 11.* sicut
Isai. 13. & à Moyse *Leuit. 10. n. 18.* Sed triplici no-
num. 22. mine insignitur 3. *Reg. 6. n. 16. Fecit inte-*
Ioel 3. *riorem domum oraculi Sactum Sanctorum*,
num. 5. propriè tamen vocabatur, & erat Sancta
Ose. 8. Sanctorum locus Sanctissimus, & San-
num. 14. ctuarium, & muro quodam separabatur à
Ezec. 41. templo, mensura habetur 3. *Reg. 6.* haben-
num. 2. bat viginti cubitos longitudinis, & vigin-
Hebr. 13. ti cubitos latitudinis. Idemque habetur
num. 11. 2. *Paralip. 3. num.* 8. Propriè igitur cum
Leu. 10. diceretur Sancta Sactorum, sanctuarium,
num. 18. aliquando pro tabernaculo, vel toto tem-
3. Reg. 6. plo sumitur, & in eo sensu existimo hoc
num. 16. in loco sumi Sanctuarium pro templo to-
3. Reg. 6. to; neque mirum si Sanctuarium appel-
num. 2. letur templum, & sumatur pro illo,
2. Par. 3. quando etiam accipitur pro loco sancto,
num. 8. & Deo dicato etiamsi non sit templum,
Iosu. 24. sicut constat ex obscuro illo loco vbi di-
num. 26. citur. *Tulit lapidem pregrandem, posuit-
que eum subter quercum, quæ erat in San-
ctuario Domini.* Vbi *Lyranus* ostendit
hunc locum nullatenus posse intelligi
de sanctuario Dei, seu de tabernaculo
Moysis, quia tunc temporis tabernacu-
lum erat positum in Silo, Iosuë autem fe-
cit ea, quæ ibi referuntur in Sichem, qui
locus benè multò distat à Silo, & ideò, in-
quit ille, sanctuarium hic potest accipi
pro synagoga, in qua conueniebant ha-
bitatores illius loci causa orationis, &
audiendi verbum Dei, quia in singulis
ciuitatibus, & vrbibus Iudæi habebant
talia loca, licet haberent vnum templum,
vel tabernaculum antequam templum es-
set factum, vbi fiebant sacrificia, sic *Ly-*

A *ranus* Rem magis enucleauit Masius ibi
dicens. Ego auguror sacrarium Domini
(sic enim ille legit) eum dici locum,
quem Abraham posita apud istâ arborem
ara, & facta re Diuina, primum in omni
Chananæa consecrauerat; eum illie lætis-
simum illum à Deo nuntium accepisset
protsus simile atque à Iacobo locus ille
est Bethel, idest, domus Dei, siue phanum
Dei nuncupatus, in quo ipse primum Di-
uina visa vidisset, & oracula audiuisset, il-
lis Abrahæ oraculis similia *Genes.* 28. Sic Gen. 28.
B ille. Cum igitur tam ampla sit significatio num. 12.
Sactuarij, etiamsi proptiissime accipiatur
pro interiori, & sacratiori parte templi,
tamen hoc in loco de more sacræ Scri-
pturæ accipitur pro toto templo, cuius
instructura iterum Deo tribuitur dictis à
nobis iam de causis.

ANNOTAT. VNICA.

Proponitur illustris, & diuturna plantatio Ecclesiæ noui Testamenti, & abrogatio veteris.

C
CVm ergo plantata fuerit firmiter à
Deo vinea illa synagogæ, *Plantabis
eos in monte hæreditatis tuæ*, ad quam
plantandum purgauit Deus terram il-
lam, *& lapides eiecit ex ea*, iuxta illud.
Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti Psal. 79.
gentes, & plantasti eam, dux itineris fui- num. 9.
*sti in conspectu eius, & plantasti radices
eius, & impleuit terram, operuit montes*
D *vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, ex-
tendit palmites suos vsque ad mare, &c.*
Vbi verba illa, *Dux itineris fuisti*, si de
itinere per desertum intelligantur, sicut
illa nostri Cantici debent intelligi; *Dux
fuisti in misericordia tua*, non satis aptè
exponentur, hic enim potius intelligen-
dum est lapides tulisse Deum, ne via radi-
cibus plantandæ arboris obstruatur, imò
in profundum agi possint, & ideò clarius
aliquanto transferretur (ait *Agellius* di-
cendo, *Viam fecisti in conspectu eius.*) La-
E pides igitur sublati sunt, eiectæ illæ gen-
tes, vt ager emundaretur, ne malarum,
& noxiarum plantarum, vitiosorumque
hominum exempla, & mores contagio
læderent: quod optimè intellexisse vide-
tur *Euseb.* ex aliquo forsan aliorum in-
terpretum Codice, vt assolet, admoni-
tus, cum habet: *Dux fuisti, omnibus
his, quæ lædere poterant ablatis, excisaque
omni aliena materia, ne impedimento*

 esset

esset quominus vitis illa fructus afferret. & subditis ijs, qui tunc temporis terram illam incolebant, nolu eam regionem attribuisti, tanquam plantis inserendis habilem firmam illam habitationem nobis fore pollicitus, vtpote qui firmis radicibus, & in profundum actis niteremur, quod sequentibus verbis magis indicat Propheta, cum ait, *Plantasti radices eius*.

Et, vt magis constet præsens ista plantatio aduertendum est, quod sicut de materiali vinea dupliciter loqui solemus, ita etiam de spirituali, etenim quando vinea B amputatur, & vritur, aut vincitur, hoc non intelligitur de terra vbi plātata est vinea, sed de vitibus; quando verò foditur, non de vitibus, sed de terra loquimur: sic & de vinea spirituali. Interdum enim accipitur pro Religione, Dei lege, & vita Religio- *Mat. 21.* sa, sicut quando, *Paterfamilias agricolis locauit vineam*, vt eam colerent, intelligitur *Cant. 1.* de cultu Dei, & legis obseruatione, sic, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui*, vbi *sermo est de Reli-* C *gione*, quando Iudæi compellebant Ecclesiam Christianam primitiuam ex Apostolis, vt obseruarent legem Iudaïcam, quod ipsa Ecclesia noluit. Interdum verò vinea supponit pro hominibus, qui tenentur obseruare Dei Religionem, vt patet ex di- *Psal. 79.* cto loco, *Vineam de Ægypto trāstulisti*, idest, Iudæos captiuos ex Ægypto ad terram promissionis transtulisti; & apud *Isaia c. 5.* *Isaiam*, *Vinea Domini Sabaoth domus Israël est, & viri Iuda*. Videndus hac de re *Origenes, tract. 18. in Matth.* Et *D. Augu-* D *stinus serm. 15. de verbis Domini*, vnde apud *Isaiam*. Dissipatur vinea, nempe ij, quibus collata fuerat, & commissa, & apud *Matth.* Traditur vinea alteri, dum Religio, quam Iudæi seruare tenebantur gentibus traditur.

Oportet tamen quis hoc in loco, quomodo ablata fuerit vinea, nempe, Religio Christiana ab iis, scilicet, Iudæis, qui eam non habebant, namque à nemine tollitur, quod non possidet? Respondetur primò ex *D. Ambros. serm. 11.* & ex E *D. Augustin. serm. 1.* à Iudæis fuisse ablatam vineam, idest, fidem, & Religionem Christianam, eo, quod ius ad illam habebant propter promissa, iuxta illud *Pauli*, *Rom. 9. num. 4.* *Israëlitæ quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*. Et in hoc sensu ab eis ablata est vinea, & data Gentilibus, quia Religio Christiana eis fuerat pro-

A missa, iuxta illud, *Vobis oportebat primum prædicari Verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, conuertimur ad gentes.* *Act. 13. num. 46.* Sit, & secunda responsio ex Eucherio, propterea fuisse ablatam vineā à Iudæis, idest, Christianam Religionem, quia ipsi apud se habebant prophetias, symbola, vmbras, & figuras, ratione quarum aliquo modo possessores Christianæ Religionis appellari possent.

Altior adhuc solutio est ex *D. August. tom. 9. lib. 5. cotra Faustum, c. 8.* Iudæos habuisse præcipuam Euangelij partem, nempe fidem, spem, & charitatem. Etenim omnes, qui in synagoga ante aduentum Christi salui fiebant, id quidem in virtute Christianæ Religionis contingebat, eo quod credebant, sperabant, & diligebant Christum venturum, & ideò non viuificabantur in virtute legis Moysis, quando ex illa cæremoniæ, & sacramenta egena erant elementa & impotentia ad conferendam gratiam, quam sola fides venturi Christi, cum debitis aliis dispositionibus, in adultis conferebat, & ideò fides illa, spes, & charitas in hoc sensu pertinebat ad legem nouam, non ad veterem. Et ideò post aduentum Christi ablatum est ab illis regnum Dei, & vinea Domini, quia sperabant, credebant, & diligebant venturum Christum, quod tum temporis salutiferum erat, post aduentum autem Messiæ Seruatoris mortiferum, & sic intelliges *Paulum. Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu, litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* *2. Cor. 3. num. 6.* Quid est litera? Lex Moysis, & hæc occidit quia, vt ait *Paulus Rom. 4.* *Rom. 4.* etiam ante Christum occidebat hoc modo, quia vt præceptis concupiscentia augetur, & admouetur homo se esse infirmum, & lex illa non dabat remedium ad complementum, & supplementum defectuum, spiritus autem Christi, idest, fides & gratia eius viuificabat eos, qui ex ea lege saluabantur, quod dixit *Ioan. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* In hoc igitur sensu ablata est à Iudæis vinea, idest, Religio Christiana, in quo etiam sensu intellige illud, *Qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo, & qui habet dabitur, & abundabit.* *Mat. 13. num. 13.* Quo modo enim fieri potest, vt illi qui non habet, auferatur id, quod non habet, intelligitur de Iudæo, qui adhuc credit prophana fide Christum venturum, quæ ante aduentum Christiana erat, & ideò in fide habebat Christum, modo verò iam non habet, quia amisit

amisit veram fidem. Et ideo ab eo aufertur A fides, & meritum, quod antea habebat & datur Gentili credenti aduentum Christi, ratione cuius fidei, gratia, & meritum illi augetur, & ideò magis abundat dum talem fidem exercet, & in charitate in dies crescit, & de huiusmodi ablatione
Cant.7. num.11. vineæ est mirabilis locus. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* *Cassiodorus* ibi per agrum incultam Gentilitatem intelligit. B Nemo, inquit, scit quia ager Græcè pagos, Latinè villa, dicitur, vnde Pagani dicti, vnde commorari in villis, est adire paganos. relinquendo vineam Iudaicam. Florere vineam est dare spem conuersionis Mala punica, Respublicæ: Iam igitur inuitatur sponsus ad considerandos agros Gentilitatis, quibus commissa fuerat vinea, & Religio Dei in quibus quia floruit, & flores fructus parturierunt, rectè sequitur, *Mandragora dederunt odorem*
Gen.30. num.14. *in portis nostris*, idest, in Iudæa, & sine du- C bio dictum videtur cum allusione ad mandragoras Rubem, quarum odorem statim, vt sensit Rachel eas abstulit è manibus Liæ, nec de dilecto marito curauit dummodo mandragoris poriretur, maiori feruens desiderio illarum, quam cuiusuis alterius rei, eodem igitur modo & synagoga vt vidit sibi ablatam vineam inuidia tabescens quasi mandragoras sensisset, ablatam sibi Religionem lamentabatur, & ereptam vineam, qua de re videndus *Ambrosius in cap.9. Epist. ad Rom.* & D *Orig. tract.9. in Matth.* cùm ponderat verba illa. *Auferetur à vobis regnum Dei, &*
Mat.21. num.43. *dabitur genti facienti fructus eius.* Expendit enim non solum datum fuisse regnum, sed gratis, & sine meritò, quod in maius Iudæorum tormentum cedit, fuisse concessum: Hoc argumẽtum etiam prosequitur *D. Ambr. lib.2. de vocatione gentiũ, c.1.* vbi inter alia ait. Datur vnicuiq; sine merito, vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. E Quãuis omnia bona dona sint Dei à Deo, tamen quædam etiam non petita tribuuntur: vt per ipsa, quæ accepta sunt, ea quæ nondum sunt donata quærantur, &c.

His igitur positis iam clarius res innotescet de plantatione Iudæorum, & transplantatione Gentium, siue potius Ecclesiæ apud vnam, & alteras gentes. Etenim cum plantatio, de qua in nostro textu sermo est, Dei fuerit, firmissima esse debebat. Etenim Christus Dominus dixit, *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur*, quasi à contrario sensu minimè eradicanda esset illa plantatio, quam plantaret Pater cælestis. Mat.15. num.13.
At verò nos videmus Hebræorum gentem, inde prorsus eradicatam, & sedibus suis exactam toto orbe vagari instabilem, *Sine Rege, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, & sine Theraphim*, vt prædictum Osee 3. num.4.
fuerat. Ipsum etiam templum, & vrbs, quæ videbantur conspicientibus æterna, neque aliam, quam quem mundus habuisset, habitura finem, propterea namq; cum Christus Dominus dixerit templum, & vrbem funditus euertenda. *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis non relinquetur hic* Mat.24. num.2.
lapis super lapidem, qui non destruatur. Discipuli putauerunt Magistrum loqui, de consummatione sæculi dicentes: *Dic nobis quando hæc erunt? Et quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* Quia existimarunt vtriusq; rei fine, mundi scilicet, & templi, ac ciuitatis esse coniunctum, tamen capta ciuitas non tantum inflammata, sed solo tenus prostrata, sicut prædixerat Dominus, dum flens miserabilem vrbis casum inter alia, hæc prolocutus addit: *Et in terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem*, & cum templi lapides, ingentes admodum similes plumbo, ferróque connexi adeò essent, vt impossibilis planè eius videretur demolitio, adeò tamen collapsum, contritum, atque conuulsum fuit cum cæteris immensæ molis ædificiis, vt nec ipsius saltem vestigia, quod illic aliquando fuissent, reliqua viderentur, sicut nec reliquiæ ciuitatis, cuius tantum pars muri ad castrorum munitionem relicta esset, tribúsque solummodo permanentibus turribus, quæ essent quasi Indices, vt qualis Hierosolyma tunc fuisset nescientibus demonstraretur, quod *Iosephus lib.7. de bello Iud. cap.18.* sic prosequitur, Postquam verò quos occideret, quidve taperet non habebat exercitus, quod iratis animis omnia deerant, (neque enim parcendo, si esset quod agerent abstinuissent) iubet eos Cæsar totam funditus iam eruere ciuitatem, ac templum, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaselo, & Hippico, & Mariamne, murique tanto, quantum ciuitatem ab Occidente cingebat; id quidem vt esset castrum illic custodiæ causa relinqueretis: turres autem vt posteris indicarent, Luc.19. num.44.

rent, qualem ciuitatem, quámvis munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Alium verò totum ambitum ciuitatis ita complanauere diruentes, vt qui ad eam accessissent habitatam aliquando esse vix crederent, ipsum verò templum & vrbs hodie sunt tantum campi, vbi Troia fuit. Locus igitur ex *Matth.* cui obiectio proposita innititur, intelligitur de longè diuersa plantatione, cuius scopum nobis attigisse videtur *Franciscus Lucas*, cum ibi ait. Homines quidem omnes à Deo creati; & plantati sunt in hoc mundo, sed
B quia primæua hæc plantatio cum diaboli inuidia, tum hominis culpa vitiata est, necesse est illam noua à Deo plantatione, & insitione emendari, quibus quæ non contingit, non censentur illi à Deo plantati, eo quod vitiositas illa, quæ primææ illi plantationi mox accessit, nec est à Deo, nec perseuerat in eis multum etiam aucta ætate. Itaque plantati propriè à Deo Patre dicuntur, qui gratuita eius adoptione in arborem vitæ Christum, absque quo non est salus; insiti sunt. Hoc sensu
C
Isaia 60. num. 21. Deus Pater *Isaia 60.* populum Ecclesiæ, Christi gratia renouatæ, vocat *germen plantationis meæ*. Hi soli sunt arbores bonæ, & proferunt fructus dignos perpetua vitæ: reliqui, vt non censentur à Deo plantati, ita nec proferunt fructus vita dignos, imò morte arbores steriles, putres, spuriæ, malæ. Sic ille ostendit longè diuersam plantationem illam ab hac de qua in præsenti est sermo.

Semper enim fatẽdum est firmissimam illam plantationem Israëliticæ vineæ sub
D conditione, & lege fuisse, vt eatenus immobilis; & firmis radicibus permaneret, quamdiu legem à Deo sibi traditam ritè,
Leuitic. 20. n. 22. & rectè obseruaret, vt patet ex *Leuit.* 20. vbi dicitur. *Custodite leges meas, atque iudicia, & facite ea, ne & vos euomat terra, quam intraturi estis, & habitaturi*: vbi per verbum, *euomendi*, electionem debemus intelligere, sicut ibi, *Glossa interlinealis* aduertit, cum habet, eiiciat sicut gentes, & *Caie[illegible]* ibi à pœna eiectionis ex terra
E promissa monet primum obedire diuinis præceptis. Similiáque ferè habet *Oleast.* Sic etiam Deus apud *Hier.* 7. loquens in templo, & de templo, in quo Iudæi ma-
Ierem. 7. num. 3. ximè confidebant, ait: *Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habito vobiscum in loco isto.* Vbi *Maldonat.* quasi dicat alioqui non habitabo: quæ omnia & multa alia ostendunt Deum ea conditione & lege concessisse Iudæis terram, & templum,

A vt ipsi seruatores existerent Diuinorum mandatorum, aliter nullatenus possessuros terram, & eiiciendos à templo. Conditionem igitur Iudæi non implevere, vt innumeris eorum peccatis, & legis transgressionis, & crebra idololatria, & scelere omnium grauissimo nece scilicet Messiæ, constat, vnde meritò sunt eradicati ex regione illa, quod prædixit *Isai. c.* 1. *Terra vestra deserta, ciuitates vestra succensa igni, Regionem vestram alieni*, idest, Chaldæi, & nunc Turcæ deuorant, *& desolabitur sicut* Isaia 1. num. 7.
B *in vastitate hostili*, vbi aduerbium, *sicut*, non similitudinem, sed proprietatem denotat, *Et derelinquetur filia Sion*, idest, totam Hierusalem, *vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Propius autem ad rem accedẽs *Hieremias* ait. *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Vbi *Paraphrastes* addit, Thren. 1. num. 8. *peccatum grande*, quod non de sola idololatria intelligitur, sed de morte Messiæ Seruatoris, licet enim propter idololatriam, gens illa, à sede propria translata
C vagari coacta sit, & exularet, exilium tamen breue fuit, & in vnum regnum, ac propè vnam ciuitatem, idest, Babyloniam: posterius tamen exilium quod propter illud grande peccatum incurrit diuturnum, & perpetuum est, nempe vsque ad consummationem sæculi, iuxta illud *Pauli, Peruenit in illos ira Dei vsque in finem*, vbi 1. Thess. 2. n. 16. sermo est de iis, qui Christum Dominum occiderunt, & idemmet Dominus de Iudæis, ait: *Cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes.* Instabilitas ita- Leuitic. 21. n. 24.
D que illa, & eiectio non in vnam tantummodo facta est regionem, sed in omnes sicut prædixerat idem *Hierem. c.* 34. dicens: *Dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.* Et *Deut.* 28. *Vt dispergaris per omnia regna terræ.* Videndus pro hac re Ierem. 34. n. 17. Deuter. 28. n. 25. *Lactantius lib.* 4. *de vera sapientia*, vbi duos affert Scripturæ locos, qui in nostris codicibus iam ita ad verbum non habentur, priorem ex 3. *Regum* 9. quem ita allegat, sed & Salomon, inquit, filius eius qui Hierosolymam condidit eam ipsam
E perituram esse, in vltionem sanctæ Crucis prophetauit? *Quod si auertimini, à* 3. Reg. 9. *me*, dicit Dominus, *& non custodieritis veritatem meam, reyciam Israël à terra quam dedi illis: & domum hanc, quam ædificaui illis in nomine meo, proyciam illam omnibus, & erit Israël in perditionem, & in opprobrium populo, & domus hæc erit deserta: & omnis qui transibit per illam admirabitur, & dicet: propter quam rẽ fecit Dominus*

terra

terra huic,& huic domui hæc mala? Et dicent, quia reliquerunt Dominum Deum suum, & persecuti sunt Regem suum dilectissimum Deo, & cruciauerunt illum in humilitate magna: propter hoc importauit illis Deus mala hæc. Posteriorem verò lo-
1. Esd.6. cum ex *lib.1. Esdræ cap.6.* his verbis affert, fore autem vt Iudæi manus inferrent Deo suo,cumque interficerent testimonia Prophetarũ hæc antecesserunt. Apud Esdram ita scriptum est, *Et dicit Esdras ad populum. Hoc Pascha Saluator noster est, & refugium nostrum, cogitate, & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in ligno: & post hæc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in æternum tempus dixit Dominus Deus virtutum: si non credideritis ei, neque audieritis annuntiationem eius, eritis derisio in gentibus.* Vnde apparet Iudæos nullam aliam spem habere nisi se abluerint à sanguine,ac sperauerint in eum ipsum, quem negauerunt Sic ille.

Et certè hunc locum Esdræ, testatur *Iustinus in dialogo contra Tryphonem*, à Iudæis fuisse abrasum ex lectione Græca, iuxta L X X Interpretes neque Tryphon negare factum poterat. Dissipata est itaque domus illa humiter ædificata, & dispersa vinea à Deo plãtata,propterea quod missos à Domino seruos, nẽpe prophetas Iudæi occiderunt, & tandem cum ad eos veniret filius insurgentes in eum dixerunt: *Hic est hæres, venite occidamus eum,& habebimus hæreditatem eius,*quam causam Sancti Patres assignarunt, etenim
Matt.23. num. 38. *D.Hieron.in cap.23.Matth.tom.9. ait.* Deserta domum, idest, templum illud, quod fulgebat augustius oculis comprobamus: quia habitatorem Christum perdidit, hæreditatem præripere gestiens, occidit hæredem. Sic ille, qui multo elegantius rem hanc est prosecutus *epistola ad Dardanum in fine tom.3.* sic verò habet: *Multa Iudæa scelera commisisti, cunctis circa te seruisti nationibus,ob quod factum? Vtique propter idololatriam. Cumque seruisses crebro, misertus tui est Deus: & misit iudices, & saluatores, qui te de famulatu Moabitarum, & Ammonitarum, Philistij quoque, & diuersarum gentium liberarunt:nouissimè sub Regibus offendisti Deum: & omnis tua Prouincia,gente Babylonia vastante, deleta est. Per 70.annos templi solitudo permansit. A Cyro Persarum est laxata captiuitas, Esdras quoque hoc & Nehemias plenissimè referunt. Extructum est templum sub Dario Rege Per-*

A *sarum, atque Medorum à Zorobabel filio Salatiel, & Iesu filio Iosedech Sacerdote magno. Quæ passi sitis à Medis, Ægyptijs Macedonibusq; no enumero. Nec tibi adducam in memoriam Antiochum Epiphanem crudelissimum omnium tyrannorum, nec Gneum Pompeium, Gabonium, Scaurum, Varum, Cassium, Sociumque replicabo,qui tuis vrbibus, & præcipuè Hierosolyma insultauere. Ad extremum sub Vespasiano,& Tyto vrbs capta, templum subuersum est. Deinde ciuitatis vsque ad Adrianum Prin-*
B *cipem: per quinquaginta annos mansere reliquiæ. Post euersionem templi paulominus per quadringentos annos, & vrbis, & templi ruina permanent. Ob quod tantum facinus? Certe non colis idola, sed etiam seruus Persis, atque Romanis, & captiuitatis pressus iugo, ignoras alienos Deos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui oblitus est:nunc per tanta spatia temporum miserijs tuis non adducitur, vt soluat captiuitatem, & vt verius dicam, expectatum tibi mittat Antichristum? Ob*
C *quod inquam facinus: & tam execrabile scelus auertit à te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum: sanguis eius super nos, & super filios nostros,* Matt. Matt.27.
27. Et *Venite occidamus eum, & nostra* num. 25.
erit hæreditas, Matth.21. *Et non habemus* Matt.21.
Regem nisi Cæsarem Ioan.19. *Habe quod* num. 38.
elegisti: vsque ad finem mundi seruiturus Ioan. 19.
est Cæsari, Donec gentium introeat pleni- num. 15.
*tudo, & sic omnis Israël saluus fiat. Vt qui quondam erat in capite, vertatur in caudam:*tantum ille.

D Prosequitur idem argumentum *Augustinus in Psalm.*84. vbi *Auertisti captiuitatem Iacob,*dicens. Data est populo illi. Psal. 84.
Hanc ergo terram cum accepisset ab hostibus suis vicinis circumquaque inimicantibus multas molestias patiebatur: & cum peccabat in Deum suum, dabatur in captiuitatem,non ad interitum,sed ad disciplinam,non damnante patre,sed flagellante, & cum obsessa esset liberabatur: & aliquoties captiuata est, & liberata est illa gens: admodum in captiuitate est, &
E hoc pro peccato magno, quod Dominum suum crucifixit.

Videndus hac de re *Rabbi Samuel Marrochianus lib.de aduentu Messiæ*, per tria priora capita, qui habetur *tom.4. Bibliot. Patrum*, vbi latè ostendit propter Filij sui crudelem necem, tam grauiter Deum animaduertisse in Iudæos, cum olim propter idololatriam etiamsi acerba supplicia intulerit, eisdem tamen finem imponebat.

imponebat. Sic verò concludit *capite* 3. A *prædicti libri*. Illa prima ira Dei fuit breuis, quia ſeptuaginta annorum: Iſta in qua ſumus eſt longa, iam mille annorum, & vltra, & non inuenitur ei terminus in Prophetis, quare conſtat, quod nos ſumus in maiori peccato, quam Patres noſtri fuerint in Babylonia, & patet quod illi propter mortem Prophetarum, & quia idola coluerunt fuerunt tantum ſeptuaginta annis in captiuitate, & nos propter magnum peccatum, & maximum ſumus captiui. Hæc captiuitas, Domine mi, ſine B dubio eſt illa, Deus per os Prophetæ vocat deſolationem cum dicit *nu.vlt. Vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio*. Prima captiuitas vocatur transmigratio, quia poſt modicum tempus fuerunt reducti cum honore in Hieruſalem, ſed hæc vocatur deſolatio perpetua, in qua pro certo non miſerebitur noſtri, ſicut miſerebatur Patrum noſtrorum in Babylonia, excepto quod conſolabatur eos per Prophetas, qui promittebant illis liberationem, & erant omnes ſimul, no- C bis autem nihil promittitur, & inſuper diſperſit nos per vniuerſa regna mundi.

Dan. 9. num. vlt.

Proſequitur hoc argumẽtum *Gregentius Archiepiſcopus Leprenenſis eodem tem. Ibidẽt. in dialogo, ſeu diſputatione cum Herbano Iudæo*. Et certè notatu digniſſimum eſt, quod ſi quis attendat Iudaicæ Religionis illius temporis cultum, cumque cum retroactis temporibus conferat, reuera inueniet in his, quæ ad externa pietatis officia ſpectabant Iudæos tunc Religioſiores ſuis maioribus, & præſtan- D tiores fuiſſe, etenim cum grauius in illa gente, & frequentius malum fuerit idololatria, tunc ne leui quidem illius impietatis macula fœdati ſunt, nec aliqua vmbra infecti, etenim apud eos, nobiliſſimos iuuenes, vitæ diſpendio, & ſæuiſſima morte ſuſcepta aquilam auream quam foribus templi Herodes affixerat inuenimus detraxiſſe, ac ſecuribus concidiſſe, ſicut refert *Ioſeph. lib. 17. de bello cap.* 8.

Maxima deinde conſtantia Pilato reſtiterunt, qui non in templo, ſed in ſuo E palatio ſcuta eadem, quæ ſine imaginibus in regia ipſa tantum, domicilio Præſidum, dedicaturus erat, vt patet ex *Philone lib. de legatione ad Caium*. Magno inſuper ardore Vitellium Syriæ Præſidem, re cum exercitu Romano, quod haberet militaria inſignia imaginibus ornata per Iudæorum regionem tranſiret (quod nefas eſſe ducerent in terra Sancta quauis occaſione imagines inſpici) ſunt deprecati, teſte eodem *Ioſepho lib. 18. de bello, capite* 7.

Summa animi fortitudine Caio Imperatori tum in Ægypto, tum in Iudæa reſtiterunt magnáſque clades ſubierunt, cum ipſi ſoli in vniuerſo orbe Romano ipſum Caium Deum dicere nollet, quod ſatis ſupérque Philoſcripto ea de re commentario declarauit, quas pugnas, quæue ſubierint pericula cum Cæſarienſibus, atque Dorenſibus, non patientes vel ſumo idololatriæ pollui teſtatur *Ioſepho lib. 19. capite* 6.

Quam inſuper acerrimi fuerint violatæ Religionis vltores Cumana tempora teſtata ſunt, apud eundem *lib. 20. antiquit. cap. 4. & 5.* quot Religionis ſeruandæ cauſa diuerſis temporibus inſigniores Romam ad imperatores legauerint haud erit facilè recenſere. Quam etiam obſeruantes fuerint legis patriæ, vel ex eo poteſt ſaltem quiſque deligere, quod patria lingua loquentes execrarentur eos, qui gentibus, vel ſaltem idiomate cõmunicarent.

Id quod magis mirari quis debet illo ipſo anno, quo & vrbs, & templum funditus ſunt euerſa, cum Romanorum hoſtilis ageret in Paleſtina aduerſus Iudæos armatus exercitus, cúmque à ſeditioſis trifariam inter ſe diuiſis, immaniſſimis cladibus ciuitas vrgeretur, cúmque depopularetur crudeliſſima fames, nihilominus hoc ipſo anno, imo eo ipſo tempore, perinde ac ſi ſumma eſſet rerum tranquillitas, & affatim abundaret annona, nihil prorſus remittentes Religionis, & Dei cultus omnes ex more ex diuerſis orbis regionibus ad celebrandum Paſcha ſe Hieroſolymam contulerunt, imo & concluſerunt; nam de mortuis, & captiuis, referente *Ioſeph. lib. 7. belli Iud. cap.* 17. captiuorum omnium, qui toto bello comprehenſi ſunt nonaginta & ſeptem millium comprehenſus eſt numerus: mortuorum vero per omne tempus obſidionis vndecies centum millia, ab omnibus enim regionibus ad Azymorum diem feſtum congregati bello ſubito circumfuſi ſunt: vbi primo quidem illis peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, deinde citius fames. Sic ille.

Ex quibus colliges non fuiſſe punitos Iudæos à Deo ob idololatriam, cuius rei cauſa captiuitatem Babylonicam & alia grauiſſima olim paſſa ſunt mala, cum à nullo magis, quam ab hoc Iudæi tunc temporis abhorruiſſent peccato.

Colliges

A Colliges insuper iniqua lance *Iosephum lib.7. c. 17.* expendisse iudicium Diuinæ vindictæ, dum voluit recentioribus factiosorum quorundam Iudæorum sceleribus innocentes omnes, quotquot ex diuersis orbis partibus ad diem festum venissent talia passos esse, & quotquot insuper post illos ex eodem germine nasci-turi essent, omnium dirissimam experituros esse vindictam, cum apertè constet aliud omnium grauissimum interuenisse peccatum, nempè mortem Filij Dei, qui cum perduceretur ad crucem, & mulieres B ipsum lamentantes pro commiseratione
Luc. 23. vidisset ait *Filia Hierusalem nolite flere*
num. 28. *super me, sed super vos ipsas flete, & su-*
Luc. 22. *per filios vestros, &c.* Et *cap.21. Luc. Cum*
num. 20. *videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tum scitote quia appropinquauit desolatio eius, & Hierusalem calcabitur à gentibus, &c.* Recolenda insuper sunt quæ
Psal. 58. habet, *Augustinus in Psalm. 58. concione. l.* ad finem ibi, *Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ*, sic enim ait. Istos inimicos meos, ipsos qui me occiderunt, C noli tu occidere: maneat gens Iudæorum, certè victa est à Romanis, certè deleta est ciuitas eorum, non admittuntur ad ciuitatem suam Iudæi, & tamen Iudæi sunt, nam omnes istæ Prouinciæ à Romanis subiugatæ sunt. Quisnam non cognoscit gentes subiectas imperio Romano? Quæ quidem erant quando omnes Romani facti sunt, & omnes Romani dicuntur? Iudæi tamen manent cum signo: nec sic victi sunt, vt à victoribus absorberentur.
Genes. 4. Non sine causa Cain ille est, qui cum D
num. 15. fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum ne quis eum occideret. Hoc est signum, quod habent Iudæi: tenent omnino reliquias legis suæ, circumciduntur, obseruant Pascha, immolant, azyma comedunt. Sunt ergo Iudæi, non sunt occisi, necessarij sunt credentibus gentibus: quare hoc? Vt demonstret nobis inimicis nostris misericordiam suam, *Deus meus demonstrauit mihi in inimicis meis*, in ramis superbiæ præcisis, inserto misericordiam suam demonstrauit Oleastro. Ecce E vbi iacent, qui superbi erant, ecce vbi insertus es, qui nunc iacebas, & tu noli su-
Rom. 11. perbire; ne præcidi merearis, *Deus meus*
num. 24. *ne occideris eos, disperge eos in virtute tua.* Iam factum est per omnes gentes, dispersi sunt Iudæi testes iniquitatis suæ, & veritatis vestræ. Ipsi habent Codices de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si fortè, quia aliquis paganus dubitauerit de Codicibus Iudæorum probamus. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos. Sic ille. Qui maximè notandus est, dum asserit omnes gentes à Romanis subactas Romanorum nomen fuisse sortitas, solos Iudæos separatos remansisse, etenim illud etiam *Iosephus Iudæus* testatur cum ait; Romanorum clementia cunctis non paruulum dominij appellationis suæ concessit, non solum viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi. Hispani denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini Romani vocantur. Sic *Iosephus*.

Iudæi verò vbicumque locorum sint, Iudæi semper nominari habentur, nec vnquam Romano dignati sunt nomine, nec tantum nomine, quod planè tetrum Imperátor. *l.19. de Iud. Cod. Theod.* appellat, sed aliis innumeris planè signis quibuscumque sæculis Iudæi sunt notati, qui propè qui à malitia, Magistratibus, aliisque publicis officiis, & iis quæ aliis compluribus nationibus, licet barbaris concessa fuerunt priuilegiis, reperiuntur fuisse discreti: nec vulgaris illis perpetuæ infamiæ inusta nota videtur, cum eorum corporibus, tam grauis fœtor inhæserit, vt ex eo nomen sint assecuti, quod fœtentes Iudæi dicerentur. Vnde *Ammian. Marcellin. lib.2. de Marco Imperatore* scribit. Ille cum in Palæstinam transiret Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpè tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O Marcomani: ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores Nineui.

Gens igitur Iudæorum exuta templo, sacrificiis, & ciuitate per diuersas orbis partes (vt olim Cain, quod interfecisset fratrem suum vagus factus est, & profugus super terram) semper aberrans cunctis nationibus reddita abominabilis. Vnde *Rutilius Clementianus in itinerar. teste Baron. anno Christi 72. ad finem, & Maluendus lib. 11. de Antichristo cap. 3.*

Atque vtinam nunquam Iudæa subacta
fuisset
Pompei bellis, imperióque Titi,
Latius excisa pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Et Prudentius in Apoph. contra Iudæos.

Extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas, tua membra
feruntur,
Exiliis vagus huc, illuc fluitantibus
errat;

Iudæus postquam patria de sede reuulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique negati,
Sanguine respersus, commissa piacula soluit.
En quo priscorum virtus defluxit auorum.

Videndus idem *August. in Psal.* 39. vbi ait: Cain maior frater, qui occidit minorem fratrem accepit signum, ne quis eum occideret, proinde & ipsa gẽs Iudæa sic mansit cum suo signo, cum signo circumcisionis, cum signo azymorum, sic mansit, non est occisus Cain, non est occisus, habet signum suũ.

Genes. 4. num. 11. *Maledictus est à terra, quæ aperuit os suum excipere sãguinem fratris eius de manu eius.* Ille enim fudit sanguinem, non excepit, ille fudit, alia terra excepit, & ab illa terra, quæ os apeuit, & excepit, ille maledictus est, & ipsa terra, quæ ore excepit sanguinem, Ecclesia est. Ab hac ergo ille maledictus est, & ille sãguis clamat, sed surdus est, qui sanguinem fudit, quia non bibit, illi ergo ita sunt, tanquam Cain cum signo. Sacrificia verò, quæ ibi fiebant ablata sunt, & quod eius remansit ad signum Cain, iam perfectum est, & nesciunt. Agnum occidunt, azyma comedunt;

1. Cor. 5. num. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, Ecce agnosco agnum occisum, quia immolatus est Christus, &c. Vbi notandum venit id, quod obseruauit *D. Chrysost. homil. de Iuda proditore*, ipsos scilicet Iudæos adhuc obseruare cæremonias legis, postquam, & lex abolita est, & templum omnino deletum:

Psa. 136. num. 4. *Et qui olim canticum Domini in alieno solo nullatenus cãtare decreuerant*, modò verò non cantica solum, sed, & paschalia, quæ Deus, in solo templo celebrari iusserat per summã impudentiam peragere. Sic enim habet. Responde mihi Iudæe quã frõte celebras Pascha? templum euersum est, ara confracta, conculcata sunt Sancta Sanctorum, omne sublatũ est sacrificium, & tu nimia temeritate committis illicita? Ingressus fuisti aliquando Babylonem, & captiuantes te

Psa. 139. num. 3: dicentes audisti, *Cantate nobis Canticum* E *Domini*, & non obtemperabas. Hæc ostendens Dauid dicebat: *Super flumina Babylonis, ibi sedimus, & fleuimus in salicibus in medio eius, ibi suspendimus organa nostra.* Cytharam, Psalterium, & lyram, &c. Hic enim Iudæi vtebantur, & psalmos illorum sono coniuncto cantabant. Et hæc sua in captiuitate portabant, non ad vsum consuetum, sed vt conuersationis patriæ

A monimenta retinerent Nam ait, *ibi interrogauerunt nos, qui captiuauerunt nos verba cantionum.* Diximus quidem, cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quid agis? Canticum Domini non cantas in terra aliena, & Pascha Domini celebras in terra aliena? Vidisti contumaciam, vidisti dementiam, vidisti mentis insaniam? Quando præceptis hostium cogebantur, nec psalmum dicere ausi sunt in terra aliena, & tunc nullo cogente, suo arbitrio, propria voluntate, contra Deum

B præparant bellum. Vides, quod immunda sunt eorum azyma, quod illicita festiuitas, quod non Pascha Iudaicum, sed exemptum, & euacuatum est Paschæ spiritualis aduentu, quod Christus tradidit. Sic *Chrysostomus* ostendit qualiter abolita sint omnia, quæ ad legem veterem pertinebant postquam, & templum radicitus excisum, est, & vrbs omnino deleta. Etenim si Iudæis non licet sacrificare absque sacro igni, quem olim Deus è sursum misit, & in altari semper conseruati ius-

C sit, & à Sacerdotibus subiicientibus ligna iugiter nutriri, vnde, & dixit: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*, & ne tandem deficeret Ieremias & Leuit. 9. num. 13.
Sacerdotes, *Sumptum de altari absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus*, quando in Persidem ducebantur Mac. 12. num. 19.
Iudæi captiui, *Qui ignis mutatus est in aquam crassam, & post regressum è Babylone, & extracta aqua è puteo, & sparsa super sacrificium reaccensus est ignis magnus*, modo cum nullibi sit ignis ille ser-

D uatus, in quo sacrificant Iudæi? Cum vel hinc liceret eis inferre pariter cum igne extincta esse sacrificia legis veteris, & ad concremandos tantummodo incredulos Iudæos relictum esse ignem in terris.

Videndus *August. in Psal.* 88. ibi, *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam*, omnes scilicet gentes, inquit ille per viam, hoc est per vitam istam transeuntes diripuerunt Israël, diripuerunt Dauid. Primum videte frustra eius in omnibus gen- Psal. 88. num. 43.

E tibus, merito victus, merito captus, merito à regno suo alienatus, merito dispersus, eam enim tertam perdidit, pro qua Dominum occidit, &c.

Videndus *Chrysost. homil.* 3. *de mysteriis Cænæ, tom.* 3. vbi ponderat diram in seipsos imprecationem illam Iudæorum, qui coram Pilato dixerũt, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Sic enim habet: O quam benè furor cæcus est, quam Mat. 27. num. 25.

digno

digno præcipitio iactotis in insaniam, quam excæcatio est pertinacissimæ mentis, sic velle alium perdere, vt prior malis ipsa perire? Sub alieno exitio tuos impia iugulas, & in tuam sobolem parricidalem vibras dexteram. Ecce currit per tui generis prosapiam nunquam expiandi vena facinoris, & cum crimine radicis suæ pullulant iniqua plantaria, egreditur ex metallo vteri sui tam cruenta progenies: & infecta sanguine vescitur infausta posteritas: en quæ bona ad hæredes tuos quodam sacrilegij testamento transmittis: B macula sanguinis innocentis te perfundis, & posteros perimis: pertinaciter quidem in mortem nostri Redemptoris insistis: sed crudeliter tuos natos mucrone impietatis extinguis: quære iam cui possis videri non noxa, quæ erga filios tuos extitisti pertinax particida?

Similia habet *D. Hier.* ibi dicens optimam hæreditatem Iudæi filiis reliquerũt dicentes, *Sanguis eius super nos*, perseuerat vsque in præsentem diem hæc imprecatio super Iudæos, &c. vbi notandum profectò C venit, quod mare rubrum venit super Ægyptios, eósque penitus obruit, & dissipauit, vt superius sumus prosecuti, sic Christi sanguis super Iudæos venit, eorúmque Redemptor eos obruit, & subuertit. Sic olim Deus per Moysem dixit Filiis Israël. *Erit sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.* At verò postquam Iudæi veri agni sanguinem effuderunt immaniter cecidit super eos ipsos, cum pariter Res- D publica dissipans & obruens.

Exod.12. num. 13.

Appendit olim fidelis Rahab *funiculum coccineum in fenestra*, vt mortis discrimen euaderet, domúsque ipsius integra remaneret, *Iosue* 2. suspendit infidelis synagoga in cruce Filium Dei, purpurámque illam Regiam, humanitatem scilicet, qua diuinitus tegebatur, cuíque in verbo substantialiter erat vnita, non, vt mortem effugeret, sed, vt incurreret, non vt ipsorum habitatio, templum, & Respublica seruaretur, sed potius, vt funditus obrueretur, E & in cineres redigeretur, aspergimur nos fideles hyssopo sanguinis Filij Dei, vt renascamur, vt abluamur: & in æterna tabernacula recipiamur, disperguntur, dissipantur, & penitus intereunt Iudæi, & ipsorum Respublica ad effusionem crudelem, & imprecationem diram pretiosi sanguinis.

Iosuë 2. num. 18.

Nónne meministis figuræ illius in Apo- A logo, quem Sichimitis proposuit filius Gedeonis, *Iud.* 9. vbi Rhamnus cæteris lignis dixit: *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite, si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno & deuoret cedros Libani*: Ergone syluæ quidem, horridiórque naturæ facies medicinis carent, ait, *Plin. libr.* 24. *capit.* 1. Nihílque tam asperum, & noxium à quo non dulce, ac vtile aliquid; proinde è Rhamno in præsens argumentum aliquid ornamẽti sumamus necesse est, quod rem B non vtcúmque ostendat: etenim verba illa, *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite.* Nos excitant, vt locum de vero Rege Messia interpretemur; nã sub capite nostro quod Rhamno aculeata coronatum habemus, requiem animabus vestris, & quærere, & sperare debemus, non sub rosis, vt illi, quorum hæc mutua cohortatio: *Coronemus nos rosis antequam marcescant*, quanta namque eorum multitudo; qui spinosis aculeis minimè absterriti ad rhãnum in Christi capite, vt ad Regem suum C confugerunt, stationemque iucundissimam, etiam inter medias spinas repererunt: enim verò hoc diadema ex rhamno, sunt ait *Clement. Alexand.* citatus à *Grethsero libr.* 1. *de cruce*, *cap.* 12. Inimicum iis, qui insidiantur, eos prohibet, iis autem, qui in Ecclesia similiter versantur amicum eos circunsepit, & munit, & cum sit flos eorum, qui crediderunt in eum, qui glorificatus est, cruentat, & castigat eos, qui non crediderunt, nam iux- D ta votum rhamni, inquit citatus Grethserus, *ignis ex Rhamno*, hoc est, ex Christo coronaro egreditur, *qui omnes cedros Libani consumet*, etenim Ierusalem aliquando Libanus vocatur, eius verò cultores deuorauit ignis, & absumpsit, eo quod noluerunt Iudæi Christum super se regnare, sed Cæsarem, & quia Christum paruipendentes pluris fecerunt Cæsarem, ab eodem Christo pro sibi contemptu venditi sunt, vt pretiosiorem sibi populum vendicaret, nec mirum si tanquam E mancipia venundati sunt, qui vili pretio à Iuda occidendum Filium Dei acceperunt. Quibus rectè dicitur. *Ecce peccatis vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram*, hoc itaque genere venditus populus Iudæorum, emptus est populus Christianus, ille peccatis venditus, hic emptus sanguine, &c.

Iud. 9. num. 15.

Sapien. 2. num. 8.

Isai. 50. num. 1.

Hoc prosequitur *D. August. in Psal.* 40. ibi *Benedictus Dominus Deus Israël.* Ille

Deus Israël, inquit *August.* est Deus noster, Deus Iacob, Deus minoris filij, Deus minoris populi, &c. Similia habet idem *August. Psal.* 58. ibi *Lingua eorum gladius acutus.* Noli attendere, ait ille, inermes manus, sed os armatum: inde gladius processit, quo Christus occideretur, quomodo & de ore Christi, vnde & Iudæi occiderentur. Habet enim ille gladium bis acutum, occidentis, & exurgentis, & resurgens percussit eos, & diuisit ab eis, quos faceret fideles suos. Vbi sunt *dentes eorum arma & sagittæ?* Nonne *sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum?* Alio enim loco *Psal.* 63. volens eos ostendere inaniter sæuiisse, & inaniter in furias præcipitatos esse, quoniam nihil potuerunt facere Christo ad horam crucifixo, & postea resurgenti, atque in cælo sedenti, *Foderunt ante faciem meam foueam, & ipsi inciderunt in eam.* Mihi nocuerunt an sibi? Ecce ille exaltatus est super cælos Deus, & ecce super omnem terram gloria ipsius. Regnum Christi videmus, vbi est regnum Iudæorum? Quoniam ergo fecerunt quod facere non debuerunt, factum est in illos quod pati debuerunt: *Ipsi foderunt foueam, & ipsi inciderunt in eam.* Quod enim persecuti sunt Christum, Christo non obfuit, sed ipsis obfuit.

Apoc. 1. num. 16.

Psal. 63. num. 8.

Nec omittendus hoc in loco *Ambros. serm.* 14. *in Psal.* 118. vbi affert rationem commutationis Iudaici populi in Christianum, & prælationis istius ad illum, notandum tamen est quod populus Israël Filius Dei senior erat, populus verò Gentilis iunior, & ob illius perfidiam, & in Patrem ingratam immanitatem, iunior factus est senior & seniori prælatus, illi enim tanquam seniori caligauerunt oculi, ne lumen ad reuelationem gentium videret, imò lucem odio habens tenebras quæsiuit, & in eisdem permansit vsque in æternum. Adimpletum proinde est id, quod dixit Iacob Iosepho filio suo, cum benediceret Ephraim & Manassem, *Genes.* 48. & manus commutaret, dexteramque super caput iunioris imponeret, quod cùm ægrè ferret Ioseph: senex Iacob respondit: *Minor maior erit illo.* Ait ergo *Ambros.* In quo maior? Quia iunior credens in Christum laborem elegit, senior factus est iunior, quia Deum, & Dominum suum denegauit. Sic *Ambrosius* rationem reddit, cur in Ecclesia Christi ex stirpe Abrahæ Christianos nouos appellemus, enim verò synagoga primogenituram perdidit, nos verò ex misericordia

Gen. 48. num. 14.

A Dei eam assecuti sumus. *Delictum enim Iudæorum diuitiæ fuerunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, & quando fracti sunt rami oliuæ plantatæ in domo Dei, tunc Diuina bonitate Oleaster agrestis ex venenosa radice gentilica progenitus insertus est in illis, & socius bonæ radicis factus.* Minor denique maior seniore factus est, *Et mutatio ista dextræ excelsi facta est.* Denique sicut mortuo Moyse olim successit illi Iosue filius Nuu, qui transire fecit Iordanem Israëlitici populi copias, B & in promissam terram introduxit, ita sanè post abrogatam veterem legem per manus Moysis datam, verus Iesus de cælis ad nos descendit, vt per apertum Iordanem sicco pede iam liceat in promissam terram viuentium ingredi, eamque iure hæreditario possidere.

Rom. 11. num. 12.

Videndus hac de re *Adamant. homil.* 2. *in Iosue*, cum ita habet ad illa verba *Iosue* 1. *Moyses famulus meus mortuus est.* Aduerte, inquit, quomodò regnat Iesus. Si cōsideres Ierusalem subuersam, altare de- C structum, nusquam esse sacrificia, vel Sacerdotes, vel Pontifices, vel quaslibet Iudæorum festiuitates, dices quia Moyses famulus Dei mortuus est. Si consideres introire gentes ad fidem, Ecclesias extrui, altaria non cruore pecudum aspergi, sed pretioso sanguine Christi consecrari, Sacerdotes, & Leuitas, non sanguinem taurorum, aut hircorum, sed Verbum Dei per gratiam sancti Spiritus ministrantes, dicens quia post Moysen Iesus obtinet principatum, non filius Naue, sed Filius D Dei, quia *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Et edimus *sinceritatis azyma, & veritatis.* Et sicut fructus terræ bonæ in Ecclesia trigesimus, sexagesimus maritatur, scilicet viduæ, virgines, & multiplicatur semen Israël de his, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, Ioan.* 1. Et filij Dei, qui dispersi erant congregantur in vnum. Sabbathizat populus Dei non à conuersione communi, sed ab opere peccati. Defunctus est ergo Moyses famulus Domini. Vide E quomodo Minister fuerit Iesus Filius Dei: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*, quia factus sub lege Moysi., factus est minister Moysi: *Et factus est Christus minister circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum.* Sic ille ostendit quomodo iam tempus aduenerit, quo nobis de cælo Pater clamat, *Surge, transi Iordanem istum*, ingredere in requiem promissam,

Iosue 1. num. 2.

1. Cor. 5. num. 7.

Ioan. 1. num. 13.

Galat. 4. num. 4.

Rom. 15. num. 8.

sam, vt fruatis lacte, & melle, Diuinæ scilicet visionis, & fruitionis.

Similia habet *Theodoretus* initio quę in *Iosuē*, vbi ait. Hoc loco per Moysem debemus intelligere legem, per Iesum, Saluatorem, quod autem lex alligata sit Moysi demonstramus testimonio Scripturæ. *Habent* enim, inquit, *Moysen, & Prophetas, & vsq; in hodiernum diē, quando legitur Moyses velamen positum est super cor eorum. 2. Corinth. 3.* Quemadmodum igitur defuncto Moyse Iesus populum introduxit in terram promissam, ita finita lege Iesus videtur apparens populo pio regnum cælorum aperiens, *Finis enim legis Christus.* Rom. 10. *ad iustitiam omni credenti.*

Luc. 16. num. 29.
2. Cor. 3. num. 14.
Rom. 10. num. 4.

Prosequitur idem argumētum *D. Chrysost. homil. 2. in Matth. & homil. 1. de verbis Isaiæ.* Vbi ait. *Iesus Dei iudicio dilectus vt Moysi succederet, qui typum, & figuram gerebat veri Seruatoris Christi, quemadmodum enim ille è deserto per Iordanem in terram promissam perduxit populum, sic & Seruator noster ex ignorantia, & idololatria deserto, per sanctum, & salutiferum baptismum in cælestem Hierusalem nos perduxit.* Sic *Chrysost.*

Et ad confirmandam hanc doctrinam, videndus erit *D. Hieronym. in Epistola ad Paulinum*, vbi testatur *Iosuē* non solum nomine, sed etiam gestis figuram gessisse Saluatoris, qui Moysi successit, vt legem veterem abrogaret, & Euangelicam introduceret, & fidelem populum ad promissam beatitudinem perduceret. Aduertit autem *Glossa ad dictum c. 1. Iosuē*, quòd per baptismum est transitus ad terram promissionis in spe; in re verò post finem præsentis vitæ.

Ex quibus omnibus constat excisam vineam, dirutum sanctificium, quod fundauit Deus in terra Palæstinæ, vt denuò *firmissimum fundaret*, & in æternum permansurum apud gentes, quibus *Paulus* dixit: *Vos estis templum Dei viui*, Et *Dei ædificatio estis*, Et Petrus, *Ipsi tanquam lapides superædificamini, &c.* De quo templo *Zacharias* loquitur, & *Ezechiel*, etenim vir ille, quem Zacharias, *Orientem* vocat cap. 3. *(non solum orientem, sed germen oriens*, vt ex Hebræo constat) Messias est, germen Patris ab æterno, germen matris in tempore; ex quo toto terrarum orbe, gratia, charitas, cæteræque virtutes, & in cælo gloria æterna germinauit. Hoc igitur germen Dei templum altissimum, idest, Ecclesiam ædificauit, auro charitatis texit, lutere baptismatis, candelabro fidei, mensa corporis, sanguinisque sui adornauit, se prætetea ipsum in ea propitiatorium, diuinorúmque thesaurorum omnium arcam proposuit.

1. Cor. 6. & 3.
1. Cor. 3.
1. Pet. 2.
Zach. 3. num. 8.

Quod si templum illud antiquum in varia loca diuisum erat, in nostro quoque diuersos reperies status, virgines scilicet, continentes matrimonij vinculo connexos, Sacerdotes, Episcopos, &c. Si sacrificia requiras, longe illustre Eucharistiæ sacrificium, in quo vno, omnia bona collecta reperies. Huius autem templi fundamentum firmissimum est ipse Christus Dominus, iuxta illud *Pauli*, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus.* Christus autem lapis est viuus, sicut dixit *Petrus*, *Ad quem accedentes lapidem viuum, &c.* Et sanè ita opus erat, iuxta illud quod dixerat idem Christus Dominus de sapiente, qui *ædificauit domum suam supra petram, descendit enim pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.* Hic igitur lapis fundamentalis eleganter elaboratus apud *Isaiam* sic proponitur: *Ecce ego mittam in fundamentu Sion*, idest, Ecclesiæ, *lapidem angularem probatum, pretiosum, probatum.* cum audis, intellige à Deo, quamuis fuerit ab hominibus ædificantibus reprobatus, sicut prosequitur *Petrus*. Et quia angularis est, *portæ inferi non præualebunt aduersus hanc domum*, idest, tota vis hostilis, quia olim armamentaria, & præsidia vrbium propè illarum portas assidebant.

1. Cor. 3.
1. Pet. 2.
Mat. 27. num. 24.
Isaiæ 28. num. 16.
1. Pet. 2. num. 4.

Sed dices, Ecclesia dicitur habere Apostolos, & Prophetas pro fundamentis, *Ephes. 2. Superædificati supra fundamentum, Apostolorum, & Prophetarum.* Insupet & *Apocalyp. 21. Huius vrbis murus dicitur habere fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum agni.* Et *Matth. 15.* dicit Christus se ædificaturum Ecclesiam suam supra Petrum, nam hic sensus germanus est illius loci: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, idest, super hunc Petrum, petros enim Græcè, idem est, quod Latinè petra, *ædificabo Ecclesiam meam.* Dubitationi respondit *D. Thom. lect. 2. super 1. ad Corinth. c. 3.* asserens duplex esse fundamenti genus, vnum quod per se habet soliditatem, sicut rupes aliqua supra quam ædificium construitur, & huic fundamento comparatur Christus, éstque vnicum tātum huius generis: aliud verò quod habet soliditatem non ex se,

Ephes. 2. num. 20.
Apoc. 21. num. 14.
Mat. 15. num. 18.

ſed ex alio ſolido, quod ipſi ſuppoſitum eſt, & ſubſtractum ſicut lapides, qui primæ imponuntur petræ, vel rupi ſolidæ, & hoc modo dicuntur Apoſtoli fundamenta Eccleſiæ, quia ipſi primò ſuperædificati ſunt Chriſto per fidem, & charitatem,
1.Cor.12. num.28. iuxta illud *Pauli, Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, &c.*

Hæc igitur ciuitas eſt, quam prævidit
Ezec.40. *Ezechiel. cap.*40. non in valle, ſed in celſiſſimo extructam monte, non ad gelidum Aquilonem, ſed ad calidum Auſtrum vergentem, id eſt, Spiritum ſanctum, ſicut interpretatur *Gregor. homil.*13. *in Ezech. & Rupertus*, qui ait, Eccleſia humiliter ad Auſtrum, id eſt, ad ſanctum vergit Spiritum. Quod ſæculis autem in hoc orbe ſit permanſura ciuitas, quæ ſit latitudo, id eſt, quas regiones, nationes, hominéſque, vſque ad orbis finem ſit complexura, quæ altitudo charitatis, & meritorum, quæ profunditas humilitatis, quæ rectitudo operum, quis ordo lapidum, id eſt, Pontificum, Regum hominúmque exterorum, quinam ſuperiori loco, qui inferiori ſint, ille novit qui in porta dicti ædificij viſus eſt Ezechieli, *Similitudinem referens menſoris, ſiue architecti lineam manu tenens funiculum, calamúmque menſorium*, quem *D.Hieron.* ibi interpretatur Chriſtum Dominum dicto munere fungentem, videtur autem in porta quia læto, hilarique vultu venientes omnes excipit, & in Eccleſiam introducit, nemo enim ad illam venit, nemo ad Patrem niſi per Chriſtum: *Stabat in porta*, ait Hier. *quia per ipſum ad Patrem ingredimur, & ſine ipſo ciuitatem Dei intrare non poſſumus, vt dignos ſuſcipiat, indignos abijciat, &c.*

Iam verò triplex ille murus, qui eidem Prophetæ oſtenditur, Eccleſiæ adumbrat cuſtodiam, primus enim murus diuinam indicat protectionem, iuxta illud. *Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Iſaia 26. num.1.
Secundus murus Angelorum tutelam, hi enim ſunt montes Eccleſiam cingentes, iuxta illud, *Montes in circuitu eius*, id eſt, Angeli, vt *Auguſt.* placet. *Et Dominus in circuitu populi ſui*, ecce duplicem habes murum: reſtat tertius eorum, qui Eccleſiæ præſunt, quos cuſtodes appellari conſueuit Scriptura. Pſ.124. num.2.

TEXTVS.

Num.18. *Dominus regnabit in æternum, & vltra.*

EXPOSITIO LITERALIS.



ILLVSTRE epyphonema eſt, ſiue acclamatio, qua peritiſſimus artis Moyſes carmen ferè concludit: poſt commemoratam enim, & prædicatam victoriam, ſiue Dei potentiam admirabilem inſignibus teſtatam prodigiis, prorupit in acclamationem: *Dominus regnabit, &c.* quaſi dicat. Hæc omnia cum ita ſint, vt à me ſunt hactenus commemorata, exclamare ſanè libet; velint, nolint hoſtes, Dominus ſemper regnabit, nemóque eum poterit de ſuo ſolio, & totius orbis adminiſtratione depellere; ad hunc etiam modum Rex paſtor
Pſal.28. num.10. ad finem *Pſalmi* 28. poſtquam Dei virtutem toto Pſalmo celebrauit, ait: *Sedebit Dominus Rex in æternum*, quaſi diceret, tam potens cum ſit Dominus, quam declarant hactenus commemorata, & ab eo patrata portenta, ille ſine dubio ſemper omnibus præſidebit, & vel inuitis omnibus ſedebit Rex in ſempiternum.

Quod autem in hoc noſtro verſiculo dicitur, *in æternum, & vltra*, & ſi æternum pro vera æternitate omnem, ſiue realem, ſiue imaginariam durationem adæquare complectéte ſumeretur, vltra quam proinde nec eſſe poteſt, nec concipi duratio vlla, nihilominus tamen adhuc ſuauiter poſſet exponi additio illa, *& vltra*, quaſi poſita per hyperbolem, hoc ſenſu, *Dominus regnabit in omnem æternitatem, & ſi fieri etiam poteſt, vltra æternitatem*, vſque adeò regnum eius finem non agnoſcet, quod fere dixit Poëta de Imperio Romano, 1. Æneidos.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono
Imperium ſine fine dedi.

Scriptura namque diuina cum ſcateat tropis,

tropis, hyperbole quidem non caret: & A quamuis hic tropus dici soleat à rhetoribus ementicus superiectio, non tamen mentitur cum illo vtitur, quia hyperbolica locutio non sumitur proprie, in qua acceptione mentiretur, sed tropice, seu vniuerse, hoc est, in significatione illa, quæ in gentem quandam, vel etiam valde exiguam, rei de qua agit, quantitatem declarat, quod est verum. Vnde *Aug. lib. 16. de Ciuit. cap.* 20. ait. Hyperbole, vt exteris tropis, vti solere Scripturam, nullus qui eam didicit, ambigit. Iste autem B tropus fit, quando id quod verbis dicitur longè est amplius, quam quod eo dicto significatur.

Quomodo tamen per hyperbolem loquens non mentiatur, declarat idem *Au-*
Ioan. 21. num. 25. *gust. tract.* 124. ad illam per hyperbolem, *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum posse eos capere, qui scribendi sunt libros.* Vbi *August.* sic ait: *Non spatio locorum, credendum est mundum capere non posse, qua in eo scribi quomodo possent, si C scripta non ferret? Sed capacitate legentium comprehendi fortasse no possent, quamuis salua rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem, quod non fit, quando aliquid, quod erat obscurum, vel dubium, causa, & ratione reddita exponitur; sed quando id, quod apertum est, vel augetur, vel extenuatur, nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur, quoniam sic verba rem, quæ indicatur excedunt, vt voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui nouit quousque credatur, à D quo vltra quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur.*

Hunc loquendi modum Græco sermone non solum Græcarum, verum etiam Latinarum literarum Magistri hyperbolem vocant: qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis alys Diuinis literis inuenitur, vt est,
Ps. 72. n. 9. & 67. num. 22. *Posuerunt in cœlum os suum*, Psal. 72. *Et verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Psalm. 67. Hæc ibi, & *lib. quæst. super Deuter. cap.* 15. *tom.* 4. *Quid est*, inquit *August.* quod Moyses commendans verba E
Deut. 6. num. 9. *Domini.* Deuter. 6. ait *Scribetis ea super limina domorum vestrarum, & ianuarum vestrarum, cum hoc secundum nemo fecisse Israëlitarum commemoretur, vel legatur, quia nec quisquam potest nisi fortè diuidat ea per multas partes domus sua, an hyperbolica commendatio est, sicut multa dicuntur, seu videntur?* Ita *August.* Videndus
Luc. 10. num. 4. etiam *Ambros.* eum explicat illud, *Nemi-*

nem per viam salutaueritis. Vbi etiam obiter explicat illud, vbi Eliseus mittens 4. Reg. 4. num. 29.
Glezi famulum suum ad suscitādum puerum cum baculo, ait: *Si occurrerit tibi homo non salutes eum, & si salutauerit te quispiam non respondeas illi.* Vtrumque igitur locum exponens *Ambros.* ait. Considera non hoc esse solum, neminem salutaueritis: sed non frustra additum, in via. Denique, & Eliseus cum mitteret seruum mandauit ei per viam aliquem salutaret, festinato etenim iubebat, ad eum contendere, vt celebrandæ resurrectionis exequetetur officium, ne confabulatione alicuius obuij mādato reflecteretur à munere. Ergo, & hic non salutationis officium, ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impedienda deuotionis aboletur, vt quando Diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana, &c. *Et August. serm.* 42. *de Sanctis*, idem sentit dicens: *Quid est neminem salutaueritis in via? Potest quidem etiam simpliciter sic accipi, quia iussit nos festinanter agere iniuncta, & hoc ita dixit: Neminem per viam salutaueritis, tanquam diceret: Omnia prætermittatis, dum, quod iniunctum est peragatis, ea locutione, qua solent dicta exaggerari consuetudine sermocinandi.* Sic *August.* cui accinit *Gregor. homil.* 17. *in Euangelia.* De- 3. Reg. 6. num. 7.
nique per hyperbolem dicitur: *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini cum ædificaretur.* Quibus verbis adnotatur mira in construendo templo celeritas, & dicitur. *Vi-* Num. 13. num. 34.
dimus monstra quædam filiorum Enac de genere Gigantea, quibus comparati quasi locustæ videbamur.

Secundum igitur hunc tropum, & per exaggerationem potest accipi illa additio, *& vltra*, quod si, *æternum*, non strictè pro duratione vsquequaque infinita accipiatur, sicut alias sæpe accipi solet, tunc locutio hæc sine hyperbole, aut tropo aliquo potest exponi.

Aduertendum igitur est pro quatuor Latinis dictionibus, *in, æternum, & vltra*, haberi Hebraicè alias quatuor, *le gholam, ve, ghad*, quas alij Hebraicè benè scientes transferunt, *in sæculum, & perpetuum.*

Secundò obserua Hebraicam dictionem, *ghad*, plus significare, quam *gholam*, cum oratio crescit, & durationis augmentum indicatur, nempe quando, *ghad*, ponitur post *gholam*, quemadmodum videre est hoc loco, & *Psalm.* 9. vbi enim nos le- Psalm. 9.
gimus: *Nomen eorum delesti in æternum, &* num. 6.
in

in sæculum sæculi, pro, *in æternum & in*
sæculum sæculi. Hebraicè habetur, *le gho-*
lam, ve, ghad, quod Pagninus, & Arias
transferunt, *in sæculum, & in sempiter-*
Psal. 44. *num*, & Psalm. 44. *Sedes tua Deus in sæcu-*
num. 7. *lum sæculi*, Hebraicè *gholom, vah ghed.*
Mich. 4. idest, *in æternum, & perpetuum*, nempe
solium tuum, siue sedes tua. *Ambulamus*
in nomine Domini Dei nostri in æternum,
& vltra, Hebraicè, *legholam, vah ghed.*
Vnde potest in his locis, *ghad*, significare
æternitatem strictè acceptam, & omni
prorsus fine carentem, quemadmodum
fatetur *Iansl.* super hunc versum nostri
Cantici. Et hæc causa est quare cum sacra
Scriptura geminatur sæculum, & sæcu-
lum, siue sæculum sæculi, siue sæcula sæ-
culorum veram, & infinitam æternitatem,
atque omnia, quæ excogitari possunt sæ-
cula debeamus accipere.

Dixi, quando *ghad*, ponitur post *gho-*
lam, quia si aliquando anteponitur, vt *Du-*
cam eum, scilicet puerum Samuelem, *vt*
appareat, ante conspectum Domini & ma-
neat ibi iugiter Hebraicè, *ghad, gholam*,
vox, *ghad*, habet vim præpositionis, *vsque*,
ac si diceretur, vt maneat ibi in æternum.
Psal. 80. Similiter *A sæculo & vsque in sæculum,*
num. 2. *tu es Deus*, pro, *vsque in sæculum*, in He-
bræo habetur, *ghad, gholam.*

Tertiò obserua id, quod negare nemo
proteruus potest, *gholam*, sumi & vsurpari
in sacra Scriptura sæpissimè pro æternita-
te non rigorosa, neque natura sua finis
experte, sed significante duratione quam-
piam longinquam, & cui finis aliquando
possit siue circa initium, siue exitum ad-
uenire, non tamen est præfixus, neque con-
Gen. 49. stitutus, hinc enim *Genes. cap. 49. & Deut.*
num. 26. *cap. 33. Colles dicuntur æterni*, idest, anti-
Deut. 23. qui quemadmodum *Psalm. 76. Cogitaui*
num. 15. *dies antiquos, & annos æternos in mente*
Psal. 76. *habui.* Ierem. 2. *A sæculo confregisti iu-*
num. 6. *gum*, Hebraicè, *me gholam*, idest, ab æter-
Hier. 2. no, hoc est, ab antiquis temporibus, *Gen.*
num. 20. *6. Isti sunt potentes à sæculo viri famosi*,
Genes. 6. Hebraicè, *me gholam*, hoc est, ab æterno,
num. 4. idest, à priscis temporibus; constat enim
hæc omnia habuisse à parte ante suæ du-
rationis initium, & cum tamen dican-
tur æterna.

A parte post, siue versus exitum suppe-
1. Reg. 1. tunt non pauciora exempla, nam 1. *Reg.*
num. 22. 1. dicebat Anna mater Samuelis. *Ducam*
eum vt appareat ante conspectum Domini,
& maneat ibi iugiter, in Hebræo habetur
1. Reg. ad verbum, *Maneat ibi vsque in æternum.*
27. n. 12. 1. *Reg.* 27. dicebat Achis Rex Geth. de

A Dauid ad se confugiente. *Erit mihi seruus*
sempiternus. Audiendus est hac de re *Aug.*
lib. 1. qq. in Genes. c. 31. tom. 4. dum tractat Gen. 17.
illud Dei ad Abraham. *Dabo tibi, & se-* num. 8.
mini tuo omnem terram Chanaam in pos-
sessionem æternam. Quæstio est, inquit *Aug.*
quomodo dixerit, æternam, cum Israëlitis
temporaliter data sit; & post subijcit, an
potius locutio est Scripturarum vt æternum
appellent, cuius rei finis non constituitur,
aut non ita fit, vt deinceps non sit facien-
dum quantum pertinet ad curam, vel po-
B *testatem facientis, sicut ait Horat. lib. 1.*
epist. 10.

Seruiet æternum qui paruo nesciat vti.

Non potest enim in æternum seruire cu-
ius ipsa vita, qua seruit æterna esse non po-
test; quod testimonium non adhiberem, nisi
locutionis esset verborum, quippe illi nobis
auctores sunt non rerum, aut sententia-
rum. Hactenus *Augustinus.*

Ex quibus patet in his nostri versus
verbis (*in æternum, & vltra*) siquidem
æternū significare potest durationem tan-
C tum longinquam adiungi posse, sine vllo
tropo particulam, *vltra*, Hebraicè, *ghad*,
qua completur vera, & infinita æternitas.

Ex hac igitur significatione, *gholam*,
pro duratione scilicet longinqua, cui non
est appositus finis, quamuis natura sua
possit, & interdum debeat apponi, liquet
nullam vim habere argumenta, quæ Iudęi
petunt ex aliquibus Scripturæ locis, vbi
lex, vel circuncisio, vel immolatio Pa-
schalis agni, vel denique pactum quon-
dam initum cum Hebræis, dicuntur
D æterna, siue sempiterna, vt *Erit pactum* Gen. 17.
meum in carne vestra in fœdus æternum, num. 13.
agitur autem de pacto circuncisionis, &
num. 19. Constituam pactum meum illi,
scilicet Isaac, *in fœdus sempiternum.* Exod. Exod. 12.
12. *Celebrabitis eam*, diem videlicet Pa- num. 14.
schatis, *solemnem Domino in generationi-* & n. 24.
bus vestris cultu sempiterno, & num. 24.
Custodi verbum istud legitimum tibi, &
filijs tuis vsque in æternum. Exod. 31. *Cu-* Exod. 31.
stodiant filij Israël sabbathum, pactum est num. 16.
sempiternum inter me, & filios Israël, si-
E *gnumq́; perpetuum.* Quibus in locis, & si-
milibus semper in Hebræo legitur, *gho-*
lam, quod largè vsurpari solet, & ita ibi
accipiendum est; & sanè noster interpres,
vt indicet se quando vertit *æternum*, non
illico significare velle durationem omni-
no infinitam, sæpe vertit sæculum, seu
antiquum, vnde sit perspicuum quo sensu
accipienda sint, apud Paulum, *tempora* Rom. 16.
æterna, vel, *tempora, secularia*, hebraizauit num. 25.
enim

1. Tim. 1. num. 9. Tit. 1. num. 2. enim homo Hebræus, & quanquam Græcè scripserit, tamen *æterna*, vel, *sæcularia*, petinde dixit ac vetustissima, & ab initio mundi cæpta decurrere.

Ita Euangelia, sæculum pro mundo, & duratione eius; è sæculo autem pro ab initio mundi solent accipere. Luc. 1. num. 70. *Luc. 1. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo* Ioan. 9. num. 32. *sunt prophetarum eius. Ioan. 9. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.*

Sed inferet fortassis quisquam ex hac doctrina loca illa Scripturæ, in quibus B Messiæ regnum dicitur æternum, vt *Luc.* Luc. 1. num. 33. Dan. 7. n. 14. & num. 21. Mich. 4. num. 7. Dan. 12. num. 2. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, Dan. 7. Potestas eius potestas æterna, & n. 27. Cuius regnum sempiternum.* Et *Michea* 4. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc, & vsque in æternum.* Illa item loca in quibus alterius vitæ præmia beatorum, & supplicia impiorū æterna dicūtur vt *Dan. 12. Multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant* Mat. 25. num. 46. *semper.* Et *Matt. 25. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*, & si quæ sunt alia huius generis, ac locutionis loca, quæ de rebus perpetuò duraturis agunt: nullam vim habere ad institutum probandum, facilè namque dixerit hæreticus, aut Iudæus his in locis Hebræam vocem, *gholam*, & latinum *æternum*, sumi quemadmodum plerunque soler pro duratione diuturnā quæ tamen finem possit habere.

Ad hoc igitur sic respondeo, in multis locis ea verba subiungi quæ æternitatem D ab illa ampla vsurpatione deiiciunt, & ad restrictam, rigorosamque necessariò trahunt, vt ad dictum *Lucæ* locum, *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius* Dan. 7. num. 14. *non erit finis.* Et *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.*

Secundò dico, sacram Scripturam quæ teste *Hier. in fine epistolæ aduersus Luciferianos, tom. 2.* non in legendo consistit; sed in intelligendo, non esse iuxta proprium cuiusque, sed iuxta Patrum sensum intelligendam, ita vt si vnanimus Patrum con- E sensus locum aliquem alias obscurum, vel ambiguum tali, vel tali modo intelligat, ea profectò habenda sit legitima intelligentia, Scripturæque eo in loco certissima significatio, sicut docet *August. sermone* 18. *de verbis Domini secundum Matth. sub finem.* Quare quando Patres, aut Hebræum, *gholam*, aut Latinum, *æternum*,

A cum de Messiæ regno, vel alterius vitæ præmio, suppliciove agitur, pro propria æternitate accipiunt, non sic autem cum de circuncisione, aut de veteri lege agitur; sufficiens profectò est ratio, vt sumatur vno in loco pro vna significatione, in alio verò pro altera.

Sed quid si Iudæi & Pagani sanctos Patres contemnunt? Tertia sit adhuc solutio, sed pro illa obseruandum significationem propriam, & primæuam cuiuslibet vocis sæpè ab illius vsurpatione B distingui, nam multoties propter multas, quæ interuenire possunt causas, accidit vt à germana, & primæua sua significatione distrahatur vox, & in vsurpatione fundetur latius, quam fuerat ab initio ad significandam imposita, vt statim patebit.

Deinde obseruandum dictam vocem, *gholam*: quando scribitur sine litera *vau*, significare durationem limitatam, verbi gratia, vsque ad annum quinquagesimum, qui Hebræis erat annus Iubilei, vt patet C *Perforabit dominus aurem eius subula, & erit eis seruus in sæculum*, & tamen ad- Exod. 2. num. 6. uentu Iubilei seruitus soluebatur, quod si scribatur cum litera *vau*, vt ferè semper scribitur, tūc veram æternitatem significat, ita docet Hebreæ linguæ peritissimus *D. Hieronym.* super illud. *Vt criperet nos* Galat. 1. *de præsenti sæculo nequam*; quod non ideò obseruo, quasi velim in locis annotatis, pro circuncisione, ac lege veteri, *gholam*, scribi sine *vau*, fateor enim ingenuè etiam ibi cum *vau*, scribi non aliter, at- D que quando agitur de regno Messiæ, vel de præmiis, aut suppliciis vitæ æternæ, hoc tamen volo propriam, & germanam significationem prædictæ vocis apposita tali littera, æternitatem esse propriè dictam, quod etiam significat Latina vox, *æternum*, siue *æternitas*, & Græca vox, *eon*, quam L X X. interpretes ferè semper reddunt pro *gholam*.

Vltimò obseruandum in omni disciplina, siue vocibus ea tradatur, siue scriptis, hanc haberi optimam regulam, vt E vocabula semper accipiantur propriè, nisi quid cogat aliter interpretari, quam regulam de sacra Scriptura spectatim agēs, ita proponit, *Augustin. libr. 3. de doctrina Christiana c. 10. tom. 3.* Prius est demonstrandus modus inueniendæ locutionis, propriane, an figurata sit. & iste omnino modus est, quidquid in sermone Diuino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest

Vvv figura

figuratum esse cognoscas: quasi dicat de cætero semper sermo Diuinus accipiendus est propriè, non propriè autem, seu figuratè tunc solum accipiatur, cum honestas morum, vel rei veritas, proprietatem impedit, & quoniam neutrum horum Latinum, *æternum*, siue Græcum, *eon*, siue Hebræum, *gholam*, si propriè accipiatur, cum agitur de retributione animæ in futura vita, neque cum agitur de regno Messiæ (cui æternum regnum debetur, & tribuitur; *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*,) hinc efficitur, vt circa omnem violentiam in his locis, & Christiani, & exteri possint, ac debeant de æternitate ex parte termini dictam vocem interpretari, non sic autem in locis aliis, vbi veritas, quæ ex ipsa rei caducæ natura, vel ex Diuino testimonio alibi clarè proposito, constat, omnino repugnat.

Rogabis autem cur igitur in posterioris huiusce generis locis vtitur Scriptura, voce, *æternum?* Respondeo, quod propter similitudinem, & proportionem quãdam, siquidem hominibus ea, quæ finem, aut principium suæ durationis habent longissimè distant proinde apparent, ac si verè æterna forent, omnique prorsus fine, principiovè carerent, imò sic vulgo loqui solemus eum possessionem, aut consuetudinem, aut quamlibet aliam rem immemorabilis initij, vocamus rem ab initio, & ante sæcula, idest, æterna.

ANNOTAT. VNICA.

Quod solus Deus in æternum regnat cum cætera Regna facilè euanescant.

ILlud igitur hoc in loco cum *Abulens. qu.* 1. notandum occurrit Moysen post enarrationem totius Cantici se tandem ad Dei laudes conuertisse, ostendens singulare discrimen, & latissimam differentiam inter Regnum, dominationémque Dei & cætera regna terræ, quod hęc vicissitudine cõmutentur, & interdum omnino ruant: Regnum autem Dei in æternum maneat, in quod argumentum affert *Lucanum lib.* 1 *de bello*, plusquam ciuili Iulij Cæs. & Pompei, vbi tres rationes Romani Imperij casus assignat. Primam dicit, esse fatalem dispositionem. Secundam inuidiam magnitudinis, quia quilibet solus dominari vult, nec quemquam parem videre desiderat, cum dicit: *Omnis namque* A *potestas impatiens consortis erit.* Inuiderat autem Pompeius ne Cæsar ei æqualisieret. Tertiam rationem asserit, quia ipsæ res magnæ etiam nullo impellente concidunt, cum dicit: *In se magna ruunt.* Vnde *Boetius lib.* 3. *de consolatione prosa* 7. ironicè ait: O præclara potentia, quæ nec ad conseruationem quidem sui satis efficax inuenitur.

Solus igitur immortalis Deus casum, siue occasum nescit, pro qua re videndus *D.Gregor.lib.*12. *Moralium,cap.*17. vbi B variam rerum mutationem, mortem earum dicit. *Quid mutabilitas, inquit ille, nisi mors quædam est, quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, vt incipiat esse quod non erat, &c.*

Solus item mutationis in regno expers, qui lucem habitat inaccessibilem, nam sicut prosequitur citatus *Gregor.* mutabilitas vmbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret.

Proinde immutabilis, *Deus in æternum* C *regnat, & vltra.* Quod prosequitur *Philo lib. quod Deus sit immutabilis*, vbi inter alia sic ait. An putas rem vllam mortalem veram esse, & non tanquam in suggestu quodam ab inani, & incerta opinione sustineri, non aliter quam somniorum ludum? Quod si non libet singulorum fortunas, perquirere: vide regionum integrarum, & gentium mutationes. Floruit quondam Græcia, sed Macedones potentiam ei abstulerunt, posteà Macedonia præualuit opibus, sed diuisa in plures D portiones sic debilitata est, vt tandem omnino interiret. Ante Macedonum imperium inclita fuit Persarum fælicitas, sed vna dies tam ingenti regno finem attulit, & nunc Persæ penes quos paulò ante fuerat imperium, sunt Parthorum prouincia. Fuit Ægypti olim perampla, & magnifica potentia, sed nubis in modũ præteriit eius fælicitas. Quid Æthiopes, quid Carthago in Africa, quid Pontici Reges, quid Europa, Asiaque, nónne more nauis susque deque iactatæ marinis fluctibus E nunc secundis ventis, nunc aduersis vtitur; nam Verbum Diuinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum, fortunam nominat, & omnes gentes circumlustrando, nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel ademit. Nihil igitur est in humanis rebus præter vmbram, auramque leuissimam sine mora præteruolantem, sunt enim vltro, citroque tanquam æstuaria, & cætera quæ prosequitur, ex quibus

quibus deducit Dei immutabilitatem, & A
stabilem regnandi permanentiam.
3. *Re.*10. Quod non vulgariter possumus dedu-
num. 18. cere ex throno illo regni à Salomone fa-
bricato, *cui nullum simile opus factum est
in terra.* Quod ego intelligo non de ma-
teriali opere, sed de spirituali significa-
tione, etenim sedéris manus Regis appo-
nebantur super ebutneas manus opertas
auro, siue vt *Iosephus* interpretatur *libr.* 8.
*antiqui.cap.*2. Ea parte, qua Rex insidebat
manuum effigies eum excipiebant, quasi
ante iam præsideret in eo throno alius B
proprius Rex, & Dominus, qui denuo as-
sidentium Regum personas manibus ex-
ciperet eum admitteret, & reiiceret eum
deponeret:& hoc fine dubio videtur allu-
sisse idem Salomon, qui thronum fabrica-
Prou. 21. uit eum dicit. *Cor Regis in manu Domini,*
num. 1. & hæ manus in Moyse victoriam opera-
tæ sunt contra Amalec, *quando ad eleua-
tionem manuum Moysis populus, cuius dux
erat Amalechitas superabat*, quod apertè
probatur ex eo quod dicitur post partam
*Exod.*17. victoriam; *Ædificauit Moyses altare, & C*
num. 15. *vocauit nomen eius Dominus exaltatio
mea, dicens: quia manus solius Domini, &
bellum Domini erit contra Amalech*, ma-
nus etenim Dei per Moysi manus signifi-
catæ operatæ fuerant victoriam. Quod
*Eccles.*3. adhuc clarius innotescit ex *cap.* 3. *Eccle-*
num. 17. *siast.* vbi dicitur, *Vidi in loco iustitia ini-
quitatem, & in loco iudicij impietatem*;
quo in loco iniqui ministri, & domini
temporales significantur, qui in throno
Dei conspiciuntur, is enim per iusti-
tiam, & iudicium eo in loco intelligi cla- D
rissimè patet; quibus præsidentibus imme-
tito, & impietatem exercentibus harum
Dan. 5. manus digiti ostenduntur in Balthasaro,
num. 5. vt intelligant quod si manus suas non
adaptauerint, & commensutauerint Dei
manibus excipientibus eos ad solium, &
thronum, certò illis earundem manuum
supplicium dutissimum, ac ditissimum
affuturum.
Ecce igitur quomodo excipiēdo vnum,
& alterum in manibus suis ad vicissitudi-
nem regnandi in throno suo regnet Deus E
in æternum, & vltra, quæ est ratio eur
*Marc.*16. *Marci* 16. Filius Dei eum affirmatione di-
num. 19. eatur Dominus, vt indicetur ipsum tan-
tummodo, & verè Dominum esse, cæte-
tos verò dominantis figuras, & regnantis
vmbras. Quod ex mente Origenis videtur
Deus sibi ab hominibus testatum, in festo
tabernaculorum, quandoquidem in eo
lætari præcipiebat Istaëlitas, vt sic profi-

terentur tabernaculorum huius vitæ, &
breuem durationem, & perpetuam muta-
tionem in confessionem iugis, ac stabilis
regni Dei. Sic ergo habet *Origenes homil.* *Num.*23.
23. *in Numeros*; lætatur super te Deus cum *num.* 40.
te viderit in hoc mundo in tabernaculis
habitantem, cum te viderit non habentem
fixum, ac fundatum animum, ac propo-
situm super terram, nec desiderantem quæ
terrena sunt, nec vmbram vitæ huius qua-
si possessionem propriam, sed veluti in
transitu positum ad veram illam patriam
festinantem.
Est optimus pro hac re locus apud *Dro-
gonem Episcopum Ostiens. lib.* 1. *de passione
Dominica tom.* 2. *Bibliot.* vbi interpretatur
illud *Psal.* 2. *Reges eos in virga ferrea*, de *Psalm.*2.
immutabili regno Dei, cum cætera regna *num.* 9.
mundi instar mutabilis arundinis sint, po-
testis, inquit ille, & regnum impiorum
arundo est vento agitata: Regnum autem
Christi virga ferrea, &c.
Et quia perpetuo motu cientur huma-
næ potestates, & regna merito currus di-
cuntur in Scriptura tum *Ezechielis* 1. tum *Ezech.* 1.
4. *Reg.* 2. vbi Eliseus magistrum suum *cur-* 2. *Reg.*2.
rum Israël, & aurigam eius appellat, quem *num.* 12.
locum interpretatur citatus Drogo, por-
tas & regis, sustines & gubernas. Is autē,
qui gubernat *nunquam in eodem statu per-
manet*, & quia onus portat, ab eo tandem
siue iure, siue iniuria exoneratur.
In quam sententiam videndus est *Hier.
in c.* 7. *Ezech.* vbi interpretatur verba illa 1. *Cor.*7.
Paul. *Præterit figura huius mundi*, notan- *num.* 31.
dum quod non in futurum distulerit, sed
de præsenti dixerit, prætetit, & quotidie
labitur figura mundi, nunquam enim in
eodem statu permanet, sed semper cre-
scentium, & decrescentium figura præter-
uolat, & mutatur, vnde Dominus; *Cælum, Mat.* 24.
& terra transibunt. Sin autem hæc om- *num.* 35.
nia, quæ in mundo continentur præte-
reunt, atque pertranseunt, quid potest in
humanis rebus esse perpetuum? Sic ille. Ex
cuius doctrina videntur dicta Pauli verba
continere allusionem ad figuras scæna-
tum, quæ breui tempore munere dicendi
functæ, personam Regis deponunt, & in
vili statu remanent transmutatæ.
Hæc est ratio, sicut interpretatur *Lori- Psalm.*2.
nus in Psal. 2. Cur, *Christus ab iu, qui eum Ioan.* 9.
Regem constituere volebant, aufugit, *num.* 15.
Etenim cum inconstantes esse soleant
Reges terræ, & diu nesciant in throno
sedere, noluit ab hominibus mutabile re-
gnum accipere, qui in proprio, *regnat in
æternum & vltra.*

Facit, & in hanc sententiam *Tertull. lib. de pœnit. sub finem*, vbi annuos Romanorum consulatus aligeros vocat, vt breuitatem insinuet, ait enim: vnius anni volaticum gaudium. Videndus *Bernard. Epistol. 237. ad Eugenium*, factum Papam, vbi inter alia. Considero gradum, & casum vereor, itaque ascendisti in altum, noli altum sapere, sed time, ne fortè contingat serò miserabilem illam emittere
Ps. 101. vocem: *A facie iræ, & indignationis tuæ*
num. 11. *eleuans allisisti me.* Altiorem quippe locum sortitus es, sed non tutiorem, sublimiorem, non securiorem, prædecessores tui certissimæ, & citissimæ decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiat tibi, quia quibus successisti in cæde, ipsos sine dubio sequetis ad mortem, &c.

Notandus etiam venit pro hac re locus ille, *Ezech. 21.* vbi alloeutus Dominus Sedeciam eum iam in ipsum intuebat
Ezec. 21. Nabuchodonosor, ait: *Tu autem impie,*
num. 26. *prophane, dux Israël, cuius venit dies: aufer cidarim, tolle coronam, nonne hæc est, quæ humilem sublenauit, & sublimem humiliauit?* Hebraicè habetur, *ista, non ista*, quod Rab. Dauid sic intelligit. *Ista corona non erit ista*, idest, *istud regnum, quod nunc Sedechias tenet, non diu stabit, sed concidet.* Quibus in verbis etiam si per comminationem, admonetur mutabilitatis coronæ, quam habebat, & quam experiuntur, qui in terra regnant, corona enim illorum quasi non ista est, & veluti nec digito demonstrari potest, eum in perpetua mutatione sit.

Pro qua re etiam videndus est *Hieron.*
Ezec. 47. *in cap. 47. Ezech.* vbi *per duos Angelos stan-*
num. 7. *tes in duabus fluuij ripis.* Intelligit Principem regni Persarum, & Principem regni Græcorum aduersantes Hebræis, & liberationi eorum renitentes. Vnde *Pererius* ibi deducit imperia illa, & regna, imò omnium gentium, & populorum ad modum aquæ fluxa, & fugacia esse, & quam citissimè interitura: quod magis adhuc augetur si consideremus imperia illa, & dignitates, quæ à Deo conceduntur, & proinde videbantur aliquam à Deo hautire immutabilitatem in perpetuo occasu, & descensu esse, imò, & ita vocari in
Num. 27. Diuinis literis. Etenim *Numer. 27.* quan-
num. 20. do Deus præcepit Moysi, vt sibi futurum successorem eligeret, ait. *Dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* Vbi *Pagninus* legit, *de descensu tuo.* Etenim gloria illa maiestas, & imperium, etiamsi a Deo concessum esset, naturam humanæ gloriæ non amisit, proindéque semper veluti descendebat, donec tandem ad Occasum, & terminum perueniret.

Non possum autem non hoc in loco meminisse miseram eorum conditionem, qui cū instabiles sint in potestate, & volaticam præfecturam sortiantur, in ea tamen immobilem constantiam ad tolerandum, & sustinendum debent inducere. Etenim vt plerique sentiunt, columna illa nubis, & ignis, qua præeunte direxit populum in deserto, id designabat, uempe eos, qui præsunt columnarum instar debere esse ad onera gubernandi sustinenda. Quod facile deduces ex illo *Genes. 49.* Gen. 49.
Prior in donis, maior in imperio. Vbi *Hiero. in quæst. Hebraicis* legit ex Hebræo: num. 3.
Maior ad portandum, & maior robore. Græca autem lectio, & Romana editio, quæ vt notat *Pererius* ad fidem, & veritatem vetustiorum exemplarium emendatissima censetur, habet, *durus ad ferendum*, & est sensus: Is qui maior in imperio est, maior debet esse ad portandum, quia multis ferendis laboribus expositus est. Vnde *Ioseph* ad Regis pincernam ait:
Post dies tres restituet te Rex in gradum Gen. 40.
pristinum, idest, dignitatem, & locum. *Ly-* num. 13.
pomanus, ibi ex Hebræo transtulit: *Restituet te super basim tuam*, quo innititur instar columnæ marmoreæ in duitie, & constantia debere præstare eos, qui aliis præsunt, & dignitate præstant; quò etiam videtur alludere oblatio illa Principum
Israël. *Cum sex plaustra, & duodecim bo-* Num. 7.
ues ante ostia in tabernaculi ministerium num. 3.
obtulerunt. Cur enim non pecuniam, aut pretiosa quæque, sicut Principes decebat viros, obtulere? Credo equidem, vt denotarent laboriosam in sustinendo vitam, quæ per currus, & boues, vtpote oneriferos maximè designabatur. Ij igitur, qui perpetua instabilitate laborant, ingi laborum sustinentia obstricti tenentur, & qui instar columnarum sustinendis subditis inseruiunt, elati ad transmutationem repetiuntur.

Dixi, inseruiunt, quia hac etiam in re maximum cernitur discrimen inter Deum regnantem, & eos qui in terra regnare videntur, cum potius verum sit quod seruiant sicut bene prosequitur *D. Bernard. lib. 1. de considerat.* vbi ita ait ad Eugenium Papam. *An ideò non seruus, qui non vni seruus, sed omnibus? Nulla turpior seruitus,*

uitus, quam Iudæorum, quam quocumque A *ierint, post se trahunt, & vbique dominos offendunt suos. Tu quoque dic quæso, vbi vnquam sis liber? Vbi tutus? vbi tuus? vbique strepitus, vbique tumultus, vbique iugum tua seruitutis te premit, &c.*

Cùm igitur qui dominantur seruiant, & qui præsunt facilè deponantur, inte optimo cum nostro Moyse verè decantare possumus, & celebrare verè regnantem, & in æternum, ac vltra dominantem Deum.

TEXTVS.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris: filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio eius. *Num.19. seu vlt.*

EXPOSITIO LITERALIS.

SEPTVAGINTA hoc in loco B habent: *Quod ingressus est equus Pharaonis cũ curribus, & ascensoribus in mare; & superduxit super eos Dominus, &c.* Hebraicè ad verbum: *Quoniam ingressus est equus Pharaonis in curru eius, & in equitibus eius in mare.* *Caldaica* legit: *Quando ingressus est equitatus Pharaonis cum curribus, & equitibus suis in mare*: *Vatablus* pro ambula- C uerunt, vertit, *profecti sunt*. *Cornelius* igitur *Iansf.* hoc in loco aduertit, lectionem Hebræam quam dicimus, *equus Pharaonis*, & ait: Antiqui quidam codices etiam habent *equus Pharao*. Vt omnino sit verisimile, hanc esse veram lectionem, quam aliquis deprauauit, non intelligens nomen Pharao, esse genitiui casus. Cum autem singulariter dicitur, *equus Pharao*, D aut singularis numerus positus est pro plurali; aut equus collectiuè positus est pro equitatu: legendum autem, *equus*, non eques; etiam illud probat, quod *D. Hieron.* vertit: *Cum curribus, & equitibus suis*: adhibito nimirum pro nomine reciproco. Ita ferè *Iansf.* Cæterùm in Bibliis iussu Xisti V. correctis habetur: *Eques Pharao*, non verò *equus Pharao*, aut *equus* E *Pharaonis*. Et rectè sanè, quidquid dicat *Iansf.* nam si vt ille ait, equus positus est pro equitatu, cur eques pro eodem non accipietur, cum apud prophanos etiam auctores ita ponatur? Vnde *lib.3. Georg.* habetur de equis.

Frana Pelethronij Lapithæ, gyrósque dedere,
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Et vox Hebræa, *sus*, tam ipsum animal, quam animal cum ascensore significat, vtrumque autem dicit, *eques*: Mirificè autem illustrat Moyses miraculum, quo in mari patefacta est via filiis Israël, & illud etiam, quo subito produxit herbam aspectum transeuntium exhilarantem; tertium tandè quo Israëlitis ad littus egressis, aquæ in pristinam coierunt naturam: Moyses enim sua virga, vt aquas ante deduxerat: ita eadem cum voluit denuò coniunxit, sic enim scriptum est. *Cúmque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum &c.* Aliquid simile euenisse in reductione aquarum Iordanis in alueum suum colligit *Masius in c.4. Iosuë*, cum ait: Imperatoris iussu Sacerdotes, vt ante ingressi in aquas subito eas diuisere: ita egressi, tursus committunt. Quippe non dubitamus quin ideò, vt ante in aquam pedes mergere, atque in alueo insistere: ita nunc egredi disertè à Iosuë esse Sacerdotibus imperatum, memoretur: quo res tam admirabiles: dico aquas refrænatas, atque cohibitas, & tursum laxatas, ipsius auspiciis adscriberentur, tanquam diuino nutui consentaneis, ac proinde ipsum omnes *Exod.14. num.27.*

vt Dei consiliarium, atque administrũ reuererentur. Nam tum quoque Israëlitas credidisse Deo, & Moysi, narrat sacra historia, cum hic denuò aquas maris, quas ante diuiserat, consociasset. Sic ille.

Ingratum Iudæorum animum, & ad detrahendum Deo, eiúsque ministris pronum carpit, qui nisi vidissent maris, ac fluminis aquas contra suam naturam repressas iussu Dei solutas, more solito dixissent confluisse, vel ad fortuitum casum, occultásve naturæ causas, non ad Deum mirabiliter operantem retulissent.

B Continet igitur noster text. & punitionem Ægyptiorum, *Reduxit super eos Dominus aquas maris*, & libertatem Israëlitarũ, *Filij Israël ambulauerunt per siccum in medio eius.* Hoc Dei benefici, illud Dei punientis opus fuit, hoc in eximiam recipientium vtilitatem, illud in extremam patientium perniciem redundauit. Quia verò de his duobus totum ferè Canticum agit, iure optimo hic vltimus Cantici versus epilogus, siue orationis totius peroratio appellari potest, enumeratio enim quæ

C propria perorationis est, hic palam elucet, siquidem summatim repetitur totum argumentum laudis dispersæ per vniuersum Canticum: namque argumẽtum duobus hisce capitibus continetur, Ægyptiorum depressione in mari, & Israelitarum tum ex hostibus, tum ex maris sinu exceptione, quæ duo capita breui, & aliquantulum variata repetitione numerata vidimus: factitant id concionatores sacri in suarum exitu concionum, cæterum diligenter cauere debent, quod iure monent

D rectores in enumeratione, seu repetitione sua, ne scilicet ostentatio memoriæ susceptæ videatur esse puerilis.

Neque verò hoc in loco est omittendum, qualis via diuinitus aperta sit filiis Israël in mari rubro, & quomodo intel-

A ligendum sit id quod dicitur, *Ambulauerunt per siccum*, quod petendum est ex cap. 19. Sap. vbi dicitur: *Ex aqua quæ ante erat, terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio per quem omnis natio transiuit, &c.* Parum enim fuit Diuinæ prouidentiæ ita præbere populo suo, vt sicco transiret pede, nisi etiam omnia remoueret, quæ plantas, aut vestigia retardare poterant. Quum etiam ex hilari quadam herbarum viriditate, quasi Indica aut Persica attexuit peristromata. Nam teste *Plinio lib.* 12. *c.* 25. mare rubrum refertum est syluis: & in alto abies, & quercus cubitali altitudine, ramis eorum adherent conchæ, &c. Huiusmodi autem frutices impedimento esse poterant transeuntibus, etiam post siccatum mare, ministerio igitur Angelorum viam expediunt, truncis plantularum syluescentium recissis, & à via procul amotis: vt pressi sarcinolis Hebræi, & vrgente à tergo hoste, paulò ante territi, hilares, & sine impedimento ad littus festinarent: tandémque læto graminex semitæ hospitio, diuinam commendarent erga suos benignitatem. Atque hoc ipsum videtur dixisse citatus sapiens, cum appellauit, *campum germinantem*, siue vt Græcè habetur, *herbiferum* quantumuis *Ianf.* & *Saà* huic expositioni refragentur. Sap. 19. num. 7.

Et per hæc Deo dante ad finem deuenimus præsentis argumenti, faxit ille cuius numine viam hanc emensi sumus, vt qui per apertum maris rubri, passionis scilicet Christi Domini, iter nos deduxit ad habitaculum sanctum suum, Ecclesiam nempe Catholicam; tandem illo perducat, vbi cum cælitibus cytharas manibus tenentibus, perpetuas ipsius laudes decantemus qui in Trinitate perfectissima, & beatissima regnabit in æternum, & vltra.

FINIS.

INDEX



INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, posterior columnam indicat.

A

Aqua

D

 Diuites

Furor


L

 miseri

Persequi

R

Reges



S

T

Tribula

F I N I S.







